No 298
L'Abbé GRILLET

R. P. TOBIAS LOHNER

BIBLIOTHECA

MANUALIS CONCIONATORIA

ORDINE ALPHABETICO DIGESTA.

PARIS. — IMPRIMERIE PIERRE LAROUSSE
49, RUE NOTRE-DAME-DES-CHAMPS, 49

TOBIAS LOHNER

BIBLIOTHECA

MANUALIS CONCIONATORIA,

ORDINE ALPHABETICO DIGESTA;

Novis titulis adaucta; sententiis SS. Patrum et Doctorum illustrata;
Similitudinibus, Motivis, Mediis et Doctrinis Asceticis locupletata;
ingeniosis pro formanda concione in omnia themata conceptibus referta,
ac indice concionatorio in Evangelia festorum et dominicarum, necnon indice generali adornata.

EDITIO NOVISSIMA ET ACCURATISSIME EMENDATA;
AD COMMODIOREM USUM IN QUINQUE TOMOS DISTRIBUTA,
CUI ULTIMO ACCEDIT OPUSCULUM :
INSTRUCTIO PRACTICA DE MUNERE CONCIONANDI, EXHORTANDI ET CATECHIZANDI;

TOMUS QUARTUS

ALMA COLLEGE
2513
LIBRARY
L833
Alma, California

LUTETIÆ PARISIORUM,
APUD HIPPOLYTUM WALZER, BIBLIOPOLAM EDITOREM,
Viâ vulgo dictâ de Vaugirard, 21.

M DCCC LXXIV.

32290

BIBLIOTHECA

MANUALIS

CONCIONATORIA

POENITENTIA

QUOAD ESSENTIAM

Definitio. — Est virtus, qua peccata nostra ut sunt Dei offensa detestamur, et eadem efficaciter expiare, et deinceps, cavere statuimus; nam pœnitentiam agere, teste sancto Gregorio, est perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare. (S. Greg. *hom.* xxxi, *in Evang.*) Hinc, ut vult Lactantius, Græci recte Metanœam vocant, seu resipiscentiam : resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, et confirmat animum suum ad rectius vivendum. Lactant. l. VI, *inst.* xxiv.

Divisio. — Dividitur in *publicam et privatam.* Ista est, qua privatim quisque sua peccata plangit, et pro iisdem satisfacere conatur. Illa est, qua pro peccatis publice commissis publica sit satisfactio; et hæc iterum subdividitur in *solemnem*, quæ cum præscriptis ab Ecclesia cæremoniis et formulis peragitur, et olim nonnisi pro gravissimis criminibus imponebatur, et quidem semel tantum, tum ne vilesceret, tum quia erat solemnis professio non redeundi ad publica scandala, sicut Baptismus est solemnis professio non redeundi ad infidelitatem; et non *solemnem,* quæ absque consuetis solemnitatibus publice peragitur, ideoque sæpius repeti, atque etiam Sacerdotibus (quibus solemnis prohibebatur) imponi poterat. Beirl. *in Theatro. V. Pœn.*

Actus. — *Peccatum agnoscere :* ad exemplum Davidis dicentis : Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ : non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me. (*Psal.* xxxvii, 4.) De quo actu S. Cyprianus sic loquitur : Primus felicitatis gradus est, non delinquere; hinc succedit medela, quæ sanet. S. Cypr. *epist.* iii.

Erubescere ob peccatum : juxta illud Dei vaticinium : Et recordabimini ibi viarum vestrarum et omnium scelerum, quibus polluti estis in eis : et displicebitis vobis in conspectu vestro in omnibus malitiis, quas fecistis. (Ezec. xx, 41.) Super quæ verba Eusebius Emissenus, vides, inquit, quia jam non parva pars meriti est, ad conspectum erubuisse peccati. (Euseb. *in hom.*) Vere enim, teste S. Augustino, verecundia magna est pœna; qui erubescit pro Christo, dignus fit misericordia. S. Aug. *de pœn.*

Confiteri peccatum : cum Davide : Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo; et : Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. (Psal. cx, 1.) Nam ex eo unusquisque justus esse incipit, ex quo sui accusator extiterit.

Dolere de peccato; nam qui peccata confitetur, et non deflet, perinde est, ac si vulnus detegeret medico, et curari nollet. E contrario vero lacrymæ pœnitentiæ apud Deum pro baptismate reputantur, teste Isidoro. *Isidorus.* S. Greg. xviii, *mor.* xv.

Corrigere peccatum : qui enim pectus suum tundit, et se non corrigit, solidat peccata, non tollit, juxta S. Augustinum : inanis enim est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. Nihil prosunt lamenta, si replicentur peccata; nihil valet a malis veniam poscere, et mala denuo iterare. S. Aug. *in serm.*

Satisfacere pro peccatis : ad agendam enim pœnitentiam, ait S. Augustinus, non sufficit mores in melius commutare, et a malefactis recedere, nisi et his, quæ facta sunt satisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. (*Idem in solil.* S. Aug. *in l. de pœn.*) Et S. Gregorio teste, quem vere pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret : sed quid sibi pro culpa, quam odit, injungitur, tacita conscientia amplectitur. S. Greg. *in hom.*

Contrarias virtutes exercere : juxta illud Apostoli : Sicut exhibuistis membra vestra servire injustitiæ ad iniquitatem, ita nunc exhibeatis servire justitiæ in sanctificationem. (*Rom.* xvi, 19.) Quod etiam suasit S. August. dicens : Quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad Artificem mundi. Imo, Baruch suadet, sicut fuit sensus vester, ut erraretis a Deo : decies tantum iterum convertentes requiretis eum. *Bar.* iv, 28.

Ignoscere aliis : veræ enim, germanæque pœnitentiæ argumentum est, oblivio injuriarum. Qui vero inimicitias tenet, et se pœnitere affirmat, similis est ei, qui se in somniis currere putat. S. Clim. *gr.* 19.

Humiliter de se loqui : nam hæc est humilis cordis vera compunctio, teste S. Chrysostomo, magna agere et humilia loqui : juste operari, et super peccatis timere, atque tremere. Tale cor contritum, et humiliatum non despiciet Deus. S. Chrys. *in serm.*

Gradus. — Primus est juxta S. Thomam, punire in se, quod quisque commisit; huic enim aliqui pœnitentiam dictam volunt, quasi punientiam Tria quippe, quæ sunt in percussione pectoris, nempe, pectus, sonus, et manus, significat, quod pœnitentia est de his, quæ mente, voce et opere peccavimus. S. Thom. *in* iii, *cap. Matth.*

Secundus est, fugere peccata et occasiones peccandi. Si enim olim dicebat Josue : Maledictus, qui reædificaverit Jericho; quanto magis maledictioni huic subjacebit, qui peccata quæ destruxerat, reædificans, prævaricatorem se constituit. *Hug. l.* iii, *de Mister. Eccl.*

Tertius est, tantum studere ad bene agendum, quantum ad peccandum studuit : per hoc enim, quod dicitur, facite fructus dignos pœnitentiæ, uniuscujusque conscientia convenitur, ut tanto majora acquirat bonorum operum lucra, quanto graviora sibi intulit damna per culpam. S. Greg. *in hom.*

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cælorum. Matth. iii.

Super hoc plangam, ululabo : vadam spoliatus et nudus, faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum. Mich. i, 8.

Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. *Ps.* vi, 7.

Peccavi valde in hoc facto : sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis. II. *Reg.* xxiv, 10.

Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam, et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Jer. xxxi, 29.

Statue tibi speculam, pone tibi amaritudinem, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti : revertere Virgo Israel. *Ib.* 21.

Vias meas in conspectu ejus arguam; et ipse erit Salvator meus. Job. xiii, 15.

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere perverse, discite benefacere. Isaiæ. x, 16.

Necessitas. — Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. Luc. xiii, 23.

Memor esto itaque, unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac : sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. *Apoc.* ii, 5.

An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. *Rom.* II, 4.

Quia vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo vos, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. *Prov.* I, 24.

Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manibus hominum. *Eccles.* II, 24.

Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. *Ibid.* v, 6.

DIGNITAS. — Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. *Eph.* IV, 23.

UTILITAS. — Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non despicies. *Psal.* L, 10.

Pœnitentibus autem dedit viam justitiæ, et confirmavit deficientes sustinere, et destinavit illis sortem veritatis. ECCL. XVII, 20.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. MATTH. V, 5.

Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. EZECH. XVIII.

Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum : si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ. ZACH. I, 1.

Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos. JER. XVIII, 8.

Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei. EPHES. III, 14.

Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. I. COR. II, 21.

Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.

EX SS. PATRIBUS

QUALITAS. — In tribunal mentis tuæ ascende contra te, et reum te constitue ante te : noli te ponere post te, ne Deus te ponat ante te. (S. AUG. *in lib. de util. pœn.)*

Numquam spernit Deus pœnitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur, etsi ad summum quis pervenerit malorum, et inde tamen velit reverti ad virtutis viam, suscipit libenter et amplectitur; non enim temporis longitudine, sed affectus sinceritate pœnitudo pensatur. (S CHRYS. *in lib. de reparat. laps.)*

Quot habuit in se oblectamenta, tot de te invenit holocausta; convertit ad numerum virtutum numerum criminum, ut totum serviret Deo in pœnitentia quidquid ex se Deum contempserat in culpa. S. GREG. *hom.* XXXIII.

Pœnitens omnes fructus suæ pœnitentiæ parvos habeat : numquam sufficiat, semper doleat, semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat, et dolorem cum vita finiat. S. AUG. *de pœn.*

Quam magna deliquimus, tam grandia defleamus : alto vulneri diligens et longa medicina non desit, Pœnitentia crimine minor non sit. S. CYPR. *in serm. de laps.*

Non sufficit summis labiis dicere : Peccavi, parce, remitte. Et Saul dicebat : Peccavi, sed non obtinuit illam veniam, quam David una pœnitentiæ voce promeruit; et hoc quare? Qui confessionem illam nuda magis verba, quam gemitus exprimebant : quia non compensabat magnitudinem criminis lenta humiliatio supplicantis. Non levi agendum est contritione, ut debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur : nec transitoria opus est satisfactione pro malis illis, propter quæ paratus est ignis æternus. Si volumus intelligere, quam graves apud se faciat Judex noster hominum culpas, respiciamus ad pœnas. EUSEBIUS, *Emissen. hom. ad Monach.*

Pigeat sane peccare, sed pœnitere non pigeat. Quis naufrago tabulam, ne evadat, eripiet? Quis sanandis vulneribus invidebit. B. PACCIAN. *ep. ad Symprenian.*

Facilius inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam. S. AMBR. lib. II *de Pœnit.*

Ad agendam pœnitentiam non sufficit mores in melius commutare, et a male factis recedere, nisi et de his quæ facta sunt, satisfacias Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. S. AUG. *l. de Pœn.*

Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat, nihil prosunt lamenta si replicentur peccata. Nil valet a malis veniam poscere, et mala de novo iterare.

Qui pœnitentiam agit, paratus debet esse ad opprobria perferenda, injuriasque subeundas, nec commoveri, si quis ei peccati sui crimen objiciat. AMBR. *lib. de Joseph.*

ÆQUITAS. — Si forte in corpore parum aliquid morbi pulsaverit, statim medicos adhibemus, et pecuniam profundimus, et omni observantia, quæ competunt, gerimus, nec prius cessatur, quam quæ molesta sunt, mitigentur : anima vero cum quotidie vulneretur, cum per singula lanietur, uratur, præcipitetur, et modis omnibus pereat, nec parva quidem pro ea nos cura sollicitat. S. CHRYS. *de comp. cord.*

Si charus tibi aliquis vita functus esset, doleres et ingemisceres, et lugubri habitu tristitiam mentis ostenderes; et moritur tibi charissima anima, et interdum etiam rides, et in nullo commoveris. S. CYPR. *serm. de laps.*

Tanta est pœnitentiæ medicina, ut mutare videatur suam Deus sententiam. In te est igitur, ut evadas. Vult rogari Deus, vult de se sperari, vult tibi supplicari. Homo es, et vis rogari, ut ignoscas; et putas Deum non roganti tibi ignoscere? Ipse Dominus Jerusalem flevit, ut, quia ipsa flere nolebat, Domini lacrymis ad veniam pertingeret. S. AMBR. *lib.* II *de pœnit.*

Sunt multi, quos peccare non pudet, o incredibilis insania! de vulnere ipso non rubescis. Nonne vulnus fætidum et putridum est. Confuge ergo ad medicum, age pœnitentiam, dic : Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, quia tu solus sine peccato. S. AUG. *sup. Ps.* V.

Magis nos, quam servos nostros vilipendimus. Illis enim febricitantibus medicos convocamus, cubiculum certum tribuimus, et medicinæ legibus parere impellimus, quas si negligunt, irascimur, et custodes apponimus, qui eos medicorum præceptis vivere cogunt : quod si magni pretii medicina fuerit, libenter impensam subimus, et medicis ipsis non parvam mercedem deponimus. Quando vero nos ipsi ægrotamus (semper autem ægrotamus) ad medicum accurrere nolumus, nullas pecunias impendere, nihil penitus providere, sed quasi primario quodam inimico aut hoste nostro jacente, sic anima laborante afficimur. S. CHRYS. *hom.* V, *in Matth.*

NECESSITAS. — Etiamsi quodlibet magnum atque electissimum vitæ institutum arripueris, id quasi externum et notum æstimare debes, nisi cor afflictum mœrensque possideas. S. CYPR. *cap.* VII, *dē Luctu.*

Pœnitentia, quasi secunda post naufragium tabula sit miseris : in virgine integra servetur navis. S. HIERO. *epist. ad Demet.*

Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque seu magno, seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse revocari. S. AUG. *epist. ad Vin.*

Bonum est pœnitere, an non? quid revolvis? Deus præcipit. TERTULL. *lib. de pœnit.*

Pœnitudo necessaria est, sicut vulneratis sunt necessaria medicamenta. Cum animo conceperis, non aliud remedium constitutum esse post baptismum, quam pœnitentiæ solatium, quantamvis afflictionem quantumvis laborem indecorem subire esto contentus. S. AMBB. *ad virg. lapsam.*

UTILITAS. — O pœnitentia misericordiæ mater, et magistra virtutum, magna opera tua, quibus reos resolvis, ac reficis delinquentes, lapsos relevas, recreas desperatos. Per te subito rapuit latronem Christus ad regnum : per te David post flagitium, felix iterum recepit Spiritum sanctum. S. CHRYS. *sum. de pœn.*

Ille, qui nos malos tolerat, non dubium est, quin conversis clementer ignoscat? S. AMBR. *de sum. bono.*

Novit Deus mutare sententiam, situ noveris mutare delictum. *Ibid. super Luc.*

Justitia de cœlo prospexit tamquam Dei dicentis : Parcamus huic homini, quia ipse agnoscit : conversus est ad puniendum peccatum suum, convertar et ego ad liberandum eum. S. AUG. *super Ps.* LXXXIV.

Fit plerumque gratior Deo amore ardens vita post culpam, quam in securitate torpens innocentia. S. GREG. XXXII, *pastor.*

O pœnitentia, quid de te novi referam? omnia tu ligata solvis, omnia clausa tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. S. CYP. *de laud. pœn.*

Quod si tentator suggesserit, quid facies, quia jejunas; defraudas animam tuam, non ei das, quod eam delectat, tibi ipsi ingeris pœnam, tuus ipse tortor et cruciator existis? Deo ergo placet, quia te crucias? ergo crudelis est, qui delectatur pœnis tuis? responde hujusmodi tentatori : Excrucio me plane, ut ille parcat : do de me pœnas, ut ille subveniat, ut placeam oculis ejus, ut delectem suavitatem ejus, nam et victima excruciatur, ut in aurum impugnatur. S. Aug. *tr. de vit. l. jejun.*

Versetur ante oculos hominis imago futuri judicii, et quidquid in se viderit, quod a Judice venturo reprehendi possit et puniri, ipse nunc in seipso reprehendat et puniat. Peccata enim sive magna, sive parva impunita esse non possunt; quia aut homine puniente, aut Deo plectente punientur. Cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana. S. Ansel. *in* I. *Cor.* II.

Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, et mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiam conservat, claudis gressum, aridis copiam, cœcis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit et roborat. S. Aug. l. *de pœn.*

Facilitas. — Utinam tam cito convertatur peccator ad pœnitentiam, quam cito Dominus paratus est mutare præfinitam sententiam. S. Hier.

Jugum meum leve est, et sarcina mea levis : hæc sarcina non est pondus onerati, sed alæ sunt volatori : habent enim et aves pennarum suarum sarcinas, et quidem portant illas in terra, portantur ab illis in cœlum. S. Aug. *sup. Ps.*

Quid levius onere pœnitentiæ, quod non solum non onerat, sed et portat omnem, cui portandum imponitur? Mirum opus naturæ; unde grossescit materia, inde sarcina levigatur; et quantum crescit massa, tantum decrescit in pondere. S. Bern. *ep.* LXXVIII.

In sæcularibus judiciis, quantumlibet post acceptam sententiam lamenteris, et lugeas, non tamen effugies flendo supplicium : hic vero si toto corde ingemueris ad Deum, solvisti repente sententiam. S. Chrys. *hom.* VI *in Matth.*

Non sicut in rebus sensibilibus, ita et in spiritualibus usuvenit : Illic ex divitiis in extremam redactus inopiam, brevi eas recuperare nequit; hic per misericordiam, si quidem condemnare facta nostra, et jam sistere ignaviam voluerimus, statim poterimus ad pristinam abundantiam redire. S. Greg. Nazian, *hom.* VI, *in Gen.*

Dignitas. — Qui per pœnitentiam peccata diluit, angelicæ felicitatis consors in æternum erit. S. Aug. *l. de mir. S. Script.*

Nihil peccare, solius Dei est : emendare, sapientis, et corrigere erratum, et pœnitentiam agere de peccato; id tamen difficile est in hac vita homini; quid enim tam rarum, quam ut invenias virum, qui seipsum coarguat, et factum condemnet suum? rara itaque confessio de peccato, rara pœnitentia, rara in hominibus verbi hujus assertio. *Ib. ep.* III, *ad Simpl.*

Jucunditas. — Amaritudinem radicis dulcedo pomi conpensat. dolorem medicinæ spes salutis mitigat. Qui desiderat nucleum, frangit nucem, pœnitentiamque agit, qui vult æterno adhærere bono. S. Hier. *sup. Matth.*

Pœnitentia non differenda. — Spe simul ac desperatione homines ad peccata augenda ducuntur. Audi vocem desperantis. Jam, inquit, damnandus sum; quare non facio, quidquid volo? Audi et vocem sperantis : Misericordia Domini magna est; quando me convertero, dimittet mihi omnia, quare non facio, quid volo? Desperat ille, ut peccet; sperat iste, ut peccet. Utrumque metuendum est, utrumque periculosum. Væ a desperatione, væ a perversa spe. Non tardes converti ad Dominum; ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. Noli ergo dicere : Cras me convertam : cras Deo placebo, et omnia hodierna, et hesterna peccata remittuntur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit, sed dilationi tuæ crastinum diem non promisit. S. Aug. *supr. Ps.* CXLIV.

Satis alienus a fide est, qui ad agendam pœnitentiam tempora senectutis expectat. Metuendum est enim, ne, dum sperat misericordiam, incidat in judicium. S. Greg. *in mor.*

Ejus clamorem tempore angustiæ Deus non audit, qui ipse tranquillitatis tempore clamantem Dominum non audivit. Tanto enim tunc major exercetur severitas, quanto nunc major misericordia prorogatur. *D. l.* XVIII, V, *mor.*

Si quis in extrema necessitate suæ ægritudinis positus voluerit accipere pœnitentiam, et accipit, et mox reconciliatur, et hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit; sed non præsumimus, quod bene hinc exit. Si securus hinc exit, ego nescio : pœnitentiam dare possumus, securitatem autem non. Non quidem dico, damnabitur. Sed nec dico, liberabitur. Vis ergo a dubio liberari? tene certum, et dimitte incertum. Age pœnitentiam, dum sanus es. Si sic agis, dico tibi, quod securus es, qui pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam, egisti eo tempore, quo peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. S. Aug. *serm.* xxxvi.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt, qui dissimulant in vita agere pœnitentiam, et de extrema confessione præsumunt. Quomodo sub unius horæ articulo revocari posse existimant omnia membra, cujus concupiscentiæ et desideria per totum mundum sparsa sunt. S. Bern. *serm.* xxxviii, *parv.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas. — Quomodo faciunt tam multi alii Religiosi, qui satis arctati sunt sub disciplina claustrali? raro exeunt, abstracte vivunt, pauperrime comedunt, grosse vestiuntur, multum laborant, parum loquuntur, diu vigilant, mature surgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, et se in omni disciplina custodiunt. *L.* I, xxv, § 8.

Eja charissime, stude nunc taliter vivere, ut in hora mortis valeas gaudere potius quam timere. Disce nunc omnia contemnere, ut possis tunc libere ad Christum pergere. Castiga nunc corpus tuum per pœnitentiam, ut tunc certam valeas habere confidentiam. *Ib.* xxiii, § 6.

Utilitas. — Da te ad cordis compunctionem et invenies devotionem. Compunctio multa bona aperit, quæ dissolutio cito perdere consuevit. *L.* I, xxi, § 1.

In vera contritione, et cordis humiliatione nascitur spes veniæ, reconciliatur perturbata conscientia, reparatur gratia perdita, tuetur homo a futura ira, et occurrunt sibi mutuo in osculo sancto Deus et pœnitens anima. *L.* III, lii, § 3.

Dignitas. — Humilis peccatorum contritio, acceptabile tibi, Domine, est Sacrificium, longe suavius odorans in conspectu tuo, quam thuris incensum. Hæc est gratum etiam unguentum, quod sacris pedibus tuis infundi voluisti, quia cor contritum et humiliatum nunquam despexisti. *Ib.* §. 4.

Æquitas. — VI. Bonus homo sufficientem invenit materiam dolendi, et flendi. Et quanto strictius se considerat, tanto amplius dolet. Materia justi doloris, et internæ compunctionis sunt peccata et vitia nostra, quibus involuti jacemus : ut raro cœlestia contemplari valeamus. *L.* I, xxi, § 4.

Celeritas. — Quare vis procrastinare propositum tuum? Surge, et in instanti incipe et dic : Nunc tempus est faciendi, nunc tempus est pugnandi, nunc tempus est emendandi. *L.* I, xxi, § 5.

EXEMPLA CATHOLICA.

Qualitas. — S. Petrus, negato Christo, mox egressus foras flevit amare, eumque fletum tam constanter continuavit, ut in facie genæ per lacrimas excavatæ apparerent. Surius, *in Vita* 29 *Jun.*

S. Maria Magdalena post Christi in cœlos ascensum speluncam ingressa, triginta annos in severissima pœnitentia, et assidua peccatorum deploratione exegit. *Idem.* 22 *Julii.*

S. Maria Ægyptiaca ex meretrice conversa, in desertum fugit, quinque panibus acceptis, quibus consumptis, ex solis herbis, quadraginta quinque annis, nullo mortalium conspecto, vixit. *Idem* 9 *April.*

Pelagia meretrix Antiochena a S. Nonno Episcopo Heliopolitano conversa, in cellula juxta Montem Oliveti, sub viri habitu, cum summa sanctitate vixit, et mortua est. *Idem.* 8 *Octobr.*

Babilas Comicus auditis in templo verbis : Agite pœnitentiam ; appropinquavit enim regnum cœlorum : duabus mulieribus quibus abusus fuerat, dixit : Vado, et ago pœnitentiam : cui illæ responderunt : Sicut fuimus sociæ in peccando, ita et erimus in pœnitentia agenda : sicque ille quidem in turri quadam, hæ vero in domuncula turri vicina severissimam egerunt pœnitentiam. Petrus Sancher, *in regno Dei* p. 4, c. vii.

S. Jacobus Intercisus, cum timore tormentorum idola Saporis Regis adorasset, ideoque uxor et socrus ejus eum desererent, pœnitentia ductus dicebat : Væ mihi, si tantum dolorem concipio ex eo, quod uxor et socrus me dereliquerint, quantum concepturus sum tunc, quando Deus me derelicturus est, cum scriptum sit : Qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Denuo itaque errore retractato, Christum confessus, et in frusta concisus est. Aquil. *lib.* XVII, XII).

Abbas Elias octoginta annorum senex cum multos ex his in magna vitæ sanctitate exegisset, tandem rogatus a muliere, ut potum aquæ illi daret, ea discedente, usque adeo a turpi desiderio devictus est, ut e cella exiens, mulierem, fornicationis gratia, quæreret; sed quia eunti in fossa virorum et mulierum forma olim præstantium fœtida cadavera ostensa fuerunt, et Angelus adstans dixerat : Væ generi humano, quod talia objecta amat, et propter ea Deum deserit : primo quidem deliquium passus corruit, subinde vero ab Angelo confortatus cellulam rediit, fœdumque propositum continua pœnitentia et dolore expiavit. *Pratum Spir.* LXXX.

S. Martinus in terra moriens et cinere dicedat : Nemo sine pœnitentia hinc discebat : quo dicto, paulo post mortui facies ejus, licet ante deformis, pulcherrima, et lucis instar radians apparebat. Petrus Sanchez, p. 4, c. VII.

S. Augustinus, instante mortis tempore, cum lacrymis septem Psalmos pœnitentiales recitabat, atque alios etiam ad pœnitentiam agendam hortabatur.

S. Paula, teste S. Hieronymo, mollia etiam in gravissima febri strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis dormiebat, laudabatque per singulas noctes lectutum suum. Oculos ejus fontes crederes lacrymarum, ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream. Cumque a nobis admoneretur, ut parceret oculis, et eos servaret Evangelica lectioni, aiebat : Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso et cerussa, et stibio sæpe depinxi : affligendum est corpus, quod multis vacavit deliciis. Longius risus perpeti compensandus est fletu. Mollia linteamina et serica, asperitate cilicii commutanda sunt. Quæ viro et sæculo placui, nunc Christo placere desidero. *Ibid.*

Marcellinus Pontifex, Diocletiano et Maximiano persecutoribus tormentorum immanitate perterrefactus, diis thura posuerat. Postea in Campaniam discedens, coram octoginta Episcopis astitit, cilicio et cinere opertus, confitens peccatum suum, ac petens pro eo ab ipsis sibi pœnam indici, atque decerni. Quibus arbitrium in præsidem recipere nolentibus, ipse in se sententiam tulit. Pontificatum deposuit, corpori, sepulturam denegavit, execrans eos, qui ipsum non sivissent super terram putrescere, atque dissolvi, et confestim Romam ad martyrium est reversus, ultro exponens se suppliciis, quæ modo expaverat : decollati cadaver insepultum jacuit, timentibus Christianis violare Pontificis interdictum. Sed Petrus Apostolus noctu apparens Marcello presbytero, illud juxta corpus suum sepeliri jussit, dignum esse asserens, ut qui secum peccaverat, secum fleverat, secum recumbens honoraretur. Marul. *lib.* IV.

Victorino Episcopo, dum eremum incoleret, diadoli dolis, qui se fœminam effinxerat capto, tanto dolori fuit semel perpetratæ fornicationis crimem, ut manibus in fissuram ligni impactis, herba cruda et aqua frigida per triennium se sustentaverit, *Ibid.*

Homo quidam in Gallia, qui in sylvis viatores dispoliare solitus fuerat, postea in Monasterio cella inclusus vixit, manus ac pedes vinculis ferreis oneravit, hordeaceum panem cinere mixtum edit, carne vinoque abstinuit, cilicium pro stratu, lapidem pro pulvillo habuit. Sæpe dum laudes Deo caneret, eumdem lapidem humeris sublatum tenuit, quibus corporis fatigationibus, gravissimorum quondam reus catalogo ascribi meruit albo Sanctorum. *Ibid.*

Julianus cognomento hospitator errore magis quam furore parentes interemit : cum enim summo mane domum reversus, in suo uxorisque cubili dormientes invenisset, putavit uxorem esse cum adultero : educto repente gladio, ambos transfixit : uxor autem antequam advenisset, ad Ecclesiam perrexerat : re tandem cognita, ubertim flevit, utque commissi veniam promereri posset, relicta doma, prope fluminis ripam, ubi multi vado transeuntes deperiebant, xenodochium posuit, et viatores tecto accipere et navicula transvectare gratuito cœpit. Postremo divinitus dictum sibi audivit, quod culpam eluisset hospitalitatis merito : parentum ergo intersector per pœnitentiam factus est cœli habitator. *Ibid.*

Evagrius presbyter eximiæ sanctitatis vir eremum incolens, cum aliquod detractionis verbum semel protulisset, pro eo ita se castigavit, ut dies quadraginta sub dio permanserit, nec prius tectum subierit, quam se satis pro delicto fecisse censuisset. *Ibid.*

Utilitas. — David postquam Dei erga se indignationem ex Nathan intellexisset, et vocem *peccavi* serio protulisset, mox ab eodem Propheta audivit : Dominus quoque transtulit peccatum tuum : non morieris. II. *Reg.* xii, 13.

De Israelitis dixit Achior : Quotiescumque præter ipsum Deum suum, alium coluerunt, dati sunt in prædam, et in gladium, et in opprobrium. Quotiescumque autem pœnituerunt se recessisse a cultura Dei sui, dedit illis virtutem residendi. Judi. *hom.* iii, 19.

S. Maria Magdalena quia Christi pedes lacrimis suis rigavit, et capillis tersit, meruit audire : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Luc. vii, 47.

Publicanus quia cum humilitate diecbat : Domine, propitius esto mihi peccatori : descendit justificatus in domum. Luc. xviii, 14.

Filius prodigus quia dicebat ad patrem : Pater, peccavi in cœlum, et coram, te, et non sum dignus vocari filius tuus, fac me, sicut unum de mercenariis tuis : effecit, ut pater misericordia motus accurreret, caderetque super collum ejus, et osculans illum, stola prima indueret, annulumque et calceamenta daret, et splendidum ei convivium instrui juberet. Luc. xv, 19.

Monachus filiam Sacerdotis ethnici deperiens, cum ejus amore Deum et cœlites negasset, audiens ex idolo, Sacerdoti ipsum consulenti : Non da filiam ei uxorem, quia Deus nondum eum dereliquit; adeo hac Dei indulgentia commotus est, ut indignum judicans, tam bonum Dominum amplius offendere, ad eremitam accesserit, ejusque suasu aliquot hebdomadum jejunio suscepto, meruerit Spiritum S. qui prius in specie columbæ exeuntem ex corde viderat, in eadem specie redeuntem in pectus ejus conspexerit. Petrus Sanchez, p. 4, c. vii.

Cum virgo quædam cum sacristano quopiam fornicata esset, tanta sceleris hujus pænitentia tangebatur, ut tempus partus expectare non sustinens hospitale ingrederetur, et triginta annis pauperibus inserviret. Quæ pœnitentia adeo Deo placuit, ut cuipiam revelaverit, se magis nunc ejus pœnitentia, quam virginate ante lapsum delectari. *Ibid.*

Ninivitæ quia cooperti saccis conversi sunt a via mala, misertus est Dominus super malitia, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit. Joan. iii, 14.

Achab quia auditis Prophetæ minis scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, et ambulavit demisso capite, factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem dicens : Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus. III. *Reg.* xxii, 28.

Thais Alexandrina a S. Panuphio cellæ arctissimæ inclusa, et modico panis frustulo sustentata, triennio integro orientum versus conversa hæc solum verba orabat : Qui plasmasti me, miserere mei. Unde Paulus monachus pretiosissimum ei in cœlo lectum præparatum vidit. Rodrig. p. 1, tr. V, xxi.

Jucunditas. — S. Hieronimus de seipso scribit Eustochio virgini : Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus. Post multas lacrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnumquam videbar interesse agminibus Angelorum. *Epist. ad Eustoch.*

S. David de se quoque fatetur : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificarunt animam servi tui, hoc est, ut S. Hieronymus explicat, decem fudi lacrymas, decem consolationes merui. Quantumcumque fuit pondus lacrymarum, tantus fuit et consolationum numerus. S. Hier. *in Ps.* xciii.

S. Maria Magdalena tempore pœnitentiæ suæ tot consolationibus recreata est, ut septies quotidie in cœlum rapta, choris Angelorum interesset, et ab ipso Christo ultra centenas vices visitata, miris voluptatibus recrearetur.

Dignitas. — Philippus Comes Namurcensis post vitam pessime transactam, tantam in morte contritionem ostendit, ut similis ei visa non esset, aliosque etiam ad lacrymas provocaret. Confessarios suos rogavit, ut corpus in plateam traherent, dicens : Sicut canis vixi, dignum est, ut moriar, sicut canis. Quæ pœnitentia adeo placuit Deo, ut eum post mortem tot miraculis fecerit illustrem, ut de remotis regionibus ad ejus sepulcrum venientes, terram secum pro benedictione reportarent, eamque pro remedio variorum morborum adhiberent. Cœsar. *l.* II, *hist. et mirac.* xviii.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut impossibile est, ut ignis inflametur in aqua; ita impossibile est compunctionem vigere in deliciis; contraria enim hæc invicem sunt et peremptoria; illa enim mater fletus; hæ mater risus; illa constringit cor, istæ dissolvunt. S. Chrys. *in ser. de compunt. cord.*

Sicut nullo dolore afficitur homo, si capilli ejus abscinduntur; gravem vero sentit, si evelluntur; ita sancti viri nihil sua referre putant, cum variis injuriis afficiuntur, bonaque exteriora amittunt; ut si per peccatum a capite Christo avelluntur, tum enim vero gravissimam dolendi causam se habere agnoscunt. *Grannat. in sylva loc. com. Verb. Contritio.*

Sicut qui lavat laterem crudum, tanto amplius lutum facit; sic qui peccatum plangit, et iterum statim committit, tanto magis sordidam facit animam suam. S. Beda, *in cap.* IX, *Dan.*

Sicut serpens in angustum petræ intrans, deponit senectutem, et vetustatem per extrusionem exuit, corporeque toto denuo renovatur; ita et peccator instrans per angustam portam et affligens seipsum per jejunium, expellit perditionem, veteremque hominem cum actionibus suis, illudque sponsæ dicit : Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? S. Cyrill. *cathec.* 3.

Sicut homo in cruce positus nullis delectatur illecebris, mortuæ ei prorsus sunt, quæ aut per auditum, ac visum, per gustum ac odoratum pariter ac tactum, animum captivare consueverunt : omnia ante oculos prætereuntia, velut transacta jam reputat, quia extremam horam cœlos emigraturus expectat; ita et vos, qui animas vestras ad contritionem abstinentiæ, et crucem Christi, pro æternæ salutis remediis contulistis, obliviscimini pristinas consuetudines et male blandas mundi seductiones, oblivicimini concupiscentias, quæ de cælestibus mentem in inferiora devolvunt. *Eusebius, Emiss. ho. ad pœn.*

Sicut qui disertam civitatem exstruere cupiunt, primum incipiunt purgare, et spinas vel rudera removere, tum fundamenta ponere, et muros erigere; ita qui ordinate pœnitentiam agere cupit, prius a peccatis cavendis et emendandis incipere, et tum primum virtutibus aliis exercendis sese impendere debet. S. Marc. *hom.* XV.

Sicut equus generosus, si in via cæspitaverit, extemplo assurgit, et dispendium celeritate compensat; ita qui peccando lapsus est, ocius per pœnitentiam se erigit, et fervore suo præcedentem acediam compensat. Laurent. Beibl. *in festo S. Magdal. them.* 2.

Necessitas. — Sicut terra tempore æstivo, nisi irrigetur, flores non producit; ita nec anima ni continuis lacrymis perfundatur, fructus verarum et solidarum virtutum non progignit. *Ibid.*

Sicut a medicis, si læsura aliqua in prima corporis cute sentitur, curatio blandioris medicamenti apponitur; si vero in ossibus vulnus absconditum, aut in viscerum profunda demersum est, austeriorem ac violentiorem poscit vis occulta medicinam, ut ulceris magnitudo aut exultione superetur, et dolor dolore pellatur; ita similis ratio in ægritudine interioris hominis adhibenda est, ut scilicet, quanto gravior est animæ morbus, tanto potentiores medicinæ applicentur, severiorque pœnitentia assumatur. Euseb. *bo.* X, *ad Monach.*

Sicut in tenebris non est absque lucerna lumen; sic non potest homo peccatum sine pœnitentia abluere. S. Chrys. *serm. de pœnit.*

Utilitas. — Sicut equum indomitum flagella domant; ita animam immitem contritio spiritus et assiduitas lacrymarum. S. Bern. *in serm.*

Sicut vermis ex ligno nascitur, et illud corrodit, suam ab ipso originem habens; ita quæ ex peccato tristitia est, ipsum peccatum absumit. Beirl. *in festo S. Magdal. tham.* 4.

Sicut olim, cataractis cœli laxatis, vehemens pluvia subsecuta omnes homines interemit, solamque arcam Noe in sublime detulit; ita dum cordis nostri cataractas, idest, oculos aperimus, et lacrymarum imbrem effundimus, omnia peccata suffocamus, animamque nostram, quæ est instar arcæ illius, super omnia terrena ad virtutum divinarum culmina sublevamus. *Ibid.*

Sicut rogum ignis aqua immissa; ita ardorem peccati superinfusæ lacrymæ extingunt, Deumque ceu insignia quædam munera ad nos alliciunt. *Ibid.*

Sicut cervi, quantumcumque a canibus fatigentur, pristinas vires recipiunt, si aquis se immergere valeant; sed et medici lassata membra fomentis balneorum restituunt; ita lassatos in via iniquitatis lacrymarum aqua recreat, atque confortat. *Ibid.*

Sicut amantium ira, amoris solet esse redintegratio; sic Deus amator hominum, peccatorem reconciliatum, ut amicum redintegratum diligit. STAPLET. *in Do.* III, *post Pent. them.* 5.

Sicut muta animalia cum fraude decipiuntur, si aliquo modo se extricaverint, fiunt postmodum cautiora, vitantque semper ea omnia, in quibus dolorem insidiasque senserunt; sic hominem pœnitentia cautum et diligentem facit ad evitanda peccata, in quæ semel fraude deciderit. LACTANT. *l.* VII, XXIV.

ÆQUITAS. — Sicut si quis colubrum aut scorpionem sinu detineret, sine consilio aut mora eum a se repelleret; ita peccatum omni scorpione nocentius, multo celerius per pœnitentiam expellendum ab anima est. BIERLINC. *l. supr.* VI.

Sicut cervus venatoris jaculo læsus, naturali instinctu dictamum herbam investigat, eaque devorata plagæ remedium facit; sic multo magis peccator a peccatis vulneratus, ad pœnitentiæ remedium confugere debet. *Ibid.*

Sicut canis, si a fera aliqua mordeatur, adversus eam vehementius exurgit, et furit; sic dum a peccato se læsum quis sentit, vehementiori erga illud odio accendi debet. S. CLIM. *c. de pœnit.*

DIGNITAS. — Sicut vestis cæsuræ si aureis funiculis et pretiosis gemmis copulentur, pulchriorem reddunt vestem, quam si integra fuisset; sic fieri potest, ut anima post peccatum per pœnitentiam Deo gratior fiat, quam fuisset, si numquam peccasset. HECTOR. *pintius in* XXXIII, *Ezech.*

Sicut dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter petit, quam illum, qui numquam terga præbuit; sic Deus sæpe illos plus amat, qui post peccatum ferventius illi servierunt, quam qui peccato mortali non commisso, tepidos se in ejus servitio exhibuerunt. S. GREG. *hom.* XXXIV, *in Evang.*

JUCUNDITAS. — Sicut post vehementes imbres aer purus efficitur, sic et post lacrymarum pluvias sequitur mentis tranquillitas et serenitas. Fletus enim est lavacrum scelerum, et refectio animarum. S. CHRYS. *in Matth.*

Sicut triumphat victor imperator, et non vicisset, nisi pugnavisset; et quanto majus periculum fuit in prælio, tanto majus est gaudium in triumpho; ita quo magis quisque seipsum per pœnitentiam vincere studuerit, tanto plus ex subsecuta victoria gaudebit. S. AUG. *l.* VIII, *Conf.* III.

Sicut dum jactat tempestas, et naufragium minatur, omnes futura morte pallescunt; ubi vero tranquillatum fuerit cœlum, exultant nimis, quoniam timuerunt nimis; ita pœnitentes, quo prius gravius fuerit naufragii spiritualis periculum, tanto majus gaudium postea concipiunt, si illud per pœnitentiam evaserint. *Ibid.*

MOTIVA.

ÆQUITAS : Quæ colligitur ex triplici capite. (S. CHRYS. *hom.* XLVI, *ad popul.*) 1. Ex *offensa Dei :* si enim hominem exacerbans, et amicos, et vicinos, et janitores rogas, et pecunias impendis, et multos absumis dies, accedens et supplicans, quidni hæc omnia potiori jure, exacerbato Deo facies? 2. *Ex damnis illatis :* si enim Anna Tobiæ mater irremediabilibus lacrymis deplorabat filium dimissum dicens : Hæu, heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ : omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere ire a nobis (TOB. X, 4), an non potiores lacrymandi causas inveniet is, qui omnia in Deo infinities perfectiora habens, tam indigne et inconsulte eum a se dimisit? 3. *Ex Christi exemplo :* si enim rex ad prælium armatus egreditur, et cum eo milites omnes reliqui armati, an non æquum censebit miles quisque, ut ipse quoque arma corripiat? an non turpe judicabit deliciis deliniri, pro galea pileis bombycinis, pro gladio flabellis uti? Quis ergo Christo durissima quæque pro nobis eligente et patiente, mollia sequi, et pœnitentiam fugere non erubescat? HECTOR. PINSIUS, *c.* XL. *Ezech.*

NECESSITAS. — Si enim naufragium passo sola adhuc tabula spem evadendi facit, quidni animæ naufragium passus peccator, pœnitentiæ tabulam cito arripiat? Si vulnus putrescere non sinitur, ne difficilior fiat curatio, cur vulnera animæ per peccatum inflicta curare differimus? S. CHRYS. *hom.* LXXV, *in Matth.*

UTILITAS. — Quam egregie S. Hieronymus his verbis declaravit : O lacryma humilis, tua est potentia, tuum regnum, tribunal Judicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis : non est, qui te accedere vetet : si sola intraveris, vacua non redibis : magis crucias diabolum, quam pœna infernalis : Quid plura? vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas Filium Virginis. *Ibid. hom.* XVI, *in Epist.*

FACILITAS. — Quæ colligitur ex triplici capite. 1. *Ex misericordia Dei* : de qua Taulerus non immerito dixit : Nullam matrem tam promptam esse ad succurrendum filio suo in ignem lapso, quam misericordia Dei parata sit succurrere et indulgere peccatori veniam petenti. Unde S. Augustinus, si ego, inquit, Domine, admisi unde me damnare possis, tu certe non amisisti, unde me servare possis. (*In Psal.* CXX). Cum ergo, inquit, alibi idem Sanctus, Deus et velit misereri, quia bonus est, et possit, quia omnipotens est, ipse contra se divinæ pietatis januam claudit, qui Deum sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit, eumque aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit. 2. *Ex aliorum exemplis :* de quibus S. Bernardus, non, inquit, vos retardet conscientia, quia, ubi peccata abundaverunt, superabundare consuevit et gratia. Nec pœnitentiæ austeritas ipsa deterreat, nec enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ promittitur, et ad præteritam culpam, quæ remittitur, et ad præsentis gratiam consolationis, quæ immittitur. Si verbis non creditis, operibus credite, exemplis acquiescite plurimorum : currunt undique peccatores ad pœnitentiam, et natura pariter, et consuetudine delicati : nihil credentibus impossibile, nil amantibus difficile, nil asperum mitibus, nil humilibus arduum reperitur, quibus et gratia fit in auxilium, et obedientiæ devotio lenit imperium. S. BERN. *in quol. serm.*

JUCUNDITAS : tum *Dei*, quam ex conversione percipit, quæque ex parabola de filio prodigo colligitur : tum ipsius *peccatoris*, qui sentire incipit illud gaudium, de quo pius asceta dixit : Si est gaudium in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. Si est alicubi tribulatio et augustia, hoc melius novit mala conscientia. *Lib.* II, *de imitatio. Christi*, c. IV, § 2.

MEDIA.

Diffidentia in viribus propriis, et confidentia in divino auxilio : quod medium S. Fulgentius suasit dicens : Firmissime tene, et nullatenus dubita, neminem hic posse pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminaverit, et gratuita sua miseratione converterit. (S. FULG. *de fide ad Petr. c.* XXXI.) Hinc Psaltes oravit : Converte nos Deus salutaris noster. (*Psal.* LXXXIV, 5.) Et Jeremias : Postquam convertisti me egi pœnitentiam. JER. XXXI, 19.

Agnoscere sua peccata : nam hoc est bonæ mentis, inquit S. Ambrosius, vulnus sentire peccati. Et consentiens S. Augustinus : Qui se cognoscunt, inquit, sicut peccant semper, ita semper plorant. Hinc ipse de se fatetur : Amore amoris tui facio istud, recolens vias meas nequissimas in amaritudine recogitationis meæ, ut dulcescat mihi dulcedo non fallax, dulcedo felix et secura, et colligens me a dispersione, in qua frustatim discissus, dum ab uno te aversus in multa evanui. S. AUG. *l. de vera et falsa pœn. l.* II, *confess.* c. II.

Ardenter desiderare pœnitentiam : nam pœnitentia, teste S. Chrysostomo, sic est, quomodo ager fructifer, aut vinea arborve fœcunda, fructus ejus edit peccator famelicus, perficit in fiducia Dei, acceptaque remissione pinguescit in vita, et hæc sunt verba ejus : Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus non est absconditus. S. CHRYST. *serm. de pœnit.*

Fugere delicias : nam ut supra ex S. Chrysostomo dictum est, sicut impossibile est, ut ignis inflammetur in aqua, impossibile est compunctionem cordis vigere in deliciis, contraria enim sibi sunt et peremptoria. S. CHRYS. *l.* II, *de compun. cord.*

Memoria frequens novissimorum : Si enim diem mortis suæ homines jugiter cogitare vellent, animam suam ab omni malitia vel cupiditate cohiberent, ait recte. S. Augustinus. (S. AUG. *ser.* III. *de Innocent.*) Hinc Deus ipse hoc remedium suasit per Siracidem : In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. *Eccl.* VII, 40.

Charitatis divinæ ignem applicare : uti Sanctus Ambrosius suasit, dicens : Si a radice vitia vis evellere, charitatis ignem applica, quo passiones universæ ac vitia superantur. *Ap. Beirl. in festo S. Mariæ Magdal. them.* 5.

Passionem Christi frequenter considerare : maxime si consideremus Christum nos taliter e Cruce alloquentem : Nonne satis propter te vulneratus sum? Numquid pro iniquitate tua afflictus sum? Cur addis afflictionem afflicto? Magis aggravant me vulnera peccati tui, quam vulnera corporis mei. S. Bern. *in serm. feria* IV, *heb. sac.*

ASCETICA.

Tria fere sunt, quæ de hac virtute bene addiscere, aliosque docere debet Asceta. Primum est, ut bene cognoscat circumstantias ad veram pœnitentiam requisitas, quorum quatuor sunt potissimæ. 1. Interno dolori et pœnitentiam externam jungendam esse; nam pœnitentia sine jejunio otiosa est et infrugifera, teste S. Basilio. (S. Basil. *ho.* I, *de laud. jejun. ser. de discr.*) 2. Discretionem quoque semper pœnitentiæ, ut germanam sororem sociandam, uti sapienter monuit S. Climacus, dicens : Vidi imbecillas animas, ac debilia corpora pro peccatorum multitudine superiora atque majora certamina arripere conari, nec ea posse sustinere. Quibus ego, humilitatis, inquam, non laborum magnitudine, Deus pœnitentiam metitur atque judicat. 3. Celeriter suscipiendam esse; periculosissima quippe est, teste Eusebio Emisseno, in ultimum diem promissa securitas. (*Eusebiu. Emissen. hom. de bon. latr.*) Deinde stultissimum est, ut causa, qua de necessitatibus agitur æternis, mutabilitatibus vitæ deficientis comitatur extremis. Hinc Psalmista ait : Pro hac (scilicet pœnitentia et venia) orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. (*Psal.* XXXI, 6.) Opportunum autem tempus quod sit, indicat alibi, dum ait : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Ps. XCIV, 8.

Secundum est, ut bene cognoscat motiva ad pœnitentiam cito et serio agendam, quæ quidem ad tria fere capita revocari possunt. 1. *Ad æquitatem :* quid enim æquius, quam ut Deo ad pœnitentiam tam solicite invitanti respondeatur? Quid iniquius, quam velle, ut Deus in morte peccatorem pœnitentem exaudiat, cum ipse eum toties hortantem per totam vitam non audierit? Quid turpius, quam Deo summo Benefactori ultimam vitæ partem velut fœcem consecrare, diabolo vero summo et infensissimo hosti optimam et potissimam vitæ partem donare ? 2. *Ad utilitatem :* quatenus per accelerationem pœnitentiæ innumerabiles illi et incomparabiles meritorum thesauri, qui intra illud tempus, quo pœnitentia differtur, negligentur, inæstimabili cum lucro redimuntur. 3. *Ad securitatem :* sic enim evitatur periculum salutis, quod per dilationem pœnitentiæ triplicem ob causam incurritur, nempe quia et Deus irritatur, ne pœnitendi spatium aut gratiam concedat : et quia ob consuetudinem peccandi, et desuetudinem bene agendi difficilior efficitur conversio : et quia senectus aut ultimus morbus perquam ineptum et male dispositum reddunt ad conversionis negotium serio agendum, ut merito Christus monuerit : Orate, ut non fiat fuga vestra (seu conversio ad Deum) hyeme vel sabbato : ut enim hyemes ad ferendas fruges, et sabbatum ad operationem et lucrum inepta sunt tempora, ita idem de senectute et ultimo morbo sentiendum est, ut adeo non sine fundamento Sanctus Hieronymus pronuntiarit : Vix ex centum millibus hominum, quorum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus. S. Hiero. *ap Hadrianus Pontif.*

Tertium est, ut bene norit impedimenta, quæ plerumque peccatores absterrent a pœnitentia, aptaque pro illis removendis remedia suggerere sciat. Quinque autem potissimum sunt ejusmodi impedimenta. 1. *Desparatio ob multitudinem peccatorum :* quam tollere conabitur asceta, ostendendo misericordiæ divinæ magnitudinem, quæ non modo veniam promittit pœnitenti, sed eumdem etiam ultro invitat, ideoque ei multitudinem magnitudinemque suorum peccatorum ob oculos ponit, ut per easdem ad pœnitentiam revocetur. Quæ omnia tum appositis Sacræ Scripturæ, et sanctorum Patrum sententiis, tum probatis exemplis confirmabit. 2. *Timor recidivæ :* quem eripere nitatur, ostendendo tum paratum a Deo auxilium, si ipse peccator, quantum requiritur ex parte ipsius, accurate præstiterit, uti ex plurimorum conversione patet : tum demonstrando, quam stultum sit, ob timorem relapsus pœnitentiam differre. Quis enim vulneratus recursum ad medicum; quis sordidatas habens manus aut vultum ad lavacrum; quis navis aut sentinæ evacuationem ideo tantum differt, quia fieri potest, ut iterum vulneretur, sordes contrahat, aut sentina navisque varios tumultus et insultus patietur? 3. *Horror difficultatis :* de qua libellus de imitatione : Unum est, quod multos a profectu et ferventi emendatione retrahit, horror difficultatis seu labor certaminis. (*L.* I, c. xxv, § 3.) Sed et huic impedimento facile occurret asceta, objiciendo tot exempla conversorum, et illud olim S. Augustino dictum subjiciendo : Potuerunt isti et istæ, et tu non poteris? Revocando item in memoriam Sancti Augustini de seipso loquentis confessionem : O quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum; et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. (S. Aug. l. IX, *confess.* c. i.) Eumdem in finem etiam proderit narrare exemplum de juvene similem difficultatem in mala consuetudine deponenda sentientem, cui diabolus primum in specie gigantis apparuit, atque ad certamen provocavit, mox vero et Angelus secutus est, hortans, ut aggrederetur gigantem, se enim auxiliatricem ei manum porrecturum; quod ubi fecit adolescens, adjuvante Angelo, sine difficultate gigantem superavit. 4. *Metus rei, quam inordinate amaverat, deserendæ :* quem eripere conabitur, ostendendo, quam facile, illa antequam amare eam inciperet, caruerit et vero etiam tempore morbi aut mortis sine difficultate cariturus sit. An ergo non possit gratia, quod necessitas vel infirmitas potest? Ostendat item, quam omnem voluptatem hactenus ex re amata perceptam, abundantius in ipso Deo, per pœnitentiam et charitatem possidendo inventurus sit, ideoque illud Elcanæ dictum eidem applicet : Cur fles; aut quam ob rem affligitur cor tuum? Numquid non ego tibi melior sum, quam hæc aut illa creatura? 5. *Respectus humanus.* Quod tamen impedimentum facile tollet asceta, si meminisse jubeat, stare ex una parte Deum, a quo omne bonum, quod habet, accepit : et quod accepturus est, expectat, atque ad pœnitentiam invitare; homines vero, a quibus nec vitam accepit, nec expectat, ab eadem absterrere; an enim, si vel micam prudentiæ et æstimationis de Deo possideat, hominum potius, quam Dei invitationem sequetur? Hortetur præterea, ut in simili casu illam pii ascetæ doctrinam sibi applicet : Filii, jacta cor tuum firmiter in Domino, et humanum ne metuas judicium, ubi te conscientia pium reddit et insontem, (uti vel maxime per pœnitentiam contingit); bonum est et beatum taliter pati, nec hoc erit grave humili cordi, et Deo magis, quam sibi ipsi confidenti. Quis tu, ut timeas a mortali homine? Hodie est, et cras non comparet. Deum time, et hominum terrores non expavesces. *L.* iii, *de im.* xxxix, § 1.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas. — Ex occasione thematis : *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis :* (*Ephes.* iv, 23.) Comparari potest pœnitentia creationi novæ hominis. Et 1. quidem ostendi potest, quomodo ante omnia lux creari debeat in animo illius, idest, illuminatio mentis, quæ vere statum miserum agnoscat, et detestetur, ne sit de numero illorum, quibus Deus minatur per Isaiam : Væ, qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. 2. Quomodo firmamentum creari, et aquæ ab aquis dividi, idest, appetitus inferior a superiore separari, et hic quidem cœlo, seu cælestibus objectis conjungi, iste vero subjici homini debeat, juxta illud Dei decretum : Subter te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius. (*Genes.* iv, 7.) 3. Quomodo debeat terra, idest, peccator fructus spirituales bonorum operum producere, juxta monitum Sancti Pauli : Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem (*Rom.* vi, 19.) 4. Quomodo sol et luna, cum reliquis planetis et astris produc debeant, idest, tres virtutes theologicæ, et quatuor morales, cum aliis virtutibus, quæ sub iisdem continentur, exerceri, et per habitum stabiliri, ubi pulchre potest charitas soli, lunæ in subsidium noctis creatæ spes, et lucifero fides comparari. 5. Quomodo debeant volatilia, reptilia, aquatilia, aliaque viventia sensitiva in bonum hominis creari, idest, potentiæ sensitivæ sic ordinari, ut homini serviant, et ad ultimum finem consequendum conducant. 6. Denique quomodo debeat homo ad imaginem Dei creari, idest, ita ordinari, ut oculos semper sursum per bonam intentionem erectos habeat, neque aliud nisi majorem Dei gloriam et beneplacitum quærat. Quæ omnia S. Pauli, S. Mariæ Magdalenæ, vel aliorum Sanctorum conversorum exemplis probari et confirmari possunt.

Ex occasione thematis : *Expoliantes veterem hominem cum actibus suis, induamus eum, qui renovatur in agnitione secundum imaginem ejus, qui creavit illum* : (*Coll.* III, 9.) ostendi potest 1. Quis sit vetus homo ex comparatione cum senectute, de qua S. Hieronymus sic loquitur : Caput incanescit, per remissionem primi fervoris in scopo prosequendo, decidunt tamquam ab arbore capilli (bona proposita) dentes (conatus et ardor cibi spiritualis manducandi) cadunt, balbutit lingua (consideratio in loquendo) fluunt salivæ (inordinatus appetitus ciborum materialium proditur) tremunt genua (idest, orandi et flectendi studium relinquitur facile, vel horretur) et fronte ob sensum rugis arata, instar boum a mento palearia pendent (idest, animus omni pinguedine spirituali et decore carens, ad terrena solatia inclinatur) caligant oculi intellectus scilicet difficulter cælestia contemplans) accedunt podagræ, ac chiragræ dolores (seu molestia, quæ in via perfectionis decurrenda, et operibus ac laboribus statui convenientibus sentiuntur) premit pituita, ac tussis molestissima, idest, assiduæ concussiones conscientiæ teporem arguentis. Tantis denique afficiuntur senes infirmitatibus, ut ipsa senectus morbus sit. (S. BER. *epist. ad Furian.*) In eumdem finem servire potest, quod S. Bernardus de hac materia scripsit : Duo homines sunt, vetus et novus, ille terrestris, iste cœlestis; illius imago vetustas, et e contrario triplex novitas : est enim vetustas in corde, in ore, in opere, in quibus tribus modis peccamus; in corde sunt desideria carnalia et sæcularia, idest, amor carnis, et amor sæculi. Similiter in ore est gemina vetustas, arrogantia et derogatio : item gemina in opere, et flagitia, et facinora; hæc omnia sunt imago veteris hominis, et sunt renovanda in nobis. 2. Ostendi potest, quis sit novus homo ex comparatione cum juventute, in qua excellunt tres præcipue dotes, scilicet sanitas, agilitas, et alacritas, quæ proin in spirituali sensu ad bonam conscientiam, fervorem in bonis operibus, et jucunditatem et tranquillitatem mentis applicari possunt (S. BERN. *ser.* XXX, *inter parv.*) Vide Engelgr. in Dominica Resurrect.

Ex occasione thematis : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua.* (*Psal.* CII, 5.) potest pœnitentia cum renovatione aquilæ comparari. Et 1. ostendi, quod, sicut aquila super limpidum fontem, summo nisu adversus solem volitat, ibique agitatione et calore excussis pennis, in subjectum fontem delabitur, et inde emergens, inter alas pullorum fota novas plumas assumit, et juvenescit; ita peccator ad misericordis et justi Dei solem evolans, illius charitate exardescens, veteres mores excutiat, ac inde in fontem lacrymarum lapsus novus homo exeat. 2. Quod, sicut aquila tum senectute pressa, tum rostri immodice crescentis impedimento impedita, comedere non valens, labium superius ad petram allidit, et sic, eo rejecto, cibum sumere et roborari incipit; ita peccator desideria sua prava, quæ eum a cibo spirituali impediebant, et languorem causabant ad Christum petram allidat et abjiciat, sicque juvenescere in spiritu incipiat. Quæ omnia per particulares casus amplius illustrari possunt. Vide iterum Engelgr. l. c.

Ex occasione thematis : *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum;* (BARUCH. III, 28.) ostendi potest, quomodo pœnitentia constituta esse debeat, ut sufficiat ad plenam peccatorum explicationem, nempe 1. Quod debeat esse *amara* per contritionem internam, ut sic deleatur culpa ex delectatione peccati contracta, vereque dici possit de pœnitente : Magna est velut mare contritio tua. (*Thren.* II, 41.) 2. Quod debeat esse *multiplex*, per varia opera externæ afflictionis suscepta, ut dicat quodammodo sibi ipsi illud Apocalypsis : Quantum glorificavit se (corpus) et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum. (*Apoc.* XVIII, 7.) Sicque multiplicatæ culpæ multiplicata pœna correspondeat. 3. Quod debeat esse *diuturna* propter diuturnitatem consuetudinis peccandi, sibique pœnitens in statu pœnitendi velut carcere constitutus quodammodo dicat : Non exibis hinc, donec solvas novissimum quadrantem.

Ex occasione thematis : *Parate viam Domini :* (LUC. III, 4.) ostendi potest, quomodo per pœnitentiam peccator viam Domino parare debeat, sicque implere illud S. Joannis Baptistæ monitum : Erunt aspera in vias planas. (*Ibid.* 6.) 1. Itaque ostendatur, quomodo mutanda sint prava in directa, per contritionem, et propositum sincerum emendationis. 2. Quomodo omnis mons et collis humiliandus, per confessionem humilem et accuratam. 3. Quomodo omnis vallis per satisfactionem, fructibus pœnitentiæ implendus sit. Quæ omnia apud Fabr. Dom. IV. Advent. conc. 7, fusius explicata videri possunt.

Ex occasione thematis : *Ite in castellum, quod contra vos est ; et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea : solvite et adducite mihi.* (Matth. xxi, 2.) potest hic totus textus ad conversionem peccatoris applicari. Et 1. ostendi potest, per Apostolos intelligi Prædicatores, per castellum vero mundum, qui est contrarius prædicatoribus. 2. Ostendi potest, per asinum intelligi peccatorem, juxta S. Davidem : Homo, cum in homore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. (*Psal.* lxxxiv, 31.) per funes autem peccata, juxta illud Isaiæ : Solve vincula colli tui, captiva filia Sion (*Isa.* lii, 2.) et illud Psalmistæ : Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. (*Psal.* cxv, 16.) 3. Ostendi potest per eos, qui obmurmurant, intelligi dæmones, malos socios, propinquos, carnem propriam ; sed hos non curandos, dicendumque ; quia Dominus his opus habet, ad misericordiam suam ostendendam, fructumque passionis applicandum ; sic enim sedebit, et quiescet in asina, et cum ea Jerusalem, idest, visionem pacis ingredietur. 4. Ostendi potest, quomodo solvenda sit asina per Sacramentalem absolutionem ; sicque confestim diabolus et mundus dimissuri sint illam. 5. Denique ostendi potest, quomodo Christus super eam collocandus sit, tum per S. Eucharistiæ susceptionem, tum per perfectam obedientiam mandatis ejus exhibendam ; ita tamen ut prius ei vestes, idest, opera satisfactionis supponantur, quo suavius sedeat, magisque placetur. Quæ omnia breviter apud Fabr. Domin. Palmar. conc. viii, n. 4, indicata videri possunt.

Ex occasione thematis : *Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam :* ostendi potest verus modus agendi pœnitentiam. Et 1. quidem quomodo surgendum per fugam peccati et occasionem ejus desiderio supernorum susceptam, ut explicat S. Bernardus. (*In cit. verb.*) 2. Quomodo tollendus lectus, per punitionem dimissarum culparum, ut jam non feratur anima concupiscentiis corporis et terrenarum voluptatum, sed magis ipsa, ut dignum est, regat corpus, et ferat quo non vult. 3. Quomodo vadendum in domum suam, per compensationem operum malorum per bona, ut tantum studeat nunc ad bene agendum, quantum studuit ad peccandum, ut S. Thomas hæc tria ad veram pœnitentiam requirens explicat ; vel, ut S. Bernardus ait : Si ea, quæ retro sunt obliviscens quis, et ad ea quæ anteriora sunt, desiderio et proposito proficiendi se extendat. (S. Thom. *sap.* iii, *Matth.*) Quæ omnia fusius explicata apud Fabr. in Auctar. Domin. xviii, post Pentec. conc. iii, videri possunt.

Ex occasione thematis : *Dirigite viam Domini :* (Jo. i, 23.) proponi possunt viæ pravæ, seu falsæ opiniones circa pœnitentiam, et ex illis ostendi, quæ sit vera pœnitentia. 1. Ergo via *devia* et *erronea* est hæreticorum, qui negant aliam pœnitentiam esse necessariam, quam novæ vitæ inchoationem. 2. Via est *voraginosa*, eorum scilicet, quos pœnitet, quod non gravius peccarint, aut occasionem peccandi elabi siverint. 3. Est via *angusta*, eorum, qui vel omnino non dolent, vel certe non de omnibus peccatis. 4. Via *profunda* est eorum qui naturali tantum ex motivo, verbi grat, damni temporalis, infamiæ, aut supernaturali quidem, sed imperfecte, v. gr. gehennæ incurrendæ, dolent. 5. Via *subdola*, seu *tecta* est, eorum videlicet, qui nequiter se humiliant, et fictam pœnitentiam agunt. 6. Denique *præceps*, nempe scrupulosorum, et desperantium, in præcipitium tendentium. De quibus omnibus fusius disserentem vide Fabrum in Auctar. Dom. iii. Advent. them. v.

Ex occasione thematis : *Quare nos non potuimus ejicere illum :* (Matt. xvii, 18.) possunt proponi impedimenta conversionis, et convenientia remedia offerri. Primum impedimentum est : *curæ et sæcularia negotia :* (*Exod.* v, 3.) ubi dæmon agit, quemadmodum Pharao, qui dixit : opprimantur laboribus, et expleant ea, ut non acquiescant verbis mendacibus ad sacrificandum Deo invitantibus. Secundum est *procrastinatio*, ubi diabolus imitatur perdicem sui capiendi spem facientem, donec pulli evadendi occasionem sunt nacti, quo facto etiam ipsa avolavit. Tertium est *difficultas confitendi :* ubi dæmon hortatur ad imitandas ancillas pigras, quæ horrentes laborem everrendæ domus, sordes in angulum conjiciunt, ut post longum tempus simul everrant. Quartum est *fuga peritorum Confessariorum :* ubi dæmon instigat, ut dicant cum Achab : Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. (III. *Reg.* ii, 8.) Aliter ac S. Ludovicus Rex Galliæ filio suasit dicens : Fac idoneus tibi sit conscientiæ arbiter, cujus prudentia doctrinaque in omnibus semper tutus sis. Quintum est *desperatio emendationis :* ubi dæmon imitatur Jairum et domesticos ejus, persuadentes filiam esse mortuam, atque adeo omnia desparata esse; quibus tamen cum Christo dicendum; Recedite, non enim est mortua puella, sed dormit. Vide Fabrum in Auctar. themat. I, fusius hæc explicantem. Item eumdem in opere tripartito conc. VIII, in Dom. III, Quadrag.

NECESSITAS. — Ex occasione thematis. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* : (LUC. XIII, 3.) potest pœnitentia Baptismo comparari. 1. Propter necessitatem, hominibus quia sicut Baptismus omnibus, ita pœnitentia saltem omnibus peccatoribus est necessaria ad salutem obtinendam. 2. Propter effectus; qui aut Baptismus omne peccatum delet, ita et pœnitentia. 3. Propter materiæ et formæ similitudinem : ut enim in Baptismo per aquam, ita in pœnitentia per lacrymas abluitur peccator; ita in hac dicitur : Absolvo te. Quæ omnia fusius didicit et probat Faber conc. VI, in Dom. IV. Adventus.

Ex occasione thematis : *Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum, et plorabo die ac nocte :* (JER. IX, 1.) ostendi possunt fontes, ex quibus lacrymæ hauriri possunt, seu motiva ad pœnitentiam excitantia. Quorum 1. est, *personam offensam*, scilicet Deum infinite potentem, sapientem, bonum perpendere. 2. *Personam offendentem* considerare, videlicet creaturam tanti Creatoris, servum tanti Domini, filium tanti Patris, clientem tanti Benefactoris. 3. *Offensæ ipsius qualitatem* ponderare, quod scilicet sit aversio a summo bono ad summum malum, a fonte vivo ad lacunas et cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, ita ut merito Deus tam significantibus verbis hanc injuriam questus sit, dicens : Obstupescite cœli super hoc, et portæ ejus desolamini. Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et fo derunt sibi cisternas dissipatas. (JER. II, 13.) 4. *Effectus offensæ* librare, juxta Apostoli monitum : Quem fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? (*Rom.* VI, 21.) nimirum ruborem, dolorem, timorem. An ergo tanti ememus pœnitere? An tanta mala tam brevi et levi voluptabula redimemus? 5. *Multitudinem offensarum* computare : si enim unica tantopere Deum et nos ipsos offendit, tot tantæque quid facient? An non jure exclamabit cum S. Davide : Circumdederunt me mala, quorum non est numerus; comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui, ut viderem. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me. (*Psal.* XXXVIII, 13.) Vide Fabrum p. I, in festo S. Mariæ Magd. conc. III.

Ex occasione thematis : *Simile est regnum cælorum decem virginibus* (MATT. XXIII, 1) : potest parabola ista pœnitentibus applicari, dicique, quod isti sint virgines sapientes, quæ paraverunt lampades suas, et impleverunt oleo charitatis erga Deum et proximum. Declaretur subinde gaudium, quod istæ concepturæ sunt ex admissione ad nuptias cum tali Sponso, cum tanta bonorum omnium affluentia, per totam æternitatem contrahenda. E contrario vero ostendatur, eos, qui differunt pœnitentiam, esse insipientibus similes virginibus, simulque monstretur, quantum olim dolorem ex sua exclusione, et auditis illis verbis : Nescio vos; hausturæ sunt fatuæ hæ virgines.

Ex occasione thematis : *Intrate per angustam portam :* (MATT. VII, 13.) potest pœnitentiam huic portæ comparari. 1. Propter *angustiam*, quæ nihil aliud est, quam difficultas in pœnitentia occurere solita, maxime ob compressionem et humiliationem. Quam ob causam pauci inveniunt, aut ingredi volunt per hanc portam. 2. Propter *necessitatem :* hæc enim unica est porta, quæ peccatoribus aperta est, si Civitatem cœlestem ingredi velint; an non ergo præstat modico tempore comprimi, ut in dictam civitatem admittatis, quam timore modicæ compressionis æternum ab ea excludi, et in tenebris perpetuis cum miseria inexplicabili versari? 3. Propter *modum intrandi :* videlicet submissionem triplicem, mandatis divinis per justitiam et charitatem, hominibus per humilitatem, et justitiæ divinæ per pœnitentiam exhibendam; qui enim tali modo se submiserit vel humiliaverit, exaltabitur, et intromittetur ad cœlestem civitatem.

Ex occasione thematis : *Aperite mihi portas justitiæ : ingressus in eas confitebor Domino : hæc porta Domini, justi intrabunt per eam :* (*Psal.* CXVII, 19.) potest pœnitentia Portæ Sanctæ, quæ Romæ tempore jubilæi aperitur, comparari. 1. Quia certo tantum tempore, scilicet, vitæ hujus aperta est. 2. Quia omnibus promiscue aperta est, et omnes ad ingressum invitantur illis S. Joannis verbis : pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. (Matth. iii, 2.) 3. Quia plenum jubilæum tanto certius per ejus ingressum obtinetur, quanto potentior, fideliorque est, qui indulgentiam promisit. 4. Quia etiam ad hujus portæ ingressum requiruntur varia opera pœnitentiæ accurate præstanda, juxta illud S. Joannis : Facite fructus dignos pœnitentiæ. (Luc. iii, 8.) Excitentur proinde auditores, ut occasionem tam periculosam non negligant, sed potius illud S. Augustini sibi dictum putent : Ecce indulgentiæ dator aperit tibi ostium, quid moraris? *Tom* II. *in instr. sp.*

Ex occasione thematis : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem :* (Luc. v, 6.) explicari potest triplex dilatio plerumque fieri solita. 1. Eorum, qui de die in diem differunt, quotidie volentes surgere; et hi per filiam Jairi mortuam, sed nondum elatam, significati sunt, qui proinde non tanta potentia, ut alii, ad reviviscendum indigent. 2. Est eorum, qui pœnitentiam, ad sensum differunt : et hi per adolescentem jam elatum commode significantur, ac majori conatu ad resurrectionem indigent. 3. Denique est eorum, qui pœnitentiam ad mortis tempus differunt, et per Lazarum jam sepultum apte significantur, qui summo conatu ad sui vivificationem indigent. Quæ singulæ classes fusius explicari, remediaque apta offerri possunt, uti Faber conc. vii, in Dom. xv, post Pent. Item conc. iv, in Dom. xxiv, post Pent. et conc. ii, in Dom. xxxiii.

Utilitas. — Ex occasione thematis : *Vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens, cecidit super collum ejus et osculatus est eum :* (Luc. xvii, 20.) potest explicari efficacia pœnitentiæ, fructusque illius pro officio filio prodigo a patre exhibito demonstrari. Nam 1. osculo paterno eum excepit, et amplexatus est : quo plena redintegratio amicitiæ et remissio peccatorum significatur. 2. Annulus in manu ejus datus est : quo reviviscentia meritorum indicatur. 3. Stola prima indutus est, ad gratiæ justificantis restitutionem testificandam. 4. Convivium instruxit, securæ scilicet, et tranquillæ conscientiæ, quæ, teste Salomone, est juge convivium. 5. Calceamenta pedibus indui jussit : per quæ restitutio famæ recte intelligitur, eo quod calceamenta liberi hominis et ingenui indicium olim fuerint; nam servi nudipedes incedere cogebantur. 6. Vitulum occidi jussit, ad ritum videlicet, qui in SS. Missæ Sacrificio offertur significandum, ad quem peccator conversus iterum admittitur. 7. Symphoniam fieri præcepit, ad significandam lætitiam, quam Deus, Angeli, Sancti homines et ipse pœnitens ex conversione percipiunt. Quæ omnia fusius probata apud Fabrum conci. ii, in Dom. iii, post. Pent. videri possunt.

Ex occasione thematis : *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis in lacrymis in mensura :* (*Psal.* lxxix, 6.) explicari potest vis et efficacia lacrymarum per similitudinem cibi et potus. Et 1. quidem ostendi, quomodo vitam spiritualem conservent, et nutriant, reparando quodammodo humidum radicale. 2. Quomodo satient, reddendo tranquillam conscientiam. 3. Quomodo pinguefaciant, augendo merita supernaturalia. 4. Quomodo delectent, per internam lætitiam, ex recuperatione gratiæ statim conceptam. 5. Quomodo roborent, imminuendo timorem, ex vindicta divinæ justitiæ conceptum. Pro quibus fusius explicandis ea, quæ Faber conc. v, in festo S. Mariæ Magdalenæ proponit, servire possunt.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Jacob benedictionem a patre obtinuit, quia pulmentum, quo libenter vescebatur, obtulit; cum ergo et sacrificium Deo gratissimum sit spiritus contribulatus, an non, qui illum obtulerit per pœnitentiam, parem a Deo benedictionem sperabit. *Beirlinc. in festo S. Magd. them.* ii.

David, statim ubi intellexit Siceleg oppidum ab Amalecitis eversum, omnesque incolas in captivitatem ductos, arma sumpsit, hostemque profligavit. (I. *Reg.* xxx, 15.) Sed et Abraham audiens captum esse Loth fratrem suum, mox numeravit expeditos vernaculos suos trecentos et octo, fratremque liberavit. (Gen. xiv, 14.) Quidni ergo multo magis propriam suam animam a dæmonibus captam liberare quis studeat?

Mathematici aiunt, rectam lineam esse, cujus extrema maxime distant : talis est status pœnitentis, cujus initia sunt peccatum et vitia, finis virtutes et opera bona. Quidni ergo rectus censeatur? Beir. *l. c.*

Alexander Macedo, quando urbem quampiam obsedit, facem accendere consuevit, simulque proclamari jussit, tamdiu spem gratiæ superesse, quamdiu fax arderet; ea combusta nullum veniæ locum esse : ita et Deus facit, vitam concedens pro termino veniæ obtinendæ; hac enim finita, clausa gratiæ est janua. *Ibid.*

Abbatem Sisoem rogans Monachus, quid agere post lapsum debeat; audivit ab eo : Surge. Cumque subjiceret Monachus, se surrexisse, sed iterum cecidisse; respondit Sisoes : iterum surge. Iterum vero quærenti; quoties tandem surgendum esset : donec mors, inquit, aut stantem te, aut jacentem inveniat. *Vita PP. ap. Pet. Sancb. p.* IV.

Omnis peccator perit, sed non eodem modo; nam aliqui pereunt ut gemma, nullam emittens vocem, qua roget Dominum, ut ipsam quærat, et sic peccatores obstinati pereunt; alii pereunt sicut ovis, quæ balatu suo movet pastorem ad ipsam requirendam, et tali modo peccatores non obstinati pereunt, quorum typus erat David dicens : Erravi, sicut ovis, quæ periit : quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. *Lab. in loc. com. V. Pœni. Psal.* CXVIII.

Deus populum suum per Jeremiam ad pœnitentiam excitaturus, jussit hunc Prophetam in domum figuli descendere, ubi cum Propheta figulum vas confractum reficientem vidisset, dixit ei Deus; Numquid sicut figulus iste non potero facere vobis domum Israel? Ecce sicut lutum in manus figuli, sic vas in manu mea, domus Israel. *Ibid.* JER. XVIII, 6.

ÆQUITAS. — Petra refugium herinaceis, inquit Psalmista : Ubi per herinaceum peccator spinis criminum obsitus, per petram vero Christus crucifixus intelligitur; (LAB. *l. c.*) nam, ut Sanctus Bernardus ait, ubi tuta, firmaque infirmis requies, nisi in vulneribus Servatoris tanto illic securior habitatio, quanto ille potentior est ad salvandum. Clamat clavus, clamat vulnus, quod vere Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi. Patet arcanum cordis per foramen corporis; patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto; quidni viscera per vulnera pateant? in quo enim clarius, quam in vulneribus tuis eluxisset, quod tu Domine suavis et mitis, et multæ misericordiæ sis; majorem enim miserationem nemo habet, quam ut pro addictis morti et damnatis animam suam ponat. S. BERN. *s.* LXI, *in Cant.*

Si multorum mihi conscius sum peccatorum, ait idem S. Bernardus, Domine, memorabor justitiæ tuæ solius; ipsa enim est et mea : nempe factus es mihi tu justitia a Deo; numquid mihi verendum, ne non una duobus sufficit? non est pallium breve, quod non possit duos operire, justitia tua justitia in æternum. Quid longius æternitate? et te pariter, et me operiet largiter larga et æterna justitia; et in me quidem operiet multitudinem peccatorum; in te autem, Domine, quid nisi pietatis thesauros divitias bonitatis. *Ibid.*

S. Augustinus cum olim Æneæ errores, legens, oblitus errorum suorum Didonis mortem deplorasset, tandem illustratus exclamavit : Quid miserius misero non miserante se ipsum, et flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem suam, quæ fiebat, o Deus meus, amando te? S. AUG. *l.* V, *conf.* XIII.

NECESSITAS. — Pharao fertilitatis tempore frumenta colligebat, et in futuram sterilitatem opportuna asservabat. (GEN. XLI, 47.) Idem facere peccator deberet; anni quippe fertilitatis, est tempus vitæ et misericordiæ Dei concessum.

Echinus quo diutius partum differt, tanto difficilius parit, quia spinæ in catulis crescunt. Simili modo se res habet in peccatoribus pœnitentiam differentibus; cum enim peccata augeantur, difficilior inde conversio et confessio efficitur. *Beirl. in festo S. Mariæ Magd. them.* II.

Non te pudet, inquit Seneca, tibi vitæ reliquias reservare, et id solum tempus destinare bonæ menti, quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est, tunc vivere incipere, cum desinendum est. (*Senec. de brev. vit.*)

UTILITAS. — Cum incendium in domo oritur, omnis supellex per fenestras ejicitur; idipsum facit peccator cœlestis amoris incendio in anima exorto, omnia, quæ inordinate amabat, ejicit, ut securius ea in cœlo possideat. *Beirl. loc. sup. cit.*

S. Augustinus efficaciam lacrymarum matris suæ explicans, sic loquitur : De hac profunda caligine eruisti animam meam, cum ad te ploraret mater mea, fidelis tua, amplius quam flent matres corporea funera. Exaudisti eam, nec despexisti lacrymas ejus, cum profluentes rigarent terram sub oculis ejus. (S. AUG. *l.* III, *confess.* c. XI.) Quanto magis hanc vim habebunt lacrymæ ab ipsomet peccatore pro anima sua profusæ?

Lacrymæ pœnitentis pulchre per aquas rubri maris significatæ sunt; ut enim per illas Ægyptii, ita per lacrymas peccata delentur, et merguntur. *Beirl. l. c.*

Cervus senio confectus, in ostio speluncæ tam fortiter respirat, ut serpentes in ea inclusos foras prodire compellat, quos statim devorans affluenter sudat, tantamque humoris copiam sudore egerit, ut prorsus renovetur, et velox fiat. Idem contingit peccatori, qui si per gemitus peccata sua ex pectores eliciat, et per confessionem conterat, lacrymasque sudando emittat, fit saliens sicut cervus, et transiliens sicut colles. *Stapl. Do. Pasch. them.* VI.

In veteri lege eodem in loco, in quo holocaustum offerebatur, etiam hostia pro peccato mactabatur; ut vel ex hoc cognoscerent peccatores quam gratum Deo holocaustum sit peccatoris per hostiam illam significati conversio et spiritualis mactatio. *Id. th.* V, *in Dom.* I, *post Pent.*

Dilatio pœnitentiæ. — Archias Rex Thebanus in lauto, quod amicis instruxerat, convivio consistens, quia litteras a Tabellione, seria contineri in iis dicente, aperire neglexit, seriaque in gratinum differenda dixit, eadem nocte a Sicariis, de quorum insidiis litteræ monebant, occisus est. *Id. th.* V, *in Dom.* III, *post Pent.*

Sigismundus Rex Poloniæ, ob perpetuam cunctationem crastinus dictus, grandem sibi regnoque perniciem hac sua procrastinatione accivit; idem timendum peccatori pœnitentiam differenti. *Engelg. in Dom.* I. *Pasch.*

Recte in hanc materiam canit Horatius.

Qui lædunt oculo festimas demere, si quid
Est animum, differs curandi tempus in ævum.

Vocat te Deus undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis. Quod tibi parcit, putas, quia places ei? hæc fecisti, inquit, et tacui. Non mihi placent peccata, sed longanimitate quæro recte facta. Si punirem peccatores, non invenirem confessores. Ergo Deus te longanimitate sua parcendo ad pœnitentiam adducit. S. Aug. *in Psal.* CVIII.

Sunt, qui præparant conversionem, et differunt, et fit illis vox corvina cras, cras. Corvus de arca emissus, non est reversus. Non quærit Deus dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbino. Missa columba reversa est. Quamdiu cras, cras? observa ultimum cras, quia ignoras, quod sit ultimum cras. *Ibid.*

S. Gregorius super illud Job : Non aspiciet me visus hominis : quærit; quisnam est visus iste, cujus carentiam deplorat S. Job? Visus hominis est misericordia Redemptoris, quæ insensibilitatis nostræ duritiem, cum respicit, emollit. Unde in Evangelio dicitur : Rexpexit Dominus Petrum, et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat Jesus, et egressus foras flevit amare. S. Greg. *l.* VIII, *mor.* 12.

AXIOMATA.

Pœnitentia sera, raro vera.

Sera pœnitentia in fundo.

Quem pœnitet pecasse, pene est innocens. *Engel. in Do. Pas. ex S. Aug. in Floril.*

AUCTORES.

S. Albertus Magnus in Paradiso animæ, Verbo : Pœnitentia.

Franciscus Labata in locis communibus tit. eod.

Petrus Sanchez in Regno Dei p. 4, VII.

Ludovicus Granatensis in silva locorum communium.

Mathias Faber in opere Tripartito et Auctario.

Laurentius Beirlinck in festo S. Mariæ Magdalenæ, them. II.

Thomas Stapletonus Dom. III, post Pent them. V, et Dom. X, them. IV, et Dom. XXIII, them. III. Item Dom. III, post Ephiph. text. VIII, Dom. Pasch. text. VI, et Dom. I. post Pascha text. IV.

Joan. Busæus in Viridario. V. eodem.

Josephus Mansi in Bibl. moral. tr. LXI.

PROCRASTINATIO POENITENTIA

EX S. SCRIPTURA.

Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius; et in tempore vindictæ disperdet te. *Eccl.* V, 8.

Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum? Luc. XIV, 5.

Vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. *Prov.* I, 24.

Ne impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo. *Eccl.* VII, 18.

Nolite errare, Deus non irridetur; quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. *Ad Gal.* VII.

Cor durum habebit male in novissimo. *Eccl.* III, 27.

Tunc invocabunt me, et non exaudiam; mane consurgent, et non invenient me : eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, et detraxerint universæ correptioni meæ. *Prov.* I. 28.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamus arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. II. *Cor.* VI, *ad Rom.* XIII, 12.

Nescit homo finem suum : sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit. *Eccl.* IX, 12.

Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Deut.* XXIII, 21.

Verterunt ad me tergum, et non faciem, et in tempore afflictionis suæ dicent : Surge, et libera nos. Ubi sunt dii tui, quos fecisti tibi? surgant, et liberent te in die afflictionis tuæ. JER. V, 29.

Hodie si vocem Domini audieristis, nolite obdurare corda vestra. Et isti non cognoverunt vias meas : ut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. *Psal.* XCIV. 8, 11.

Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. JOB. XX, 14.

Non demoreris in errore impiorum : ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil, perit confessio. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius. *Eccl.* XVII, 26.

De propitiatio peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. Et ne dicas : Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius. (*Eccl.* V.) Quæ verba Paulus de Palatio ita exponit : Miseratio Domini magna est, non ut adjicias peccata, sed ut remittenda credas, si amplius ea non committere decreveris.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Nos peccata velociter quidem promptoque animo committimus, pigre vero postmodum ac sero pœnitentiam agimus. S. BASIL. *hom.* VIII *in divit. avar.*

Conversionem pœnitentiamque differre, est tempus non solum infructuose, imo et vitiose expendere, spiritualia lucra negligere; hoc est, profectum in omni gratia et virtute in multiplicatione meritorum, in incremento cœlestium præmiorum impedire, propriam animam vitiis lacerare, dæmonibus deservire, Deo altissimo prorsus ingratum existere, qui conversionem iniqui tam misericorditer præstolatur qui ei pro malis tot bona largitur, et ipsum ad meliora hortatur, qui in seipso infinitæ est bonitatis, sanctitatis, ac dignitatis, ut solo ejus amore debeamus ad honorificentiam, et amorem ejus allici, et accendi. *Dion. Car opusc. de conv. pec. ar.* 2.

Sine me quæso, inquis, utar carne ad perfruendas res turpes, voluter in cœno voluptatum, sanguine imbuam manus, diripiam aliena; pejerabo, mentiar, et tunc pœnitentiam, ubi abstinuero a malis, agam. At si bona res est peccatum, tuere, ac tene hoc usque in finem : sin vero ei, qui illud perpetrat, noxium est, quid rebus perniciosis adhærescis? Num putas, Deum non videre, quæ aguntur? Num non percipit tuas cogitationes? Num opem fert tuis iniquitatibus? Ingenti te scelere adstrinxisti, inquit ille, eo quod existimaris me tui similem fore. Tu cum mortalis viri amicitiam ambis, beneficiis illum ad te, dicendo, et faciendo, quibus intellexeris hominem gaudere, allicis; at quando cum Deo conjungi, ac in numerum filiorum te recipi vis, ea, quæ inimica sunt Deo, perpetrans, et legem transcendendo ignominia ipsum afficiens, ex his quibus ipsum vel maxime offendis, conjunctionem et consortium speras? Vide, ne redemptioni studendo, malorum multitudinem tibi coacerves, ad peccatum aggreges, nec tamen veniam impetres. S. BASIL. *or.* III, *de pœn.*

Timeamus ne, dum redemptionis ac veniæ spe multa vitia nobis colligimus, ita peccatum aggeramus, ut remissionem interim non consequamur. Quandoquidem navis majus mercium pondus aliquousque suffert, ultra modum autem onerata deprimitur, aquisque obruitur. Caveamus, ne cum similia iis, atque adeo venia majora et graviora flagitia perpetraverimus, antequam speratos portus respicere queamus, naufragium faciamus. S. ANTON. *p.* 2, *tit.* IX, *cap.* XIII, § 1.

Cum Esau de venatu rediisset, et cognovisset, quod Jacob benedictionem quam ipse expectabat, accepisset, vehementer doluit et flevit, quod et antea primogenita, et benedictionem perdidisset, sed licet ubertim fleret, tamen pœnitentiæ locum non invenit, per quam primogenita, quæ dudum vendiderat, recuperaret; quia sero flevit, et sero pœnitentiam quæsivit. Sic et vos præcavete, ne, cum post mortem debetis recipere benedictionem, reprobemini, et locum pœnitentiæ tunc non inveniatis, si modo primatum vestræ dignitatis propter brevem aliquam delectationem perdideritis. Tarde enim in illo sæculo quæritur pœnitentia cum jam fratres nostros benedictionem, quam sperabamus, accepisse cognovimus, et nos sine benedictione relictos esse. Nunc enim tempus est pœnitentiæ non tunc. S. ANSEL. *Mansi tr.* LXXXI, *dis.* V. *n.* 5.

Erit eis verbum Domini : *Manda, remanda,* scilicet aliquam commoditatem : *Expecta, reexpecta,* me scilicet ad pœnitentiam : *Modicum ibi, modicum ibi,* ut vadant, et cadant retrorsum. Non enim videt, qui cadit retrorsum, quod cadit, et lethaliter cadit, sicut Heli ex tali casu mortuus. Unde dicitur Ecclest. XXIX. *Repromissio nequissima perdit.* Repromissio, scilicet cogitatio, qua peccator pluries promittit sibi longam vitam, tanquam esset de ea certus, et ex qua disponit multa facere in mundo, et propter mundum, et inter cætera etiam pœnitere. Ista est nequam, nequior, et nequissima. Nequam siquidem est ista repromissio, quia sibi usurpat peccator hoc, quod est proprium Dei, scilicet de futuro disponere; nam dicit Christus. Actor. I. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Bernardus contra talem de futuro præsumentem ait : Quid de futuro miser tam temerarie præsumis, tamquam Pater tempora et momenta in tua, non in sua posuerit potestate. Nequior est ista repromissio, quia tempus infiniti valoris sibi a Deo datum fatue expendit, et cum hoc præsumit, quod adhuc sit ei daturus spatium et gratiam pœnitendi. Nequissima est, quia non solum tempus datum perdidit, sed et in contumeliam Creatoris convertit, et uti disponit. S. ANTON. *l. c.*

Amat mortem, qui vitæ præcepta non servat, et horret vitam, qui peccata morti debita desperata mente frequentat; ut enim per observantiam legis vita acquiritur; ita per contemptum mors a contumacibus invenitur. S. CHR. *h.* VII, *in Var.*

Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari. Sed auctores tamen esse non possumus, quod, qui sic petierit, mereatur absolvi. Quomodo pœnitentiam agere possit, qui nulla jam pro se opera satisfactionis operari potest? Et ideo pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est; pœnitentia, quæ a moriente tantum petitur, timeo, ne et ipsa moriatur. S. AUG. *s.* LVII, *de temp.*

Salubris conversio duplici ratione consistit, si nec pœnitentia sperantem, nec spes deserat pœnitentem, ac per hoc, si ex toto corde quisquam renuntiet peccato suo, et toto corde spem ponat remissionis in Deo; etenim nonnumquam aut spem pœnitenti homini diabolus adimit, aut speranti pœnitentiam tollit; unum, dum onerat, comprimit; alterum, dum elevat, dejicit. S. FULG. *ep.* 7, *c.* V.

Judicium sine misericordia illi fiet, qui non fecerit misericordiam; Ordo autem misericordiæ continet, ut misericordiam, quam homo impendere jubetur alteri, prius exhibeat sibi, dicente scriptura Eccl. XXX, v. 24. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Proinde si quis placere non vult, animæ suæ misericordiam denegat; et qui animæ suæ misericordiam in præsenti sæculo noluerit donare, nullatenus misericordiam apud Deum poterit invenire. *Id. l.* II, *De remiss.*

Medicus non vulneri sed curæ proficit, et saluti; nec putredini, nec morbis, sed soli congaudet ille sanitati. Ita et Deus, qui pro magnitudine vulneris, adhibuit magnitudinem vigoremque medicinæ, et nec peccato, sed homini largitus est gratiam, nec ad multiplicanda, sed ad delenda delicta imbrem suæ pietatis effudit. Nemo sic de ægritudine gratuletur, ut velit in vulnere permanere. Ingratus medico, inimicus est curæ, qui semper curari æstuat, nec unquam desiderat hic sanari, et ita Dei gratiam suis cupit exuberare peccatis, ut sibi cupiat peccare cumulari. S. Chrys. *serm.* cxiii.

Intendant, qui amant in Domino mansuetudinem, timeant veritatem : etenim dulcis, et rectus Dominus. Amas, quod dulcis est? time, quod rectus est. Tamquam mansuetus dixi : Tacui; sed tamquam rectus : Numquid semper tacebo? *Misericors et miserator Dominus.* Ita plane; adhuc adde : Longanimis : adhuc adde : Et multum misericors, sed time quod est in novissimo : Et verax; quo enim modo sustinet peccantes, judicaturus est contemnentes : *An divitias longanimitatis et mansuetudinis ejus contemnis, ignorans quia patientia Dei pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam cordis tui, et cor impœnitens, thezaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei.* S. Aug. *t.* XXXIII, *in Joan.*

Quanto diutius expectat, tanto gravius vindicat. Quando enim prolixis temporibus peccamus, et nihil mali a Domino sustinemus, patientia est, non negligentia; non ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reservavit. *Ibid. s.* cii, *de tem.*

Ibi jam a Deo non potest mereri, quod petit, qui hic noluit audire, quod jussit, quia qui tempus congruæ pœnitentiæ perdidit, frustra ante regni januam cum precibus venit. S. Greg. *hom.* ii, *in Evang.*

Cum quis moratur in peccato, diabolus non multum eum impugnat, qui suus est : sed cum perpendit, quod velit recedere ab eo per pœnitentiam, multum repugnat, et quidem tanto plus, quanto diutius possedit, et vel maxime in articulo mortis, quia scit se amplius tempus non habere. S. Ant, *p.* 1, *tit.* IX, *c.* xiii, *ar.* 1.

Justo Dei judicio fit, ut, quia cum potest homo converti, et non vult, cum vult, forte converti non possit : tunc enim secutum est homini pœnitere, cum post ipse peccare. Innoc. I, *s.* ii, *de Adv.*

Nihil aliud clamat dilatio, quam ista : Regnum in me teneat peccatum, postea regnabit quoque aliquando Christus : Exhibebo membra mea arma justitiæ ad iniquitatem, deinde exhibebo etiam ea arma Deo. Sic nimirum Cain quoque sacrificium offerebat, nempe prima ac præstantiora usui suo, ac voluptati : secunda ac deteriora Creatori ac donatori Deo, S. Basil. *ap. Mansi disc.* 21.

Magna fatuitas ostenditur, non facere diligentiam pro anima, quam facit pro caliga; unde Bernardus : O nimia insania hominum; pudet sordes abstergere, scilicet per confessionem, et non pudet contrahere : abstergitur caliga, scilicet a luto, et contemnitur anima; et manifestum est, quod non solum in capite anni abstergatur caliga a luto, sed quasi quotidie, ne corrodatur a luto. S. Ant. *l. c.*

Sed multis, inquis, dedit Deus privilegium, ut in ultima senectute confiterentur. Quid igitur? Numquid et tibi dabit? Fortasse dabit, inquis : cur dicis, fortasse? Contingit aliquando; sed cogita, quod de anima deliberas. S. Chrys. *hom.* xxii, *in* 2, *ad Cor.*

Quando homo peccare potens pœnitet, et vitam suam vivens ab omni crimine corrigit, sine dubitatione, quando ei mors advenerit, ad æternam perveniet requiem; qui autem male vivit, et in morte pœnitentiam agit, sicut damnatio illius est incerta, ita et remissio illius dubia; qui ergo securus cupit esse in morte de indulgentia, in sanitate pœnitentiam agat, et in sanitate peccata sua lugeat. Igitur quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est. S. Bern. *s.* xxvii, *de modo bene viv.*

Tu homo sæpius inter ista omnia considera, si justum est, ut per totam vitam tuam vitiis et peccatis servias, et ad acquirendam vitam jam semivivus assurgas. Numquid tibi hoc fieri vis a servo tuo, ut quamdiu fortis ac juvenis fuerit, inimicis tuis serviat, et cum ad senectam venerit, tunc ad tuum servitium redire velit? quod ergo non vis pati a servo tuo, non est justum, ut facias Domino tuo : Cum tamen multos noverimus, cum sani essent, et frequenter dixisse, pœnitentiam se toto corde desiderare, sed tamen quia illam statim agere noluerunt, sine ipsius remedio de hoc sæculo recesserunt. S. Cæsar. Arelat. *hom.* vi.

Pœnitentia non est servanda usque ad senectutem. Greg. *de temp. s.* xlv.

Nunc lavandi tempus est, nunc purificationem patet esse necessariam, quoniam nemo mundus est a sorde, nec infans, cujus vita est unius diei super terram. S. Bern. *in quod. serm.*

Nolite negligere, quod vos Dominus peccantes sustinet, quia, quanto diutius expectat ut emendetis, tanto gravius judicabit si neglexeritis. Aug. *de util. pœn.*

EXEMPLA SACRA.

S. Mater Ecclesia in sacris ritibus suis a Spiritu Sancto directa S. Paulum speciali prærogativa honorat, dum ipsi soli inter multos alios hoc attribuit privilegium, ut ejus conversionem solemni quadam festivitate celebret, cujus Mysterium Dionysius Carthusianus in sermone quodam de hoc festo his verbis exponit : Mirabilissima fuit tam repentina et integra mutatio mentis et voluntatis ipsius : subito enim postquam ad cognoscendam veritatem per lucem cœlitus delapsam interius illuminatus fuit (*circumfulsit eum lux de cœlo*) claves animæ suæ Christo, tamquam absoluto Domino suo et Patrono, statim consignavit, ipsique voluntatis suæ donum est impertitus, dicendo : *Domine, quid me vis facere?* Audite quidnam ipsemet de hac sua repentina conversione Galatis scribat : *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini etc.*, ubi observanda est dictio illa *continuo*. Per hanc enim indicat, quod ne momentum quidem temporis præteriire permiserit, quin Christo ipsum ad conversionem suam invitanti promptissime responderet : quia igitur Ecclesia in institutione hujus festi præcipue fructum intendit, qui ex illo in fideles redundare potest (siquidem, ut S. Bernardus dicebat : Ut quid Sanctis laus nostra? bonorum nostrorum non egent) hinc est, quod hujus Sancti potius, quam aliorum celebret conversionem, ut omnibus Christianis exemplo sit, et stimulum addat, ut ad imitationem ipsius, ne momento quidem temporis ad Deum converti tarderemus. Quodsi Ecclesia in conversione Sancti Augustini officium instituisset vel festivitatem, nequaquam inde tantam accipere potuissemus utilitatem, et exemplaritatem, quantam ex conversione Sancti Pauli. Etenim Sanctus Antoninus de Sancto Augustino ita scribit : De tarditate ad conversionem accusabat se Augustinus in libro Confessionum, dicens : Non erat, quod responderem tibi (scilicet Deo) dicenti mihi : Surge, qui dormis, scilicet in peccatis, nisi verba somnolenta, et lento modo, cras, cras : sine modo, sine paululum : sed illud modo non habebat modum, et illud paululum ibat in longum. Mans. *tr.* XVIII, *disc.* 1, *n.* 2.

Dionysius Carthusianus de quodam defuncto scribit, illum ex divina dispensatione alteri apparentem, ad nostram eruditionem, in memorabilia hæc prorupisse verba ; O cras, cras, quam longam restim mihi fecisti, et in barathrum mortis me procrastinando traxisti. *Dio. Cart. in spec. de amat. mund.*

In tomo II, libri, cui titulus est : Mortes peccatorum pessimæ; sequens narratur factum, quod hoc nostro sæculo in persona cujusdam Marchionis Parisiis contigit, qui, dum se interius ad societatem Jesu amplectendam moveri sentiret, jamque omnino quidem hanc vocationem exequi reipsa decrevisset, mundum tamen deserere vix valens, propositum hoc exequi de die in diem procrastinavit; quid vero ei tandem acciderit, ex ipsiusmet auctoris verbis clarius et distinctius intelligere non pigeat. Infelix turpi se, dum præceps in mortem currit, vitæ, vitiorumque captivum dedit servituti ; quia vero vocanti Deo cordis januam clauserat, ædium quoque suarum (ne Religiosorum hominum voces, monitaque illuc se infunderent) militari custodia adhibita, fores clausit, illud imprimis suis mandans, ne ullum Societatis Jesu hominem, qui se alloqui vellet, intus admitterent. Quoniam vero *non est sapientia, non est prudentia contra Deum*, hominumque cogitationes Altissimus salutis cupidus, non secus ac manifeste deliras, et cœlo respicit, subsannatque : dum miser a negotiis sociisque liber atque expeditus, solus per diem in remotiori cubiculo manet, en tibi duo dicta Religionis viri in cubiculum extemplo intrant, hominem amice salutant, qui ab eo perhumaniter, etsi per simulationem excepti, ubi divinis de rebus cum ipso verba fecere, nonnulla in rem salubriter adjicientes monita, e loco jam discessuri hæc addiderunt : Tuæ jam, tuæ, inquiunt, negotium animæ, dum per tempus vacat, serio posthac, constanterque agita, neque ad Dei voces infelix adeo obsurdescas. Quibus dictis, se ab ejus oculis statim proripiunt, vir interim, cui inexpectatus adeo, inopinatusque Religiosorum hominum adventus, ac sermo item de cœlestibus parum gratus fuit, militem, quem suis custodiendis ædibus præfixerat, ad se vocatum acerbis verbis increpat, incusatque quod se invito ac nolente, intra domesticos lares, atque ad sui insuper conspectum admiserit. Obstupuit miles, utpote sibi de re fideliter gesta conscius, adeoque, quidquid herus amarulento animo dixit, nedum ægre tulit, sed et somnium aut fabulam credidit, id unum pro omnimoda sui excusatione asserens, quod ab ostio domus ne latum quidem unguem recesserat, et quod Religiosos, quos ille meminerat, non vidisset, jurejurando affirmans : dominus vero rem totam mendacio confici, et se a famulo decipi arbitratus, quantocius ad societatis Jesu collegium quemdam certum hominem mittit, num aliqui inde ex Patribus in domum suam venissent, exploraturus. Certior vero eorumdem Patrum testimonio redditus ad se a loco neminem divertisse, haud quicquam viso divinitus objecto proficiens, parumque salutis providus, omnem prorsus una cum verbis ab animo sui curam, et a corde metum excussit, adeo, ut anteactorum oblitus, domo egressus, curru per urbem recreandi animi causa excurreret. At suis miser impendentem cervicibus, quem admonitus præcavere noluit, ultionis gladium intellexit. Armatos quippe homines casu per viam offendit, qui districtis irruentes gladiis hominem confecere : unico namque ictu is, cui propria parum cordi salus fuerat, in corde percussus, nullo Sacramentorum remedio relevatus, et absque ulla salutis spe, illico humi exanimis cecidit ; sic qui Dei voces audire neglexit, et Deo cordis ostium pulsanti pertinacissime clausit, a cœlo demum et Dei regno exclusus, uti perditus, in exteriores tenebras projectus est. MANSI. *d.* VI, *n.* 5.

Stupendum exemplum accidit in Catalonia diebus nostris in civitate prope Valentiam de juvene quasi decem et octo annorum, qui parentibus inobediens latro et criminosus effectus, propter mala sua opera captus, et patibulo suspensus fuit : jamque illo defuncto, et adhuc in patibulo pendente, cum esset omnino imberbis, vidente ac mirante cuncto populo paulatim emittit barbam, mutat faciem, capilli capitis pendent, gradatim, senescens, ac canus, usque ad decrepitam senectutem, et quasi nonaginta annorum ætatem ostendens, cuncto populo admirabilis factus est. Cucurrit ad miraculum Episcopus cum universo Clero, et cuncto quasi civitatis populo; stupent omnes, ignorant mysterium, expectant ejus revelari secretum. Surgit in loco eminenti, Episcopus doctus, manuque silentium indicens, turbæ ait : Viri, fratres, et filii mei dilecti, nostis juvenem hunc, qua culpa, qua vita, qua etiam ætate interiit? Conspicite eum nunc œtate senem, decrepitum, atque canum, ut intelligatis per hoc patens judicium Dei, quod huic diu victuro, a Deo misericorditer propter sua crimina, et parentum inobedientiam abbreviata est vita, ut verificetur illud Psalmi : Viri sanguinum et dolosi dimidiabunt dies suos. Quod si igitur inobedientia parentibus carnalibus exhibita id effecit, ut Deus huic impio notabiliter vitam decurtarit, quanto magis vitam abbreviatam merebitur, quisquis erga illum Patrem contumax et rebellis existit, quem quotidie his verbis invocamus; *Pater noster qui es in cœlis;* quique de nobis lamentatur dicens : *Vocavi, et renuistis, despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.* S. BERN. *t.* II, IV, *in Dom.* II, *Quadr.*

In regno Poloniæ miles quidam, in proprios subditos juxta ac in externos impius et sævus, de vita futura nihil pensi gerens, cum assiduis prævaricationibus in Deum, confiteri et pœnitere pro ludibrio ducens, iras in se cœlestium coacervasset, in gravem incidit languorem, sed ne tunc quidem scelerum conscientia pertactus, quidquam sibi de impetranda propitiatione divina, ratus se supervicturum, et suas transgressiones resumpturum, despexit. Invalescente tandem morbo, fratres Prædicatores per consortem illius, pro sananda mente ægri, acciti, militem ad pœnitendum multifarie per salutaria monita inducebant, quibus miser homo commotus, serius, inquit, me ad pœnitentiam impellitis, serius confessionem judicato et jam damnato persuadetis, cum pœnitentiæ et gratiæ tempore elapso, confessionis et pœnitendi spatio mihi subrepto, justo Dei judicio in potestatem traditus sim spirituum tenebrarum. Urgentibus deinde majori instantia ægrum fratribus, ne qua desperatione commissorum facinorum a confitendo et pœnitendo abstraheretur, spem divinam, si confiteri et pœnitere vellet, pollicentibus, extremam edidit vocem : Frustra, inquit, urgetis de confitendo monita, proprio damnato arbitrio, et jam in dæmonum potestate consistenti, a quo cum catervis superimminentibus torquendus et flagellandus jam appetor. Auditæ illico sunt percussiones horrendæ, ictus horrendi, et atrocissimo ex sonitu et collisione, atque ex reciprocatione flagellationum verbera, et in ægri corporis livore plagæ, vulneraque a fratribus circumstantibus visibiliter ab invisibilibus tortoribus illata, conspecta. Inter quæ infelix execrandus nec vocem, nec gemitum edens, miserabiliter expiravit. In quæ B. Augustini sermo, pro divino oraculo cuilibet peregrinanti retinendus impletus est. Hæc est, inquit, justissima lex Dei, ut qui vivendo obliviscebatur Dei, moriendo obliviscatur sui. Brovius, *in ann.* 1276. *n.* 17.

Insignis quidam, fideque dignissimus auctor sequens refert exemplum : Toleti in Hispania, nobilis adolescens ante annos non adeo multos, ignobilem sane, et vel sanguineis deplorandam lacrymis, vitæ suæ clausulam imposuit. Exuto religionis suscipiendæ consilio, quod aliquando secum deliberarat, Canonicum induit. Et initio quidem officio suo functus est non illaudabili industria. Sed quemadmodum cerea juventus facilis est ad omnem ductum ; ita improvidus homo nactus pessimos ductores, presso vestigio secutus fuit præeuntes ad vitia. Tandem et ipse factus aliorum antesignanus ad scelera non mediocria, duxit sequentes : Miserum juvenem ! si putabat turpitudines suas, aut citius abscondi sub toga serica, aut speciosius palliari ; sed tandem sicut Deum habuit inspectorem suæ improbitatis, ita et vindicem expertus est ; nam brevi cum febricula expedivit, jussitque ad plures ire, sive sub terra in cinere suo fatiscentes mortuos, sive ad ipsos Erebi incolas, magnum infelicissimæ societatis numerum. Audi, o bone, et obstupesce, non tantum vim roburque imbibitæ semel impietatis, sed etiam severi Numinis formidanda judicia. Vix rumor urbem pervasit de morbo Canonici, jam passim a probris suis insolentiaque infamis, cum Toletanus Ecclesiastes ægrum adit, monetque, ut conscientiam excutiat, erratorumque semper periculoso onere sese levet. Negare ille ejus rei necessitatem tunc esse ; si ægritudo accreverit, memorem fore animum datæ admonitionis. Interim medicus pone assistens, nescio ex quibus signis deprehenderit mortem intra pauculas horas adfuturam. Quare consternatus Ecclesiastes, magis cœpit instare, etiam divini judicii interposito rigore. Ubi vero Æthiopem se lavare vidit, cubili egressus, nobiles, quos obvios sibi habuit, familiares decumbentis, in partem laboris sanctissimi vocat ; jamque omnes hominem Christiani officii, in eo discriminis articulo commonefaciunt : sed nullo effectu. Adest iterum medicus, iterumque vicinum nunciat periculum, post horam actum fore cum vita ægrotantis. Itaque Ecclesiastes, cæterique lecto circumfusi, maxima, qua possunt, vehementia contendunt, ut salutarem Canonico moriturienti dolorem persuadeant; scelerumque ex præscripto divinæ legis faciendam confessionem. Sed neque tunc quidem proficiunt, asserente ægro, periculum remotius esse quam ipsi arbitrentur. Mox obmutuit miser, et ratione turbata nihil amplius pro sano egit. Ergo de desperatis jam prope rebus, opem a Numine implorandam censuit Ecclesiastes, simulque apprehensa Christi a cruce pendenti effigie, psalmum *de profundis* exorsus est, jamque ad illa venerat Davidis verba : *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ,* cum ecce ibi lignea imago, tota præsentium corona inspectante, brachia ad crucem fixa resolvit, et utraque manu aures obserans, formidabilem hanc vocem misit : *Quia vocavi te, et renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo.* Fulmen hoc fuit, quod ubi ab imagine jactum est, infelicem animam ex corpore scelerati juvenis in tartarum deturbavit. Unde hoc loco juvat memorare illam S. Bernardi sententiam : Quanta est hæc injuria, et quam graviter vindicanda cum vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur Creatorem universitatis. *Zohentnerio ni Promant. l.* IV, § II, *n.* 25.

In vita Thomæ Mori, Regni Anglican Magni Cancellarii, et Martyris, sequens impii cujusdam legitur exemplum, in tom. I, lib. II, c. XIII, operis, quod Mortes peccatorum pessimæ intitulatur, his verbis recensitum : Rogabant amici amice hominem, ut vellet ad meliorem mentem redire, sed responsum aliud non tulerunt, quam plenum illud vanissima præsumptione, cum migrandum hinc fuerit, tribus se verbulis Deum ad clementiam expugnaturum, et cœlum exoraturum. Verum res aliter cecidit; cum enim postea equitando transiret in ponte fluvium, et improvidum pedem equus impingeret saxo, una secum sessorem herum in subjectam aquam effudit. Jam miserando casu præcipitabatur equus, cum subito, ubi periculum animadvertit, sensitque intra fluctus non sicca se morte occubiturum, contentissimo nisu clamavit tria novissima verba. Et quæ illa? utique quibus salutem, et astra momento uno apud Deum impetraret, quemadmodum jactaverat non semel facturum se in ultimo vitæ discrimine.

Dixerit itaque cum Regio Vate : *Miserere mei Deus ;* aut illud : *Tibi soli peccavi*, vel cum Publicano : *Deus propitius esto ;* sed heu ! de sceleribus suis, de cœlo, de Deo altum servavit silentium, illud unum ingeminavit : Rapiat omnia dæmon. Ita miserum sua memoria destituit, et cum deberet in eo casu tria salutis verba dicere, tria desperationis protulit, tractus inter vortices ad eum, quem vocibus ultimis compellavit. *Vit. Thomor. c.* XIII.

In historia Anglicana, ab Episcopo Cæsar-Augustano conscripta legitur, juvenem quemdam lascivis amoribus totaliter deditum, dum ad mortem usque infirmaretur, multis cum lacrymis, veræque compunctionis signis sacrosancta Confessionis, et Communionis recepisse Sacramenta, idque tali cum devotione. ut omnes astantes compuncti fuerint, mortemque ejus adeo quoad exteriorem apparentiam summopere fuerint demirati. Idem vero juvenis post mortem cuidam amicorum suorum apparuit, et quidem in specie tam horribili, ut vel hæc sola miserabilem æternæ damnationis suæ statum prodere potuisset. Quem amicus ejus sciscitabatur, dicens : Eheu ! numquid in articulo mortis tuæ multa edidisti veræ compunctionis signa? Nullus fuit inter astantes, qui tuam pœnitentiam veram, et salutem fuisse non judicaret. Numquid in majori copia fuerunt lacrymæ tuæ, quam peccata tua fuerint? Numquid Sacramentorum fructum recepisti? Subjecit miserabilis juvenis : Vere quidem ita est, pœnitentia mea et contritio valida fuit et vera, sed me jam quasi in Dei manibus positurum spiritum, cogitatio levis lasciviæ aggreditur, cui ut semper assentiri consueveram, sic tunc quasi coactus assensum præbui, et obii, et me in tartara præcipitavi. MANSI. *disc. n.* 4.

In Perusino monasterio, sancti videlicet Salvatoris, cui nuper et ipse præfui, quidam Monachus paulo ante fuerat nomine Cunizo, astutus nimis et callidus, sæcularibus argumentis ac litigiosis contentionibus vehementer intentus. His itaque dum et immutandis Abbatibus et fratribus perturbandis æstuans non quiesceret, ad hoc usque pervenit, ut diaboli ad superandos æmulos patrocinium quæreret, et ejus seditioni etiam corporaliter manciparet : cui tamen seductor spiritus exigenti ante promisit, quod tertio die prius, quam moreretur, suum exitum sibi nunciaret. Credidit infelix ; et diu postmodum vivens, ita sub hac deceptoria securitate permansit. Tandem in ægritudinem lapso adest fidejussor iniquuus, post et triduum futurum, sicut spoponderat, obitum notificat. Protinus advocatis ille fratribus cuncta hæc, quæ cum nequissimo pepigerat spiritu, per ordinem narrat; cumque illi instarent, dicentes, esto confessus, age pœnitentiam, repente ille obdormivit, et sive pulsantibus, sive clamantibus, evigilari non poterat. Si vero illi conticescerent, vel aliud quid præter pœnitentiam loqui vellent, mox ille expergefactus invicem loquebatur? sed rursus audito nomine pœnitentiæ protinus obrigescebat insensibili sopore correptus, donec horrendæ morti traditur, ad eum, cui devotionem fecerat, fuit infeliciter devolutus. Postmodum vero per plures noctes nigra canum turma non cessavit sepulturæ ejus assistere, et quasi depositum custodire, ita ut non minimo videntes horrore concuterentur. Ex Petro Damiano. MANSI. *disc.* IV, *n.* 7.

Beda in gestis Anglorum inter alia sic loquitur : Novi etiam fratrem quemdam (quem utinam non novissem ! cujus nomen etiam, si hoc aliquid prodesset, dicere possem) positum in monasterio nobili, quamvis vita ignobili, et ipsum ignobiliter viventem; corripiebatur quidem sedulo a fratribus ac majoribus loci, atque ad castigatiorem vitam converti admonebatur; et quamvis eos audire noluisset, tolerabatur tamen ab eis longanimiter ob necessitatem operum ipsis exteriorum (erat enim fabrili arte singularis) serviebat autem multum ebrietati, et cæteris vitæ remissioris illecebris, magisque in officina sua die noctuque residere, quam ad psallendum atque orandum in Ecclesia, audiendumque cum fratribus verbum vitæ concurrere consueverat. Unde accidit illi, quod solet dicere quidam, quia qui non vult Ecclesiæ januam sponte humiliatus ingredi, necesse habet januam inferni non sponte damnatus introduci. Percussus enim languore, atque ad extrema perductus, vocavit fratres, et multum mœrens, ac damnato similis cœpit narrare, quia videret inferos apertos et satanam demersum in profundum tartari : Caipham quoque cum cæteris, qui occiderunt Dominum, juxta eum flammis ultricibus traditum. In quorum vicinio, inquit, heu misero mihi locum conspicio æternæ perditionis esse præparatum. Audientes hæc fratres cœperunt diligenter exhortari, ut vel tunc positus adhuc in corpore pœnitentiam ageret. Respondit ille desperans : Non est mihi tempus mutandi vitam, cum ipse viderim judicium meum jam esse completum. Talia dicens, sine viatico salutis obiit, et corpus ejus ultimis est Monasterii locis humatum, neque aliqui pro eo missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumebant. O quam grandi distantia divisit Deus lucem et tenebras! Beatus Protomartyr Stephanus passurus mortem pro veritate, vidit cœlos apertos, vidit gloriam Dei, Jesum stantem a dextris Dei, et, ubi erat futurus ipse post mortem, ibi oculos mentis ante mortem, quo lætior occumberet, misit. At contra, faber iste tenebrosæ mentis et actionis, imminente morte vidit tartara, vidit damnationem diaboli et sequacium ejus, vidit etiam suum infelix inter tales carcerem, quo miserabilius ipse desperata salute periret, sed viventibus qui hæc cognovissent, causam salutis sua perditione relinqueret. Factum est hoc nuper in Provincia Bernacorum, ac longe lateque diffamatum, multos ad agendam et non differendam scelerum suorum pœnitudinem provocavit. Quod utinam ex hac etiam nostrarum lectione litterarum fiat. *Spo ezem. v. conversio ex* II.

Magister Joannes de Villa Abbatis Sabinensis Episcopus Cardinalis dicit, quod fuit quidam fænerator, quem cum moneret Sacerdos ejus ad pœnitentiam, semper dicebat : Bene adhuc faciam : et cum improbo instaret Sacerdos videns periculum, ille subito rapitur, quasi mortuus, et cum rediret statim, et adhuc instaret Sacerdos, clamavit æger : O pœnitentia, ubi es? de cætero pœnitere non valeo, hoc indicante justo Judice, quia dum facere pœnitentiam potui, non volui. Et hoc dicens mortuus est : Joannes Algrini de Abbatis Villa, Ordinis D. Benedict. Episc. et Cardinalis. *Spec. ex. V. pœn. ex* XVIII.

Quidam morti vicinus divitiis plus æquo addictus maxima cœpit affici anxietate, quod tantas jam congestas videret esse relinquendas, et nunc in hanc, nunc in illam lecti spondam se volvens suspirabat, nonnumquam etiam leonis instar rugiebat. M. Robertus Licius, qui tunc ei aderat, exhortari eum cœpit, ut animæ suæ provideret, jam scilicet tempus esse confitendi, communicandi, ac reconciliandi se Deo. Ille vero totus terrenis ac temporalibus bonis suis intentus, quantum, inquit, insumpsi molestiarum ad conquirendas hasce divitias, et nunc alii iis perfruentur. M. Robertus nihilominus eum admonebat, ut de anima sua, (quod pluris referret) sollicitus esset, reliquis omnibus rebus a corde quam longissime remotis; sed nimius ille erga divitias affectus alio eum cogitationes suas vertere non permisit, quare in priori persistens sententia, o divitiæ meæ, inquit, quibus vos relinquo? quis vos possidebit; atque ita citra confessionem miserrime expiravit. P. Lucal Pinellus, *l.* II. *de altera vitæ.*

Canonicus quidam cathedralis Ecclesiæ Parisiensis, omni divitiarum genere abundans, subinde gulæ peccato delinquebat. Qui cum peccatorum suorum confessionem vitæque emendationem in longum tempus distulisset, tandem in morbum lapsus, metu mortis confessus est, simulque aliis Ecclesiæ Sacramentis perceptis, ad extremum mortuus est, et honorifice cum solenni pompa sepultus, quippe qui nobilis erat, et multis divitiis circumfluens : unde plerique ipsum in singulari apud Deum favore et gratia fuisse arbitrabantur. Paucis vero post diebus cuidam amicorum apparens damnatum se asseruit. Qui ait; quomodo? nonne Ecclesiæ Sacramenta recepisti? Ita, inquit ille, sed mero mortis timore ea recepi, et nisi e vivis excessissem, ad priores meas delicias rediissem. *Id. Ibid.*

In Conventu S. Bernardini Xindchiulci adductus est ad Fr. Jacobum de Sande Indus æger, ut ejus peccata audiret; qui cum adducentes reprehenderet, quod non prius adduxissent hominem pene mortuum, subjunxit Indus : Ne turba te, Pater, quia ipse nolebam, tametsi propinqui ad confitendum me frequenter hortarentur. Sed hac nocte, qua hora ad matutinas preces signum edebatur, cum ob ægritudinem vigilarem, magnus domum meam splendor de cœlo ingressus est, Christumque vidi Cruci affixum, quemadmodum pingi solet, magna ad me iracundia inquientem : Quid, peccator, cessas, nec ad confitendum pergis, Scito, inquit, te hodie esse moriturum, et quanquam condemnari ob crimina tua debebas, misericordia tamen mea servabere, dummodo statim confitearis. Audivit igitur eum Religiosus, eademque illa hora defunctus est. *Fr. Gonc. de Orig. Seraphicæ Relig. p.* 4. *c. l.*

SIMILITUDINES.

Sicut fermentatam massam azymam reddere difficilimum est, ita carnem et mentem fermento peccatorum, et amurca vitiorum infectam, in pristinam restitui munditiam, solius Dei opus est. Peccator unius diei, aut duorum dierum perfacile curatur, quia non ita omnino peccato infectus est, sed quatriduanus vix unquam a peccato resurgit. P. Thomas Villam. *av. Mansi dis.* VIII, *n.* 5.

Sicut, licet omnes aliæ aviculæ cantum suum habeant, quo viatores demulcent, corvus semper crocitat *cras*, *cras*, idque vel maxime, dum putridis bestiarum cadaveribus et morticiniis insidet; ita quoque major pars obstinatorum peccatorum, qui de die in diem, de anno in annum pœnitentiam differunt, ideo præcipue hoc faciunt, quia totum suum affectum in desideriis carnalibus positum habent, ideoque a cœlo abhorrent, et nauseant; seminant in carne, et de carne metunt corruptionem. *Mansi dis.* IX. *n.* 7.

Sicut piscis in retibus se agitando, amplius involvit, et avis plus ambulans per virgam inviscatam, fortius se capit; sic peccator magis elongatur a Deo, et strictius illaqueatur a diabolo, quia de tali dicitur. Tenebitur planta illius laqueo.

MOTIVA.

Quia procrastinatio talis valde periculosa est; nam qui converti differt, iniquus est in Deum. Job. XXXI. *Iniquitas maxima, et tentatio contra Deum est, osculari manum suam*, scilicet blandiri sibi de opere suo malo, et differre conversionem. Iniquus est in Deum; Primo, quia in escas ejus fel ponit, scilicet dilationem in bono. Secundo, quia illud, quod maxime odit Dominus, ante oculos ejus gerit. Tertio, quia eum misericorditer vocantem contemnit. Quarto, quia patrem misericordem dies moræ suæ computantem, sua tarditate affligit. Tob. IX. *Scis, quia dies computat pater meus, et si tardavero una die plus, contristabitur anima ejus.* Quinto, quia diabolo meliorem, Deo deteriorem partem vitæ suæ tribuit: illi florem, Deo fæces. Sexto, Dei misericordiam in damnationem suam convertit, scilicet hoc, quod sperat, quod eum Deus misericorditer debet expectare, ipse e contra ei incessanter repugnat. Rom. II. *Ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram*, hoc est, de misericordia Dei congregas tibi malitiam peccatorum. Septimo, in Angelum est impius, quem de expectatione gaudii, quod sperat de ejus conversione, affligit. Prov. XIII. *Spes, quæ differtur, affligit animam*, quia ad monitionem se non corrigit, sed eam potius contemnit, quia apud Deum irreverenter se gerit. Octavo, inique agit contra seipsum, quem potius vult habere malum quam bonum, infirmum quam sanum; servum quam liberum, mortuum quam vivum, in statu latronis quam Regis, pauperem quam divitem, et omnium bonorum Ecclesiasticorum expertem quam participem, et consortem dæmonum potius quam Angelorum. Bellov. *spec. mor. dist.* II, *l.* I. § VI.

Quia gravissima damna infert, de quibus Josephus Mansi sic discurrit: Tametsi per divinam revelationem infaillibilem, et indubitatam de facienda in articulo mortis pœnitentia, et de assecuranda æterna tua salute certus, et securus esses, nullo tamen modo ad illud usque tempus tuam deberes procrastinare conversionem, ob multa damna, quæ inde resultant, non solum lucri cessantis, sed et damni emergentis. Et quidem damnum lucri cessantis pateris, quia in decursum multorum annorum vitam agens virtuosam, et in gratia Dei constitutus, ingens comparaturus esses, pro cœlo acquirendo, multorum insignium meritorum lucrum. Unde si animæ beatæ in cœlis alicujus essent capaces tristitiæ, hæc sine dubio vel maxima foret, quod scilicet non plus laboraverint tempore vitæ suæ mortalis, ut hac ratione sublimiori in cœlis fruerentur beatitudine. Præterea summum in mundo sibi comparare potuissent honorem, juxta illud: *Nimis honorati sunt amici tui, Deus.* Pateris quoque jacturam per damnum emergens, qui quando culpa in articulo mortis dimittitur, pœna in flammis purgantibus ad expiandam, culpam sustinenda nihilominus residua manet; præterquam quod damnum notabilissimum sit illud, dequo illi, licet incassum, lamentabuntur peccatores dicentes: *Lassati sumus in via iniquitatis: ambulavimus vias difficiles, justitiæ lumen non luxit nobis.* Mansi, *disc.* I, *n.* 4.

Quia periculum in mora est, ut sapienter advertit S. Chrysostomus dicens: Sepelire patrem discipulis vetuit, et non permisit Dominus. Atqui nulla res tam necessaria videtur, quam sepeliendi patris officium : Christus autem non permisit. Quamobrem? paratus semper diabolus est, ut ingressum ubique attente quærit, et si parvæ tarditatis causam apprehenderit, magnam inde conflabit desidiam. S. CHRYS. *h.* LXIX.

Quia in extremum salutis discrimen deducit, uti Cesarius his verbis indicavit : In ipsis vulneribus et fracturis corporum, infirmitates cognoscere possumus et animarum; si enim alicui perfrangatur aut manus aut pes, cum labore solet ad pristinum officium revocari : si vero secundo et tertio frequentius in eodem loco membra ipsa frangantur, potest intelligere charitas vestra cum quantis doloribus vulnera ipsa curanda sint, et tamen post longas et multas curas, si vixerit homo, ad pristinum statum membra ipsa vix valent revocari. Similis ratio in animarum fracturis, seu vulneribus credenda est; si semel aliquis, vel secundo peccaverit, et sine aliqua dissimulatione ad pœnitentiæ medicamentum confugerit, pristinam incolumitatem sine mora aliqua recipiet; si vero peccata peccatis cœperit addere, et animarum vulnera tegendo, vel defendendo putrescere, quæ confitendo, et pœnitentiam agendo curare noluit, timendum est, ne illud impleatur, quod Apostolus dixit : *An ignoras, quod benignitas Dei, etc.* (CÆSARIUS AREL, *h.* VII.) Hinc recte monet S. Augustinus : Nemo nec post centum peccata, nec post mille crimina, de misericordia divina desperet. Sic tamen non desperet, ut sine ulla mora Deum sibi repropitiari festinet, ne forte si consuetudinem peccandi fecerit, etiamsi velit de diaboli laqueis liberari non possit. S. AUG. *s. de temp.*

Quia numerum peccatorum a Deo ad reprobationem prædefinitum citius impleri facit; nam certum est, Deum uniuscujusque omnes enumerasse passus et gressus, quibus a divinorum præceptorum suorum semita deviavit, dicente patientiæ speculo : *Tu quidem gressus meos dinumerasti;* paulo post clarius inquit : *Signasti quasi in sacculo delicta mea.* Divina enim justitia certum quemdam limitavit peccatorum præfixum numerum, ad quem usque tolerare vult impium, filum vitæ ipsius detruncaturus, mox ut ad illum peccatorum numerum impius pervenerit. Unde apud S. Jobum Spiritus Sanctus ait : *Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.* Cum igitur, ad quem usque peccatorum numerum, Deus nos expectare decrevit, ignoremus, merito de unoquoque peccato, quod futurum sit ultimum, timendum nobis erit, MANSI, *disc.* XIX, *n.* 7.

Quia licet pœnitentibus venia, non tamen perinde etiam pœnitendi gratia promissa est, uti recte Hugo de S. Victore cum aliis advertit dicens : Ego scripturam audio dicentem : *quia in quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit.* Ezech. XXVIII. Non dicit biduo, aut biennio ante mortem si ingemuerit, sed in quacumque hora ingemuerit, salvus erit. At vero mox paulo post subjungit : Nec tamen sub hac spe secure tibi peccandum est, propterea quod in fine, si conversus fueris, salus tibi promittitur; nam quamvis etiam tunc venia tibi, si vere pœnitueris, promittatur, non tamen tibi, ut tunc vere pœnitere debeas, promittitur : valde difficile est, ut tunc vera sit pœnitentia. HUGO DE S. VICT.

Quia omnes SS. Patres, et sapientes viri talem procrastinationem dissuadent. De quo motivo sic discurrit Dionysius Carthus. In omni materia acquiescendum est prudentibus, et expertis in illa materia. Cum ergo ipsemet Dominus noster Jesus Christus, Sapientia Dei Patris, et magni consilii Angelus, et universi sancti ipsius Apostoli, et Prophetæ, et sancti doctores hanc pœnitentiæ dilationem omnino dissuedeant, concorditer reprobent, ac vehementer condemnent, certum est, quod stultissimum et iniquum sit, pœnitentiam sic differre. Sanctus Augustinus in homilia quadam ita scribit : Audiant omnes verba scripturæ divinæ. O male dilator, o crastini male appetitor, audi Dominum dicentem, audi scripturam sanctam prædicentem. De isto loco speculator sum. *Ne tardes converti ad dominum, neque differas de die in diem; subito enim veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te.* Numquid ego scripsi hoc? Numquid ego delere illud possum? Si delevero, timeo deleri. Illud possum tacere, timeo tacere; predicare cogor, territus terreo. Numquid igitur manifesta est stultitia, proprio potius credere velle judicio, quam claris et indubitatis sacrarum Litterarum, omnium sanctorum Patrum, Theologorum, Magistrorumque spiritualium decisionibus. DIO. CART. *c.* II, *de conv. pecc.*

Quia cum omnia, quæ usurpamus in vita, bona esse velimus, ante omnia decet, ut bo-

nam etiam vitam habere velimus, uti præclare indicat Sanctus Augustinus sic discurrens : Forte dicis : longa erit vita mea : dico, si longa erit, bona sit; sit brevis et ipsa bona sit; prandium, etsi longum, non vis habere malum; et vitam longam vis habere malam? Villam emis? bonam desideras. Uxorem vis ducere? bonam quæris; filios tibi nasci, bonos optas. Et ut etiam de rebus vilissimis loquar, caligas emis, et non vis malas; quid ergo vitam amas malam? Si vitam vis malam, inter omnia bona tua eris malus. S. AUG. *s.* LXXI, *ad F.*

MEDIA.

Bene ponderare circumstantias mortis, *ne illuc usque differatur emendatio vitæ;* in illo enim articulo in iis, qui male vixerint, illud adimplebitur : *Coangustabunt te inimici tui etc.* Qui enim unquam sunt humanæ animæ majores inimici, quam maligni spiritus qui animam a corpore exeuntem obsident, quam in carnis amore positam, deceptoriis delectationibus fovent, quam vallo circumdant, quia ante mentis ejus oculos reductis iniquitatibus, quas perpetravit, hanc ad societatem suæ damnationis trahentes coarctant. Animam coangustant undique, quando ei non solum operis, verum etiam locutionis, atque insuper cogitationis iniquitates replicant, ut quæ prius se per multa dilatavit in scelere, ad extremum de omnibus angustetur in retributione. (MANSI. *disc.* XVI, *n.* 2.) Quæ omnia confirmans, et succinctius proponens Sanctus Gregorius : Quam angustæ, inquit, viæ erunt, undique reprobis? Superius erit Judex iratus, subtus horrendum chaos, a dextris peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonia ad infernum trahentia, intus conscientia urens. Miser peccator sic deprensus, quo effugiet? S. GREG. *ib. cit.*

Bene ponderare causas, ob quas dilata conversio difficilis censetur, quas quidem Bellovacensis breviter sic exponit : Difficilior est conversio dilata, propter causas duodecim : Primo, propter malæ consuetudinis indurationem. Secundo, propter malitiæ occupationem, quæ est tinctura mala, in qua cum pannus diu mansit, non potest de facili recipere alium contrarium colorem. Tertio facit ad hoc bonorum naturalium consumptio. Quarto, vasis cordis longa infectio. Quinto, peccatorum longa et assidua oneratio. Sexto, elongatio a Deo, qui difficilius audit clamantem, difficilius potest redire ad eum. Septimo, cura circa mortem est maxime difficilis, propter solicitudinem de rerum et domus dispositione. Octavo, quia justum est, ut in fine a Deo contemnatur, qui eum contempsit, quamdiu vixit. Nono, quia tunc diabolus magis insidiatur, et tunc magis paratur contra eum. Decimo, amaritudo diuturnæ infirmitatis, quæ tunc maxime sentitur, scili et veteris peccati, quod facit bona desipere. Undecimo, amaritudo memoriæ mortis, quæ separat a præsentibus bonis. Duodecimo, timenda est dilatio conversionis usque ad finem, maxime propter malorum diversorum occasionem, quæ concurrunt, et incurrunt circa mortem, quæ ducit hominem in boni oblivionem, propter malorum oppressionem, vel etiam in desperationem. (BELLOVAC. *l.* III, *spic. d.* 2.) Quæ omnia pariter confirmans Taulerus, sic loquitur : Conversio dilata difficilis est, propter tria. Primo, quia quanto aliquis diutius manet in peccato, tanto erit major pœna peccati. Unde S. Hieronymus : Quanto autem major est numerus temporum, quibus obliviscimur Deum, tanto erit major pœna peccati. Secundo, quia quanto aliquis diutius manet in peccato, tanto amplius oneratur a peccatis; unde Sanctus Augustinus : Perseverare in peccato, dat augmentum scelerum : et Gregorius : Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit, ideo difficilius surgit : qui ergo non surgit oneratus parum, quomodo surget, quando multum? Tertio, quia homo circa mortem habet multa impedimenta, videlicet de dispositione domus, et filiorum; de infirmitate, quæ non permittit eum cogitare de anima sua, sicut dicit Hieronymus : Dum infirmitate opprimeris, nihil aliud cogitare potes, quam quod sentis. Propter hoc Augustinus dicebat : Pœnitentiam scio, nec laudo, nec vitupero : nam morbus urget, pœna terret; filii et uxor, quos illicite diligit, et mundus eum ad se vocat, et sæpe ex divino judicio hoc accidit homini, quod moriens obliviscatur sui, dum qui viveret, oblitus est Dei. TAULER. *de Christ. Instit.*

Bene ponderare quam difficile sit in casu necessitatis verum actum contritionis elicere, quam quidem difficultatem sat clare S. Bernardinus sequentibus verbis ostendit : Claret igitur ex jam dictis, quod durum et arduum est, quod talis Deum super omnia amet, quem antea super omnia odiebat. Exempli causa; si quis foret cordialis amicus Regis Granatæ, naturaliter tamen subditus Regis Aragoniæ, et faveret juxta posse Regi Granatæ, atque noceret toto conamine Regi Aragoniæ, et in hac inimicitia, perseveraret per quatuor annos, et superveniret casus, quod Rex Aragoniæ caperet eum, multisque cruciatibus torqueret illum, nonne quasi impossibile esset, et incredibile, quod captus talis verteret amorem ad Regem Aragoniæ, totoque corde eum diligeret super cunctos homines totius orbis, super socios, super amicos, super filios, et cæteros consanguineos suos? insuper addatur quod eum specialiter diligeret, quia eum captum teneret et cruciaret, et e converso averteret amorem suum a Rege Granatæ, et illum odisset super omnes homines mundi, quem tamen prius dilexit, nullamque causam dederit ei de novo odio generando. Sic utique in proposito esset de Rege vero, Domino Jesu Christo, et ejus adversario infernali, atque homine peccatore in extremis degente prædicto modo. Detur etiam in exemplum alter, qui in furto a quodam justo judice comprehensus est, perseveravitque longo tempore in furando, finaliter justa sententia condemnatur ad mortem, ducitur ad patibulum. quod ante se conspiciens lacrymabiliter veniam poscit, dicens, non se imposterum similia patraturum. Quis existimabit hoc illum dicturum amore reipublicæ, vel justi domini, aut judicis, et non potius timore, atque pavore mortis? Sic est in proposito de eo, quem pœnitet in extremis. Quod ipsum Josephus Mansi apte sequenti discursu declarat: Explicemus, inquit, idipsum pulchra quadam, omnibusque nota similitudine: sit enim v. gr. servus aliquis emptitius, contumax, infidelis, suoque domino rebellis, qui post fugam a domino suo factus captivus, ab eodem cum omni severitate flagellaretur, et torqueretur; crederesne, quod talis sub flagellis et livoribus totum corpus occupantibus constitutus, dominum suum vehementissimo cordis affectu amaturus esset? utique potius crederes, quod illum mortali prosecuturus esset odio. licet exterius fidelia ipsi servitia promittat. Si enim prius quam tam sævis verberibus a domino suo affectus fuerat, illum non amavit, sed ab ejus servitute declinare et fugere voluit, quanto magis idipsum nunc faciet, quando se in procinctu mortis constitutum, videt, scitque pro certo, quod si supervixerit, flagella, ferrum, et compedes ipsi sine dubio sint duplicandi. Enim vero peccator est hic servus, qui amissa vera filiorum Dei libertate, a jugo divinæ legis se subducere molitur; Vadam post amatores meos, etc. Deus autem post longam patientiam, infidelitatem ejus per hanc vel illam infirmitatem mortalem, vel per hoc vel per illud lethale vulnus, unde sibi moriendum esse videt, castigat et flagellat; ipse vero quia se sub tam sævis flagellis constitutum cernit, fidelem deinceps ipsi per omnem vitam servitutem exhibere promittit, licet eum antea contempserit, et vatiniano odio prosecutus fuerit. Credamusne, quod talis se in limine inferni positum esse, et a Deo juste castigari cernens, eumdem sit amaturus? Nequaquam; illum quidem timebit, sed timor hic servilis ad ejus salutem non sufficit. Etenim si, quando per tot annos sibi beneficus fuit, indulgendo sanitatem, divitias, honores, delicias, cunctasque alias prosperitates temporales, illum, nihilominus non amavit, sed obstinatissimus ejus inimicus fuit, et ad omnes ejus voces surdus, credisne, quod ille tunc, quando sub virga positus est, odium in benevolentiam et amorem sit mutaturus? Si id credis, graviter erras. (S. BERNARDINUS, *som.* I. *s.* XIII. *a.* I. *c.* II.) Hinc recte S. Bernardus: Lapsus ex voluntate, inquit, non æque ex voluntate resurgere jam liberum habet; quia etsi datum fuit voluntati, posse stare, ne caderet, non tamen resurgere, si sic caderet; non enim tam facile quis valet exire de fovea, quam facile in eam labi. S. BERN. *de grad. et libero arbit.*

MISCELLANA, ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Deus per Prophetam Isaiam comminatur; *Ponam eam in possessionem Ericii.* Porro Ericius, quando in lucem editurus est suos fœtus, metuens, ne a fœtuum suorum spinis transfigatur, quantum potest et valet, parturire differt, sed non intelligit, quod hoc faciendo majus sibi ipsi damnum inferat, quia quanto longius differt, tanto magis pungentes fœtuum suorum spinæ crescunt, et indurantur. Idem quoque multis contigit, qui conversionem suam procrastinant, metuentes, ne vitæ pœnitentis rigorem subire debeant, nec tamen cogitant, quod, quanto amplius pœnitentiam prolongant, tanto magis peccata in ipso multiplicentur et crescant, simulque cum ipsis nascatur ingens ab omni pietate et virtute aversio, et nausea. Theophilactus de Zachæo inquit : Talia promittens, imo faciens ; non enim dixit : *Dabo dimidium, et reddam quadruplum,* sed : *ecce do, et reddo*. Audierat enim Salomonis admonitionem : *Ne dicas, rediens redi, et cras dabo*. Christus evangelizat ei salutem : Hodie enim, inquit, das, hodie tibi et salus. MANSI, *disc.* II, *n.* 3.

Nautæ postquam in littore diu ventum expectarunt navigationi suæ favorabilem, mox ut illum exurgere vident, sine mora vela pandunt, et a littore solvunt, seque itineri proposito accingunt, ne bonam navigandi occasionem negligant ; quod si enim diutius morarentur, tempus utique commodum, ventumque propitium cum manifesto naufragandi periculo amitterent. De hac vita nostra scribitur : *Hoc mare magnum et spatiosum etc.* Per hoc autem mare trajiciendum nobis est, ut appellamus ad vitæ beatæ portum : at vero sine favorabili divinæ gratiæ vento, ad fortunata illa littora appellere, est impossibile ; atque ideo mox, ut hæc hominem aspirare incipit, sine ulla interposita dilatione vela affectuum nostrorum explicare oportet, quia cœlestis hic ventus spirat per modum transeuntis, non permanentis, nec habemus illum ad beneplacitum, et ad libitum nostrum, et ideo illo utendum est, quando Deo illum nobis communicare placuerit ; siquidem fieri potest, quod deinceps non amplius spiret, quia spiritus ubi vult, spirat, sed nescis, unde veniat, aut quo vadat. Et ideo nisi sanctas ejus sequamur inspirationes, merito periclitabimur de naufragio, diceturque nobis, quod olim Deus per Sapientem lamentabatur inquiens : *Vocavi, et renuistis, extendi manum meam, et non fuit, qui aspiceret, despexisti omne consilium meum,* id est, ut Dionysius Carthusianus interpretatur : Vocavi, id est, variis modis ad emendationem et pœnitentiam vos invitavi, ac monui per instinctum, divinum, per Evangelicas inspirationes, per Apostolos et proximos virtuosos. *Extendi manum meam,* beneficia largiendo, et per adversa paterne castigando. Potestatem meam demonstravi in vobis, per prospera et adversa, quatenus per prospera vos ad obsequium meum allicerem, et mea charitate accenderem ; per adversa, ut terrerem, et illustrarem, eo quod vexatio vobis intellectum conferret, juxta illud Jerem. XXX. *Castigabo te in judicio, ut non tibi videaris innoxius.* At vero, quia hæc anima propitio huic vento vela non explicavit, juste naufragari meruit ; unde subditur : *Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit, cum irruerit repentina calamitas et interitus quasi tempestas ingruerit. Ibid. n.* 7.

Cœlum verno quoque tempore rorem suum super vastissimam maris distillat superficiem : Conchæ autem eodem tempore sese aperientes, acceptas in sinu suo roris stillas in pretiosissimas transmutant margaritas ; quæ vero ex conchiliis sese non pandunt, inanes et gemmis illis expertes manent, sed propria ipsarum culpa. Porro divinus inspirationum gratiarumque cœlestium ros, ex parte sua in animas nostras influere non desinit : *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Unde S. Ecclesia Deum his verbis frequenter interpellat : *Sancti Spiritus, Domine, corda nostra mundet infusio, et sui roris intima aspersione fæcundet.* At vero quid fiat? Animæ illæ, quæ sinum et cor suum distillanti aperiunt, illumque excipiunt, nec bonam sinunt sibi elabi occasionem, egregie locupletantur : at vero quæ tardæ sunt et pigræ, gratiæ cœlestis expertes manent, cum irreparabili ipsius quoque gloriæ amissæ damno. *Ibid. n.* 8.

Piscis, Remora dictus, hunc habet admirabilem naturæ suæ instinctum, ut vastissima quæque navigia explicatis undique velis navigantia, immobiliter hærere faciat, non tamen hanc habet potestatem, ut ventum aliquem favorabilem excitare possit ; navium cursum tardare potest, non vero velociter illas movere ; ita pariter liberum hominis arbitrium Dei inspirationibus resistere potest, verum ut illæ nobis inspirentur, in ejus non est positum facultate, nec de hoc sibi quicquam potest compromittere ; spiritus, ubi vult, spirat, nec ejus motiones a nostra dependent voluntate, sed ab ejus liberalitate, et beneplacito, ac proinde necessum est, ut prompte Dei inspirationes acceptemus, quamprimum nobis immittuntur. *Id. dis.* III, *n.* 7.

Celebris est illa Isaiæ, æternæ reprobationis pœnam comminantis prophetia. Ait enim : *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis!* ubi de iis loquitur, qui, ut effrænes appetitus suos diutius explere possint, conversionem suam de die in diem differunt. Nam ut S. Isidorus ait : Trahit iniquitatem ut funiculum, qui tardat converti ad Deum : trahere enim iniquitatem, est moram facere iniquitati : unde et Psalmista ait : *Prolongaverunt iniquitatem suam.* At vero quodnam hi tales inde referunt supplicium? Psalmista immediate subjungit : *Dominus justus concidit cervices peccatorum.* Ubi notanda est dictio *cervices,* quia cum tales sæpius invitati, et vocati semper resistant, optime illis convenit, quod incredulis et obstinatis Judæis Protomartyr Stephanus his verbis improperavit : *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui Sancto resistitis. Id. dis.* VI, *n.* 8.

Jairus Archisynagoga tam præclarum habebat de omnipotentia Salvatoris conceptum, ut de resuscitatione filiæ suæ nequicquam dubitaret : *Procidit ad pedes ejus, et deprecabatur eum multum, dicens : Quoniam filia mea in extremis est : veni, impone manum super eam, ut salva sit, et vivat.* Imo S. Matthæus Archisynagogum Christo filiam suam jam mortuam annuntiasse dicit : *Filia mea modo defuncta est :* et tamen spem firmam habuisse, quod ab eo revocanda iterum esset ad vitam. E contra vero S. Martha, licet frequenter Christum recipiebat hospitio, ejusque fides adeo esset eximia, ut, teste S. Joanne, ad Christum dixerit : *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti;* ac denique licet Christum innumera, prodigiosa etiam in resuscitatione mortuorum patrasset miracula, sciret nihilominus fratris sui Lazari resuscitationem vix et ne vix quidem sperare audebat, ideoque pro illius quantumvis a Christo magnopere dilecti resuscitatione non supplicabat. Quamnam hujus causam fuisse dicemus? Num forte id facere omisit ex defectu fidei erga divinum hunc suum Magistrum? Aut vero in ea defectus fuit compassionis et dilectionis erga dilectum fratrem suum? Nihil horum. Sed difficultatem hanc verba illa : *quatriduanus est, jam fœtet,* plenarie solvunt. Filius porro viduæ Naimiticæ, præterquam quod jam recenter mortuus fuerat, adolescens etiamnum erat : *Adolescens tibi dico, surge.* Filia pariter Archisinagogi juvencula erat : *et surrexit puella.* Atque insuper vix ante horam e vivis excesserat : hi autem duo mortui illas designant animas, quæ non diu in morte peccati hæserunt : his enim prompto remedio succurrere, easque ad vitam gratiæ resuscitare facile est; at vero Lazarus peccatorem habituatum, et in malis peccandi consuetudinibus inveteratum præfigurabat : qui ut ad vitam revocetur, omnipotentia et misericordia Dei interveniat, necessum est; siquidem duritiam et obstinationem peccatoris vincere difficillimum est. Alios duos mortuos summa cum facilitate vitæ restituit : *Tenuit manum ejus, et surrexit puella : Adolescens tibi dico, surge; et resedit, qui erat mortuus.* At vero in resuscitatione Lazari ipsemet in persona ad sepulchrum accedere voluit : atque insuper lacrymatus est Jesus : fremens in semetipso venit ad monumentum : *Infremuit spiritu,* et turbavit seipsum : *Jesus autem elevatis sursum oculis dixit : Pater gratias ago tibi, quia tu semper audisti me : voce magna clamavit : Tollite lapidem, Lazare veni foras, solvite eum etc.,* quonam obsecro spectant hæc tot, et tam notabiles hujus resuscitationis circumstantiæ? Respondeo; resuscitatio Lazari conversionem animæ in peccatis inveteratæ præfigurabat, ad quam perficiendam necessaria sunt miracula, quia talis jam mortuus est a corde, in vitiis et peccatis sepultus, ut ait S. Thomas de Villa nova. *Ibid. disc.* VIII, n. 6.

Dux aliquis bellicus civitatem hostilem obsidens, inducias quidem pro aliquo tempore cum eadem inibit, ut se ad capitulandum secum resolvat, et cum pactis conditionibus sese tradat; at vero si obstinata fuerit, obsidionem urgebit, machinis militaribus eamdem concutiet, cuniculos aget, sicque tandem violenta manu eamdem invadens, deprædabitur illam, et igne conflagrabit, terram sanguine inundari faciet, muros demolietur, totamque civitatem in miserabilem quemdam lapidum acervum rediget. Idem prorsus sæpenumero mysticæ animæ civitati contingit : Deus enim ipsi per multos annos inducias quidem indulgebit, emendationem præstolabitur, dissimulabit, suos mittet heroldos et legatos, id est sanctas suas inspirationes; qui eam ad sui deditionem inducant; at vero si obstinata permanserit, spirituum rebellium exercitum illi immittit, ut is eam in suam potestatem redigat; hi coangustant undique, et ad terram prosternunt, eo quod non cognoverint tempus visitationis suæ. *Ibid. disc.* XV, n. 2.

Observastisne aliquando, quisnam in toto genere humano primus fuerit, qui Deo sacrificia obtulit, num forte Adam, vel Eva, vel Abel is fuit? Nequaquam, sed Cain, primus ille reprobus : id quod ex sacra Scriptura clare deducitur. Cur igitur sacrificium illius a Deo acceptatum non fuit, sed repudiatum? Num forte id contigit, quia Cain de fructibus terræ obtulit, dicente scriptura : *Factum est, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino?* nequaquam oblatio ejus ideo rejecta fuit. dedit enim ipse in oblationem id, quod habebat, fuit autem Cain agricola, qui præter fruges terræ nil habebat. Abel autem, qui pastor erat, *obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum ;* et tamen *respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus, ad Cain vero, et ad munera illius non respexit.* Quid igitur dicemus : quandoquidem, ut sanctus Paulus ait : *Non est personarum acceptio apud Deum;* cum igitur Cain prius, quam frater ejus, ad sacrificium offerendum permotus fuerit, sacrificium illius præ fratris sui oblatione Deo longe gratius esse debuisse, haud immerito videri posset. Verum enim vero ipsamet Scriptura sacra dubium hoc solvit, dum ait : *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain munera Domino :* ac proinde Cain typus erat illorum, qui conversionem suam in longum usque tempus procrastinant, id quod probabile est reprobationis indicium. Sanctus Ambrosius hujus repudiationis sacrificii a Cain oblati, duas assignat rationes, inquiens : Duplex in Cain culpa fuit : una est, quod post dies multos obtulit; altera, quod non ex primis fructibus. Unde quando quis dæmoni, mundo, et carni primum dat ætatis suæ florem annosque meliores, reservatis Deo ultimis vitæ facibus, hoc vere est imitari primum reprobum, et ad ejus imitationem vitam suam pessimo fine claudere. Sanctus Ambrosius ibidem subdit : Sacrificium et celeritate commendatur, et gratia, unde præceptum est : *Si voveris votum, non facias moram reddere illud. Ibid. disc.* XVI, n. 7.

In c. XIX. Judicum scribitur de Levita quodam, qui, postquam cum socero suo in aliquot dies genialiter vixisset, jamque in procinctu esset, ut rediret in patriam : *Dixit pater puellæ ad generum suum : Quæso te, ut hodie hic maneas; pariterque lætemur.* At ille consurgens cœpit velle proficisci, et nihilominus obnixe eum socer tenuit, et apud se fecit manere : *Mane autem facto parabat Levites iter, cui ut socer rursum, oro te, inquit, ut paululum cibi capias, et assumptis viribus donec increscat dies, postea proficiscaris : comederunt ergo simul, surrexitque adolescens, ut pergeret cum uxore sua, cui rursum locutus est socer : Considera, quod dies ad occasum declivior sit, et propinquat ad vesperam, mane apud me etiam hodie et duc lætum diem et cras proficisceris.* Omnia autem hæc in figura contingebant : hæc namque historia consuetudinem agendi serpentis antiqui ad vivum delineat, siquidem hic aliquos ab ejus se servitute eximere, et in divinorum præceptorum viam abire, veraque filiorum Dei libertate frui velle videns, eosdem de die in diem, de septimana in septimanam morari, bonumque illorum propositum procrastinare fecit, prout Basilius Magnus his verbis vivaciter exponit, inquiens : Criminator ille sapiens est ad mala perpetranda : videt nos homines in diem vivere, videt omnem actionem nostram, juxta id, quod instat peragi, ideo hodiernum diem per fraudem nobis abripiens, spem nobis crastini relinquit; siquidem peccatum hodie committere non cogit, justitiam tamen in crastinum ut reservemus, persuadet. Deinde ubi crastinus dies illucescit, rursum accedit iniquus ille partium divisor, et hodiernum diem sibi ipsi cedere expedit, crastinum vero Domino ut tribuamus concedit, atque hac ratione sane nos, præsens nimirum tempus per voluptatem subtrahendo, futurum vero spei nostræ relinquendo, ne sentientes quidem et vita expellit. *Ibid. disc.* XVII, n. 1.

Mercator quidam fuisse legitur, qui super ostium tabernæ seu officinæ suæ hæc verba majusculis litteris inscribi fecerat : *Hodie in hoc loco nihil venditur, sed cras :* ac proinde numquam tempus illud appropinquabat, in quo sub credito quidpiam apud ipsum comparari posset, quia quocumque die veniebant emptores, semper eadem deprehendebant ostii domus suæ inscriptionem. Eadem prorsus astutia sagacissimus dæmon cum peccatore utitur, cui semper persuadet : hodie mihi, cras Domino. Die autem sequenti superveniente tot illum moratur illecebris, ut crastinus dies ad serviendum Domino numquam adveniat. Certum est autem, quod, quanto diutius in nos moratur, et a servitio Dei retrahit, tanto majus sibi in nos jus possessionis acquirat, majorique cum dominii tyrannide nobis principetur, quia crescunt catenæ, de quibus Ecclesia ait : Delictorum catena constingitur. *Ibid. n.* 2.

Romæ confraternitas Sancti Joannis Baptistæ hoc habet privilegium, ut quemquam ex malefactoribus ad patibuli supplicium condemnatis, e carceris liberare possit ergastulo, at vero dic mihi, sodes, numquid fatuum judicares illum, qui omni cum libertate homicidia, rapinas, proditiones, et alia capitalia scelera committeret sub spe illa, quod sors liberationis super illum casura sit, cum tamen sors illa ex centum reis unico dumtaxat contingat? Simili prorsus modo, si ex eo, quod exemplum noveris cujusdam in extremo mortis articulo salvati, spem concipis, etiam te in eodem ultimo vitæ momento salvandum esse, cur non potius times, ne forte sis de numero illorum centum, qui damnabuntur, aut desperati morientur? Si bene memini (verba sunt S. Bernardi) in toto canone scripturarum; unum latronem invenies sic salvatum; noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temetipsum. *Idem*, *disc.* XX, *n.* 2.

In cap. XI. Judicum de Jephte insigni belli Duce, qui in Galaad commorabatur, inter cætera refertur, quod præsides regiminis nationalis simul congregati eumdem sine ulla data causa aut prævio demerito, a se expulerint; accidit autem, quod, dum ab Ammonitis durum illis bellum moventibus, arctaque illos obsidione cingentibus opprimerentur, nec ullum habentes a quo defensionis expectare præsidia possent, quique majorem in arte militari, quam Jephte haberet peritiam et experientiam, illum rogare coacti fuerunt, ut ipsorum in se suscipere dignaretur protectionem et tutelam : *Veni, et esto princeps noster, et pugna contra filios Ammon.* At vero quodnam illos responsum retulisse existimatis? Sacer textus Jephte in hunc modum respondisse subjungit : *Nonne vos estis, qui odistis me, et ejecistis de domo patris mei, et nunc venistis ad me necessitate compulsi?* Enim vero scire ab impiis illis percuperem, an verum sit, quod toties Deum a se rejecerint, ejusque divinis inspirationibus restiterint, ut diabolicis suggestionibus aditum panderent? quod si hoc verum est, qua fronte se Deum, ejusque dispositiones in suo habere beneplacito credere præsument? Porro de quibus paulo ante dictum fuerat, quod ad tantam venissent mentis vesaniam, ut dicere auderent : *Recede a nobis, quia scientiam viarum tuarum nolumus;* de illis paulo post subditur : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Idem timendum est iis, qui quamdiu vivunt, surdas Dei vocibus aures præbent, et tamen Deum in hora mortis impertinentes illorum preces exauditurum esse, sibi stulte promittunt. *Idem ibi. n.* 6.

Hoc in D. Paulo commendatur, illo, inquam, quem Deus nobis exemplum proposuit, et signum peccatorum prædestinatorum : etenim hoc maximum est indicium, si, quam primum Dei vocem percipiunt, peccato renuntient, ejusque vocationi celeres obtemperent : e contrario en tibi Pharaonem reproborum exemplar : nam illum ipsum, ut talem nobis Deus assignavit, ut ait D. Paulus : *in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam etc.* quid non egit Deus cum illo? quot voces? quot vulnera? quot flagra, quibus Deus illum conatus est excitare? qua cum illo non utitur patientia, qua non benignitate? *Sustinuit in multa patientia.* Et quid respondit? Maleditus erat corvus, inquit Div. Augustinus. Habebat vocem corvinam. Perpende, qualiter Moyses ex Dei nomine Regem accedat, libertatem populi ab eo postulaturus : uno et altero cædit illum flagello, quid respondet : *Cras, cras, cras* dimittam. O maledicte corve : cum illa sit tua vox, maris profundo demersus interibis. O tales miseris miseriores? cras, inquit, ecce quoties dicis : *cras, cras,* factis es corvus, ecce dico tibi, cum facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina : nam ille corvus, cujus vocem imitaris, exiit de Arca et non rediit. *De la Nuza ho.* XXXVIII, § XIV, *n.* 9.

Pone, hominem in circo esse, ubi sciat, se nihil minus cogitantem inopinato a tauro sævo invadendum, et cornibus appetendum. Si videres, quod quis fortissimo clavo seipsum ligno affigeret, illumque repetito verbere profundius adigeret, et ad caput usque imprimeret, sciretque, se illum nullis suis viribus, nec aliter extrahere posse, nisi faber ferrarius suis adjuvet forcipibus, quem multis contumeliis onerasset, ac propterea per infensum haberet : sic ab illo percontareris : Amice, nostin, quid agas? An nescis, quod taurus subito erumpet, teque invadet, et misere inter ejus cornua peribis, cum effugere non poteris? Si tibi responderet : Domine, nihil timeo : quia quamprimum videro taurum accurrentem, advocabo fabrum ferrarium, qui forcipibus suis instructus mihi subveniat, et cum illius favore me exsolvam, sicque aufugiam et evadam incolumis : an non tale responsum rideres? An non ejus in hoc clavo certum judicares interitum? Stulte, quid scis, utrum taurus tibi tempus permitteret, quo fabrum advoces ferrarium? Et qui nosti, an ille advocatur venire velit, quem toties probro affecisti? Et quomodo scis, annon stabit videns, et ridens perniciem tuam, ut quem adeo dehonestasti? Merito hominem talem rideres, te vero ipsum multo magis ridere potest, et responsum tuum, quod dare in re simili soles : dicito mihi, charissime, an non in hujus vivis mundi stadio, in quo prosiliet mortis taurus, quando minime putabis? *In hora, qua non sperant, veniet*, ait Christus : *Cum dixerint pax, et securitas, tunc repentimus ei superveniet interitus.* Nonne vidisti, quod superiori die obiit tibi intimus adolescens, qui se immortalem putabat? Nonne mortua est puella illa venustissima, quando una ineundi matrimonii cogitatio eam vel solam, vel maxime occupatam habebat? Nonne alter e vita decessit, quando sibi videbatur arripere Episcopatum, et locum dignitatis ascendere? quid agis o infelix, qui peccatum illud infigis uno et altero ictu, unoque et altero tum die, tum anno, ictum ictui addens in penitissimum cor usque adigis? quis te reddit securum? Cum mihi æger esse sensero, ais, et periculum ex morbo imminere, ad Deum confugiam, rogaboque illum, ut mihi eximat peccatum et condonet, adciscam confessarium, qui illius vices gerit; tunc inhonestæ consuetudini renuntiabo, tunc aliena restituam, tunc diligam inimicum. O proditor, quid scis, num tibi tempus suppetet Deum invocandi? quid scis, utrum venire voluerit, et suæ gratiæ forcipibus accurrere? Tamne vicinum illum habes, qui nihil aliud laborasti, quam ut te ab illo elongares, illumque repelleres, et a te procul abjiceres? An tibi tam obstrictum tenes, qui hoc unum unice egisti, ut illum offenderes? Vide, qui dicat : *Ego in interitu vestro ridebo : cum quæsierint me, non invenient me, etc.* Quid scis, an tempus tibi supererit advocandi Confessarium? etc. *Nuza ho.* XIII, § XXVI, *n.* 54.

Admirabilis est historia, quam narrat Spiritus Sanctus in libro Judicum, et horribilia sunt verba, quæ sancta prophetissa Debbora dixit post obtentam de Sisara victoriam. Bella movit, armaque sumpsit contra Dei populum ferus ille dux exercitus Sisara, certamen iniit satis durum, at sibi sinistrum, quia referre pedem, et fugam capessere coactus fuit. Fugiens igitur ex prælio et multo labore fatigatus, sitiensque, sanctæ prudentique occurrit mulieri Jahel in ostio sui tabernaculi, a qua frigidam siti extinguendæ poposcit; illa vero lac illi in grandi vase obtulit. Ille lassitudine et vaporibus oppressus obdormivit. Simul hoc vidit mulier, clavum arripiens, in tempora ejus impactum transadegit, soloque affixum reliquit : qui soporem morti consocians defecit, et mortuus est. Mater, uxoresque Sisaræ, cum illum tardare cernerent, laborare sollicitudine, et vitæ illius timere cœperunt. Una ex omnibus, quæ majorem prudentiæ existimationem habebat, sive quæ sapientior cæteris uxoribus ejus, hæc socrui verba respondit : Non est, quod hic nos sollicitas habeas; Sisara namque est strenuus Imperator, et hoc conflictu viribus suis magnifice usus fuerit. Hæc hora est, qua triumphat de suis hostibus, nunc lætus sua gaudet victoria, et opulentam civitatis prædam inter milites suos dispertit. Forsitan nunc dividit spolia etc. Vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam, et supellex varia ad ornanda colla congerit. Jacebat autem interim miser clavo confixus, infaustam exhalans animam et cum extremis mortis angustiis dimicans. Videns illum, ait Debbora : *Sic pereant omnes inimici tui Domine!* Quoties, heu quoties contingit, quod obiit ille vir in venerem, vagamque libidinem profusus, et infanda lue, taboque consumptus; et ille sordidus usurarius, sanguisuga pauperum : et ille profanus, qui simplicem vitiavit virginem : et ille murmurator, qui nullam reliquit integram famam, et quia in extrema vitæ hora Crucifixum in manus accepit, et Christo in crucem olim acto dixit : *Miserere mei Deus :* audias amicos ejus, et cognatos dicentes : Recta in cœlum abiit, ut alter quidam Franciscus mortuus est, mortem obiit cujusdam Carthusiani, tanquam angelus quidam hinc decessit. Hæc est hora, qua festa gaudia in illa superna cælorum regia lætantissime celebrat. Miser ille autem suo confixus peccato, inferorum pœnis cruciatur. Quid putas, tam leve, ac facile esse mori instar Francisci, aut pii cujuspiam Carthusiani? *Ib.* § XXVII. *n.* 55.

Nihil facilius, quam inter rupes formari echo, quæ voces tuas quascumque reddat. Non est echo vox humana, sed ei tam similis, ut qui eam audit, humanam esse arbitretur. Inter montium concava exclamas : Jesu, et quoties nomen illud pronuntias, toties idem repetunt, non quia nomen illud percipiunt (sunt enim petræ durissimæ, nec eas vox penetrat) sed quod vox tua repercutiatur, atque ex ea formetur in illis alia vox, voci tuæ similis, quæ ad te revertitur. Ita hic contingit. Est vir quidam corde lapideo, duro in quo nihil penetravit sic ut apud ipsum neque conciones, nec minæ, nec inspirationes, nec conscientiæ stimuli quidquam valuerint. Subita eum arripit infirmitas, febris invalescit, fitque, ut animam agere incipiat. Accedis illum, et inclamas : Jesus; respondet ille : Jesus. Rursum ei dicis : Maria mater gratiæ : respondet : Maria mater gratiæ. Putasne eum hæc intelligere? Credisne hanc esse vocem humanam? Est echo, quæ vocem tuam repulsat, et ad te remittit, sicut non percipiat, durities autem intus manet, qualis ante erat. *Ibid.*

Aliam quoque ex his verbis elicere possum considerationem : *Infixæ sunt Gentes in interitu, quem fecerunt*, sumptam ex eo, quod fit, cum tormenta bellica clavis confixa obstruuntur. Vivit Gubernator in sua arce bene contentus, et se tutum æstimat, eo quod tormentis æneis, et machinis fulminantibus validis est cincta, ut propterea nullum timeat inimicum, a quo obsideri queat; confidit enim, si quis veniat, quod sua in illum explodere tormenta, et ab hac parte quibusdam, ex alia aliis exoneratis hostem abiget, et difflabit, totumque in fugam vertet, et repellet exercitum. Contingit, ut illo nescio tormenta clavis fortibus obstruantur. Venit hostis, illum oppugnatum. Is ad defensionem se præparat, et ignem admovet foculo, ex quo pulvis accenditur tormentarius, et exurgit spissa crassaque flamma, diceres ad interiora penetrasse, glandemque summo impeto evolasse; at cum tormentum sit obstructum, non pervadit ignis, hæret tantummodo in illa exteriori flamma atque idcirco non extorquet, neque impellit glandem in hostem; et quia nihil contra eum moliri potest efficaciter, irrumpit adversarius, et facile locum sibi subjicit, captivumque ducit Gubernatorem, gloriatur de victoria. O bone Deus, quantis hoc contingit peccatoribus! quamtam sibi pollicentur, figuntque securitatem. Quam quieti, quam incurii vivunt in sceleribus, et quam illa committunt impavidi. Quanta cum quiete hæres in tua, homo lascive, profanitate, lupæ tuæ ædes ingrediens, ac egrediens. Quot decurrerunt anni, quibus injusta lucra sectaris, absque omni perditionis tuæ formidine. Quid illud te tam præfidentem facit? Valide munitus sum majoribus tormentis, inquis, intellectus, quo de mihi necessariis disponam, tum liberæ voluntatis, et arbitrii jaculis, inquam, quæ divina gratia confortata globos in hostem explodent, quibus cunctos in fugam dispergam inimicos. Intellectus ejaculabitur glandem ferventissimæ orationis cum actibus fidei, qui meritis Christi subnixi vires habent fortissimas, libera voluntas contritionem explodet amarissimam, et relicta creatura ad Deum se ex toto corde convertet. O quam sunt hæc fortiora jacula. Explosit David ex penito pectore unicum illud, *Peccavi Domino*, et contra cunctas se potentias inferni defendit. Publicanus ille tantum dixit : *Deus propitius esto mihi peccatori*, et omnes dæmonis copias prostravit : *Pater peccavi*, aiebat ille Prodigus, et res suas in tuto collocavit. Uno illo, *Domine memento mei*, quidam latro omnes principes tenebrarum exterruit, et obstupescit. Hoc idem ego præstabo. O te miserum! an non vides, quod hæc tormenta non advertens configis, et obstruis. *Ibid.* § XXX.

Cavete, ait Christus, *non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbato.* Ne fugere differas in hyemem. Non loquitur (inquit D. Ambrosius) de hyeme, ut est pars anni, sed de infirmitate. Hyems non temporis, sed infirmitatis, qua sol intellectus obnubilatur, stellæ sensuum obscurantur, pluviæ dolorum pœnarumque imbres torrentem implent, qui alveo suo effusus, cunctos dissipet discursus, et febres excitant volutabra, quæ itinerantibus iter præludunt. Est hyems non solis, sed mentis, quando animus frigidus illabitur, quando vapor animæ evanescit, quando solvitur vigor sensus, quando nimius humor exundat, et mentem gravat, quando interior caligat adspectus. Plurimi conficiendi sunt passus, latissima regio percurrenda, transeumdum tibi a deliciis ad dolores, a voluptate ad pœnas, ab amore ad execrationes, per potentiæ intellectivæ plures debes gradus facere, cognoscere commissi peccati malitiam, injuriam Deo illatam, et actus fidei erga Deum exercendos. Similiter, et voluntas longum debet iter suscipere, spei, charitatis, detestationis tam culpæ contra Deum patratæ, quam damni proximo illati. Ne differas in diem sabbati, diem quietis, horam mortis ultimam, quando jam sensus fatigati contabescunt, intellectus humoribus oppressus, qui caput conturbant, victus succumbet. Lethargica voluntas obdormiscet quasi seipsam movere non valens; infirmata concidet, dissolutione et fortissima pusillanimitate obruta elanguescet. Mementote (ait D. Gregorius ad concionis suæ epilogum) quid veritas dicat : *Orate, ne fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbato.* Per legis quippe mandatum, ambulare longius sabbata non licet; Hyems quoque ad ambulandum impedimento est, quia gressus ambulantium torpor frigoris adstringit. At ergo : *orate, ne fiat fuga vestra in hyeme vel sabbato.* Ac si aperte dicat : Videte, ne tunc quæratis potentia vestra fugere, quando jam non licet; modo debet cogitari, dum licet; illa hora nostri exitus est semper intuenda, ita Redemptoris nostri admonitio ante mentis oculos semper est ponenda, qui ait : *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. Ibid.*

In eo, quod Dominus ait; non differendam fugam ab inimicis in sabbatum, alludere videtur ad illud, quod ipse decreverat, quando populo de cœlo pluit Manna in alimoniam, et victum quotidianum. Præcepit enim Moysi, ut cunctum populum præmoneret, quoniam sabbatum dies esset quietis, nemo differat colligere Manna in suæ necessitatis usum usque in diem sabbati, futurum enim, ut illo die non inveniretur, sed præcedenti, colligerent : *Requies sabbati sanctificata est Domino, hodie quodcumque operandum est, facite.* Qui obedientes fuerunt, et ita fecerunt, ut Moyses dixerat, fuit illis abunde provisum. Erant autem et aliqui parum creduli, dicentes : Cras quoque dabitur opportunitas, licet enim sit dies quietis, licet nihilominus nobis de cibo Manna providere, et se delusos viderunt, egressi quippe ut colligerent Manna, non invenerunt : *Venitque septima dies, et egressi de populo non invenerunt, sed vacui domum redierunt.* Conceptus est hic D. Gregorii Nysseni. O mortis hora, tempusque infirmitatis! hoc enim dicitur dies quietis; constat etenim nihil tum temporis ita desiderare ægrum, quam parum quiescere, ad hoc attenditur, ut dormiat, ob hoc submovent strepitum, domum, familiamque omnem compescunt, ob hoc innungunt tempora, ut captare quietem infirmus possit. Noli, quæso, in illam horam differre curam colligendorum eorum, quæ sint animæ tuæ necessaria : fieri enim potest, ut ea non invenias, vacuusque redire cogaris : *Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est.* Interim, dum sani sunt animæ pedes, intellectus, sensus, voluntas, quære Deum tuumque subsidium. Interim, dum vales judicio, memoria recenti, sensibus integris, Deum invoca : si enim differas, usque dum omnia obtunduntur, tuque magis quietem optabis, quam ad labores idoneus fueris, maximopere periclitaberis. *Ibid.*

Digna est circumstantia, quam Spiritus sanctus memorat in morte Saulis. Prælium iniit hic Rex contra Philisthæos, at sinistro Marte, cum vidisset fusum, dissipatumque suum exercitum, irruens super gladium suum, seipsum interemit. Aderat tunc ibi adolescens, qui arbitratus Davidi jucundum fore, si persecutoris sui acerbissimi necem intelligeret (per quam scilicet regni quietam posset inire possessionem) tulit de capite Saul regium diadema, armillanque auream de brachio, tradiditque David, et ita : *Domine mi, Saul mortuus est.* Unde nosti : *Inde scio, quia præsens adfui, et sum ego ex iis, qui illum prorsus confeci. Fortuito veni in montem Gelboe, et vidi Saulem irruisse in gladium suum, et suo volutari in sanguine, et acerbissimis afflictari doloribus. Vidit me, et ut potuit, advocavit, et interrogavit, quisnam es tu? et aio ad eum; Amalecites ego sum. Tunc ille porro ultra : cum igitur me tot cernas vulneribus confossum cum proxima morte confligere, sta super me, et interfice me; a vita mea me simul, et pœnis absolve. Stansque super eum occidi illum etc. et tuli diadema, quod erat in capite ejus, et armillam de brachio illius, et attuli ad Dominum meum huc.* Movet hic dubium Philo. Quis illuc adduxit Amalecitem illum? Bellum sæviebat contra Philisthæos, quid inter eos negotii illi Amalecitæ, cujus jam Saul omnem perdiderat memoriam? Ulterius, ad quid accurrit Amalecites in hora mortis extrema Saulis? Quis eum coram adduxit? deinde, cur ab eo quærit Saul, quisnam es tu, cum qualislibet aptus esset, ut ei vitam adimeret, Chananæus licet aut Pherezæus, etc. Altum hic latet mysterium, ait Philo, et scire debemus quod, licet adolescens indicarit, se casu illuc venisse verumtamen Deo non fuit fortuitum, qui summo consilio disponit, quod nobis videretur fortuitum. Res est, quod Deus præceperat a multis retro annis Sauli, ut gladio cunctos interficeret Amalecitas hostes suos, sic ut nec uni quidem vitam condonaret : ille vero huic præcepto parum obediens, aliquos servavit vivos. Siccine vero, perfide, noluisti, cum viveres et posses, cunctos meos inimicos internecione delere Amalecitas, sed eos ad meam vivos ignominiam reservasti. Dum igitur mortalibus urgeberis angustiis, et eorum prorsus immemor fueris, veniet quidam ex illis, quorum non recordabaris, et te obtruncabit, vitamque inauspicato adimet.

O Christiane! tibi mandat Deus, ut omnes ejus interficias inimicos, quæ sunt peccata tua, neque vel uni pareas. Hæc audis, et repugnas, quia non solum illa non demoliris, sed et alis, et conservas. Quam integrum servas concubinatum illum tuum, ut numquam volueris relinquere! quam diligenter reposita servas bona aliena sic, ut numquam volueris illi, cui fuisti injurius, sua damna resarcire quam diuturna in peccatis perseverantia. Tu illa, dum potes, non occidis : illa igitur in extremis mortis angustiis posito, se tibi offerent crudaque movebunt prælia. Ibi prodibit in medium virgo constuprata, et conjugata a te ad flagitium invitata, et pauper oppressus, et Ecclesiasticus infamatus, et quæ fueras oblitus crimina, advenient, teque interficient, et in peccato morieris. Eia igitur tam sævum hostem occidito. Qui enim suo blanditur inimico, ejus corruit manibus. *Ibid:*

PRUDENTIA

QUOAD ESSENTIAM

DEFINITIO. — Prudentia est virtus practica, per quam et finis honestus præfigitur, et media ad hunc obtinendum congrua eliguntur. Unde brevius S. Aug. rerum appetendarum fugiendarumve scientiam definivit. (*Lib. de l. arbitr,*) Sicut enim ille, qui ratiocinatur bene ad aliquem finem particularem, puta ad victoriam, dicitur esse prudens, non simpliciter, sed in hoc genere, scilicet in rebus bellicis; ita ille, qui bene ratiocinatur ad totum bene vivere dicitur prudens simpliciter juxta S. Thom. (II. II. *Qu.* XLVII, *ar.* II. *conc.* I, *ad* I.) Describitur etiam a citato jam S. Aug. hoc modo: Est amor, ea, quibus adjuvatur in Deum, ab his, quibus impeditur, sagaciter eligens; et hunc amorem, non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est, summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ. Non describit autem S. August. prudentiam per amorem, quod existimet, eam non esse intellectus habitum; nam eodem libro sic habet : Ad prudentiam pertinet dignoscentia appetendorum, et vitandorum ; sed potius, ut significet, eam ab amore, quam summi Dei appellat, hoc est, a charitate proficisci; vel ad prudentiam spiritus pertinere, ex amore agere, charitateque ferri ad ea eligenda, quibus adjuvatur in Deum. S. AUG. *de mor. Eccl.* CXXIII.

Hæc prudentia non solum virtus est ad proprias actiones rite obeundas instituta, sed maxime ideo virtus est, quia aliarum etiam virtutum officiis ita præest, ut eorum norma fit, ad quam omnia dirigantur. Ideo S. Gregorius sic scribit : Cæteræ virtutes, nisi ea, quæ appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt. S. GREG. *mor.* UXXV.

DIVISIO. — Dividitur in Supernaturalem, et Naturalem; illa est, quæ media ad finem supernaturalem consequendam suggerit; ista quæ ad naturalem tantum finem assequendum media subministrat; et subdividitur in Monasticam, Politicam, Regnativam, Œconomicam, et Militarem. (*Drex in Rosis* p. 1, I.) Clarius S. Thomas triplicem assignat : una, inquit simpliciter dicta, quæ ordinatur ad bonum proprium : alia œconomica, quæ ordinatur ad bonum commune domus, vel familiæ; et tertia politica, quæ orginatur ad bonum commune civitatis, vel Regni. Et hæc postrema adhuc duplex est, ut idem docet : alia Regia in Principe, qui custos est justitiæ, et boni publici procurator : alia militaris, præsertim in exercitus duce, cujus consilio insultantes hostes comprimuntur. *Arist.* VI, *Eth.* IX et X.

ACTUS. — Actus prudentiæ plerumque tres principales Theologi assignant. Primus horum est *Consilium*, quo media ad assequendum finem idonea investigantur : nam fine, ad quem tenditur, constituto, voluntas intelligentiam impellit, ut ea viam inveniat, qua ad finem illum perveniatur. Ad hunc actum eliciendum habitus Eubuliæ datur. Siracides monet : *Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis.* Sed parum est inquis, in me consilii. Nil interest, sive tuo, sive alieno consilio utaris : eo enim utendum est, et sæpe tutius alieno uteris, quam tuo. Quocirca, quod Tobias jubet, *consilium semper a sapiente perquirere.*

2. Alter prudentiæ actus est *Judicium*, cum de aptitudine mediorum ad finem sententia fertur; sive, cum quis rationem init, qua illus obtinendum sit, quod humana prudentia obtentum cupit. Exempli causa : Est, qui castitatem ambiat; quis modus virtutis hujus assequendæ? judicium hos suggerit modos. Primus omnium est, numquam otiari. Alter, oculos coercere. Tertius, omnes ad lasciviam occasiones, malos socios, fœminarum com-

mercium, impuros libros, mensarum luxum amoliri. Quartus, precandi ac lectitandi studium conjungere. Quintus, diversis corporis rigoribus, præsertim inedia exercere. Sextus, Sacramentorum usum identidem iterare. Septimus, Dei præsentiam, et æternitatis præmium assidue cogitare. Atque hos tales modos judicium, alter prudentiæ actus, suggerit. Eadem in aliis virtutibus obtinendis ratio est. Atque ad hunc actum Synesis inclimat.

3. Tertius prudentiæ actus, est *Imperium*, cum intelligentia imperat voluntati, ut id, quod recte judicatum est, illa exequatur studiose. Cui actui eliciendo Gnome pro habitu subordinatur. Augustinus de prudentia mentionem injiciens : Hujus, inquit, excubiæ, atque diligentissima vigilantia est, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur. Et ad Hieronymum : Certe hinc persuadent, inquit, qui unam virtutem habuerit, habere omnes; et omnes deesse, cui una defuerit, quod prudentia, nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse. Prudentia doctrix morum, ordinatrix affectuum, moderatrix et auriga virtutum : murus tutissimus prudentia.

GRADUS. — Primus est, *nihil umquam pœnitentia dignum agere* : Sapientem quippe decet providentia, non pœnitentia, teste Epichar. *Epichar.*

Secundus est, *nihil admirari, cum acciderit;* cum enim Sapiens omnia prævidere debeat, quæ accidere homini in hac vita queunt, hoc ipso nihil inexpectatum, atque adeo nec admiratione dignum eidem apparebit. CICERO, *in epist.*

Tertius est, *nullo casu adverso turbari* : sicut enim manus eadem est, cum in palmam extenditur, et cum in pugnum contrahitur; ita et sapiens idem semper manebit in omnibus casibus, cum se non mutet in rebus, sed se aptet illis. *Sen. ep.* LXVI.

EX. S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Estote prudentes, sicut serpentes, et simplices, sicut columbæ. *Matth.* X, XVI.

Cor hominis disponit viam; sed Domini est, dirigere gressus ejus. *Prov.* XVI, 9.

Estote prudentes, et vigilate in orationibus. 1. *Petr.* IV, 6.

Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. *Prov.* X, 19.

Hæc est vestra sapientia, et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc dicant : En populus sapiens, et intelligens, gens magna. *Deut.* IV, 6.

Ecce timor Domini, ipsa est sapientia; et recedere a malo, intelligentia. *Job.* XXVIII, 20.

NECESSITAS. — Gens absque consilio est, et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent, et novissima providerent. *Deut.* XXXII, 28.

Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam; qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus. *Prov.* XXVIII, 16.

Ubi non est Gubernator, populus corruet : salus autem, ubi multa consilia. *Prov.* XI, 14.

UTILITAS. — Sapientia ædificabitur domus, et prudentia roborabitur : in doctrina replebuntur cellaria, universa substantia pretiosa et pulcherrima. *Prov.* XXIV. 3.

Vir sapiens, fortis est : et vir doctus, robustus et validus. *Ibid.* I.

Beatus homo, qui invenit sapientiam, et cui affluit prudentia; melior est acquisitio ejus negotiatione auri et argenti, et purissimi fructus ejus. *Prov.* III, 13.

Posside sapientiam : posside prudentiam : ne obliviscaris, neque declines a verbis oris mei. Ne dimittas eam, et custodiet te; dilige eam, et conservabit te. *Prov.* IV, 5.

Posside sapientiam, quia auro melior est : posside prudentiam, quia pretiosior est argento. *Prov.* XVI, 16.

Cor prudens possidebit scientiam : et auris sapientium quærit doctrinam. *Prov.* XVIII. 15.

Fons vitæ eruditio possidentis; doctrina stultorum fatuitas. *Prov.* XVI. 22.

Dominus sapientia fundavit terram, et stabilivit cælos prudentia. *Prov.* III, 19.

Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis, et omne delectabile ei non potest comparari. *Prov.* VIII, 11.

Principium sapientiæ timor Domini : et scientia Sanctorum, prudentia. Per me enim multiplicabuntur dies tui, et addentur tibi anni vitæ. *Prov.* IX, 10.

Qui possessor est mentis, diligit animam suam : custos prudentiæ inveniet bona. *Prov.* XIX, 8.

DIGNITAS. — Cor sapientis erudiet os ejus, et labia ejus addet gratiam. *Prov.* XVI, 23.

Meum est consilium, et æquitas : mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt! Per me Principes imperant, et potentes decernunt justitiam. *Prov.* VIII, 14.

Gloriam sapientes possidebunt : stultorum exaltatio, ignominia. *Prov.* III, 25.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Altus gradus prudentiæ est, ordinare vitam secundum exempla sanctorum : altissimus, ordinare secundum exemplum Christi. S. Bonav. l. *de grad. virt.* IX.

Prudentem dico, non scientem et doctum, sed sensatum et mente acutum, qui potest rerum ponderare naturas, et secundum quod potest rationabiliter omnia agere. S. Chrys. *hom* V, *in Matth.*

Quid illa virtus, quæ prudentia dicitur, nonne tota vigilantia sua bona discernit a malis, ut in illis appetendis, istisque vitandis nullus error obrepat. S. Aug. l. XIX, *de civ. Dei.*

Habes prudentiam, cujus est flere occidua et quæ æterna sunt, quærere : lugere sæcularia, quæ seipsa oppugnent : Deum pacis inquirere, qui stulta mundi elegit, ut confundat sapientes? S. Ambr. *in* VI, *Luc.*

Solerter animus ante actionis suæ primordia, cuncta debet adversa meditari, ut semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus, quidquid accesserit, lucrum putet. S. Greg. *in moral.*

Estote prudentes sicut serpentes, quia prudentia absque bonitate malitia est, et simplicitas absque ratione stultitia est. Hier. *super Osea.*

Prudentia docet, quomodo præsentia ordines, quomodo præteritorum recorderis, et quotidie futura provideas. Aug. *ad Eremi in serm. de provid.*

Prudentia testimonium veritati, non amicitiæ reddit, prudentia cum discretione promittit, et promissum accelerat, et amplius quam promisit præstat. *Id. Ibid.*

Sapiens dictus a sapore; quia sicut gustus est aptus ad discretionem saporum ciborum ; sic sapiens ad dignoscentiam rerum atque causarum. *Isid. lib. Ezymol.*

Necessitas. — Plerumque virtus, cum indiscrete tenetur, amittitur; et cum discrete intermittitur plus tenetur. *Ibid.*

Virtus discretionis absque charitatis fervore jacet, et fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat. S. Bern. *sup. cant.*

Tutius est chordas remitti intensius, quam protendi : remissarum namque intensio artificis peritia convalescit, sed quæ semel rupta est, nullo artificio reparatur. S. Chrys. *de cur. alien. mag.*

Discretio est quædam moderatrix et auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, et morum doctrix. Tolle hanc, et virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ. S. Bern. *sup. cant. s.* XLIX.

In omni, quæ suscipitur, actione antecedere prudentia debet; nam prudentia remota, nihil cujusvis generis est, quod licet bonum videatur, non in vitium recidat, si aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat. (S. Basil. *de const. Monast.*

Animalia prophetica, et in circuitu, et intus plena oculis esse memorantur. Quisquis enim exteriora sua honeste disponit, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet, sed intus non habet. Sancti vero homines, et exteriora sua circumspiciunt, ut bona de se exempla præbeant fratribus; et interiora sua vigilantia attendunt, quia se irreprobabiles interius Judicis obtutibus parant; ideo in circuitu oculos et intus habere perhibentur. S. Greg. *l.* XIX, *mor.*

Qui sine Salvatore salutem vult habere, et sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non sanus, sed æger, non prudens, sed stultus in ægritudine assidua laborabit, et in cæcitate noxia demens et stultus permanebit. S. Aug. *de civ. Dei.*

Utilitas. — Prudentia est virtus, quam si quis rite sectatus fuerit, numquam ab officio virtuteque abscedet, numquam vitiorum pestem incurret. S. Basil. *hom.* XII.

Ubi ratio et prudentia rebus bonis idoneum tempus et modum definiunt, mirabile est, quantus ex earum usu cum in dantes, tum in accipientes fructus redundet. *Idem de const. monast.* XV.

Non angusta quædam, sed dives utilitatum prudentia est, quæ pluribus prosit. S. Amb. *l. de parad.* II.

Ista prudentia, ædificanti domum fundamentum supra petram locare, hoc est, in Christi fide fundare largitur. S. Basi. *hom.* XII.

O utinam saperes et intelligeres ac novissima provideres! Saperes, quæ Dei sunt : intelligeres, quæ mundi sunt : provideres, quæ inferni sunt; profecto inferna horreres, superna appeteres, quæ ad manus sunt contemneres. S. Bern. *in epist.*

Magnam, mehercle, hominibus affert utilitatem consilium, eo quod nemo sufficiat sibi ad electionem rerum honestarum, utiliumve, sed pluribus sane sociis, iisque solertibus opus habet. Unde haud absurde homo consilii expers, similis censetur navigio rectore carenti, quodque ventorum impetu huc illucque impellitur. S. Basil. *oras.* XIII.

Dignitas. — Profecto divina quædam res est consilium; est namque animi conjunctio, charitatis fructus, mentis demissi demonstratio. *Idem or.* XXI.

Est discretio, non mediocris, quædam virtus nec quæ humana passim valeat industria comprehendi, nisi divina fuerit largitate collata. *Cassian. collat.* II.

Quis enim fidelis servus, et prudens; rem quidem laudabilem proponit, rarissimam autem, ut fidelis quis inveniatur, et prudens. Ecce si quæras fideles, id est, Deum timentes, et ipsos quidem non multos invenies, tamen adhuc facile invenis. Item si prudentes quæras, invenies multos, fidelis autem, et prudens difficile invenitur. Quanto ergo rarior invenitur, tanto, qui inventus fuerit, beatior est. S. Chrys. *hom.* XXII, *in Matth.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Non est credendum omni verbo, nec instinctui; sed caute, et longanimiter res est secundum Deum ponderanda *L.* I, IV, § 1.

Magna sapientia est, non esse præcipitem in agendis, nec pertinacem in propriis stare sensibus. Ad hanc etiam pertinet, non quibuslibet hominum verbis credere, nec audita vel credita mox ad aliorum aures effundere. *Ibid.* § 1.

Ista est summa sapientia, per contemptum mundi tendere ad regna cœlestia. *L.* I, § 2.

Vere prudens est, qui omnia arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat. *L.* I, III, § 6.

Magna ars est, scire cum Jesu conversari; et scire Jesum tenere, magna prudentia. *L.* I. VIII, § 3.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas. — De David dicit sacra Scriptura: Egrediebatur quoque David ad omnia, quæcumque eum misisset Saul, et prudenter se agebat. I. *Reg.* XVIII, 5.

Abigail, teste sacro Codice, erat mulier prudentissima et speciosa: unde et David placavit, et prudentia sua exitium a domo mariti avertit. I. *Reg*, XV, 3.

Salomon dixit Deus: Ecce feci juxta sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens, et intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te futurus sit. Unde et prudentissime litem inter duas mulieres de filio exortam diremit. III. *Reg.* III, 12.

De Judithæ prudentia olim Holofernes pueri judicium ferentes dixerunt: Non est talis mulier super terram in aspectu et pulchritudine, et in sensu verborum. Judith. II, 19.

Ezechias, quia adhæsit Domino, et non recessit a vestigiis ejus, meruit, ut Dominus esset cum eo, et in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se ageret. IV. *Reg.* XVIII, 6.

Daniel, ut Susannam a morte liberaret, prudentissimo consilio falsitatem accusationis contra eam factæ detexit exitiumque in suos auctores convertit. Dan. XIII, 45.

S. Pauli prudentia vel in eo satis apparuit, quod omnibus omnia factus sit, ut omnes lucrifaceret. Unde alibi quoque ait: Ego vos non gravavi, sed cum essem astutus dolo vos cepi. I. *Cor.* XII, 16.

S. Catharina Senensis tantæ erat prudentiæ fœmina, ut a Pontificibus diversis in gravissimis legationibus adhiberetur. *Erc. Rom.* 30 *April, Palav.*

S. Bembo Abbas adeo in verbis cautus, et prudens erat, ut etiam S. Antonium ex hoc capite superaret. Interrogatus ab aliquo de re quapiam, dicere solebat: Da mihi cogitandi tempus. Quo dicto, ad orationem se conferebat, et si quidem a Deo responsum accepisset, id ipsum alteri communicabat; sin minus, nihil respondebat. Palladius.

De Martino V. sic scribit Platina: Martinus V. Pontifex summus in consultationibus miræ prudentiæ vir est habitus: nam et quid agendum, et quid vitandum esset, statim re proposita acutissime dijudicabat. Brevis in dicendo, cautior in agendo, adeo ut prius rem factam cernerent homines, quam ab eo excogitatam putarent. Ejus autem sermo plenus sententiis erat. In dandis quoque beneficiis mira usus est prudentia:

non enim unicuique expetendi conferebat, sed statim mente agitabat, quis potissimum esset idoneus, cui talis cura demandaretur. Quod si homines provinciarum non nosset, in quibus vacare beneficia contigisset, statim peritos Regionum consulebat, quis aut in curia, aut gymnasiis publicis esset doctrina, nobilitate, moribus, tanta provincia dignus. Atque hac ratione et Ecclesiis, et hominibus honore dignis pariter consulebat, cum maxima celebritate nominis sui. PLATINE *in vit. Pontif.*

Eusebius Vercellensis Episcopus, cum in Catholica Ecclesia et doctrina, et moribus in magna existimatione haberetur à Constantino Imperatore Ariano, Mediolanum ad Concilium vocatus fuit; cum autem accepisset, arte multos Catholicos Episcopos, in primis vero Dionysium Episcopum Mediolanensem, eo compulsos esse, ut damnationi Athanasii, et Nicæni Concilii derogationi subscriberent; perspiceret etiam, quam graviter per eam Scripturam vera Christi fides læderetur, quæ etsi ab iis, qui subscripserant, revocari poterat, tamen ostensa, dubiam factura erat Catholicam fidem, novo astu evertere eam cogitavit. Itaque nomen suum inscribere non recusavit. Postquam autem codicillum et inspexit, et in principio Dionysii nomen scriptum vidit, se vehementer commotum esse finxit, quod primarium locum juniori tradidissent, dicens : Vos, Ariani, affirmatis Filio Patrem majorem esse, et Dionysium, qui ætate atque doctrina me minor est, mihi præposuistis. Idcirco peto ut nova Scriptura conficiatur, et in ea, servato gradu, omnes suum inscribant nomen : quod si a vobis fiet, ego vos morem gerere non recusabo, ut tandem, quæ inter vos videntur contentiones, finiantur. Ariani vera hominem locutum arbitrati, superbiaque impulsum requirere, ut in Scriptura Antistitum ætatis atque dignitatis gradus servarentur, exusta prima scriptura, cui jam plerique subscripserant, novam confecerunt. Quæ cum ad Eusebium perlata esset, nomen ut suum apponeret, rem magni esse momenti asseruit, exigereque ejus magnitudinem, ut ante diligenter super ea disputaretur. S. AMBR. *serm.* LXIX.

Negligentia quadam usuvenerat, ut Theodosius, oblatis sibi libellis, vel aliis ad regimen Imperii spectantibus a ministris scriptis, absque eorum inspectionem subscriberet. Quod cum periculose admodum peragi Pulcheria soror intelligeret, hujusmodi ludo eum corrigendum in animum induxit. Libellum scribit, in quo significaretur emptam a sese esse Eudociam conjugem Augustam, si ipse præberet assensum, oblataque eadem charta Theodosio, ipse ex more ei absque alia inspectione subscripsit. Recepit ita subscriptam chartam Pulcheria, quæ accedentem ad se Eudociam aliquando retinuit, vocatamque ab Imperatore reddere recusavit, a se emptam affirmans, et ostendens de rata habita emptione Imperatoris chirographum; sicque falso quidem ejusmodi joco Augusti oscitantiam voluit condiisse, ac correxiste simul. BARON. t. VI, *an.* 446, *n.* 24.

Mirifica fuit Alphonsi I. Neap. Regis in judicando prudentia : ipso enim adhuc adolescente Regnorum Siciliæ, et Aragoniæ gubernacula sucipiente, accidit, ut cujusdam ancilla ex domino pareret, et ab libertatem ex lege Hispaniensi proclamaret, dominus autem, ne matre cum filio privaretur, negabat puerum ex se natum. At illa acrius instante, et natum ex domino conceptum asseverante, cum ejus rei difficilis probatio, et veritatis conjectura periculosa esset in ancipiti, Alphonsi prudentia jam inde ab adolescentia statim resplenduit. Decrevit ergo, ut infans sub hasta venderetur, cumque uni, qui majus pretium attulisset, infans traderetur. Pater pietate victus, a lacrymis temperare nequivit, et suum esse filium fassus est. Quare Rex et patri filium, et debitam matri libertatem non cunctanter adjudicavit. FULGOSUS, II, III.

Grave vulnus in genu Romæ a sicario acceperat vir nobilis, atque, ut erat iræ ac doloris impotens, cum diro cruciatu artus convellerentur, vindictam spirans, et inclamans, nullamque faniora suggerentium vocem ad aures admittens, geminæ mortis in limine periclitabatur. Desperata propemodum erat, non minus animi, quam corporis curatio, cum ex amicorum medicis unus (e Capucinorum familia fuisse tradunt, nec nomen addunt, qui hæc prodiderunt) acciri, quibus æger delectabatur, symphoniacos jubet, ac modis lenissimis canere. Itaque illapsa furentis in animum modorum suavitate, iræ atque furori modus paulatim fieri cœpit, detumuitque animus; factumque musicæ pretium, ut exinde monitores audiret atque ad omnem Christianæ adversus inimicum, ac sicarium charitatis significationem nullo negotio traduceretur. Tanti est, crudos adhuc atque indomitos humores pharmacis lenioribus præmollire, ut placide ac sine concussu possint evocari. Jo. Ruo. V, *selec. virr.* XII, *n.* 6.

Donatus Janoctius aiebat, numquam jumentis, quantumvis domitis, aut etiam labore fessis, tam propinqua gradiendum semita, ut calce quis peti possit sed modico flexu declinandum; quid enim si recte passuum ratio constet, vix millibus in annos singulos vitari periculum, quod nemo sapiens magno redemptum non velit. Haud aliter præferocia ingenia, de quibus aliorum damna in lucro sunt, procul habere, ne aliquando non habuisse pœniteat, prudentis est. *Ibid. n.* 18.

Joannes Piobanus Ordin. Minor. ab Etruria ad Calabros a moderatoribus migrare jussus, nova insuper animi contentione virtutem colere instituit, rogantibusque novi impetus fervorisque causam, præclare respondit, frustra cœlum mutari moribus iisdem, neque hoc religiosis hominibus proponi, quum migrant; sed quotiescumque alibi esse jubentur, alii sint. *Ibid. n.* 24.

Josepho mirifica fuit in Pharaonis somnio, quod famem portendebat, interpretatio; sed non minor prudentia in colligendo frumento, quo per septem annos famelica aleretur Ægyptus. Gen. XLI.

Cum puer Jesus annorum duodecim mansisset in Jerusalem in medio doctorum audiens et interrogans, stupebant omnes qui eum audiebant super prudentia et responsis ejus. Luc. VII.

Magna fuit prudentia Flaviani Antiochiæ Episcopi Catholici, contra Adolphum hæreticum et Messalianorum Principem, ut totum pestilentis hæresis venenum, quod occultaverat, et clanculum multis instillaverat, nec de ullo convinci poterat, sua sponte effunderet. Hominem ad se Antiochiam evocat, benigne tractat, prope assidere jubet. Tum ad eum : Nos, inquit, o senes, ad longam jam ætatem provecti, multoque usu rerum edocti, et dæmonum fraudes perspectas habemus, et dona Spiritus sancti edocti sumus. Isti juvenes spiritualium sermonum necdum capaces occultiora Dei mysteria non percipiunt; itaque mihi, quæso, aperias quomodo ad non Dei Spiritus adveniat, et contrarius spiritus quomodo a nobis recedat. His verbis delinitus senex totum cordis sui arcanum patefecit, et pestilentis suæ doctrinæ virus totum effudit. Quo audito, et senis verbis acerrimis maledixit, et totam illam Messalianorum pestem tota Syria expulit. Theodor. IV. *hom. Eccles.*

Ferdinandus et Isabella Hispaniæ Rex et Regina, fama prudentiæ admodum celebres et clari fuerunt, quod ex maximis motibus sua regna in summam tranquillitatem atque obedientiam redoxissent, quodque, bello decem annos continuato, Granatæ regnum a Mauris annos circiter octingentos possessum ad Christianam religionem compulissent. Ludov. Guicciardin. X.

Utilitas. — Mardochæus consilium opportunum suggerens Estheri Reginæ, a se et toto populo Judaico imminens exitii periculum avertit. Esther. I.

Rebecca Jacobo minori suo filio, prudenti suo consilio benedictionem a patre, ante majorem natu filium Esau impetravit. Gen. XXVII.

Noemi socrus Ruth ad se ex agro Booz revertenti dixit : Filia mea, quæram tibi requiem, et providebo, ut bene sit tibi. Cumque Ruth consilium ejus secuta esset, uxor Booz fieri et inter Progenitores Christi numerari meruit. Ruth. III, 1.

Daniel prudenter fraudem Sacrificulorum, cibos Beli oblatos comedentium detegens mortem a Rege decretam a suo avertit, et in capita inimicorum detorsit. Dan. XIV.

Dignitas. — Salomoni sapientia sua tantam existimationem et honorem apud universos populos conciliavit, ut et Israelitæ ipsum timerent, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium (I. *Reg.* III, 28); et regina Saba veniens tentare eum in ænigmatibus, fassa sit : Verus est sermo, quem audivi in terra mea super sermonibus tuis, et sapientia tua : et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi, quod media pars mihi nuntiata non fuerit. Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. III. *Reg.* X, 6.

Josephus Patriarcha propter singularem suam prudentiam, in Proregem Ægypti assumi, et audire a Pharaone meruit : Tu eris super domum meam; et ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Uno tantum regni solio te præcedam. Gen. XLI. 42.

Daniel superabat omnes Principes, et Satrapas honore, et dignitate, quia ut Scriptura ait, amplior Spiritus Dei erat in illo. Unde et Darius Rex eum super omne regnum constituere decreverat. Dan. VI, *n.* 3.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius quanta fuerit prudentia præditus, et scripta, et facta testantur, ita ut merito Doctorum quemdam Theologum alterius Religionis dixisse fama perhibeat, credere se quidem, plures esse in cœlo, qui eum sanctitate superent; an vero unus eum prudentia superet, vix persuadere se sibi posse. Ratione plurimum, et consilio utebatur, crebro usurpans; a belluis hominem sola ratione differre. Unde ipse in omni actione, et finem actionis, et media, modosque perfectissimos eas perficiendi excogitabat. Ut omnes lucrifaceret, ambitiosis splendida, avaris utilia, voluptuosis jucunda proponebat. In congressu maxime Principum videbat, ut initia illis daret, extrema reservaret sibi, cavebatque, ne de rebus etiam divinis inepte ageret. Tristem, et horridam sapientiam semper vitabat, quantum potuit, sed ad communem consuetudinem accommodans, ita ut ejus mores prima fronte intuentibus, unus aliquis et populo videretur esse (*Hist. Soc. p.* 2. *l.* XI. *n.* 102). Non erat quidem in agendo cum aliis suspiciosus aut timidus, attamen valde circumspectus ac providus, ut illi non facile quisquam posset imponere. (*Ibid.* XII). A cœna insequentis diei negotia disponebat. Cum omnia pietatis opera ad salutem proximi spectantia complecti non posset, magno delectu præferebat publica privatis; perpetua iis, quæ ad tempus fiunt: certa incertis; secura periculosis: neque tam videbat, quantæ res ipsæ essent, quam quantum spei ad eas conficiendas ostenderetur. (Ribad. V, ii). Hinc, aiebat, non res nobis, sed nos rebus accomodari debere. In vocandis hominibus ad virtutem, suis armis petendum Satanam dicebat: sicut enim ille animam justi non continuo apertis armis et insidiis, sed tecte oppugnat, nihil primo bonis actionibus adversando, immo multa, quæ honesti speciem præbent, suggerendo, donec tandem incautum decipiat; ita in alliciendis ad salutem animis, laudanda prudenter initio in hominibus, quæ sunt recta, vitiis parumper intactis, ac leniter in eorum gratiam irrependum. Qua conciliata tum demum admovendam medicinam. (Rib. I, x). Aiebat sanctitatem per se solam valere plurimum, sed nisi cum prudentia agendique cum hominibus modo conjuncta sit, mancam fore ac infirmam, plusque sæpe exquisitam cum mediocri sanctitate prudentiam in gubernatione efficere, quam sanctitatem majorem cum prudentia minori. Censebat eos qui in rebus divinis nimis prudentes esse volunt, haud sæpe magna præstare; numquam enim se ad ea, quæ pulcherrima sunt, admoturum illum, qui eorum difficultates, et ancipites eventus scrupulose cogitat, aut anxie nimis reformidat. In formula instituti dixit: Revera hoc institutum omnino humiles, et prudentes in Christo, et in Christianæ fidei puritate ac litteris conspicuos exigit. *Hist. Sac. p.* 1, *l.* III, *n.* 49.

S. Franciscus Xaverius mira erat prudentia in convertendis peccatoribus; nam primo dissimulabat eorum vitia, omni affabilitate eos devinciens, tum recensitos varios malorum casus, eorumque vitam divinis mandatis contrariam ostendens, eos convertebat. Si quando aliquis improba diceret, nullam indignationem ostendebat, nec errantem tum reprehendebat, sed in ejus familiaritatem se insinuans, et seducens hominem sine arbitris monebat dicens mirari se, talia illi verba excidisse. Exiguos fructus cum hominum approbatione, maximis fructibus cum aliqua vel minima offensiuncula potiores ducebat; parvos quippe fructus cum virtutis exemplo perceptos, et diuturnos esse, et semper augeri; contraque ingentes offensione hominum vitiatos, paulatim corrumpi ac interire. Vit. II, xvii.

S. Franciscus Borgia divinæ suæ, plus quam humanæ prudentiæ, hoc argumentum illustre dedit, quod excelso animo bonis fortunæ, titulisque omnibus nuntio remisso, sponte Christianam inopiam sic sectatus. Si qui societati nomen dare vellent, minimisque rebus, ut sit, initio urgerentur quo minus se totos addicerent, largiri illis minuta, funemque concedere, salva tamen religione, et spe commodi majoris, solebat, gnarus futurum, ut tempore ipso exigua illa et parva, veluti nebulæ sole dissiparentur. Fratres Coadjutores, Dei sapientes appellare consuevit, gnarus, Deum precantibus illis ea suggerere plerumque solere, quæ mundi sapientes e libris haurire solent. Qui cæteris præessent, dicebat, non una omnes regula metiri debere, sed bonos milites imitari, qui pro fistulæ captu machinam bellicam sulphureo pulvere implent, ne diffiliat. Vit. IV, viii.

P. Jacobus Laynes vir fuit omnibus numeris absolutissimus, ingenio maximo, judicio accerrimo, excellenti memoria, prudentia singulari; qua ad omnium se ingenia facile aptabat, sermonemque prudenter temperabat, sicque plerosque, cum quibus agebat, lucrifaciebat. *Biblioth. Scrip.*

P. Petrus Faber mira prudentia in suis actionibus quatuor capita arcte observabat, 1. Ut unamquamque rem gerendam prudenter inspiceret, an ea esset ejusmodi, ut sua sponte referretur ad Deum, et cum suo animo esset salutaris, tum utilis alienis. Deinde qua mente, quove animo fieret, ut ab utraque gena commendaretur ejus animæ facies, eique jure dici posset a sponso : Quam pulchræ sunt genæ tuæ. Tum quo ductus spiritu unamquamque rem gereret, ne quod amanter, et filiorum more gerendum esset, id ab eo serviliter gereretur. Denique perdenderet ipse secum, quanta sit facilitas Dei, quanto clementia in eo accipiendo, quod damus, admittendisque laboribus ac contentionibus nostris, cum solus ipse dolorem laboremque consideret. VITA. III, XVI.

P. Mutius Vitelleschus prudentia tam singulari erat præditus, ut ob eam, morumque suavitatem a Summis Pontificibus, aliisque Primatibus summi semper fuerit æstimatus, sed et domesticorum, quos regebat, animos mire sibi devinxerit. *Meneleg. et Biblioth. Serm.*

Decumbedat gravi valetudine Franciscus Padillia, genere, ac virtute nobilis, et forte ab inexperto tyrone, cui ægri curatio obvenerat, adeo præpostere omnia administrabantur, ut vir prudens non dubiam perniciem sibi sentiret imminere : angebatur animo, an indolentiæ simulatione singulari, rem agi ac ferri sineret, an vero modeste id Rectori significaret. Hinc ab insito, vitæ amore trahi, virtutis inde specie allici. Stat consilium Gonzali Gundisalvi severissimi senis, peræque ac prudentissimi super ea re sententiam sciscitari. Ille ubi de ægro rem omnem intellexit, vehemens actor fuit, ne oblatam crescendi opportunitatem elabi per anima mollitiem sineret, quam olim doleret amissam : præstare vitæ virtutem, eamque veram esse patientiam, quæ patientis in sinum congesta reliquorum conscientiam fugeret, frugifero virtutis compendio, quod si mori contingeret, id enim vero viro forti in votis esse, togatumque martyrium videri. His ubi dictis ægrum patientiæ jam certum relinquit, propere ad Rectorem adiit, peractoque indicio, ne tanta virtus unius tyrunculi negligentia concideret, sapientia perfecit. Maximam humanæ felicitatis partem esse, prudentibus uti consultoribus servata vita, et virtus ægri patefecit. Jo. RHO. III, *select. virt.* XII, *n.* 5 *ex nostris.*

EXEMPLA PROFANA.

S. Barlaam prudentiæ primarium officium ingeniose sequenti parabola demonstrabat : Civitatem quamdam didici fuisse magnam, cujus cives talem habebant consuetudinem antiquitus, ut assumerent extraneum aliquem, et ignotum virum, nihil legum civitatis suæ, et traditionum scientem, et hunc sibi Regem constituebant, qui omnem potestatem accipiebat, et suarum voluntatum perficiendarum facultatem habebat, usque ad completionem unius anni. Deinde in omni securitate eo permanente, deliciisque, ac suavitatibus sine ulla formidine, et secum semper permansurum regnum existimante, repente surgentes cives illi contra eum, regali ablata stola, nudum per totam trahentes civitatem, exulem transmittebant in magnam ac longius remotam insulam, in qua neque cibum inveniens, neque vestimentum in fame ac nuditate male atterebatur, voluptate scilicet, atque animi hilaritate, quæ præter spem ipsi concessa fuerat, in mærorem, rursus præter spem omnem, et expectationem commutata. Interea juxta morem et consuetudinem civium illorum ordinatus est quidam vir in regno, qui non exiguo mentis intellectu vigebat, qui tanta, ac tali ex improviso accidente sibi abundantia mox non est dissolutus, nec ab ea raptus, neque eorum, qui ante eum regnaverunt, et miserrime ejecti fuerunt, incuriam secutus est, sed solicitudinem gerabat, et laborabat animo, quomodo se, et sua bene disponeret. Dum ergo assidua meditatione diligentius ista pertractaret, cognovit per quemdam sapientissimum consiliarium suum, consuetudinem civium, et locum perennis exilii, et quomodo oporteret semetipsum custodire, sine errore edoctus est. Hoc ergo, ut agnovit, et quia oporteret eum prius paululum ad illam applicare insulam, hoc quoque caducum regnum, et peregrinum alienigenis rursus delinquere : apertis thesauris suis (quorum tunc liberam habebat facultatem, et de illis, quod vellet facere) accepit pecuniarum multitudinem, auri videlicet, et argenti, et lapidum pretiosorum amplissimum pondus, et fidelissimis committens famulis in illam præmisit, ad quam ducendus erat, insulam. Peracto igitur anni termino, in seditionem versi cives, nudum (sicut et illos, qui ante eum fuerunt), in exilium transmiserunt. Tunc cœteri stulti, et temporales reges male fame cruciabantur. Ille vero qui divitias ante ibi deposuerat in abundantia perpetua vivens, et delicias infinitas habens, timoreque prorsus inconcusso, infidelibus, et malignis civibus, sapientissimo seipsum beatificavit consilio. Civitatem ergo intellige vanum istum, et deceptorem mundum; cives autem, principes et potestates dæmonum, mundi rectores tenebrarum sæculi hujus, sapientem vero, qui regem præmonuit de consuetudine civitatis, quemlibet sanctum doctorem, et prædicatorem; exilium, futuram vitam, ubi, qui anno suo, id est, tempore hujus vitæ deliciis servierant, in perpetuas miserias detrudendi sunt. Qui vero de futuris solliciti, opera bona, tamquam divitias præmiserunt, æternis deliciis fruituri sunt. S. DAM. *in hi.* XIV, *inter Trapezunito.*

Erat quidam nobilis adolescens, qui valde sagax ingenio, regi patri successit in regno. Hinc accidit, ut in regia civitate nundinis constitutis, Rex cum sodalibus suis ad inspiciendos institores, et res venales circuiret. Et videns hominem grandævum ætate, assidentem mensæ vacuæ in nundinis, quærit, quis sit, et si quid venale haberet. Cui ille : Dicor, inquit, Philosophus, sapientiam venalem habeo. Ad hoc gravisus Rex, et subridens : Bene, inquit, ut juvenem constitutum in regimine, mihi competit sapientiam habere : tu autem videas, quantum velis vendere pro centum marcis. Et senex : unum, inquit, tibi pro statuto pretio dicam, quod si bene tenueris, optime per illud regeris, et reges. Temere nil loquaris, temere nil attentes, nisi prius cogites, quid sequatur ; si plus volueris, addas et pretium. Ad hoc igitur omnibus concitatis in risum, Rex considerantius verbi pondus advertit, et Philosopho statim solvi pretium promissum imperavit. Verbum autem, quod acceperat in superliminaribus Palatii, et in mensis, et in scyphis aureis, et manutergiis scribi fecit. Hinc postea successu temporis Rex in sapientia, et virtute proficiens, instituit fortius animum, eripere plebem humilem de manu potentium, qui a nobilibus terræ graviter premebantur, et regnum suum in omni justitia gubernare. Pro quo nobiles sui in seditionem versi, cum nequaquam in manifesto, propter favorem populi, contra eum auderent aliquid attentare, occulte quemdam rasorem pretio conduxerunt, ut regem in conclavi radendum novacula jugularet. Ergo ubi Rex humectata barba se radendum exhibuit, dictus rasor in manutergio, quod erat circa collum Regis, scriptum legi : Temere nil attentes, nisi prius cogites, quid sequatur. Et super proposito scelere pavefactus, expalluit, et manum tremulam mox retraxit. Quo viso Rex causam exegit, nec sine causa eventum considerans, dissimulantem rasorem, quasi hoc sibi ex infirmitate contigisset, extendit ad pœnam, et veritatem rei cum tormentis extorsit. Sic ergo Rex liberatus a morte, consilium a Philosopho datum amplius suspexit, ejusque auxilio feliciter gubernare perrexit; quin vere didicit, quia melior est sapientia cunctis opibus, et omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. *Spe. Ex. dist.* V, *ex* XCVII, *in voc. Sapientiæ ex cantiq.* II. XLIII, p. 2.

Panquiacus erat Camagræ Reguli filius, natu maximus, cui cum ditio esset illis in montibus, qui Peruccio imminent, arcta cum Hispanis Pizarro, Almagro, aliisque autum per eas regiones quærentibus erat amicitia, et quibus tunc erat finis, aurum largiter donabat, ut rem domui suæ non necessariam. Quod cum illi libra odiose appenderent, ac rixa ab avaritia oborta gladios stringerent, medium se inferens, ac lances auro graves impacta palma indignabundus evertens Panquiacus : hæccine, inquit, o viri, gladiorum causa? non pudet, ob aurum sanguinem dare? verum si tanta ægro jecori auri est rabies, huc mecum agite; duxit hæc increpans altissimum in cacumen, unde et mare, quod pacificum vocant, et regionem argenti aurique ditissimam despectarent. Tum addit, illic affatim auri esse, posse omnibus fieri satis. Jo. RHO. V, *n.* 1.

Sequitur ab eodem mundi cardine iisdem Hispanis datum a barbaro sene prudentissimum monitum. Jactabant se, suamque potentiam, et virtutem Deo proximam, qui eo, post primos, appulerant, ut gentes illas magno Dei judicio novam in sobolem reparandas, sævitia insaturabili exhaurirent; admonuit Caziquorum antiquissimus (sic Principes vocant) quem longa ætas, et indoles minime barbara audentem faciebat, ne in innoxios, atque inermes sævirent, sed potius, collatis beneficiis, vellent imperare; omnia enim nostra æternorum, quæ demortuos excipiunt, lance esse pendenda. *Ibid. n.* 2.

Exutum paterno Japoniæ imperio Gyfonium Noburiangæ filium, habebat tamen in aula Faxiriba, ex centurione jam Taicosama, hoc est, Imperator, homo solertissimi ingenii, sed ambitione in crudelitatem corrupti. Ita solemnes inter ludos, quibus sororis filium Quabacondonum successioni propius admoverat, pupugit senis animum, quod eidem saltanti, choreasque ducenti, clarius, sibi (nam ad hæc demiserat majestatem popularis auræ coronatum mancipium) seni minimeque vegeti roboris, plausisset theatrum. Ergo dissimulata ira, ut eam tamen quantulamcumque demum gloriæ partem Quabacondono eriperet, accitum ad se Gyfonium saltare jubet, certus elegantia totius actionis, et decore membrorum ante Quabacondonum futurum. Sed non fefellit adolescentem veteris ac præsentis fortunæ comparatio cautissimum, imminens a victo Principe periculum; nam occultissimi senis invidiam non introspexerat. Itaque studio aberrare, et in elegantiam artis peccare quam plurima. Quod ut vidit Taicosama, qui alienum a Quabacondono animum celatum tunc maxime vellet, arcte juvenem complexus est, ac prudentiam laudavit; quasi æquum sit, iis, quos fortuna imperio omnibus antetulit, artibus ingenioque neminem præire. *Ibid. n.* 5.

Nec subticenda hoc loco Solymanni Turcarum Regis prudentia. Bizantii Judæus Christiano certam auri summam mutuam dederat, uti constituta die præter sortem, usuræ loco, duas carnis ejusdem Christiani uncias reciperet. Die illa sortem reddit, Christianus. fœnus negat. Aditur Solymannus, ut rem decidat. Ille Judæum animo detestatus, novaculam, adferri jubet. et Judeo potestatem facit. ut, qua velit membri parte, debitori duas carnis uncias excindat. ea lege, ut omnino duas tantum : si minus, plusve exsciderit, capite luiturum. Non ausus Judæus. hanc aleam subire, Christianum absolvit. Æneus Syltius, *l.* II, *de gestis Alphons.*

Achitophel tam prandem sibi prudentia sua famam comparaverat, ut, Scriptura teste, consilium, quod dabat in illis diebus, æstimatum fuerit. quasi si quis consuleret Deum. II. *Reg.* II, VIII, 15.

Semirami privata adhuc, habituque ignobili ad Bactrianum bellum profecta, ut cum marito esset, una omnium monstravit Regi, quomodo hostis brevi debellari posset. Quo virtutis rudimento Reginæ nomen adepta post viri interitum regnum a Nino relictum sapientissime rexit, et auxit. Marcus, *Act. Coc. Sabel.* I, *ex* VIII.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut ii, qui olfactus sensu integerrime vigent, eum, qui clam habet aromata, ignorare non possunt; ita et anima purissima fragantiam odoris, quia ipsa perfecte liberata est, si sit in aliis, agnoscere (cæteris sine odoris sensu permanentibus) solet. S. Clim. *grad.* XX.

Sicut Dialectica ad hoc potissimum inventa est, ne in veritatis inquisitione deciperemur, et ut vera a verisimilibus discerneremus; ita nobis pro Dialectica discretio esse debet, ut veram virtutem a falsa virtutis specie disjungamus, ne videlicet. quod multis contingit, vitium virtutis specie nos fallat. Granat. *in locis com V. Pruden.*

Sicut exercitum ducit Imperator, Gubernator navigia, mundum Deus, animam ipsa mens; sic ipsam felicitatem præsentis vitæ temperat regitque prudentia. Stobæus *in s. virt.*

Sicut serpens cognoscens, quod in capite suo tota vita consistat, reliquum corpus exponit periculo, ut caput defendat; ita verus prudens caput suum. id est, Christum ac ejus fidem, et charitatem ut defendat, alia omnia libenter jacturæ periculo exponit. S. Epiph. *hac* XXXVII.

Necessitas. — Sicut auriga ulterius tendenti necessarius est. qui equos in recto tramite contineat. et ad officium faciendum compellat; ita ad veram virtutem contendens prudentia opus habet, qua indomitas passiones cohibeat, ne a vero virtutis tramite abscedant. quæque ad exercitium propositæ honestatis impellat. Gran. *l. c.*

Sicut gustus necessarius est ad discretionem saporis in cibis; sic prudentia ad discernendum. quæ bona vel mala homini accidere possunt. Isidor. IV, *Epist.*

Sicut civitas muris carens, exposita est omnium injuriis, insidiis, et ruinæ periculo; ita vir, qui non omnia cum consilio et prudentia agit, nunquam ab insidiis mundi, carnis, et diaboli securus erit. Cassian. *col.* II, 2.

Utilitas. — Sicut civitatum certissimum munimentum, viri fortes sunt; ita in uniuscujusque nostrum civitate, quæ constat ex anima et corpore, pro firmissimo propugnaculo sunt cogitationes amicæ prudentiæ. Philol. Jud. *l. de Sacri. Abel.*

Sicut nostris corporibus interitum morbus, incolumitatem vero adfert sanitas; sic animas prudentia servat, cum ipsa sit mentis sanitas; imprudentia vero interimit, utpote gravissimus et insanabilis animæ morbus est. *Ibid.*

Dignitas. — Sicut adultum ab infante distinguit judicium; ita virum perfectum, et virtuosum ab imperfecto prudentia discernit. Granat, *in loc. co.*

Sicut caput, quod reliquis membris prospicit, prima summaque pars est corporis; ita prudentia, quæ reliquas virtutes dirigit, primum inter morales virtutes locum merito obtinet. Philol. i, *legis alleg.*

MOTIVA.

Necessitas. — Quam Christus sufficienter indicavit, dum Apostolis suis Evangelium prædicaturis hanc ante omnes alias doctrinam commendavit : Estote prudentes, sicut serpentes.

Utilitas. — Juxta illud Salomonis : Ubi non est Gubernator, populus corruet; salus autem, ubi multa consilia. (Prov. ii, 14.) Certe, ut nec iter peragenti, nec prælium inituro quicquam ad feliciter obtinendum finem aptius est perito Duce; ita ad virtutem tendendi, et contra vitia pugnaturo nihil prudentia optabilibus accidere potest. Hinc jam olim Agesilaus Lacedæmonios admonuit, ut in unum Epaminondam Ducem converterent prælium, sic enim facile ab iis victoriam obtenturos, quod et factum. Plutarc. *in Lacom. Apoph.*

Dignitas. — Nam prudentia Deo similes facit, teste Jamblicho; hinc Deo tantopere placuit petitio Salomonis, qua petere quod vellet, jussus, cor docile et sapiens petiit. (Stobæ *S. de prud.*) Sed et apud homines honorem et gloriam conciliat, teste Salomone dicente : Habebo propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis, et acutus inveniar in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies Principum mirabuntur me. Propterea habebo per hanc immortalitem, et memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. (Sap. viii, 10.) Et iterum : Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius. *Ibid.* vii, 11.

Jucunditas. — Tum quia prudentiæ proprium est optima optare, eligere, ac agere, ut Aristoteles docet, unde juge convivium securæ mentis instruitur : tum quia docet finem suum assequi, quo nihil jucundius et optabilius homini accidere potest. (Lib. I, *mor. mag.* xxxiv.) Hinc Cicero testatur, nihil esse hominis prudentia dulcius, aut sagaci ac bona mente melius. (*In Tusc.*) Sed et Salomon de se fatetur : Lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia. (Sap. vii, 1. E contrario vero non potest esse jucunda vita, ubi prudentia abest, ut idem Cicero dixit, et merito, cum enim prudentia sit mentis oculus, hac qui caret, ncessario cum cœco Tobia exclamare cogitur : Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? *L.* V. Tusc. Tob. v, 12.

Securitas. — Nam, teste Antisthene tutissimus murus prudentia est, hic enim nec proditur, nec collabitur. Hinc Seneca : Sapiens ad omnem incursum munitus et intentus est, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem refert : interritus contra illa ibit, et inter illa. Sapiens plenus est gaudio, hilaris et placidus, et inconcussus, cum diis ex pari vivit. Laert VI, vi, *Epist.* lx.

MEDIA.

Oratio. — Sic enim Salomon suo exemplo docuit dicens : Optavi, et datus est mihi sensus : invocavi, et venit in me spiritus Sapientiæ. Sap. vii, 7. Idem medium suasit S. Jacobus his verbis : Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei. (Jac. xii, 6.) Et Cassianus inquit : Est discretio non mediocris virtus, nec quæ humana valet industria comprehendi, divina fuerit largitate collata. Cassian, *coll.* 2. viii. *Vita l. s.* xi.

Meditatio. et consideratio crebra : Nam, ut sapienter S. Ignatius advertit, multum cohibet, et quasi vinculis quibusdam exultantem naturam constringit meditatio, et consideratio animi, et assidua accurataque eorum, quæ cogitaveris, dixeris egeris commemoratio. Hinc recte antiqui dixerunt, deliberandum esse diu, quod statuendum est semel. Hujus considerationis necessitatem sic ostendit Didacus Nyssenus. Hoc deplorabit, et quis non illi collacrymetur Propheta Jeremias, XII, 11, dicens : *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Periit mundus, quia perdidit considerationem rerum necessariarum : jacet mundus, quia abjecit memoriam eorum, quorum recordari vel semper, vel persæpe deberet. Nam si ex animo, et serio cogitarent homines, et qua par est, attentione pensarent, quanta sit unius peccati gravitas, quam fugitiva voluptas, quam longiturnus cruciatus, quam strictæ rationes, quam rigidum judicium, quam tenax recti judex, numquam ita in vitia se effunderent, nec tam insipienter, ac *stulte agerent.* Audite. Inter duos latrones medius hærebat Christus probroso Crucis ligno fixus, crudelesque, et efferati hostes illius, pro eo, ut acerbissimis ignominiosissimisque ejus cruciatibus compaterentur, et condolerentur, id unice agebant, quo augerent dolores, exaggerarent tormenta : itaque ut Centurio blasphemias falsitatis argueret, et dilueret injurias, aiebat : *Vere hic homo Filius Dei erat :* erratque quisquis aliter de illo, quam de vero Dei Filio, sentit. Hic jam quæro, quid causæ esse possit, quare, cum cæci illi, et perditissimi homines nullo misericordiæ sensu erga Christum in cruce et clavis pendulum moverentur, quin, opprobriis et improperiis, et blasphemiis illum præterea lacesserent, ac lacinarent, solus illum tam plurimum et honorarit, et laudarit Centurio, ut Filium Dei appellaret, ac prædicaret? qui factum, quod abyssum dejicerent? Audite sanctos Marcum et Matthæum, quid dicant . Perjuri, *Judæi ac* perfidi *scribæ prætereuntes blasphemabant eum,* inquit Matth. XII, 39, et de Centurione Marcus : *Ex adverso stabat,* XV, 39. Ex adverso Christi positus Centurio gradu, sed animo magis fixo acutissime arbitrabatur patientiam Christi raram, humilitatem profundam, charitatem numquam audita ejus, qui etiam pro eis Deum Patrem obsecrabat, voce a quibus jam tunc crucifigebatur, motusque tali spectaculo, Filium Dei illum pronunciabat; sed infames ac nefarii Judæi prætereuntes blasphemabant, præteribant, et non considerabant id, quod Centurio advertebat, qui ex adverso stans, fixo animi vestigio premebat id, quod ob oculos habebat, et coram erga Christum agebatur. Et quoniam Judæi solum in transitu, obiterque rem spectabant, inde factum, ut Christum tam inverecunde, propudioseque blasphemarent. Hinc etiam venit tua peccandi levitas, ac libertas, quod cogitando vix leviter attingas lethalis noxæ pondus, et rigorem judicii, quæ si exemplo Centurionis presse, atque intente meditareris, profecto non tot culpis te obstringeres, neque tot flagitiis attaminares. DID. NYSS. § V, *in fer.* II, *post Dom.* I, *quadr.*

Discussio quotidiana conscientiæ, Uti Sanctus Bernardus suasit sequentibus verbis : Integritatis tuæ, inquit, curiosus explorator, vitam tuam, in quotidiana discussione examina. Attende diligenter, quantum proficias, vel quantum deficias, qualis sis in moribus, et qualis in affectibus : quam similis sis Deo, vel quam dissimilis : quam prope vel longe non locorum intervallis, sed morum affectibus. Stude cognoscere te, quia multo melior et laudabilior es, si te cognoscis, quam si te neglecto, cognosceres cursus siderum, vires herbarum, complexiones hominum, virtutes gemmarum, proprietates aquarum, naturas animalium, et haberes omnium cœlestium, et terrestium scientiam. Redde ergo te tibi, statue te ante te, tanquam ante alium, et sic temetipsum plange. Hæc est optima prudentiæ actio.

Reflexio : Pictorum more, qui opera sua priusquam absolvant, per intervalla contemplantur, et frequentiori examine etiam minutissimos defectus deprehenduntur, et emendant. Certe hoc medio, et priori, S. Ignatium ad tam insignem prudentiam pertigisse, historia Societatis testatur. PLUTARCH. *l. de cohib. ir. hist. Soc. lib.* XVI.

Interrogatio : Quæ duplex esse debet. Prior defectibus ab aliis in se observatis, quod remedium S. Franciscus Xaverius suasit, dicere solitus : Quærendi fideles amici ac monitores, qui si quid a vobis in vestris peccatum est muneribus, amice vos libereque admoneant, ut vestra vitia, quæ vos ipsos fugiunt, (in his enim quisque vitiis hebetior est, quam alienis) per alios cognita exuatis. Posterior est de negotiis occurrentibus transigendis, de quibus recte suasit Ecclesiasticus : Fili, sine consilio nihil facias. (ECCL. XXXII, 24.) Et iterum : Narratio seniorum non te prætereat; ipsi enim didicerunt a patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum. *Ibid.* VIII, 11.

Collatio : Præcipue cum sapientibus, qui enim cum his graditur, sapiens fiet, teste Salomone; Amicus stultorum similis illis efficietur. (PROV. XIII, 20.) Hinc Antonius Pius omnia sua cum gravibus viris conferens dicere solebat, æquius esse, ut ipse tot taliumque virorum consilia sequatur, quam ut tot talesque amici unam ipsius voluntatem sequantur. (JOS. LANG. *in Polyan. V. Consil.*

Librorum lectio : Quod medium Aristoteles Alexandro suasit dicens : Annales patrum discute, inde enim poteris bona exempla extrahere, quia acta præterita dant certum documentum in futuris. (SENECA *in l. de ben.*) Hinc Rex Alphonsus interrogatus, quibus consiliariis maxime delectaretur? Libris respondit, a quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, audiret. (PANOV. III, *de gest. Alphon.*

Recordatio præteritorum : Nam multarum rerum magister tempus est, testibus antiquis Philosophis, ex quibus Bias interrogatus, qui optimus foret consiliarius? Tempus respondit. STOBÆUS.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, ut veram prudentiam a falsa bene distinguere discat : nam, ut S. Basilius sapienter advertit, una est prudentia proprii commodi custos, et alieni doli observatrix, qualem serpens habet; ille si quid periculi imminere viderit, caput super omnia custodit; ea videtur esse versutia illa, quæ prona est ad proprium commodum, et simpliciores defraudandos, qualis prudentiæ fuit ille sæculi prudens, et injustitiæ æconomus apud Evangelium; vera autem prudentia eorum, quæ agenda sunt, et non agenda, cognitio est, quam si quis recte sectatus fuerit, numquam ab officio, virtuteque discedet, numquam vitiorum pestem incurret. Hæc eadem divisio prudentiæ est apud Apostolum, qui ait : *Prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus, vita et pax ; quoniam sapientia carnis inimica est Deo : Legi enim Dei non est subjecta.* Ut vero facilius utraque cognoscatur, sequentia indicia exhibet S. Gregorius dum ait : Carnis prudentia est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, fallacia demonstrare; irrogata ab aliis mala multiplicius reddere, ac cum vires suppetunt nullis resistentibus cedere. E diverso, veræ prudentiæ actus sunt, nil per ostensionem fingere; sensum verbis aperire; vera, ut sunt, diligere; falsa devitare; bona gratis exhibere; mala libentius tolerare, quam facere; nullam injuriæ ultionem quærere; contumeliam pro veritate lucrum putare; pro maledicentibus orare. Hæc vera est prudentia, hanc dominicum præceptum exigit : *Estote prudentes.* Officium et natura prudentiæ est, et optimum finem et optima media præscribere, quem in finem tria potissimum tempora observat, uti Seneca notavit, dum dixit : Si prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus dispensetur : præterita cogita, præsentia ordina, futura provide. Primum per cautionem, alterum per circumspectionem, tertium per providentiam. S. BASIL. XII, *Hom. in* I, *Prov.*

Nosse debet, quid in specie prudentia discernere, et dictare debeat. Id quod S. Albertus Magnus sequentibus verbis indicat : Discretio vera est, prudenter judicare inter Creatorem, et creaturam, quid sit bonum, quid melius, quid optimum, quid malum, quid pejus, quid pessimum. Quantum bonum sit appetendum, quantum malum detestandum. Item quantam reverentiam debeat homo superiori, quantam clementiam inferiori et compassionem, qualem societatem æquali : qualiter debeat se habere ad mortuos, qualiter ad vivos, qualiter ad prædecessores, qualiter ad successores, qualiter ad amicos, ut diligantur in Deo; qualiter ad inimicos, ut diligantur propter Deum; qualiter coram Deo occulte, qualiter coram homine manifeste : quæ refectio carni, quæ spiritui impendenda sit : quibus vestibus induendum : quando comedendum, quando bibendum, quando abstinendum, et quantum, et a quibus cibis : quando vigilandum, et quando dormiendum, et quantum, et quamdiu : quando orandum, quando flendum, quando aliquod opus faciendum : quomodo se habendum ad laudem, quomodo ad reprehensionem, quomodo loquendum, quomodo tacendum, et quando, quantum, et de quibus causis, cum quibus, quo loco, quo tempore : quando accipiendum, quando retinendum, quando largiendum, et quantum, et quibus, et quo tempore. De omnibus his ordinate et prudenter dijudicare, est vera discretio. Hæc virtus est magistra omnium virtutum, statuens omnibus modum et ordinem; ubi autem discretio non est, ibi charitas non servat ordinem, nec modum. S. Albert. *Magn. in paradis.* xxxiv.

Nosse debet, ante omnia prudentiam requirere, ut quis non nimium innitatur prudentiæ suæ; uti sapienter S. Bernardus advertit, dum dixit : Lepra proprii consilii eo perniciosior est, quo magis occulta, et quanto plus abundat, tanto sibi quisque sanior esse videtur; hæc illorum est, qui zelum habent Dei, sed non secundum scientiam, sequentes errorem suum, et obstinati in eo, ita ut nullis velint consiliis acquiescere; hi sunt unitatis divisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, et magni in oculis suis, ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere; et quæ major superbia, quam ut unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tamquam ipse solus spiritum Dei habeat! Idololatriæ scelus est, non acquiescere, et quasi peccatum ariolandi, repugnare. Eant nunc, qui se faciunt religiosiores aliis, qui non sunt sicut cæteri hominum, ecce arioli, et idololatræ facti sunt. S. Ber. *s.* iii, *de Resur.*

Nosse debet, nihil perinde ad prudentiam necessarium esse, quam discretionem; uti sat clare Cassianus indicavit, dicens : Tam beati Antonii, quam universorum sententia definitum est discretionem esse, quæ fixo gradu intrepidum hominem perducat ad Deum, prædictasque virtutes jugiter conservet illæsas; cum qua ad consummationis excelsa fastigia minore possit fatigatione conscendi, et sine qua multi etiam propensius laborantes perfectionis nequiverint culmen attingere; omnium namque virtutum generatrix, custos, moderatrixque, discretio est. (Cassia. *coll.* 2, iv.) Id quod etiam Thomas Kempensis confirmavit, dum ait : Discretus labor sit, ne corrumpat infirmum, aut ad divina reddat ineptum. Nam quod moderatum est, melius perseverat. (Tho. Kem. *s.* xx, § III.) Ipse enim Jesu post itineris fatigationem residebat super fontem, expectans cibum, et humiliter postulans aquæ potum. Indubitatum est, esse laborandum in via virtutis. Sed hoc etiam animadvertendum, debere stadium esse moderatum, et par facultati virium, ne equo gravior sarcina nimium prægravet, et opprimat infirmos humeros, viatoremque reliquo itineri perficiendo relinquat ineptum. Exemplum hujus rei Dominus noster nobis præluxit, qui lassus e longiore via consedit ad fontem Sichem, submisse aquam petiit, qua corporis nimirum ardorem refrigerare et defatigationem levare posset. Sed et Salomon idipsum insinuat, dum de immensa divinæ dextræ potestate sic pronunciat : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter;* Sap. viii, 1, hoc est cum opus qualecumque suscipit, hoc etiam perficit, nec ullis impedimentis retinetur, quin ad fastigium educat, viamque omnem feliciter, ut ingreditur, sic et egreditur : et cum semel introire cæpit semitam, certum possumus nobis promittere illius exitum. Et hoc est attingere a fine usque ad finem, a fine inchoationis usque ad finem consummationis, inquit Richardus de S. Victore (Ric. de S. Vict. *p.* 2, *in ps.* xli.) Quid causæ sit, cur etiam servus Dei feliciter absolvit curriculum, quod semel prospere inire cœpit, subjicit mox rationem Sapiens : *Disponit omnia suaviter;* cordate, discrete, atque ea passus moderatione utitur, ut persequi profectionem usque ad extremam lineam possit. Attingit a fine usque ad finem, quia disponit omnia suaviter, inquit Richardus, Itinerandi itaque perseverantia ex proficiendi moderatione sequitur. Tu fortiter inchoas, tepide consummas. Cur hoc, nisi quia non disponis omnia suaviter, nec scis operari sapienter? incipis, curris, festinas, anhelus lassescis, deficis, non dicam ad finem, sed nec ad medium pertingis. Itaque ut feliciter perficiatur curriculum, necessum est imitari Dominum, qui a fine usque ad finem pertingit fortiter, eo quod vadit suaviter; ubi non est suavis et moderata ordinatio mediorum, ibi felix assecutio finis esse non potest.

Nosse debet, non minimum prudentiæ officium esse quod Cassianus sequentibus verbis indicat : Mensuram virium suarum convenit unumquemque nostrum diligentius ante pensare, atque ad ejus modulum arripere, quam libuerit, disciplinam, quia quamvis omnes utiles sint, tamen aptæ cunctis, cunctæ esse non possunt. (*Cassiam. coll.* xxiv, viii.) Qua in re pulchrum in Jacobo Patriarcha habemus, de quo sic discurrit Didacus Nyssenus : Offerebat Esau fratri suo Jacobo suam vitæ societatem, opitulationemque, si occurrens aliqua necessitas forte requireret. Huic tam officiosæ, et comi oblationi respondit sanctus Patriarcha noster demisse, ac humiliter, non posse tam insignitum admittere beneficium, eo quod teneros et parvulos haberet filios, oves item, et vaccas gravidas, quas una die perire necessum esset, si passu paulum celeriore carpere viam cogerentur. Itaque et rogavit, ut ipse præcederet, seque paulatim, ac pedetentim sequi permitteret, inquiens : Nosti, Domine, quod parvulos habeam teneros, et oves, et boves fætas mecum, quas si plus ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges. Precedat Dominus meus ante servum suum, et ego sequar paulatim vestigia ejus sicut videro *parvulos meos posse.* Hæc verba habent sensum, et doctrinam moralem perutilem, cui valde inhærere debeant quidam imprudentes, et indiscreti, qua prætermissa virium suarum expensione, tam properanter feruntur per viam spiritus ut ante deficiant, quam perficiant iter, et inepti reddantur ad reliquum curriculum absolvendum. Sunt, qui tanto fervoris impetu pœnitentem vitam aggrediantur, ut post non multos passus prorsum corruant, idque, quod onus ad momenta virium suarum non expenderunt, neque curarunt, ut parem humeris sarcinam exciperent. Faciant itaque, quod Jacob, qui dicebat : *Sequar paulatim, sicut videro parvulos meos posse :* vires eorum, quos in via comites habebat, dimensus est, et ad modulum earum voluit, ut per viam pergerent : ut perdurabilis sit profectio, necessum est prudentia uti, et justam virium rationem habere, ad earumque mensuram moderari iter. Ita suadet Doctor mellifluus, serm. XLIX, in cant. inquiens : Discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit et decorem etiam et perpetuitatem. Denique ait : Ordinatione tua perseverat dies; diem virtutem appellans. Est ergo discretio non tam virtus, quam quædam moderatrix, et auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, et morum doctrix. Ubi itinerandi nullus est ordo, nullus modus, discretio nulla, quomodo recte sua cuique diei via designari, et continuari profectio potest? Nonnumquam sensim progredi, nonnumquam accelerare passum, et grandire gradum, nonnumquam moderari, rursumque figere tantisper pedem, et conquiscere est necessum. Qui semper vult properare, et impetu incitatiore per viam pergere, ille facit, ut intermittenda sit profectio, et postremo nihil fecerit, postquam raptim ac præpropere inire viam cœpit. *Nyss.* p. 2, *polic.* IX.

Denique nosse debet quomodo defectus prudentiæ per obedientiam suppleri possit : uti Sanct. Bernardus indicavit dicens : Ne incurrat, qui currit, illuminari necesse est lumine discretionis, quæ mater virtutum est, et consummatio perfectionis; hæc nimirum docet, ne quid nimis; at vero, quia omnino rara est avis in terris, hujus discretionis locum in vobis, fratres, supplet virtus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter, quam imperatum sit, faciatis. S. BERN. *apud Rosignol.* III, *seq.*

Nosse debet acquirere, peritiam, et dexteritatem in primariis tribus prudentiæ actibus, deliberando scilicet, judicando, et imperando, exercendis. In quem finem proderit regulas aliquas in eorum exercitio præ oculis habendas nosse, quales quidem sequentes esse poterunt. I. Pro consultatione : Prima : Fili mi, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebit. (*Eccl*) XXXII, 24.) Secunda : In qualibet causa, intra cum Moyse in tabernaculum ad consulendum Dominum, et audies divinum responsum, et redibis instructus de multis præsentibus et futuris; propterea namque Josue, et filii Israel a Gabaonitis leguntur decepti, quia os Domini prius non interrogaverunt, sed nimium creduli dulcibus sermonibus, falsa pietate delusi sunt. (THOM. *Kemp.* l. III, *de imit.* VI, 38.) Tertia : Multi sint tibi pacifici, et consiliarius sit tibi unus de mille; scilicet vel Deus. vel Superior, vel alius vir prudens, doctus, et rectus, (*Eccl.* VI, 6.) Quarta : Deliberandum est diu, quod statuendum est semel : præcipue si ejusmodi sit decretum, quod revocare non liceat. (*Exod.* XIII, 8.) II. Pro electione sequentur servire possunt : Prima : Non accipias (aut appetas), munera (aut aliud quidpiam ad finem impertinens), quæ etiam excæcant prudentes. Hinc Aristoteles, manifestum est inquit, quoniam impossibile est prudentem esse, qui non sit bonus, tum quia virtutes comprimunt inordinatas passiones, quæ sincerum judicium corrumpunt, (*Arist.* l. VI. *Eth.* V.) tum quia quisque fere secundum affectum judicat, uti Thomas Kemp. bene advertit, dum dixit : Sicut res nobis cordi est, sic de ea frequenter judicamus; nam verum judicium propter privatum amorem faciliter perdimus. (*L.* I, XIV, § I.) Secunda : Quod alteri in præsenti negotio suaderes, prior ipse arripe; nam charitas a seipso incipit. Hinc Livius Salinator in consilio primus rogatus sententiam, neminem fidelius dare posse consilium dixit, quam eum, qui id alteri suaderet, quod ipse, si in eodem loco esset, facturus fuerit. (*Livius. l.*

Dec. IV.) Tertia : Fac modo, quæ quondam facta fuisse velis : præsertim mortis et judicii tempore, uti S. Ignatius in regulis Electionis suasit. Quarta : Semper præferendum est, quod ad finem certius, et abundantius consequendum juvat. Hoc autem ut cognoscatur, rationes pro utraque parte examinandæ et ponderandæ sunt. Cæteris autem paribus semper præferenda sunt commoda majora minoribus, universalia singularibus, duratura pereuntibus, certa incertis, secura periculosis. Quinta : Melius est parvum bonum cum parvo malo, quam magnum bonum cum magno malo ; hoc enim eo ipso, quod magnum sit, omni studio fugiendum est. III. Pro Imperio denique sequentes regulas observasse proderit. Prima : Periculose differtur, quod semel recte eligitur : quia occasio calva est, et quovis serpente magis lubrica : Felicitas consiliorum in velocitate executionis est posita. Secunda : Qui observat ventum, non seminat : id est, qui nimis cupit placere hominibus et displicere reformidat, numquam consilia prudenter concepta exequetur. Prima virtus prudentis, hominum de se judicia spernere. Si vis beatus esse, inquit Wido, hoc primum cogita, æternorum intuitu contemnere, et contemni. (*Senec. de tranquil. anim.*) Tertia : Magnarum rerum etsi successus non fuerit, honestus est ipse conatus; nec honestus tantum, sed meritorius etiam, quia coronat Deus voluntatem, ubi non invenit facultatem.

Nosse debet, et bene observare præcipuas proprietates prudentiæ, quarum tres sunt præcipuæ. Prima *simplicitas* : Quam Servator ipse indicavit, dum Apostolos monuit, ut essent prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ; nihil scilicet fraudis, aut sinistræ intentionis, electioni aut consiliis admiscendo. Secunda *tarditas* : Certe Democritus Ætolus nullam rem tam inimicam esse consiliis dixit, quam celeritatem : præcipitata enim consilia si in transversum agantur, nulla pœnitentia in melius revocari possunt. Tertia *celeritas* : In executione videlicet, juxta commune proverbium quod dici solet : Diu delibera, cito facito. *Liv. apud Langun. v. Consi.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent.* (*Deut*. XXXII.) narrari potest historia supra § VII, num. 2, relata, et ostendi, quomodo illam sententiam ad se aliosque regendos usurpare quisque debeat, in tribus præcipue occasionibus. I. In occasionibus peccandi, ubi vel maxime sibi quisque dicere debet : Nihil incipe, donec exitum respicias : sic enim monuit Siracides : In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. (*Eccl*, VII, 40.) II. In quotidianis actionibus : considerando, quem exitum sint habituræ, si præcise propter motivum naturale et temporale exerceantur; nempe quod eventurum sit quod olim servo cuipiam contigisse scribitur, qui, cum in ultimo morbo dominum suum rogasset, ut vel per mediam horam se a morbo liberaret, isque diceret, in sua id potestate non esse, cum gemitu exclamavit : Heu me infelicem, qui tanto tempore tali domino servivi, qui nec tantillo tempore a morbo liberare me potest, et non potius illi servitium meum impendi, qui et hic a morbo, et ibi ab æterno supplicio eximere potest. Item quod talis olim cum Salomone dicturus sit in agone : Cumque convertissem me ad universa opera, quæ fecerunt manus meæ, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem animi. III. *In tribulationibus* : considerando, quem exitum sint habituræ, si cum impatientia et indignatione suscipiantur, nempe quod propter repugnantiam voluntatis sint graviores futuræ, gravem in purgatorio pœnam mereantur, et præmio inexplicabili, quod per patientiam obtineri potuisset, priventur. Qualem e contrario exitum habituræ sint, is cum patientia et æquanimitate tolerantur, quod nempe leviores sint futuræ, tum propter amorem, tum propter gratiam Dei offerendam : pro purgatorio sint futuræ in hac vita, et inæstimabile gaudium sint promerituræ, juxta illud Apostoli : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur, in nobis. *Rom*. VIII, 18.

Ex occasione thematis : *Omnia bona mihi pariter venerunt cum illa*. (*Sap*. VII, 11.) Ostendi possunt fructus prudentiæ, et præcipue quomodo prudens triplex genus bonorum participet. I. *Bonum* utile, seu divitias : id quod pulchre probari potest exemplo Salomonis, tantas divitias cum sapientia obtinentis, ut similis ei ex Regibus non fuerit, nec deinceps sit futurus. II. Bonum honestum, seu honores : quod iterum exemplo Salomonis probari potest fatentis, quod innumerabilis honestas venerit per manus illius. Et quod habuerit propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis et in conspectu potentium admirabilis fuerit. III. Bonum delectabile : ut idem iterum testatus est dicens : Lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia.

Ex occasione thematis : *Fili mi, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis :* (*Eccl.* XXIII, 24.) Ostendi potest, cur, quando, et a quibus petendum consilium. Et pro prima quidem parte demonstretur, a consiliis sanis pendere salutem publicam (juxta illud Salomonis : Ubi non est Gubernator, populus corruit : salus autem, ubi multa consilia) (*Prov.* II, 14.) et privatam, juxta Siracidem dicentem, Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui ; (*Eccl.* XV, 14.) quæ utraque doctrina ex corruptione naturæ, et excæcatione seu debilitatione intellectus facile probari possunt. Pro altera parte ostendi potest, consilium in quatuor potissimum casibus requirendum. I. In tentationibus ad peccandum; cogitando exitum juxta exemplum vulpis, non tantum vestigia antrorsum sed etiam retrorsum spectantia considerantis. II. In actionibus quotidianis : ad exemplum Monachi ante quodvis opus subsistentis, et ad bonum finem dirigentis, ne audiatur : Præceptor, tota nocte (et vita) laborantes nihil cepimus. III. In statu eligendo, vel prosequendo : uti Christus in deserto docuit. Hic enim, vel maxime locum habet Senecianum illud : Deliberandum diu, quod semel statuendum est. IV. In dubiis bonum Reipublicæ concernentibus; si enim pro privato bono consilium tam sollicite adhibendum est, quanto magis pro communi hic sane consilium consultori vel optimum, vel pessimum, quia sanguis ab ipso requiretur. Pro tertia parte ostendatur, ab iis maxime petendum consilium, qui viginti quatuor Senioribus a S. Joanne descripti sunt similes. (*Apoc.* IV.) Et I. quidem procidunt coram Deo, et coronas suas submittunt, id est, nihil contra Dei honorem, et beneplacitum consulunt. II. Sunt senes; nam uti Plutarchus ait, ea maxime civitas salva est, ubi consilia senum, et juvenum arma obtinent; alioqui timendum est ne eveniat damnum, quod Roboam ex consilio seniorum neglecto passus est. III. Vestiti sunt vestibus albis; id est, ab omni cupiditate, et metu liberi, hæc enim duo capita maxime pervertunt judicium. (III. *Reg.* XII.) Hinc Fridericus Cæsar Consiliariis suis in Curiam vocatis dicebat : Utinam Consiliarii mei in palatii vestibulo duas res deponerent, simulationem, et dissimulationem; sic et ipsi recte consulerent, et mihi facillimum foret inter consilia dijudicare. IV. Librum signatum habentes, id est, secreti tenaces; nam, teste Valerio Maximo, optimum atque tutissimum rerum administrandarum vinculum in Senatu est taciturnitas. Hinc vetus disciplina Regum vitæ periculo silentium sanxerat, teste Curtio; (*Curt.* IV.) nec rem magnam sustineri posse credebant ab eo, cui tacere grave sit.

Ex occasione thematis : *Dixi, nunc cœpi ;* (*Psal.* LXXVI, 11.) potest utiliter ostendi quomodo quivis Christianus prudenter novum annum, et cum eo novam vitam inchoare debeat. Eum in finem proponi potest pro narratione quæstio, cur Veteres a Januario annum inceperint, dicique, id eos fecisse, ut ostenderent, eum, qui sapienter annum inchoare cupit, duas facies et quatuor oculos, ad Jani imitationem, habere debere; unam scilicet faciem, et binos oculos, qui præterita respiciant, alteram cum binis oculis qua futura prospiciant. Quid autem per singulos oculos videre debeant, fusius explicetur. Et I. quidem dicatur, per unum oculum dextrum debere eos respicere præterita beneficia a Deo accepta, ut pro iisdem gratos se exhibeant; nam, teste Cassiodoro, jugiter sibi subvenire facit, cui collatum beneficium semper ob oculos assistit. (*Super Ps. Quoniam misericordiæ.*) II. Per sinistrum debere eos respicere præterita peccata, et actiones, ut, dum cum Salomone vident in omnibus vanitatem, et afflictionem animi relictam, sapiant damno suo, et peccata quidem expient, et detestentur, actiones vero indifferentes per bonam intentionem melius ordinent. III. Per alterum oculum dextrum debere eos prospicere vitam et tempus futurum, dareque operam, ut bene collocent, juxta sancti Pauli monitum : Videte, fratres, quomodo caute ambuletis non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt; (*Ephes.* V, 16.) id quod facient, si opera sua bene absolvere ad Dei gloriam, beneque eorum fructus dispensare studeant. IV. Denique per sinistrum alterum oculum tribulationes futuras prospicere debere, tum ut prævisa tela minus feriant; tum ut artem patiendi fructuose ejusmodi tribulationes addiscere studeant, ne sero illud Apostoli audiant : Tanta passi estis sine causa? (*Gal.* III, 4.)

Ex occasione thematis : *Relinquite infantiam, et vivite, et ambulate per vias prudentiæ :* (***Prov.*** VIII, 6.) doceri pulchre potest perpetuus gradus sapientiæ, seu ars prudentiæ, consistens in sex sequentibus præceptis. I. Noli facere omnia, quæ potes, quia superbia est. II. Noli inquirere omnia, quæ nescis, quia curiositas est. III. Noli dicere omnia, quæ scis, quia stultitia est. IV. Noli credere omnia, quæ audis, quia levitas est. V. Noli dare omnia, quæ habes, quia prodigalitas est. VI. Noli judicare omnia, quæ vides, quia temeritas est. Quæ omnia facile particularibus casibus, et auctoritatibus S. Scripturæ et SS. Patrum firmari ac probari possunt.

Ex occasione thematis : *Estote prudentes sicut serpentes :* ostendi potest, quomodo, juxta hoc monitum Christi, prudentiam serpentis imitari debeamus, scilicet totum reliquum corpus exponendo periculo, ut caput defendamus. Triplex autem est caput, quod defendere debemus. Primum est caput corporis mystici, Christus videlicet, pro quo utique cum Apostolo omnia detrimentum facere debemus, ut eum lucrifaciamus, et cum veritate dicere queamus : Quis nos separabit a charitate Christi? (*Rom.* VIII, 35.) Alterum caput est Religionis, nempe vera fides, sine qua impossible est placere Deo; (***Heb.*** XXI, 6.) atque adeo merito etiam pro illa, opes, honor, sanguis, vita, amici, et omnia exponenda sunt periculo, immo et perdenda, si opus fuerit, ut plurimi Martyres fecerunt. Tertium caput est actionum nostrarum intentio, scilicet a qua omnia bonitas actionum, et meritum dependet, cum quidquid agunt homines, intentio judicet omnes, adeoque merito curandum, ut præ omnibus aliis actionum nostrarum causis, vel circumstantiis, intentio salva consistat.

Ex occasione thematis : *Opera enim illorum sequuntur illos :* (*Apoc.* XIV, 13.) narrari potest Parabola a sancto Barlaam proposita de Rege qui cum sciret morem esse in regno, ut Rex post unum annum in regia dignitate consumptum nudus expellatur in exilium, intra illum annum occulte potissimam divitiarum suarum partem in locum exilio deputatum præmisit, in quem post annum regalatus, omnia, quæ desiderare poterat, abundanter invenit. Applicetur hæc Parabola ad hominem, qui sciens, ratum esse illud S. Jobi oraculum : Nudus egressus sum ex utero matris meæ, et nudus revertar illuc; præmittere et ipse debet veras divitias suas, nempe bona opera; quod proin breviter per comparationem divitiarum materialium cum bonis operibus probetur; subinde breviter ostendatur, per quos præmitti in alteram vitam debeant, scilicet per intentionem bonam, et per manus pauperum; id quod abundantius explicari et demonstrari potest, maxime vero quam secura sit a latronibus infernalibus hæc transmissio.

Ex occasione thematis : *Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis* : (***Luc.*** XVI, 8.) ostendi potest, quomodo prudentia disci debeat a filiis sæculi. Et I. quidem, quomodo recte deliberare, et consulere oporteat, exemplo avarorum, qui antequam vel obolum expendant, tam sollicite considerant, an vel necessitas, vel utilitas tales expensas requirat. Quanto magis autem id faciant filii lucis, spiritualibus divitiis longe præstantioribus augendis inhiantes? II. Quomodo optima quæque eligere, tam circa finem, quam media, exemplo mercatorum, tam varias industrias excogitantium, ut ditescant. Item aliorum seipsos inordinate amantium, de quibus merito Sanctus Augustinus sic locutus est : Bona vis habere; et bonus esse non vis? quid enim est, quod velis habere malum, dic mihi, nihil omnino. Non uxorem, non filium, non servum, non ancillam, non villam, non tunicam, postremo non caligam. Et tamen vis habere malam vitam. Rogo te, præpone vitam tuam caligæ tuæ. (*S. de tempore.*) III. Recte imperare executionem, exemplo aulicorum tam strenue fortiterque imperata sui Principis exequentium, ut eidem placeant, et corruptibilem ab eo mercedem accipiant; quid non præstandum erit, ut summo Regi placeamus, et ut æternum ab illo inæstimabileque præmium speremus.

Ex occasione thematis : *Posside prudentiam, nec obliviscaris, neque declines a verbis oris mei :* (*Pro.* IO, 5.) narrari potest Apologus a S. Barlaam Josaphato narratus de Philomela, quæ capta ab aucupe rogavit, ut eam dimitteret, velle enim se optimam illi doctrinam tradere; qua lege accepta dixit illi : Tria servato in omni vita tua : rem, quæ apprehendi nequit, apprendere ne tenta : rem, quæ non est verosimilis, non credito : rem perditam, quæ recuperari nequit, ne plangito. Cum autem post dimissionem ipsa iterum arbori insidens dixisset, se gemmam magnitudine ovo struthionis non imparem in ventre continere, aucepsque ideo dimissam lamentans iterum ad se invitaret, illa hominem ridere cœpit, ostendereque, quomodo jam nunc doctrinas a se traditas neglexisset. (*Vit.* x.) Hæ ergo tres doctrinæ, velut pulcherrima tria prudentiæ dictamina, fusius explicentur, doceaturque. I Quomodo non debeat quis tentare in hac vita felicitatem omnimodam seu exemptionem a tribulatione, cum omnes nos oporteat per multas tribulationes intrare in regnum Dei, id quod tum sententiis SS. Patrum, tum exemplis probari potest. II. Quomodo non debeat quis credere, quod non est verisimile, quod scilicet felicitas aut in divitiis, aut honoribus, aut voluptatibus consistat; contrarium quippe Salomon aliique suo exemplo docuerunt. III. Quomodo rem perditam non plangere quis debeat; id quod in triplici occasione observandum. *In jactura divitiarum :* ubi potius dicendum cum Jobo : Dominus dedit, Dominus abstulit. (JOB. I, 21.) Imo cum primis Christianis cum gaudio substinenda rapina, eo quod sciamus, nos habere respositam meliorem substantiam. (HEBR. X, 34.) *In funere amicorum :* ubi observandum monitum Siracidis : Modicum plora supra mortuum, quoniam requievit.

Ex occasione thematis : *Videte fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus* : (*Eccl.* XXII, 11.) dici potest, Romanos olim prudentiam triplici vultu pinxisse, ut innuerent per eam tria potissimum tempora observari. I. *Præterita*, ut ex iis etiam fructus referatur, id quod triplicis modo fieri potest. Primo si ex præteritis factis salubria consilia capiantur, vitando occasiones, in quibus cecidimus. Deinde si ex tempore male collocato occasio sumatur vitam valde sanctam et ferventem instituendi, ad morem peregrinorum, qui tarditatem itineris celeritate cursus compensare student. Denique si patienter feratur jactura gravissima temporis; si enim qui jacturam divitiarum æquo animo tolerat grande apud Deum meritum obtinet, quanto magis, qui jacturam temporis, qua nulla gravior est, simili æquitate animi sustinet, simile quoque præmium expectabit. II. *Præsentia* ut bene ordinentur, utiliterque collocentur; qui enim præsens tempus bene impendit, de præterito non dolebit, et de futuro bene sperare poterit. III, *Futura*, quæ providenda sunt, ut pro iis, quæ olim in altera vita necessaria erunt, in hac fructuose laboremus, uti fecit ille Rex, de quo paulo ante num. 7. diximus, eum divitias suas in locum, ad quem relegandum se sciebat, præmisisse.

MICELLANEA.

Qualitas. — In uno homine duplex est homo, interior et exterior; ille viro prudenti, qui sana et utilia suadet et eligit; hic uxori imprudenti similis est; quare ut vir mulierem, ita interior homo exteriorem per prudentiam debet dirigere, et quidquid hic suggerit, suspectum habere. (*Granat. v. prud.*)

Duo sunt infantium propria, ignorantia, et imbecillitas; duo vero virorum, scilicet judicium, et robur. Qui ergo hæc duo posteriora habet, se provectum in perfectione et virtute : secus, infantem se credere debet. *Idem.*

Janus Rex ob prudentiam singularem, qua et præterita et futura sapienter conjecturabat, duas habuisse facies confictus est. Quia res fere omnes aliud in fronte, aliud in recessu recondunt; hinc Salomon monet : Ne intuearis vinum, quando flavescit; blande quippe intrat, sed in fine mordet ut coluber. (*Prov.* XXIII, 31.) Item : Favus distillans labia meretricis, novissima autem ejus amara quasi absynthium. *Prov.* V, 3. *Idem.*

Prudentia Sponsæ per nasum commendatur, dum dicitur : Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum; hæc enim civitas erat caput Syriæ, quæ Israelitico regno semper erat infesta; unde Salomon ad cognoscendas illius insidias in confinibus Libani altissimam turrim ædificavit. *Idem.*

Lycurgus rogatus, cur vetuisset frequentius adversus hostes expeditiones agere; respondit : Ne, dum crebro se defendunt, bellandi peritiam usu addiscant. PLUTARC. *in Lacon.*)

Alphonsus Rex Cathalanis suadentibus, ut Alphonso adhuc adolescentulo septem viri darentur, qui Deum timerent, justitiam colerent, cupiditates sub fræno tenerent, neque donis aut muneribus tangerentur, respondit : Si horum, non dico septem, sed unum tantum dederitis, et continuo illi regimen, et regnum ipsum facile concesserim. PANCYM. l. II, *de rebr Alph.*

Anthisthenes Atheniensis negabat sapientem vivere juxta leges ab hominibus conditas, sed juxta normam virtutis. Sapiens enim non ideo declinat a malo, quod legibus prohibitum sit, sed quod ipsa ratio dissuadet hoc agendum esse. LAER.

Necessitas. — Vis consilii expers mole ruit sua. HORAT, l. V, od. IV.

Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit.

Et sensus cum re consiliumque fugit. OVID. l. IV, *de Pont. aleg.* XII.

Scipio Africanus turpe esse aiebat in re militari dicere : non putabam, videlicet quia explorato et excusso consilio, quæ ferro aguntur, summa ratione administrari oportere arbitrabatur. VAL. MAX. l. VII.

Nihil est turpius quam sapientum vitam ex insipientium sermone pendere. CICERO. l. II. *de finib.*

Viri sapientis est lente festinare, quod anchora delphino conjuncta veteres significabant; hinc Salomon, substantia, inquit, festinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. GRANAT. *V. Prud.*

Super humerale, quod humeros Sacerdotis in Veteri Testamento olim tegebat, et Rationale, quod pectus, sic, Deo jubente, facta sunt, ut fibulis connexa nunquam a se separari potuerint, ut significaret, labores nostros semper cum judicio et ratione fieri oportere. *Ibid.*

UTILITAS. — Constat, inquit Aristoteles, neque proprie bonum esse sine prudentia, neque prudentem sine virtute morali quempiam esse. VI *de mor.*

Multa sunt incommoda in vita, quæ sapientes commodorum compensatione leniunt : stulti nec vitare venientia possunt, nec ferre presentia. CICERO. V, *de nat. Deor.*

Unicum consilium rectum magnam militum manum vincere, dicebat Euripides. ERASM. VIII.

Verinus Poeta sic canit :

Consilio utilius, quam viribus, arma geruntur,
Militis est robur, consiliumque Ducis.
APOPH. *Apud Lang. v. consil.*

Hirundo, cum linum sereretur, monuit reliquas aviculas, ut semina eruerent, utpote ex quibus exoritura esset herba nocentissima avium generi. Cum vero hoc persuadere non potuisset, saltem ut primam herbam evellerent, suasit, verum et hoc consilium non placuit; quare hirundo periculi declinandi causa ad domos confugit, reliquis aviculis ob neglectum consilim retibus ex lino factis irretitis et pereuntibus. *Ibid.*

Diogenes sapienti nihil deesse colligebat hoc syllogismo : Deorum omnia sunt, deorum autem amici sunt sapientes, et amicorum communia sunt omnia; sapientis ergo sunt omnia. LAERT. VI.

DIGNITAS. — Bion dicebat, prudentiam tanto cæteris virtutibus antecellere, quanto cæteris sensibus præstaret visus. LAERT. XLI, VII.

Socrates interrogatus, quid sit prudentia : Animæ concinnitas, respondit. STOB. *de Prudent.*

Periander quærenti, quid in minimo sit maximum, respondit, prudentes cogitationes animæ in corpore humano. *Ibid.*

JUCUNDITAS. — Quoniam principari jucundissimum est, ideo sapere etiam jucundum videtur; nam sapere principantis est. ARIST. I. RHE. XI.

Sapientia, teste Cicerone, est una, quæ mæstitiam pellat ex animis, quæ nos exhorrescere metu non sinat, qua præceptrice in tranquillitate vivi potest, omnium cupiditatum ardore extincto. CICERO V, *de finis.*

Alibi dicebat idem Cicero : Prudentia nihil dulcius, quam, ut cætera auferat, adfert ipsa senectus. TUSC. *qq.* I.

AXIOMATA.

Parva sunt arma foris, nisi consilium sit domi. SENECA ANONYM.

Diu deliberandum, quod statuendum est semel. *Ibid.*

Salus, ubi multa consilia.

Festina lente. Qui festinus est pedibus, offendet. Substantia festinata minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, proficiet.

Malum consilium consultori pessimum.

DICTAMINA ET PRINCIPIA ETHNICORUM PHILOSOPHORUM.

Cum ethnici quidam ex instituto Philosophos se, seu sapientiæ ac prudentiæ magistros amatores ac professores fuerint professi, operæ prætium erit, eorum dictamina hoc loco recensere; idque eo quidem ordine, quem ipsi fere Ascetæ de perfectione disserentes solent observare, ut vel sic erubescamus, doleamusque, nos ex tot revelationibus, illustrationibus et libris, *quibus Christiana Religio abundat, tantum luminis ac notitiæ nec dum hausisse, quantum ipsi Ethnici ex solo naturæ lumine hauserunt; nec tanta contentione perfectionem supernaturalem fuisse consectatos, quanta ipsi ad perfectionem naturalem, stabilemque animi quietem pervenire contenderunt.*

DE VERÆ SAPIENTIÆ STUDIO.

I. DICTAMEN.

QUID SIT SAPIENTIA.

Hœc est sapientia, in naturam converti, et eo restitui, unde publicus error expulerit. Seneca *epist.* xciv.

Quid in homine proprium? Ratio. Hæc certa et consummata felicitatem hominis implevit. *Ibid.*

Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sis temetipso, et ex te nascentibus bonis. Quæ potest esse felicitas Deo propior? Seneca, *epist.* lxxvi.

Quid est sapientia? semper idem velle, atque idem nolle. Non enim potest cuiquam idem semper placere, nisi rectum. Seneca, *epist.* xx.

II. DICTAMEN.

DE FINE HOMINIS.

Quæ conditio rerum, eadem et hominum est. Gladium bonum dices, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis acies, et mucro munimentum omne rupturus. Regula non quam formosa, sed quam recta sit, quæritur. Eo quodque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium est. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum fœneret, a quam multis salutetur, quam pretioso incumbat lecto, quam pellucido poculo bibat, sed quam bonus sit. Bonus autem est, si ratio explicita, et recta est, et ad naturæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus, hoc est honestum, et unicum hominis bonum; nam cum sola ratio perficiat hominem, sola ratio perfecta beatum facit. Seneca, *epist.* lxxvi.

Actorem esse fabulæ talis, qualis a Magistro probata fuerit, te memento. Si brevis, brevis; si longa longæ; si mendicum agere te voluerit, fac eam quoque personam ingeniose repræsentes. Ita si claudum, si principem, si plebeium. Hoc enim tuum est, personam bene effingere; eam autem non eligere alterius. Ep. xxiii, *Ench.*

Si quid proficere studes, istiusmodi cogitationes missas facito : Si mea neglexero, non erit unde vivam : Nisi puerum castigavero, malus erit. Præstat enim perire fame, timoris ac molestiæ expertem, quam copiis omnium rerum circumfluentem animo vivere perturbato. Et puerum malum esse præstat, quam te infelicem. Ep. xvi.

Id actum est ab illo mundi Conditore, qui nobis vivendi jura descripsit, ut salvi essemus, non delicati : ad salutem omnia parata sunt, et prompta, deliciis omnia misere et solicite comparantur. Utamur ergo hoc naturæ beneficio inter magna numerando : et cogitemus, nullo nomine melius illam meruisse de nobis, quam quia, quidquid ex necessitate desideratur, sine fastidio sumitur.

III. DICTAMEN.

DE ANIMA HOMINIS.

Magna, et generosa, et generosa res est humanus animus, nullos sibi poni, nisi communes, et cum Deo terminos patitur. Seneca, *ep.* cii.

Cogita in te præter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est. *Epist.* viii.

Animus magnus et sacer, et in hoc demissus, ut proprius divina nossemus, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ. Illinc pendet, illuc spectat ac nititur, nostris tanquam melior interest. Quis ergo est hic? animus, qui nullo bono, nisi suo, nititur. *Epist.* xli.

Magnus animus, conscius sibi melioris naturæ, dat quidem operam, ut in hac statione, qua positus est, honeste se atque industrie gerat, cæterum nihil horum quæ circa ipsum sunt, suum judicat, sed ut commodatis utitur, peregrinus et properans. *Epist.* cii.

IV. DICTAMEN.

DE CORPORE.

Fateor, insitam esse nobis corporis nostri charitatem, Fateor, nos hujus gerere tutelam : nec nego indulgendum illi, serviendum nego; multis enim serviet, qui corpori servit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, sed tanquam non possimus sine corpore. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumeliis objicit. Honestum civile est, cui corpus nimis charum est : agatur ejus diligentissime cura ita tamen ut, cum exiget ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum in ignem sit. Nihilominus, quantum possumus, evitemus incommoda quoque, non tantum pericula : et in tutum nos reducamus, excogitantes subinde, quibus possint timenda depelli. Quorum tria, ni fallor, genera sunt; timetur inopia, timentur morbi, timentur, quæ per vim potentioris eveniunt. SENECA, *ep.* XIV.

Hebetis ingenii signum est, in rebus corporis immorari, velut exerceri diu, edere diu, potare diu. etc. Nam hæc quidem facienda sunt obiter, cura autem omnis ad animum transferenda. *Ep.* LXIII, *Enech.*

Major sum, et ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis : quod equidem non aliter aspicio, quam vinculum aliquod libertati meæ circumdatum. Contemptus corporis sui certa libertas est. *Sen. epist.* LXV.

V. DICTAMEN.

DE DEO.

Non sunt ad cœlum elevandæ manus nec exorandus æditnus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat; non procul est a te Deum, tecum est, intus est. Sacer intra nos Spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator, et custos : hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est. SEN. *epist.* XLI.

Universa ex materia, et ex Deo constant : Deus ista temperat, quæ circumfusa Rectorem sequuntur, et Ducem. Potentius autem est, quod facit, quod est Deus, quam materia patiens Dei. SEN. *epist.* LXV.

Sic vivendum est, tanquam in conspectu vivamus; sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit, et potest : quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? nihil Deo clausum est. Interest animis nostris, et cogitationibus mediis intervenit. SEN. *epist.* LXXXIII.

Primus est deorum cultus, deos credere; deinde, reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est; scire illos esse, qui præsident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. Hi nec dant malum, nec habent : cæterum castigant quosdam, et coercent, et irrogant pœnas, et aliquando specie boni puniunt. Vis deos propitiare? bonus esto, satis illos coluit, quisquis imitatus est. SEN. *epist.* XLX.

Sive alios observare volueris (liberius enim inter aliena judicium est) sive teipsum favore seposito; et senties hoc, et confiteberis, nil ex his optabilibus, et charis utile esse, nisi te contra levitatem casus, rerumque casum sequentium, instruxeris : nisi illud frequenter, et sine querela, inter singula damna dixeris : diis aliter visum est. Imo mehercule, ut carnem fortius ac justius petam, quo animum tuum magis fulcias, hoc dicito, quoties aliquid aliter, quam cogitabas, evenerit : Dii melius. Sic composito nihil accidet. SEN. *epist.* XCVIII.

Religionis erga deos immortales precipuum illud esse scito, rectas de iis habere opiniones, ut sentias, et esse eos, et bene, justeque administrare universa : parendum eis esse, et omnibus iis, quæ fiant, acquiescendum : sequenda ultro, ut quæ a mente præstantissima regantur; sic enim nec incusabis eos unquam, nec ab eis negligi te, conquereris. *Ep.* XXXVIII, *Ench.*

In omnibus, quæ adversa videntur et dura, sic formatus sum. Non pareo Deo, sed assentior. Ex animo illum, non quia necesse est, sequor. Nihil unquam mihi incidet, quod tristis excipiam, quod malo vultu : nullum tributum invitus conferam : omnia autem, ad quæ gemimus, quæ expavescimus, tributa vitæ sunt. SEN. *epist.* XCVI.

Mihi quidem optabile est a morte me invadi, nulla alia re, nisi voluntate mea curanda occupatum, ut perturbatione vacuus, et liber dicere possim Deo : num gubernationem tuam reprehendi? numquid ad alia abusus sum facultatibus, quas mihi dedisti? ægrotavi, quia voluisti. Pauper fui, te volente, sed lætus. Numquam appetivi imperium; numquid me unquam hac de causa tristiorem vidisti? numquid unquam vultu minus hilari te accessi? paratus, si quid mandes, si quid imperes. Hæc me cogitantem, hæc scribentem, hæc legentem, occupet mors. *Epist.* III. *dissert. ar.* 6.

VI. DICTAMEN.

DE CREATURIS.

Quemadmodum in navigatione subducto navigio, si aquatum exieris, obiter fortassis etiam cochleam colliges aut bulbum : animo autem in navigium intento esse oportet, ac continenter sollcito, ne Gubernator vocet, ac tum illa omnia relinquere, ut ne vinctus tamquam ovis in navim conjiciaris; ita etiam in vita si tibi vice cochleæ aut bulbi detur uxorcula et puer, nihil impediet; at si Gubernator vocarit, curres ad navim, relictis illis omnibus neque respicies. *Ep.* XXII, *Enech.*

Nulla aliena præstantia efferaris animo : si equus semet jactans diceret : sum pulcher, ferendum esset. Tu vero cum insolenter gloriaris, te pulchrum equum habere, scito, equo te bono superbire. Quid igitur est tuum? usus visorum. Quapropter cum in usu visorum ita moratus fueris, quemadmodum natura postulat, tum effereris, tum enim aliquo tuo bono lætaberis. *Ep.* II, *Ench.*

Aut ista bona non sunt, quæ vocantur, aut homo felicior Deo est; quoniam quidem, quæ nobis parata sunt, non habet in usu Deus : nec enim libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes, nec quidquam ex his hominem inescantibus, et vili voluptate ducentibus, pertinet. Ergo aut, quod incredibile est, bona Deo desunt, aut hoc ipsum argumentum est, bona non esse, quæ Deo desunt. Adjice, quod multa, quæ bona videri volunt, animalibus, quam homini, pleniora contingunt. Illa cibo avidius utuntur; Venere non æque fatigantur : Virium illis major est, et æquabilior firmitas. Sequitur, ut multo feliciora sint homine, nam sine nequitia, sine fraudibus degunt; fruuntur voluptatibus, quas et magis capiunt, et ex facili, sine ullo pudoris aut pœnitentiæ metu. Considera tu itaque, an id bonum vocandum sit, quo Deus ab homine vincitur. Summum bonum in animo constituamus : obsolescit, si ab optima nostri parte ad pessimam transit, et transfertur ad sensus, qui agiliores sunt animalibus mutis. Non est summa felicitatis nostræ in carne ponenda. Bona illa sunt vera, quæ ratio dat : solida ac sempiterna, quæ cadere non possunt, nec decrescere quidem, aut minui. Cætera opinione bona sunt; et nomen quidem habent commune cum veris, proprietas in illis boni non est. SEN. *epist.* LXXIV.

VII. DICTAMEN.

DE CONCUPISCENTIIS, ET VOLUPTATIBUS.

Multis parasse divitias, non finis miseriarum fuit, sed mutatio. Non hoc miror, non est enim in rebus vitium, sed in ipso animo. Illud, quod paupertatem gravem fecerat, et divitias graves fecit. Quemadmodum nihil differt, utrum ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces, quocumque illum transtuleris, morbum suum secum transfert; sic nihil refert, utrum animus æger in divitiis, an in paupertate ponatur, malum suum illum sequitur. SENECA, *epist.* XVII.

Si vis Pythoclea divitem honestum facere esse in perpetua voluptate, non divitiis, honoribus, voluptatibus adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum. SENECA, *epist.* XXI.

Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suæ sunt, quorum impotentiæ atque insanæ libidini ob hoc unum possis ignoscere, quod, quæ fecere, patiuntur. SENECA. *epist.* XXXV.

Non est emolliendus animus; si voluptati cessero, cedendum est dolori, cedendum labori, cedendum est paupertati. SENECA, *epist.* LI.

Vidisti aliquando canem missa a domino frusta panis aut carnis aperto ore captantem? quidquid excepit, protinus integrum devorat, et semper ad spem futuri hiat. Idem evenit nobis, quidquid expectantibus fortuna projecit, id sine ulla voluptate demittimus. statim ad rapinam alterius erecti et attenti. Hoc sapienti non evenit : plenus est, etiam si quid obvenit, secure excipit, ac reponit : lætitia fruitur maxima, continua, sua. SENECA, *epist.* LXXII.

VIII. DICTAMEN.

DE VIRTUTIBUS.

Nihil est virtute præstantius, nihil pulchrius : et bonum est, et optabile, quidquid ex hujus geritur imperio. SENECA, *Epist.* LXVII.

Id in quoque optimum est, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quid est? ratio, hac antecedit animalia, deos sequitur. SENECA, *epist.* LXXVI.

Nulla virtus latet; et latuisse, non ipsius damnum est. Veniet, qui conditam, et sæculi sui malignitate compressam, dies publicet... si quod est pretium virtutis ex fama, nec hoc interit... nulli non virtus, et vivo et mortuo, retulit gratiam, ni modo illam bona secutus est fide. SENECA, *epist.* LXXIX.

Virtutum omnium pretium in ipsis est : non enim exercentur ad præmium. Recte facti, fecisse merces est. SENECA, *epist.* LXXXI.

Virtus extollit hominem, et supra chara mortalibus collocat : nec ea, quæ bona, nec ea, quæ mala vocantur, aut cupit nimis, aut expavescit. SENECA, *epist.* LXXXVII.

IX. DICTAMEN.

DE PECCATIS.

Initium est salutis, notitia peccati; nam qui peccare se nescit, corrigi non vult; deprehendas te oportet, antequam emendes... Ideo quantum potes, te ipse coargue : inquire in te; accusatoris primum partibus fungere, deinde judicis, novissime deprecatoris; aliquando te offende. SENECA, *epist.* XXVIII.

Non est per se magistra solitudo innocentiæ, nec frugalitatem docent rura : sed ubi testis ac spectator abscessit, vitia subsidunt, quorum monstrari, et conspici, fructus est... Nemo oculis suis lautus est, ne paucorum quidem et familiarium, sed apparatum vitiorum suorum pro modo turbæ spectantis expandit. Itaque irritamentum est omnium in quæ insanimus, admirator et conscius, ne concupiscamus effícies, si, ne ostendamus effeceris. Ambitio, et luxuria, et impotentia scenam desiderant : sanabis ista, si absconderis. SENECA, *epist.* XCIV.

Duo sunt, propter quæ delinquimus; aut inest animo pravis opinionibus malitia contracta, aut etiamsi non est falsis præoccupatus, ad falsa proclivis est, et cito specie, quo non oportet, trahente, corrumpitur. Itaque debemus aut curare mentem ægram, et vitiis liberare, aut vacantem quidem, sed ad pejora pronam præoccupare; utrumque decreta Pholosophiæ faciunt. SENECA, *epist.* XLIV.

Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic, tamquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo vidente, faciamus... Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat, atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus. SENECA, *epist.* II.

X. DICTAMEN.

MEDIA AD VIRTUTES ACCUIRENDAS.

MEDIUM I.

Temporis ratio habenda.

Omnia aliena sunt, tempus tantum nostrum est. In hujus rei unius fugacis ac lubricæ possessione natura nos misit, ex qua nos expellit, quicumque vult. Hinc si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. SENECA, *epist.* I.

Omnes ergo horas complectere; sic fiet, ut minus ex crastino pendeas, si hodierno manum injeceris. SENECA, *epist.* I.

Id agamus, ut omne tempus nostrum sit : non erit autem, nisi prius nos nostri esse cœperimus. SENECA, *epist.* LXXI.

Infinita est velocitas temporis, quæ magis apparet respicientibus; nam ad præsentia intentos fallit, adeo præcipitis fugæ transitus levis est. SENECA, *epist.* XLIX,

MEDIUM II.

Judicia hominum spernenda.

Nunquam volui populo placere; nam quæ ego scio non probat populus; quæ probat populus, ego nescio. Malis artibus popularis favor quæritur; similem te illis facias oportet; non probabunt nisi agnoverint. SENECA, *epist.* XXIX.

MEDIUM III.

Solitudo amanda.

Quid libi vitandum præcisive existimes, quæris? Turbam. Nondum illi te tuto commiseris. — Numquam mores, quos extuli, refero : aliquid ex eo, quod composui, turbatur; aliquid ex his, quæ fugavi, redit... Inimica est multorum conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Et quo major est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est... Democritus ait : Unus mihi pro populo est, et populus pro uno. Bene et ille, a quo cum quæreretur, quo tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos perventuræ? satis sunt, respondit, mihi pauci, satis unus, satis est nullus. Sed et Epicurus : Hæc ego non multis, sed tibi : satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. SENECA, *epist.* VII.

MEDIUM IV.

Rebus se commodare, non tradere.

Mentiuntur, qui sibi obstare ad studia liberalia turbam negotiorum videri volunt. Simulant occupationes et augent, et ipsi se occupant. Vaco, mi Lucili, vaco, et ubicumque sum, meus sum. Rebus enim non me trado, sed commodo. SENECA, *epist.* LXII.

MEDIUM V.

Notitia sui.

Ideo difficulter ad sanitatem pervenimus, quia non ægrotare nescimus, ut Harpaste mulier fatua, et cæca nescivit esse se cæcam, sed domum tenebrosam dixit; id etiam nobis evenit. Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt, nos sine duce erramus. SENECA, *epist.* L.

MEDIUM VI.

Eadem sæpius repetenda.

Nunquam nimis discitur, quod satis nunquam discitur. Quibusdam remedia monstranda sunt, quidusdam inculcanda.

MEDIUM VII.

Locorum mutatio fugienda.

Socrates cuidam querenti, quod per locorum mutationem melior non fuisset factus, dixit : Quid miraris, nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te circumferas? premit te eadem causa quæ expulit. Quid terrarum juvare novitas potest? quid cognitio urbium, aut locorum ? in irritum cedit ista jactatio; quæris, quare te fuga ista non adjuvet? tecum fugis. Onus animi deponendum est : non ante tibi ullus placebit locus. SENECA, *epist.* XXVIII.

MEDIUM VIII.

Paupertas amanda.

Si vis vacare animo, aut pauper sis, oportet, aut pauperi similis; non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura, frugalitas autem paupertas voluntaria est.

Magnæ divitiæ sunt, lege naturæ composita paupertas. Lex autem illa naturæ, scis, quos nobis terminos statuit? non esurire, non sitire, non algere. Parabile est, quod natura desiderat, et expositum : ad supervacua sudatur. *Epist.* IV, SENECA.

Perpessi sunt exercitus inopiam rerum omnium, vixerunt herbarum radicibus, et dictu fœdam tulerunt famem. Hæc omnia passi sunt pro regno alieno. Dubitabit aliquis ferre paupertatem, ut animam furoribus liberet. *Ibid. epist.* XXV.

MEDIUM IX.

Correctio non omittenda.

Non possum scire, an ei profuturus sim, quem admoneo. Illud scio, alicui me profuturum, si multos admonuero. Spargenda est manus, non potest fieri, ut non aliquando succedat multa tentanti. SENECA, *epist.* XXIX.

Ne illud quidem curo, quod quibusdam nimis horridi animi videtur, et tetrici. Ariston aiebat, malle se adolescentem tristem, quam hilarem, et amabilem turbæ. Vinum enim fieri bonum, quod recens durum, et asperum visum est : non pati ætatem, quod in dolio placuit. SENECA, *epist.* XXXVI.

MEDIUM X.

Opera verbis jungenda.

Facere docet Philosophia, non dicere : et hoc exigit, ut ad legem quisque vivat, ne orationi vita dissentiat, ut ipsa inter se vita unius, sine actionum dissensione, coloris sit. Maximum hoc est, et officium sapientiæ, et indicium, ut verbis opera concordent, ut et ipse ubique par sibi, idemque sit. Quis hoc præstabit pauci, aliqui tamen. Et difficile hoc : nec dico sapientem semper uno iturum gradu, sed una via. SENECA, *epist.* X.

MEDIUM XI.

Ratio in consilium adbibenda.

Ob hoc seipsum homo, suaque miretur, quod non potest vinci, quod mala ipsa sub se tenet, quod ratione, qua valentius nihil est, casum doloremque, et injuriam subigit. Ama rationem, hujus te amor contra durissima armabit. SEN. *ep.* XXXIV.

MEDIUM XII.

Sola voluntas.

[illegible] tecum [illegible] bonum, tecum est; quid tibi opus est, ut sis bonus? velle: quid autem melius potes velle, quam eripere te huic servituti, quæ omnes premit, quam mancipia quoque conditionis extremæ, et in his sordibus nata, omni modo exuere conantur? Tu non concupisces quandoque ad libertatem pervenire, qui te putas in illa natum? Sen. ep. [illegible]

MEDIUM XIII.

Exempla ad mores [illegible].

Cum aliquid negotii tibi futurum est cum aliquo, ex proceribus præsertim ipse tibi proponito, quid in ea re facturus fuisset Socrates, aut Zenon. Ita fiet, ut te ratio non deficiat, qua id, quod objectum fuerit, rite administres. *Ep.* LI. *Ench.*

Adjuvare nos possunt non tantum, qui sunt, sed et qui fuerunt. Ex iis autem, qui sunt, eligamus eos, qui vita docent: qui cum dixerint, quod faciendum sit, probant faciendo: qui docent, quid vitandum, nec unquam in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur. Eum elige adjutorem, quem magis admireris, cum videris, quam cum audieris. Sen. ep. LII.

Plus tibi, et viva vox et convictus, quam oratio proderit. In rem præsentem venias oportet. Primum, quia homines amplius oculis, quam auribus credunt: deinde quia longum iter est per præcepta, breve et efficax per exempla. Sen. ep. VI.

MEDIUM XIV.

Lectio fructuosa.

Illud vide, ne lectio omnis generis voluminum habeat aliquid vagum, et instabile. Certis ingeniis immorari, et innutriri oportet, si velis aliquid habere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim, et properantes transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil æque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo medicamenta tentantur. Non convalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil tam utile est, quod in transitu prosit. Distringit animum librorum multitudo. Fastidientis stomachi est, multa degustare, quæ, ubi varia sunt et diversa, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege: et si quando ad alios diverti libuerit, ad priores redi. Sen. ep. II.

Non refert, quam multos, sed quam bonos habeas libros. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui, quo destinavit, pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est. Sen. ep. XLV.

MEDIUM XV.

Sermo bonus.

Plurimum proficit sermo, qui minutatim irrepit animo. Disputationes præparatæ, et effusæ audiente populo plus habent strepitus, minus familiaritatis. [illegible] facilius [illegible], sed et hærent: nec enim multis opus est, sed efficacibus. Seminis modo spargenda sunt, quod, quamvis sit exiguum, cum occupavit idoneum locum, vires suas explicat, et ex minimo in maximos actus diffunditur. Sen. ep. XXXVIII.

XI. DICTAMEN.

DOCTRINA PRO CONVERSATIONE.

PRIMA.

Nil mali patiendum ob aliena.

Si nummos, [illegible] parare possum, cum servata verecundia, et fide, et animi magnitudine, [illegible] parabo. Sin id postulatis, ut bona ego mea perdam, quo vos ea, quæ in bonis non sunt, acquiratis, videte ipsi, quam iniqui sitis, et insensati. Utrum vero pluris facitis? pecuniamne, an amicum verecundum et fidelem? *Ep.* XXXI. *Ench.*

SECUNDA.

[illegible]

Est tibi prælatus aliquis in convivio, aut salutatione, aut dandi consilii officio: si quidem ista bona sunt, gratulari debes illi, cui ea contigerunt; sin mala, ne doleas, te in ea non incidisse; sed memento, cum ea non agas, quibus illa parantur, quæ in nostra potestate non sunt, fieri non posse, ut eadem tibi tribuantur. *Ep.* XXXII, *Ench.*

TERTIA.

Jactantia fugienda.

In familiaribus congressibus absit facinorum aut periculorum tuorum prolixa, et immoderata commemoratio; nec enim, ut tibi jucundum est tuorum certaminum meminisse, sic et aliis suave est, ea, quæ tibi acciderunt, audire. *Ibid.* LIII, *Ench.*

QUARTA.

Nemo temere judicandus.

Lavat quispiam cito, ne dicas, lavisse male, sed cito : bibit quispiam multum vini, ne dicas, bibisse male, sed multum. Priusquam enim id decretum dijudicaris, unde scis, an male? sic usu tibi veniet, ut alia visa certo comprehensa habeas, aliis assentiaris. *Epist.* LXVII.

QUINTA.

Respectus deponendus.

Cum facis aliquid, quod faciendum esse statuisti, numquam recuses inter id agendum conspici, tametsi futurum est, ut vulgus de eo secus judicet. Nam si perperam facis, rem ipsam fuge : sin recte, quid eos vereris, qui non recte reprehendunt? *Epist.* XXXVII, *Ench.*

SEXTA.

Maledicta spernenda.

Si quis nuntiarit, quemdam tibi maledicere, ne refuta quæ dicta sunt, sed responde, eum nescisse cætera tua vitia: nam alioqui non illa solum fuisse dicturum. *Epist.* XXVIII, *Ench.*

SEPTIMA.

Temere non loquendum.

Si apud imperitos de præcepto aliquo sermo inciderit, maxima ex parte taceto. Magni enim periculi est statim evomere, quod non concoxeris. *Epist.* LXIX, *Ench.*

XII. DICTAMEN.

DE PACE OBTINENDA.

MEDIUM I.

Opinio corrigenda.

Homines perturbantur non rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus : verbi causa, mors non est malum; alioqui enim et Socrati ita visum esset : sed opinio de morte, quæ malum eam facit. Cum igitur impedimur, aut distrahimur, non alios culpemus, sed nosmetipsos, hoc est, nostras opiniones. (*Epist.* x, *Ench.*) Plura sunt, quæ nos terrent, quam quæ premunt, et sæpius opinione, quam re, laboramus. SENECA, *epist.* XIII.

MEDIUM II.

Voluntas propria deponenda.

Ne postules ea, quæ fiunt, arbitratu tuo fieri; si sapis, ita fieri quæque velis, ut fiunt. Morbus est corporis impedimentum, instituti non item, nisi ipse velis. Claudicatio pedis est impedimentum, instituti non item. Quod si singulis in rebus, quæ incidunt, consideraris, invenies eas alterius cujuspiam rei, non tui, esse impedimentum. *Epist.* XIII, *Ench.*

MEDIUM III.

Judicium verum formandum.

Memento, si ea, quæ natura serviunt, libera putaris, et aliena pro tuis habueris, fore ut impediaris, lugeas, perturberis, deos hominesque accuses : sin id solum tuum existimaris, quod tuum est, aliena vero, ut sunt, aliena, te nemo coget unquam, nemo impediet, neminem accusabis, neminem criminaberis, nihil ages invitus; nemo te lædet, inimicum non habebis. *Epist.* III, *Ench.*

MEDIUM IV.

Nihil proprium censendum.

Numquam te quidquam perdidisse dicito, sed reddidisse. Filiolus obiit? redditus est. Prædium est ereptum? an non id quoque est redditum? at improbus est, qui eripuit? quid id tua refert, per quem is, qui dederat, abs te repetierit? *Epist.* XV, *Ench.*

MEDIUM V.

Fructus ex omnibus capiendus.

Si corvus inauspicatum crocitarit, ne te visum illud moveat, sed ipse tecum divide statim, et dic : nihil istorum mihi portenditur, sed aut corpusculo meo, aut recutæ meæ, aut existimationi, aut liberis, aut uxori; mihi autem fausta omnia portenduntur, si ego voluero. Quidquid enim istorum acciderit, ex eo, penes me est, fructum ut capiam. *Epist.* XXIV, *Ench.*

MEDIUM VI.

Testimonio conscientiæ acquiescendum.

Si quando acciderit, ut foras promineas et alicui placere cupias, te de statione tua dejectum esse scito. Quare in omnibus rebus illud tibi satis sit, te esse Philosophum; sin alicui etiam videri Philosophus cupis, tibi videre, idque tibi satis esto. *Epist.* XXX, *Ench.*

Bona conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia, et sollicita est. Si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant : si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem. SEN. *ep.* XLIII.

MEDIUM VII.

Quidvis, ut oportet, accipendum.

Unaquæque res duas habet ansas, unam tolerabilem, aliam intolerabilem. Si frater injuriam fecerit, non ea prehende, qua facit injuriam, ea enim ejus ansa non est tolerabilis; sed illinc potius, esse fratrem, esse una educatum. Sic prehendes eum, qua est tolerabilis. *Epist.* LXVII, *Ench.*

MEDIUM VIII.

Nemo læditur, nisi a seipso.

Plebeii status et nota est, nunquam a seipso vel damnum expectare, vel utilitatem, sed a rebus externis. Philosophi status et expressa imago est, omnem utilitatem, et damnum a semetipso expectare. *Epist.* LXXI, *Ench.*

MEDIUM IX.

Præparandus animus.

In ipsa securitate animus ad difficilia se præparet, et contra injurias fortunæ inter beneficia firmetur. Miles in media pace decurrit sine ullo hoste, vallum jacit, et supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessario possit. SEN. *ep.* XVIII.

MEDIUM X.

Misera non anticipanda.

Illud tibi præcipio, ne sis miser ante tempus, cum illa, quæ velut imminentia expavisti, fortasse nunquam ventura sint, certe nondum venerint. Quædam ergo non magis torquent, quam debeant; quædam ante torquent, quam debeant; quædam torquere omnino non debent. Aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præripimus. SEN. *ep.* XIII.

Nil est miserius, nec stultius, quam prætimere. Quæ ista dementia est, malum suum antecedere? Plus dolet, quam necesse est, qui ante dolet, quam necesse sit. SEN. *ep.* XCVIII.

MEDIUM XI.

Dolore inutili abstinendum.

Supervacaneum est dolere, si nihil dolendo proficias; deinde iniquum est, queri de eo, quod uni accidit, et omnibus restat. SEN. *ep.* XCIX.

MEDIUM XII.

Conformatio cum divina voluntate.

Ad hanc legem animus noster aptandus est, hanc sequatur, huic pareat, et quæcumque fiunt, debuisse fieri putet, nec velit objurgare naturam : optimum est pati, quod emendare non possis, et Deum, quo Auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit : at contra pusillus ac degener, qui obluctatur, et de ordine mundi male existimat et emendare mavult deos, quas se. SEN. *ep.* CVII.

In quovis incepto hæc optanda sunt : Duc me, o Jupiter, et tu, Fatum, eo, quo sum a vobis destinatus. Sequar enim alacriter. Quod si noluero, et improbus ero, et sequar nihilominus. *Ep.* LXXVII.

XIII. DICTAMEN.

MISCELLANEA QUÆDAM.

Mors æquo animo ferenda.

Quid est turpius, quam in ipso limine securitatis esse sollicitum? causa autem hæc est, quod inanes omnium bonorum sumus, quorum in fine vitæ desiderio laboramus; non enim apud nos pars ejus ulla subsedit, transmissa est, et effluxit. Nemo, quam bene vivat, sed quamdiu, curat, cum omnibus possit contingere, ut bene vivant; ut diu, nulli. Sen. *ep.* XLI.

Lætitia vera quæ?

Nolo tibi unquam deesse lætitiam, volo illam tibi domi nasci: nascitur, si modo intra teipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leves sunt: nisi forte tu judicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer, et fidens, et super omnia rectus. Mihi crede, res severa est gaudium verum. In hujus gaudii possessione esse te volo. Numquam deficiet, cum semel, unde petatur, inveneris. Hæc, quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfusoriam voluptatem: et quodcumque invectitium gaudium est, fundamento caret. Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, solidum est, et quod plus pateat introrsus. Sen. *ep.* XXIII.

Omnes tendunt ad gaudium, sed unde stabile magnumque consequantur, ignorant. Omnes oblectamenta fallacia et brevia decipiunt; sicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem insaniam, longi temporis tædio pensat. Hoc ergo cogita, hunc esse sapientiæ effectum, gaudii æqualitatem. Talis est sapientis animus, qualis mundi status super lunam. Semper illic serenum est, Habes ergo, quare velis sapiens esse; quia numquam sine gaudio est. Gaudium hoc non nascitur, nisi ex virtutum conscientia. Sen. *ep.* LIX.

Nobilitas vera quæ?

Si quid aliud est in Philosophia boni, hoc est, quod stemma non inspicit. Omnes si ad primam originem revocentur, a diis sunt. Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles. Patritius Socrates non fuit, Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. Neminem, ait Plato, regem non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex regibus. Omnia ista longa varietas miscuit, et sursum deorsum fortuna versavit. Quis ergo generosus? ad virtutem a natura bene compositum. Hoc unum est intuendum. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, nostrum est, animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere. Sen. *ep.* XLIV.

Discrimen inter sapientem et proficientem.

Hoc interest inter sapientiæ consummatæ virum, et alium procedentis, quod inter sanum, et ex morbo gravi ac diutino emergentem. Cui sanitatis loco est, levior accessio. Hinc, nisi attendit, subinde gravatur, et in eadem revolvitur. Sapiens recidere non potest, ne incidere quidem amplius. Corpori enim ad tempus bona valetudo est: quam medicus etiam si reddidit, non præstat; sæpe ad eumdem, quem advocaverat, excitatur. Animus semel in totum sanatur. Sen. *ep.* LXXII.

Hoc habent inter cætera boni mores, placent sibi, et permanent. Levius est malitia, sæpe mutatur, non in melius, sed in aliud. *Idem. ep.* XLVII.

Cur bonis viris mala accidant.

Cum videris bonos viros acceptosque diis, laborare, sudare, per arduum ascendere, malos autem lascivire, et voluptatibus fluere, cogita, filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia; illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat. Bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat. Sen. *l. de Prov.* I.

Nihil accidere bono viro mali potest. Non miscentur contraria. Quemadmodum tot omnes, tantum superne dejectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium, non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: ita adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. Manet in statu, et quidquid evenit, in suum colorem trahit. *Ibid.* II.

Vir fortis omnia adversa exercitationes putat; quis autem, vir modo, et erectus ad honesta, non est laboris appetens justi, et ad officia cum periculo promptus? cui non industrioso otium pœna est. Athletas videmus, quibus virium cura est, cum fortissimis quibusque confligere, et exigere ab his, per quos certamini præparantur, ut totis contra ipsos viribus utantur, cædi se vexarique patiuntur : et si non inveniunt singulos pares, pluribus simul objiciuntur. Marcet sine adversario virtus. Tunc apparet, quanta sit, quantum valeat, polleatque, cum quid possit, patientia ostendit. Scias licet, idem viris bonis esse faciendum. *Ibid.*

Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus : utique si et provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terra Jupiter pulchrius, quam ut spectet Catonem, jam partibus non semel fractis, flantem nihilominus inter ruinas publicas rectum. *Ibid.*

Miserum te judico, quod numquam fuisti miser : transisti sine adversario vitam. Nemo sciet, quod potueris, ne tu quidem ipse : opus est enim ad notitiam sui experimento ; quid quisque posset, nisi tentando non didicit. Gaudent magni viri aliquando rebus adversis, non aliter, quam fortes milites bellis. *Ibid.*

Quare Deus optimum quemque aut mala valetudine, aut aliis incommodis afficit? Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut præsidium loco dejiciant. Nemo eorum, qui exeunt, dicit : Male de me Imperator meruit; sed, bene judicavit. Idem dicant, quicumque jubentur pati timidis ignavisque flebilia : Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati. Hoc est propositum Deo, quod sapienti viro, ostendere hæc quæ vulgus appetit, quæ reformidat, nec bona esse nec mala; apparebit autem bona esse, si illa non nisi bonis viris tribuerit; et mala esse, si malis tantum irrogaverit. *Ibid.* IV, V.

Puta itaque Deum dicere : Quid habetis, quod de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt? aliis bona falsa circumdedi, et animos inanes, velut longo, fallacique somnio lusi : auro illas, argento et ebore ornavi : intus boni nihil est : Isti, quos pro felicibus aspicitis, si non qua occurrunt, sed qua latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida, et sincera felicitas : crusta est, et quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, et ad arbitrium suum ostendi, nitent, et imponunt : cum aliquid incidit, quod disturbet ac detegat, tunc apparet, quantum altæ ac veræ fœditatis alienus splendor, absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura : quanto magis versaveritis, et undique inspexeritis, meliora majoraque permisi vobis, metuenda contemnere, cupienda fastidire : non fulgetis extrinsecus, bona vestra introrsus obversa sunt. Sic mundus exteriora contempsit, spectaculo sui lætus. Intus omne posui bonum. Non egere felicitate, felicitas vestra est. *Ibid.* VI.

In sapientem non cadere injuriam.

Ad tantas ineptias perventum est, ut, non dolore tantum, sed doloris opinione vexemur, more puerorum, quibus metum incutit umbra, et personarum deformitas, et depravata facies; lacrymas vero evocant nomina parum grata auribus, et digitorum motus, et alia, quæ impetu quodam erroris improvidi refugiunt. Injuria propositum hoc habet, aliquem malo afficere : malo autem sapientia non relinquit locum. Unum enim malum illi est turpitudo, quæ introire eo, ubi jam virtus, honestumque est, non potest. SEN. *L. de Constant.* IV.

Omnis injuria deminutio est ejus, in quem incurrit, nec potest aliquis injuriam accipere sine aliquo detrimento vel dignitatis vel corporis, vel rerum extra nos positarum : sapiens autem nihil perdere potest, omnia in se reposuit, nihil fortunæ credit : bona sua in solido habet, contentus virtute, quæ fortuitis non indiget. Ideoque nec augeri, nec minui potest. Nam in summum perducta, incrementi non habent locum. Nihil eripuit fortuna, nisi quod dedit, virtutem autem non dat, ideo nec detrahit. Libera est, inviolabilis, immota, inconcussa; sic contra casus indurata, ut nec inclinari quidem, nedum vinci possit. Validius debet esse quod lædit, eo quod læditur, non est autem fortior nequitia virtute; non potest ergo lædi sapiens. *Ibid.* V.

AUCTORES.

Jeremias Drexelius in Rosis Marianis part. II, I.

Joannes Busæus in Viridario V. eodem.

Franciscus Arrias X, III. Thesauri inexhausti. Tractat. I.

Antonius Gaudier de nat. perfect. part. IV, XI.

Jacobus Alvarez tom. II, lib. III, part. II, VI, § 1.

Petrus Sanchez in regno Dei, p. VI, X.

PURGATORIUM.

QUOAD ESSENTIAM ET EXISTENTIAM.

Purgatorium est locus quidam a divina justitia in visceribus terræ destinatus ad purgandum fidelium defunctorum animas, in gratia Dei constitutas, nondum tamen satis integre a culpis expiatas, idque per ignem et alias pœnas, donec novissimum quadrantem exsolverint. MANSI, t, IV, *tr.* LXXXVI, *disc.* II. *n.* 2. Sive, est locus subterraneus, sive receptaculum, in quo animæ defunctorum pro peccatis quoad pœnam necdum plene remissis satisfaciunt. S. AUG. *in Enchir.* CIX. S. Anselmus sic illud describit : Quid est purgatorius ignis? post mortem purgatio erit aut nimius calor ignis, aut magnus rigor frigoriis, aut aliud quodlibet genus pœnarum, de quibus minimum majus est, quam maximum, quod in hac vita excogitari possit. S. ANSEL. *in Eluc.*

S. Bernardinus Senensis de hoc purgatorio sic loquitur : Describunt Doctores, quod quatuor sunt purgatoria. De primo in quarto Dialogorum Gregorius mentionem facit, dicens : Quod est in Sicilia in monte Ætna, ubi navigantes sæpe audivere voces petentes eleemosynas spirituales, et temporales; et qui fuerunt ibi, dicunt, quod in illo monte semper ardet. Secundum purgatorium stat in centro terræ, in loco arcto, et privato : qui habuerunt proprium, arctum, et privatum amorem in hoc mundo plus, quam in Deo, dabitur illis locus arctus in centro terræ. Tertium Purgatorium reperitur esse in hoc mundo. Quartum est ignis. S. BERN. *Sen. to.* IV, *S.* XV, *extrav.*

Idem S. Pater quinam in hoc purgatorio torqueantur, in hæc verba declarat : Prima veritas est, quod nullus vadit in purgatorium qui moritur in peccato originali; secunda veritas est, quod illi vadunt in purgatorium, qui sunt in aliquo peccato veniali, vel qui non fecerunt debitam pœnitentiam in hoc mundo pro suis peccatis. *Ibid.*

Pœnarum vero diversitatem idem Doctor his verbis indicat : Quærunt Doctores, quæ pœnæ, et quantæ sunt in purgatorio? Et dicunt, quod animæ dupliciter tormentantur in purgatorio. Uno modo, quia sunt privatæ seu semotæ a consolatione Dei. Secundo modo, quia habent pœnas similes pœnis infernalibus, sed differunt ab animabus, quæ sepultæ sunt in inferno, in hoc quia damnati sunt in æternum, æternaque gloria Paradisi privati, et sentiunt æternam pœnam sine spe redemptionis, quia in inferno nulla est redemptio. *Ibid.*

Existentia Purgatorii probatur ab auctoribus quadruplici argumento. Primo, ex S. Scriptura, quod argumentum sic proponit Jacobus Munfordus in præclaro libello, quem de misericordia animabus præstanda scripsit. In secundo libro Machabæorum XII, legitur Judam Machabæum, *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misisse Hierosolymam offerre pro peccatis mortuorum sacrificium,* 43. At forte Scriptura solummodo refert, non vero approbat hanc Machabæi in milites suos demortuos pietatem? imo certe vel maxime approbat : sequitur enim in versu 46. *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Commendat ergo Scriptura hanc ejus pietatem ut sanctam, commendat ut salubrem et imitatione dignissimam. Illud præterea ex hac historia constat, non solum Judam Machabæum credidisse, animas in purgatorio detineri, sed idem etiam credidisse Judæos omnes, quia tam liberaliter contribuerunt pecuniam suam, ut Sacrificium offerretur pro peccatis mortuorum, eo fine, ut a peccatis suis solverentur. Ado, quod in hodiernum usque diem Judæi omnes purgatorium credunt, et preces pro defunctis fundunt, ut ex eorum Ritualibus est manifestum. JACOB. MUNFOR. *in tr. de Miserie animab. præstand.* I, *n.* 2. Secundo, auctoritate Apostolorum, uti S. Chrysostomus testatur, dicens : Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio : sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam. Hæc Chrysostomus, cujus testimonio liquet, constitutas ab Apostolis fuisse orationes pro defunctis, ob ingens, quod ex orationibus nostris fidelium animabus provenit emolumentum. Tertio, auctoritate Ecclesiæ, quæ iis ipsis sæculis, quibus, si unquam alias purissimus fuit Religionis cultus, orationes pro mortuis comprobavit. S. Chrys. *ho.* lxix, *ad pop.* Constat hoc ex Concilio tertio Carthaginensi, cui subscripsit Sanctus Augustinus, quodque Synodus sexta confirmavit. Hoc enim concilium non solum numerat duos Machabæorum libros inter canonicas scripturas (Canone xlvii), sed decernit etiam in hæc verba : Ut Sacramenta Altaris non nisi a jejunis celebrentur : nam si pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat. Unde Sanctus Augustinus de hoc argumento sic loquitur : In Machabæorum libris, inquit, legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi nusquam in scripturis veteribus legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio defunctorum. Quarto, auctoritate SS. PP. Augustini, Athanasii, Tertulliani, Cypriani, Ambrosii, Hieronimi apud Bellarminum de purgatorio : quos, licet in aliis errare posse credamus, nemo tamen nisi imprudentissimus dixerit, eos in illis rebus, quas ante oculos suos quotidie gestas conspexerunt, referendis errasse. S. Aug. *l. de cura pro mors.* i. Quinto, ratione, cum enim, ut recte argumentatur citatus Munfordus, ex una parte certum sit, dari aliqua peccata venialia, eaque non satis in hac vita expiari; ex altera vero parte pariter ex Scriptura constet, nihil coinquinatum in cœlum admitti, necessario sequitur, concedi aliquem locum debere, in quo animæ a talibus maculis mundentur. Jac. Munford. *l.* VI, ii, *n.* 2 et 4.

Divisio. — Dividitur in Purgatorium *desiderii*, et *sensus;* hoc est, in quo animæ pœnis sensibilibus ab igne aut alia re pœnali crucientur; illud est, in quo anima solo visionis beatificæ desiderio torquetur. De qua pœna sic loquitur Viexmontius : O quanta pœna est dilatio gloriæ ! ô quam amara est recordatio visionis divinæ ! maxime cum jam tempus Deo fruendi advenerit, et anima a pondere sui corporis absoluta fuerit; ipsi animæ gravius multo est carere Deo, quam cruciari purgatorii igne. Viexmont. Paris. vi, *Instit. ad pœn.*

EX S. SCRIPTURA.

Veritas seu existentia. — Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo : me expectant justi, donec retribuas mihi. Ps. cxli, 8.

Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii, et spiritu ardoris. Isaiæ, iv, 4.

Si cujus opus arserit, detrimentum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. II. Cor. iii, 13.

Cum vadis cum adversario tuo ad Principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec solvas novissimum quadrantem. Luc. xii, 58.

Et erunt in omni terra, dicit Dominus : partes duæ in ea disperdentur, et deficient, et pertia pars relinquetur in ea. Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos, sicut uritur argentum, et probabo eos, sicut probatur aurum. Zach. xiii, 12.

Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Malach. iii, 3.

Sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. *Ibid.*

Eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua, in sanguine testamenti tui. Zach. ix, 11.

Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei : donec causam meam judicet, et faciat judicium meum : educet me in lucem, videbo justitiam ejus. Mich. vii, 9.

Donavit ei nomen super omne nomen; ut in nomine Jesu flectatur omne genu cælestium, terrestrium, et infernorum, id est, purgantium animarum, quia, qui in inferno sunt, non genuflectunt, sed blasphemant potius nomen Domini. Philipp. ii, 9.

Qualitas. — Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post multos dies visitabuntur. Is. xxiv, 22.

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor, meus. Thren. i, 12.

Comprehenderunt me mala, quorum non est numerus : comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui, ut viderem Deum, scilicet per visionem beatificam. Psal. xxxix, 13.

Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum? Job. xiii, 24.

Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum. Apoc. xviii, 7.

Secundum magnitudinem operis, visitatio eorum. Is. xv, 7.

Ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. Ps. x, 7.

Flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam. Is. xxx, 33.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Veritas seu existentia. — Tria sunt loca, quæ mortuorum animæ diversis meritis sortiuntur, Infernus, Purgatorium, Cœlum. In inferno impii, in purgatorio purgandi, in cœlo perfecti. Qui in inferno sunt, redimi non possunt, quia in inferno nulla est redemptio. Qui in purgatorio sunt, expectant redemptionem. Qui in cœlo sunt, gaudio gaudent ad visionem Dei, Christi fratres in natura, cohæredes in gloria, similes in æternitate jucunda. Quia primi igitur redimi non possunt, tertii redemptionem non indigent, rectas, ut ad medios transeamus per compassionem, et quibus juncti fuimus per humanitatem. S. Bern. *de quinque region.*

Si post fundamentum Jesu Christi, non solum in tuo corde aurum, et argentum et lapidem pretiosum (si tamen habes aliquid auri vel argenti) superædificaris, verum et ligna, et fœnum, et stipulam, quid tibi vis fieri, cum anima sejuncta fuerit a corpore? Utrum nam ingredi vis in Sancta Sanctorum cum lignis tuis, cum fœno et stipula, ut polluas regnum Dei? an propter lignum, fœnum et stipulam foris residere, et pro auro, et argento, et pretioso lapide nihil mercedis accipere? sed neque hoc æquum est. Quid igitur, nisi ut primum propter ligna ignis tibi detur, qui consummat fœnum, lignum vel stipulam. Orig. *h.* viii, *in Lev.*

Accedens venerandus Antistes, precem suam super mortuum peragit, precatur oratio illa divinam clementiam, ut cuncta dimittat per humanam infirmitatem commissa peccata defuncto, eumque in luce statuat, et regione vivorum (vid. § i, n. 5.) Dionys. Areopag. *p.* 3, vii, *Eccl. Hier.*

Qualitas. — Qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis, prius purgabitur igne purgationis. Hic ignis, etsi non sit æternus, miro tamen modo gravis est; superat enim omnem pœnam, quam homo unquam passus est in hac vita, vel pati potest. S. Aug. *in s. de igne purg.*

Quia illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti æstimo intolerabiliorem, non solum in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptione purgari. S. Greg. *in Psal.* iii, *pœnit.*

Si omnes, quæ in mundo cogitari possunt, pœnæ, tormenta, afflictiones, minori, quæ illic in purgatorio habetur, pœnæ comparentur, vel ut solatia erunt; mallet enim quilibet viventium, si illas experientia nosceret pœnas, usque ad finem mundi omnibus his simul sine remedio cruciari pœnis, quas omnes homines sigillatim ab Adam hucusque pertulerunt, quam uno die in inferno aut purgatorio, minori, quæ illic habetur, pœna torqueri. S. Cyrilus Jerosol. *in epist. ad S. Aug.*

Magna afflictio in purgatorio est afflictio dæmonis irridentis; solet enim homini valde esse angustiosum cum videt inimicum suum insultare, et irridere de pœnis ejus; et propter hoc Razias vir venerabilis, et magnæ opinionis in populo Israel, ne captus illuderetur ab inimicis, projecit se ex fenestra inter turbas. S. Anton. *tit.* V, *de purg.*

Dæmones sunt purgatorii, artem exercentes in animabus, quasi fullones in sordidis vestimentis. Verum si quis inesset vestimentis sensus, quid ea pati putas, cum pedidus calcantur, nitro perluuntur, omnique modo tunduntur, et deraduntur? per quantos dolores putas elui veteres notas, veteresque maculas fixe inhærentes. Synosius *Epic. Ptolemaid. ep.* xliv.

Nihil inter se differunt tormenta infernalia ab iis, quæ sunt in purgatorio, quia eadem sunt magnitudine; sed unum est, quod differre possunt, quia infernales finem non expectant, et purgatorii pœnæ sunt cum fine. S. Cyrill, *in epist. ad S. Aug.*

Sed dicet aliquis : Non ad me pertinet, quamdiu moras habeam in purgatorio, tantum ut ad vitam æternam perexeam. Nemo hoc dicat, Fratres charissimi, quia ille ipse purgatorius ignis durior erit, quam quod potest pœnarum in hoc sæculo aut videri, aut cogitari, aut sentiri. S. Cæsar. Arelat. *Episc. ho.* vii.

Tenebræ in purgatorio impediunt operationem, vincula evasionem, mendicitas solutionem, ferrum afflictionem inducit. S. Bonav. *in s. de mortuis.*

S. Augustinus dicit, quod est tanta damnatorum pœna sensitiva, purgativa, et dolor, et sensus omnis generis tormentorum, quod in hoc mundo cogitari non potest, nec probari, nec aliter considerari, quia omnes pœnæ, quæ possunt excogitari in hoc mundo, et pœnæ Christi, et omnium aliorum Martyrum, cæterarumque personarum, et creaturarum, nihil sunt respectu pœnæ Purgatorii, et tantum interest inter ignem nostrum naturalem ab igne Purgatorii, quantum differt ignis pictus a vero igne naturali. *ap. Mansi, disc.* II, *n.* 2.

S. Bonaventura de acerbitate pœnæ Purgatorii sic loquitur: In Purgatorio duplex est pœna, una est damni de carentia divinæ visionis; alia sensus de afflictione ignis; et quantum ad utrumque minima pœna Purgatorii major est maxima pœna mundi; istud patet de pœna damni, quia affectus, quo desideratur summum bonum post hanc vitam ab omnibus sanctis, intensior est, quam aliquis affectus rei temporalis in vita, maxime cum jam tempus habendi advenerit, ideo carentia ejus molestius toleratur. Istud etiam patet de pœna sensus, quia cum dolor non sit essentialiter læsio, sed læsionis sensus, tanto magis dolet anima, quanto magis sentit sensitivum aliquod, ideo ab igne in ipsum agente maxime affligitur. Ratio acerbitatis pœnæ Purgatorii hæc est, quia cum Deus magis quærat emendam, quam pœnam, plus ponderat in pœnitentia virtutem bonæ voluntatis, quam pœnam afflictionis. Unde plus ponderat Deus modicam pœnam voluntariam in præsenti, quam multo majorem non ita voluntariam in futura, sicut plus valet modicum auri quam multum plumbi; unde oportet, ut, quod ibi deficit in voluntate, hic suppleatur in acerbitate. S. Bonav. *tom.* VII, *comp.* VII, III.

Futurum quoque est, ut quidam corripiantur in ira tua : et ideo, Domine, flagella, seca, ure, purgatum me hic redde, ut non corripias me tunc in ira tua. Corripiuntur in ira Dei, qui Christum fundamentum habent, sed non tantum aurum, argentum, lapides pretiosos superædificant, sed etiam intermiscent lignum, fœnum, stipulas, id est, committunt quædam venialia peccata graviora, et leviora, et ideo necesse est, ut hi tales in ira corripiantur, id est, in Purgatorio igne nunc interim ante diem judicii ponantur, ut, quæ in eis immunda sunt, per illum exurantur. Demum vero pœnarum illarum acerbitatem aggravans subjungit : Nec immerito tantum timet iste hanc correctionem, quia attendit eam esse graviorem, quam quicquid unquam passi sunt latrones, vel sancti Martyres, vel quicquid gravius homo potest excogitare. Ven. Beda. *sup. Ps.* XXXVII.

Hi qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit : *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit,* quasi per ignem, per fluvium igneum, de quo propheticus sermo memorat, *et fluvius igneus currebat ante eum,* per fluvium, inquam, igneum, et vada ferventibus globis horrenda transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta erit transeundi mora; quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationalis disciplina; et quantum stulta iniquitas suggesserit, tantum sapiens pœna desæviet. Nec refert, quod iste locus de novissimæ mundi conflagrationis igne a nonnullis accipitur. Nam et ille divinæ justitiæ, potentiæque instrumentum erit, et justorum reliquas sordes purgabit, atque adeo, quod de illo dixit, diceret de lustrali Augustinus. Et vero Paulinus Epist. 9, ad Severum, Purgatorium vocat ignem sapientem, et quodam in carmine ignem arbitrum nuncupat, scilicet quatenus pro cujusque meritis vehementiam suam vel intendit, vel remittit, non suapte quidem sponte, sed divinæ justitiæ, cui omnino subjicitur, arbitratu, et attemperatione. S. Aug. *ho.* XVI, *de res. l.* L, *hom.*

Ignis ille purgatorius non minus calidissimum, qui unquam in hoc mundo exarsit, ignem calore suo superat, quam calidissimus ille ignis depictum in pariete, ignem suo excedit calore. Ita ipse. Hac quoque ratione SS. Patres, quos antea protulimus, affirmant minimum ab igne lustrali cruciatum, acerbiorem esse maximo, qui hac in vita possit excogitari. Ex quibus omnibus D. Thomæ sententia, nimirum minimam Purgatorii pœnam, maxima hujus vitæ, atrociorum esse, affatim probata esse videtur, si quidem illa de acrimonia sua nihil remittat, quod aliqui Theologi volunt, ut videlicet pii manes eo citius purgentur, quo acrius. S. Thom. *in* IV *dist.* XXXI, *qu.* I, *n.* 2.

Venialia charitati adjuncta possunt per aliquam pœnam consumi, et ideo convenienter secundum metaphoram significantur per illa, quæ per ignem consumuntur. Et quia quanto aliquod peccatum est gravius, tanto difficilius purgatur; in peccatis autem venialibus invenitur unum altero gravius, ideo convenienter eorum diversitas significatur per diversitatem eorum, quæ facilius, et tardius consumuntur ab igne. Et quia perfectio cujuslibet quantitatis ternario comprehenditur, propter principium, medium, et finem; ideo triplex differentia ponitur, quia sunt gravissima in genere venialium, et difficillime purgabilia, et hæc per lignum signantur. Quædam minima, quæ per stipulam, quædam media, quæ per fœnum significantur.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Habet magnum, et salubre Purgatiorium homo patiens, qui suscipiens injurias plus dolet de alterius malitia, quam de sua injuria : qui pro contrariantibus sibi libenter orat, et ex corde culpas indulget : qui veniam ab aliis petere non retardat : qui facilius miseretur, quam irascitur : qui sibi ipsi violentiam frequenter facit, et carnem omnino spiritui subjugare conatur. Melius est enim peccata et vitia resecare, quam in futuro purganda reservare. *L.* I, XXXIV, § 2.

Si dixeris, te non posse multa pati, quomodo tunc sustinebis ignem Purgatorii. *Lib.* II, XII. § 2.

Si futuras Inferni sive Purgatorii pœnas cordialiter perpenderes, credo, quod libenter dolorem et laborem sustineres, et nihil rigoris formidares. *Lib.* I, XXII.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

VERITAS SEU EXISTENTIA. — B. Furseus vidit in via ad cœlum maximos ignes, per quos necessario transeundum erat, sed simul videbat illos, in quibus nihil conbustibile erat, illæsos transire, alios vero magis minusve exuri, prout plus vel minus materiæ combustibilis, seu reatus afferebant. BEDA, *l.* III, *hist.* XIX.

S. Mechtildis quondam vidit animam cujusdam defunctæ, a Christo in hortum amœnissimum deduci, in quo multitudo animarum videbatur mensæ assidentium, quibus apponebantur fercula suffragiorum, quæ a viventibus offerebantur. CARTH. *de* IV, *noviss. diat. de Judicio anim. ar.* 21.

Cum olim hæresis quædam exorta fuisset, asserens defunctorum animas nihil pati, donec post resurrectionem corporibus jungantur, D. Hieronymus Eusebio olim suo discipulo apparens, jussit saccum, quo pro indumento usus fuerat, trium virorum cadaveribus, qui ea nocte obierant, imponi; quo facto, illi coram omnibus, qui in Ecclesia convenerant resuscitati, confitebantur se a S. Hieronymo circumductos, et infernum, et Purgatorium vidisse, et post viginti dies iterum cum Eusebio decessuros, cœloque, si catholicam fidem amplexi dignam pœnitentiam agerent, potituros. Quæ omnia, cum, uti dixerat, evenissent, et præterea illi pœnarum recordatione indesinenter flerent, multi ex perversis iterum sanam doctrinam amplexi sunt. CYRILLUS HIEROSOL. *in epist. ad August.*

Mauritius Rotomagensis Episcopus post mortem templo inferendus, resumpta, anima circumstantibus dixit : Ultima Pastoris vestri verba accipite. Naturaliter sum mortuus, sed ut, quæ vidi nuntiarem vobis, revixi : nec diu superstes ero, quia dormire in Domino placet. Ductores mei, quorum vestitus, vultusque longe pulcherrimi, sermoque jucundissimus erat, mihi versus orientem eunti pollicebantur Paradisum, Hierosolymisque peracta Sanctorum adoratione ad Jordanem tetendimus, cujus accolis comitatum nostrum augentibus lætitia mihi suborta est. Cum autem flumen transire maturarem, comites Dominum præcepisse affirmabant, ut peccata venialia, quæ prius confessione non dilueram, pavore ex aspectu dæmonum concepto purgarentur. Extemplo tantus teterrimorum spirituum exercitus, hastas acutissimas vibrantium, ignesque evomentium adstitit, ut aer totus fervens, flammeusque videretur : quo spectaculo supra modum cruciatus sum. Ut igitur vestræ saluti consulatis hoc recepto habitu vobis dixi, statimque iterum expiravit. VICENT. XXV, IV.

S. Patricio Hybernis Evangelium, et ex illo Purgatorii pœnas annuntiante, cum plerique ad conversionem duriores peterent evidenti signo demonstrari, quod asserebat, impetravit a Deo, ut locus aliquis designaretur, per quem in Purgatorium quoddam animarum transiretur. Itaque Egneus miles ad extremum ingressus post alios plures, ductus a Spiritu ad omnia suppliciorum, immanium loca fuit, et inaudita tormentorum exempla conspicatus, etiam purgationis locum subiit, ac reversus, enumeratis omnibus, quæ viderat, pœnarum purgatoriarum intolerabiles cruciatus, et diuturniora supplicia pronuntiavit. Dionys. Cart. *ar.* 9, *de noviss.*

Religiosa quædam Virgo cum in Monasterio D. Gertrudis defuncta esset, vidit ipsa Gertrudis animam ejus in loco admodum lucido mirifice exornatam consistere, cui etiam Christus adstabat, et quinque vulneribus suis sensus ejus nova suavitatis dulcedine recreabat, eamque blande consolabatur. Dixit itaque Gertrudis ad Dominum : Cum tu Deus totius consolationis huic tam amicabilem serenitatem exhibeas, quid est, quod ipsa mæstiori vultu apparet, et gravamen internem ostendit? cui Dominus : Ex hac mea præsentia, anima, quam cernis, non nisi delectamenta meæ humanitatis percipit. Unde et plene consolari non potest : sed ubi a negligentiis præteritæ vitæ purgata fuerit, ego eam in præsentia jucundissimæ Divinitatis meæ perfecte consolabor. Ad quæ iterum Gertrudis : Numquid, Domine mi, miseratio tua non prævalet filiam tuam (cui ab infantia dederas pium cor, et benignam voluntatem erga homines) nunc absolvere ab omni negligentiarum impedimento? Respondit Dominus : Pietatem cordis ejus, benignamque voluntatem abundantissime remunerabor, sed oportet, dictante justitia mea, ut omnis macula abstergatur. Et quasi blandiendo tenens mentum puellæ adjunxit : In hoc sponsa mea libentissime consentit justitiæ meæ ; quia, cum plene purgata fuerit, gloria Divinitatis meæ jucundissime fruetur. Ad quæ verba illa benigno vultu annuit Postea S. Gertrude offerente sub missa pro eadem puella salutarem hostiam, quæ a Sacerdote elevabatur, dixit anima : In veritate certum esse experior, nullum quantumlibet exiguum bonum in homine carere remuneratione, nec ullam quantumvis parvum culpam esse, quæ non purgari debeat ante vel post mortem. Quia enim sacram communionem libenter accepi, dum in terris vivebam, nunc magnum remedium obtineo de Sacramento Altaris pro me oblato. Et quia tam benignam voluntatem ad omnes homines habui, modo multo citius juvat me oratio pro me fusa. Insuper etiam æternam remunerationem expecto, quam in cœlo recipiam. Sicque sursum ferri anima videbatur, sublevata precibus Ecclesiæ. Blosius, *mon. spir.* XIII.

Qualitas. — S. Gregorius narrat, quemdam post visa tormenta reorum, gaudia electorum, ad corpus rediisse, dixisseque, quod, ponte periculoso superato, viderit amœnissimum campum, et pratum virens, in quo hominum candidatorum mansiones erant, tantusque suavitatis odor, ut omnes satiaret. S. Greg. I, *Dial.*

Cum Clericus quidam Coloniensis equo fluvium transiret, S. Severinus Episcopus paulo ante defunctus, et jam miraculis e sepulchro editis clarus, frænum equi apprehendit, manumque porrigi jussit; quod cum Clericus fecisset, ipse eam aquæ cum tanto dolore immersit, ut mox omnes carnes difluverint, solaque ossa apparuerint. Quærente vero causam tantæ pœnæ Clerico, respondit, se ob Horas Canonicas suo tempore non recitatas tantis pœnis adjudicatum fuisse. Postea restituta Clerico manu præcepit, ut eum aliorum Clericorum precibus commendaret, et disparuit. Surius, *tom.* VII.

Drithelmus cum post mortem ab Angelo in vallem immensam et horridam deductus, gravissimis animas excruciari tormentis videret, et modo in ignem, modo in rigentes aquas projici, quærens, an non hic damnatorum esset locus, audivit, non illorum, sed purgantium animarum esse locum; eorum præcipue, qui serius de peccatis pœnitentiam agerent. Unde ipse miris corpus cruciatibus affligens, causam tantæ severitatis quærentibus respondit : Eheu, sinite me, graviora sunt, quæ vidi. Beda, *l.* V, *hist. Angl. cap.* XIII.

Puer quidam novem annorum ob non solutos novem obolos, quos a familia mutuos acceperat, Purgatorii pœnis adjudicatus, de earum acerbitate a matre, cui apparuerat, interrogatus, respondit : Si omnes carbones, quos carbonari in universo mundo a tempore nativitatis usque fecerunt, in uno cumulo arderent, et tu dilecta mater mea in medio cumulo stares et arderes, non tantas pœnas sustineres, sicut jam in Purgatorio sustineo. Spec. *Ex disc.* IX, *ex* CI.

Monachus quidam ad Purgatorium in extremis ductus, vidit animas quasdam acuminatis verubus affixas ad modum anseris assari, tortorum vero alios follibus ignes animare, alios defluentem ex corpore adipem excipere, iterumque illis superfundere ; quasdam vero animas in alio loco quodammodo requiescentes vidit, quos an nosset, quærens Angelus, negante illo, respondit, priores esse Fratres Ordinis tui, qui disciplinam Monasticam parum observassent; posteriores vero, qui aut minus deliquerint, aut certe jam prope pro pœnis satisfecerint. VINCEN. BELANC. VII, CIV.

Alius quidam Monachus admodum pius, cum in mortis excessu positus vidisset tormenta Purgatorii, reversus ad se dixit : Nulla hominis lingua exprimere, nulla æstimatio concipere potest varietatem, multiplicationem et gravitatem suppliciorum, quibus me aspiciente purgandi subdedantur. Testis mihi est Deus, quia si quis me, et cunctos charos meos affecisset omnibus injuriis et pœnis, quas possunt homines in hac vita tolerare, vel etiam occidisset, et viderem eum deputari tormentis a me conspectis, ego millies, si fieri posset, mortem pro ejus ereptione subire paratus essem; adeo pœnæ illæ, quas in Purgatorio vidi, excedunt mensuram, et modum cujusvis doloris, angustiæ, amaritudinis ac miseriæ hujus vitæ. BLOSIUS, *in molini Spir.* XII.

Hugo Abbas Cluniacensis per triduum in vinea post mortem detentus sedit, quasi ex itinere fatigatus, dum resumeret vires, et pedum pulverem abstergeret. SURIUS 29 *April.*

Bellovacensis refert, Angelum quemdam viro cuidam apparuisse, eique dixisse, quod si tunc mori vellet, unico tantum die in Purgatorio moraturus esset; secus autem, longam, et dolorosissimam toleraturus esset infirmitatem. Elegit igitur statim ex hac vita migrare; sed audite, quid tandem contigerit. Cum idem Angelus paulo post mortem ad animam intra flammas Purgatorii hærentem, eamdem consolaturus accessisset, anima se ab ipso graviter deceptam fuisse, conquesta fuit, eo quod jam non una die, sicut Angelus promiserat, sed multis annis in iisdem derelictas fuisset. Cui Angelus respondit : Ita quidem tibi videtur ob tormentorum acerbitatem, cæterum vero ex viginti quatuor horis, quibus in hisce pœnis commorari debes, non nisi una solum hora præteriit. Tunc anima Angelum instanter rogavit, ut se apud Deum precibus suis interponeret, ut denuo in hanc vitam redire posset, promptam se offerens ad omnium atrocissimorum tormentorum carnificinam, toto futuræ vitæ tempore, pro divinæ voluntatis arbitrio tolerandam. BELLOVAC. *l. spec. mor. v.* I, *dist.* X.

S. Cyrillus scribit, se ab uno ex tribus mortuis per S. Hieronymum resuscitatis sequentia intellexisse : Quales putas credi esse pœnas paratas non solum damnatis, sed etiam in Purgatorio existentibus? ad quod ego : Puto, quod majores sint pœnis præsentis vitæ. Et ille : Si omnes, quæ in mundo sunt, pœnæ, tormenta, et afflictiones comparentur minori pœnæ, quæ illic habetur, velut solatia apparebunt. Mallet namque viventium quilibet, si illas per experientiam nosceret, omnibus pœnis his simul sine remedio cruciari usque ad finem mundi, quas omnes homines ab Adam, usque in præsens sigillatim perpessi sunt, quam uno die inferno, aut Purgatorio affligi minori pœna, quæ ibi habetur. Et paulo post acerbissimum quoddam indicat tormentum dicens : Tanta pœna est, dæmones intueri, quod unusquisque mortalium potius se præberet ardentibus flammis arsurum, quam jugiter oculis formas illorum vellet inspicere, quorum formis nihil pœnosius, nihil horribilius potest excogitari. DION. CARTH. *l.* IV, *nov. p.* 3, *a.* XIX.

Petrus Cluniacensis sequentem narrat visionem : Pervenimus in regionem spatiosam, visu valde horrendam, in qua fuit multitudo innumerabilis inenarrabilibus suppliciorum immanitatibus exposita. Innumerabiles pœnarum species vidi ibi; hi enim torquebantur; hi in sartagine frigebantur; hi unguibus sulcabantur, usque ad dissolutionem compagum. Alii puniebantur in balneis confectis ex pice, et sulphure, aliisque liquaminibus ex ære, plumbo, aliisque metallis, cum fœtore horrendo. Quosdam vermes monstruosi, dentibus venenatis rodebant. Et hæc quidem omnia in primo Purgatorio ipsum vidisse scribit. De secundo vero Purgatorio in hunc modum refert : Vidimus profundissimam vallem, in qua erat flumen altissimum, quod nebulam indicibilis exhalabat fœtoris. Erat quoque in ea ignis, qui videbatur usque ad cœlum pertingere; atque ex alia parte fuit tanta immanitas frigoris, ut nihil pœnalius ea me conspexisse putaverim. Ibi erant innumerabiles animæ, quæ nunc in flumen illud fœtidissimum mergebantūr, nunc inde erumpentes, ignibus involvebantur, ac inde exeuntes asperrimis frigoribus tradebantur. Tandem in alterum descendit Purgatorium, de quo sequentia refert : Post hæc venimus ad tertium Purgatorii locum, qui ultra, quam mente concipi potest, horribilis extitit et pœnalis, imo nulla lingua exprimere posset minima loci illius supplicia. Venimus ergo ad maximum campum, quem operiebat chaos horrendum, cui admixtus fuit fluvius sulphureus immensi fœtoris, nebula quoque et flamma instar picis nigerrima spargebatur confuse per campum : planities campi scatebat multitudine vermium; vermes illi super omnem æstimationem erant horribiles, monstrosi, deformes, aspectu pavendi, et naribus ignem execrabilem spirantes, qui turmas miserorum voracitate insatiabili lacerabant, et super miseros illos dæmones cursitabant, ac more insanientium sæviebant in eos, atque per ferramenta ignita, eos frustatim per singula membra truncabant; nunc omnem carnem usque ad ossa funditus abradebant; nunc igni injectos liquefecerunt velut metalla. Parum est hoc, testor Deum, imo tanquam nihil, quicquid dicere nitimur de pœnis loci illius. In brevissimo enim temporis spatio intuebar eos, centum vel amplius pœnarum diversitatibus quasi annihilatos, et mox restauratos, et iterum fere in nihilum redactos. *Ibid.*

In Promptuario exemplorum legitur, quod, dum ex duobus Religiosis, qui familiares invicem amici erant, uni morti vicino revelatum fuisset, quod in Purgatorio eo usque moraturus esset, donec pro ipso aliquod Missæ Sacrificium offerretur, alterum Religiosum amicum rogarit, ut postquam animam exhalasset subito pro se Missam celebraret; quod cum is punctualiter adimplesset, anima, per illud sacrificium liberata, priusquam in cœlum conscenderet, eidem amico apparens, de dilata nimium Missæ celebratione graviter lamentata fuit, credebat enim se viginti annis intra Purgatorii flammas fuisse commoratam, cum tamen non nisi illo temporis spatio in eo fuisset, intra quod Missa de requiem absolvi poterat. MANSI, *disc.* III, *n.* 4.

Boverius, PP. Capucinorum historicus anno 1586, memorat, P. Constantinum a Salvatore, virum plane sanctum, nonnullis post obitum diebus Patri cuidam apparuisse, et de salutis suæ rebus interrogatum, inter alia hæc dixisse. Heu! Heu! frater quam districta Domini judicia sunt, atque ab hominum sensu ac sententia longe remota? Quæ enim viventibus virtutes videntur, a Deo plerumque, qui recte omnia metiri novit, vitia reputantur. Ego quidem Dei miseratione salutem consecutus, jam cælesti gloria fruor, verumtamen in purgatorio igne triduo pœnas exsolvi, quæ trium millium annorum spatium diuturnitate æquare visa sunt. Tum geminam eorum causam reddidit : prior, quod diuturno in regimine non paucas maculas, quas nec maculas putabat contraxisset; altera nominatim, quod in animi relaxationibus indulgentior æquo in subjectos fuisset, unde nonnulla dissolutio enata esset. Aliam historiam narrat idem Auctor anno 1567, de quodam alio fratre defuncto, cui dimidiatæ horæ intervallum, quo Missa pro eo facta fuerat, plus anno durasse visum sit. JAC. HAUTINUS, *in patroc. s. l.* 1,*n.* 305.

Sodalis quidam Parthenius ex Paraquaria de vitandis levibus noxis sæpe admonitus, etiam intentato purgantis ignis terrore correctionem negligebat, quando superis placuit, hac eum ratione ad officium urgere. Nocte quadam splendidos juvenes sibi adstare conspexit, cum iisque medium virum e Societate. Tunc illi, nunc, inquiunt : Te docebimus, quam non contemnendæ sint piaculares flammæ; correptumque statim in ardentem rogum conjiciunt, quinta post, ut aiebant, die extrahendum : flammas ille vix senserat, cum exclamare cœpit, se per plures annos in iis jacuisse. Falleris, reponunt, nondum dimidiati quadrantuli pars effluxit; disce deinceps illas non flocci pendere; hisque dictis sese subduxere. At hic totus sudore diffluens, et adhuc æstuans ad lucem usque, scilicet meliora proponens, postque insigni noxarum correctione ostendit non inane visum fuisse. Ita litteræ Paraquarientes anni 1650. Quod totum cum citra mortem, extraque Purgatorium peractum sit, scilicet vi imaginatricis facultatis, omnino credibile est, priorem narrationem eodem pacto accipiendam esse, maxime cum Carthusianus referat, Franciscanum quemdam virum alioqui inclytæ virtutis, nocte quadam, in spiritu, ut aiunt, post matutinas preces sensisse purgantes flammas, cumque ante pulsum ad primam sibi redditus esset, existimasse centum et quinquaginta annis sese in iis versatum fuisse. *Ex lit. Paraque anno* 1650.

Cum B. Wilhelmus Villariensis Abbas in Brabantia ad generale Capitulum iter arripuisset, accidit, ut quidam conversus infirmitate prægravatus Superiorem advocans, eidem, confiteretur quoddam inter cætera peccatum, cujus absolutionam Abbas sibi reservaverat. Quo audito, Superior existimans, mortis non imminere periculum, dixit ei, quod peteret ab Abbate suo absolutionem de illo delicto. Quid moror; ingravescente infirmitate ex hac vita discessit in vera contritione, et afflictione cordis; quod quidem ita inopinato accidit, ut nec superiorem vocare, nec confessionem reiterare valeret. Cum autem Abbas de Capitulo rediisset, et sequenti die orationibus, et sanctis meditationibus vacasset, spiritus defuncti nuper conversi apparuit illi. Porro Abbas viso illo, et præmisso Benedicite, inquirere cœpit de statu suo. At ille, cum recessisses, inquit, a nobis, mandatum ascepi a Superiore in confessione, quod peterem a te benedictionem pro hoc delicto : ecce venio, et tuam benedictionem instanter exoro, et desidero. Qua accepta ab Abbate, iterum requirit defunctus, quid debeat facere, ut ab illa culpa mundetur. Cui Abbas : Præcipio tibi, inquit, quod permaneas per annum integrum in Purgatorio. At ille exclamare cœpit, et dicere : Heu me! Pater, quare tam duram tulisti contra me sententiam. Ego potius eligerem septem annis ignita fornace Villariensi cruciari, quam per unum integrum esse in Purgatorio : et Oratio Dominica semel dicta suffecisset. His auditis, Abbas vehementer contristatus absolvere eum voluit a simili pœna. At ille, non est, ait, in tua potestate liberare me : tu tuam sententiam tulisti, lata permanet : precibus autem, et aliis obsequiis evadere potero pœnam istam; et his dictis, subito non comparuit. Abbas vero intrans Capitulum narravit Monachis quæ facta fuerant circa mortuum fratrem, rogans eos per viscera misericordiæ Dei, quibus visitavit sedentes in tenebris, et in umbra mortis, quatenus rogarent Dominum pro ipsius liberatione, et ut deinceps cautius se haberent in confessionibus audiendis, et in pœnitentiis injungendis, admonuit. Henriq. *in stor.* 55, *Cisterc.*

Cum R. P. Stanislao Kolcockæ, Ordinis S. Dominici, viro inter suos sanctimoniæ laude illustri, anima quædam fratris nuper defuncti videndam se præberet, incessit illum cupido sciendi, quantæ esset acrimoniæ ignis ille, quo anima aiebat se flagrare. Ad hæc, ignes alii, respondit, auræ tenuis locum tenent, si cum ardore meo componantur. Tum Stanislaus experiri se velle ait, illum in corpore mortali cruciatum, modo vel sic aliquid decedat pœnæ peccatis suis debitæ. Et anima, non est, inquit, mortalium infirmitas ferendo tantam acerbitatem : si tamen perstas in sententia, volam manus expande, et sudoris mei guttulam excipe, ac me sacrificiis tuis juva, fratribusque suade fugam noxarum, quibus tanta pœna redditur. Protendit ille manum, et igneam velut lacrymulam excepit, subitoque immensi doloris impatiens vociferari cœpit, ac semianimis in terram corruit. Accurrere fratres clamoribus et ejulatibus exciti, eumque prope jam defunctum reperere, crebrisque fomentis animam retinuere fugientem. Interea causam tanti doloris percunctantur : aperit Stanislaus, admonet officii, ne pari pœna plectantur, jubet causam ac sensum posteris pervulgari. Annum superstes fuit, et per integrum doloris illius reliquias persensit, ac tandem piissime finiit. Brovius, *ad annum* 1590, *n.* 26.

S. Gertrudis quadam vice orans pro anima Fratris Hermanni Conversi, nuper defuncti, cum perquireret a Domino, ubi esset, Dominus respondit : Adest, propter orationum vim, quæ modo pro eo devotius funduntur, advocavimus eum, ut aliqualiter opuletur nobiscum. Hinc apparuit Dominus tamquam Paterfamilias sedens ad tabulam, super quam videbatur præsentari totum, quod pro anima illa fiebat in oblationibus, orationibus, desideriis et similibus. Apparuit etiam anima jam dicta, sedens in fine tabulæ mærenti animo, et vultu dejecto, velut nondum purgata, nec digna, quæ jucunda contemplatione amabilis vultus Dei consolaretur. Videbatur tamen ex eo aliquantulum serenari, quod ex oblationibus supradictis aliquis quasi vapor de calidis ferculis exiens, ad ipsam reflectebatur, unde mirifice recreabatur. Et post nonnulla sic auctor : Ex his omnibus, sed et maxime ex affectu supplicantium de hora in horam semper amplius serenata, cœpit magis magisque convertere, et levare oculos ad jucundissimum lumen beatificantis divinitatis, quod irreverberato intuitu aspexisse, est omnium gravaminum etiam memoriam veraciter deposuisse, et abundantiam bonorum æternæ beatitudinis immarcessibiliter induisse. Ista vero, quæ pro ipsa orabat, cum videret eam in tali statu quiescere, requisivit ab ea dicens : Pro qua culpa nunc maxime gravaris? Et anima : Propter propriam voluntatem, et proprium consilium, unde et pro eo nunc tantum gravamen conscientiæ perfero, quod si in unum redigerentur omnium mortalium cordium gravamina, simile mihi non videretur illi, quod sentio. Tunc ista : Quali remedio posset tibi subveniri? Et anima : Si quis cogitaret me pro his gravatam, et caveret sibi a similibus, multum mihi gravamen allevaret. HAUTINUS, l. I, n. 144.

Anima cujusdam juvenis post mortem apparuit S. Mechtildi, a qua interrogata, utrum pœnam aliquam sentiret, respondit, se nullam pœnam sentire, nisi quod amantissimum Deum suum non videret, quem ingenti et ineffabili desiderio conspicere cupiebat : dicebat enim, quod anima, mole corruptibilis carnis adhuc gravata, multum impeditur necessitatibus corporalibus, nunc comedendo, nunc aliud faciendo, nunc cum hominibus conversando; sed anima pia, quæ corpore soluta est, quia Deum summum bonum jam magis cognoscit, inæstimabili ejus flagrat desiderio. *Ibid. n.* 141, *ex Blosio.*

Eadem virgo Mechtildis aliquando spiritu perducta est in hortum amœnissimum, cœlo vicinum, ubi erat copiosa multitudo animarum, quæ non aliam pœnam sustinebant, quam vermem conscientiæ, unamquamque vehementer arguentis, quod benignissimo atque dulcissimo Deo suo fidelis non fuerat : unde et ad eum post mortem sine impedimento pervenire non promeruerat. Qui quidem vermis animam non deserit, donec illa intret in plenum gaudium Domini sui. *Ibid. n.* 142.

Romæ Concionator quidam insignis inter concionandum asseruit, nuper cuidam sanctæ personæ revelatum esse, Salomonem ad hæc usque tempora acres pœnas in purgatorio subiisse, at jam iis absolutis abiisse in cœlum. Obiit autem Salomon juxta Salianum anno ab orbe condito 3059, ante Christum 994, adeoque sic in purgatorio fuit annis bis mille sexcentis. III. *Reg.* II.

In Provincia Gallo-Belgica anno 1050, in Cœnobio Insulis adjacente religiosus senex festi S. Cæciliæ privilegio in somno vidit religiosum armis igne rubentibus coopertum : quem cum rogaret, quis esset, respondit, se illius loci religiosum esse, et jam quadraginta annis sub his armis arsisse, ac decem insuper superesse ; causam pœnæ esse, quod æquales despexerit, et alienæ famæ detraxerit, ad usus proprios aliqua sumpserit, ideo ejus se preces poscere. *In libello suppl. anim. purg.*

In Chronica S. Francisci legitur lib. IV, cap. VII, fuisse quemdam sanctitatis celebrem ejus Ordinis mortuum, pro quo cum omnes altero die Sacrum fecissent, excepto uno, qui quidem, cum crederet virum tam sanctum ea ope non egere, pro eo non fecit; altera nocte apparuit huic mortuus, et questus est, se defectu hujus Sacri pati diutius; is vero veniam petit, causamque prætermissi Sacri recenset. Cui alter : Longe omnem rationem humanam superat, quam rigide Deus ibi judicet, puniatque quidquid hic non plene est expiatum. MART. *Rom.* VIII.

CAUSA PURGATORII. — Justus Monachus, eo quod tres aureos per proprietatem servasset, etiam dimissa et castigata jam culpa, triginta dierum Purgatorium sustinuit. *Spec. ex. dist.* 1, *ex.* 74.

Quidam Pater ex S. Dominici Familia mense integro in Purgatorio morari debuit, propter familiaritatem cum sæcularibus nimiam, et solatia ex iis hausta. *Ibid. dist.* 7, *ex.* 57.

Ludovicus II, Imperator post triginta annorum spatium a morte elapsum apparuit filio, dixitque : Adjuro te per Dominum nostrum Jesum Christum, ut me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, ut tandem aliquando vitam æternam habere possim : et tamen tantopere pietati addictus fuerat, ut Pii cognomentum obtinuerit, BARON. t. X, *anno* 874.

Soror S. Damiani post obitum fratri apparens dixit, se quindecim diebus in Purgatorio graves pœnas dedisse, quod aliquando in cubiculo suo cantus chorizantium in platea cum aliqua dulcedine audivisset, nec pœnitentiam egisset. *Spec. ex. d.* 9 *ex.* 111.

Quædam Abbatissa S. Birgittæ apparens, ferreo reti gravata apparebat propter regularum transgressionem; ignea vero lingua propter levitatem in verbis; et plumbeis manibus et pedibus propter bonum exemplum neglectum. *Lib.* VI, *revel.* XXIX.

Quidam Episcopus propter detractiones sui Clerici libenter auditas, et non castigatas, post mortem graviter a fœtore, qui ex inferno a dicto Clerico prodierat, punitus est. *Spec. ex. dist.* 6, *ex.* 55.

Religiosus quidam socio apparens dixit, se in Purgatorio torqueri, eo quod res antiquas, quando novæ oblatæ sunt, abscondisset; petiit proinde, ut per Abbatem absolveretur; quo facto lætissimus et clarissimus iterum apparuit cum candida turba eorum, quibus Angelus crucem prætulerat, cum eaque se in cœlum abire dixit. *Ibid. dist.* 9, *ex.* 34.

In Bononiensi Provincia quidam Capuccinus in culinam ad calefaciendum se conferens, vidit in primis duos caculas carbones præparantes, tum Fratrem Capuccinum veru suffixum a tertio assari, quod ligna inutiliter combussisset, et paupertatis curam exiguam etiam in aliis habuisset. *Ex annuis Capuc.* 1603.

Quidam in Purgatorio punitus est, quod ad versum *Gloria Patri* caput ex præscripto non inclinasset. *Annal. Cistercens.*

Cuidam ægroto Fratri apparens Abbas cum quindecim aliis Fratribus dicebat, ipsos graviter puniri in Purgatorio propter distractiones in oratione admissas, neque liberari posse propter negligentiam Fratrum in oratione pro ipsis fusa. *Spec.*

Cyprianus a monte Cervino Guardianus Capuccinorum noctu secedens Eboli in templum, deprehendit ibi Fratrem jam pridem mortuum, in angulo orantem et dicentem, quod ibi Purgatorium haberet, eo quod orationi negligenter in eo loco vacasset, nec debitum SS. Eucharistiæ cultum exhibuisset : liberatum tamen iri, si in privilegiato Altari pro ipso Sacrum fieret. *Annal. Capucc. An.* 1584.

Hugo Victorinus apparens post mortem socio dixit, propter disciplinam recusatam vix dæmonem in inferno fuisse, a quo non ictum in transitu per Purgatorium acceperit. *Cantipr. l.* II. *apum* XVI.

Quidam ob lodicem a peregrino donatam eo fine, ut pro eo oraret, cum hoc facere neglexisset, eadem lodice in purgatorio graviter punitus est. *Cæsar.* l. XII, XLI.

Quædam Monialis Carmelitana debebat sedecim diebus hærere in Purgatorio, quia ob respectus humanos non monuerat Superiores Monasterii de re aliqua, ad quam se inspirari sentiebat. *Vita S. Mariæ Magd. de Pazzc.* LXIV.

Justinus Clericus, qui Fratris crimen ad Guardianum amarulento animo detulerat, eidem in horto ambulanti dixit, se ob hoc peccatum in periculo damnationis fuisse, et triginta annorum Purgatorio adjudicatum. *Annal. capucc. An.* 1563.

Frater Antonius Bononiensis laicus, vir facetus, quindecim ab obitu diebus Fr. Angelo Teutonico apparens dixit, se, licet in servitio peste morientium occubuerit, tamen, quia Fratres sua garrulitate a severioribus sermonibus avocasset, ne tempestive ad horas Canonicas venirent, quindecim diebus quotidie super ardentes prunas Patavio Veronam quinquaginta mille passibus distantem ambulare coactum fuisse. *Ib.* 1576.

In Conventu Astensi, Sacerdos post triduum a morte, Guardiano ad communia loca eunte, flebilem vocem emisit, et adjuratus dixit, se in illas sedes omni ferro candenti ardentiores compulsum, eo quod signo ad horas Canonicas dato, in illa prius loca se contulisset. *Id.* 1573, n, 38.

In Romano Conventu, dum quidam noctu lucernam accensurus in culinam se confert, tres ibi defunctos Fratres ostendit, qui facies ac linguas ardentes, prunas reptantes, semiustas gerebant, causamque roganti dixerunt, id se pati, quod eo in loco sæpe de absentibus murmurassent. *Ib.* 1608, n. 63.

S. Udalricus Purgatorium transire hac sola de causa debuit, quod Adalberonem nepotem suum sibi in Episcopatu substituerit, licet eo prius mortuo non successerit substitutio. *Stapl. Do.* II. *post Epiph.*

Vitalina Virgo sanctissima S. Martino Episcopo apud sepulchrum ejus quærenti, num Dei præsentia frueretur, respondit, se nondum frui, eo quod Feria sexta, qua mundi Redemptor passus est, caput abluisset, *Lanc. op.* XVI, n. 197.

Apud Abbatem Blosium c. VI. Monilis, defunctus amico superstiti videndum se præbuit, et se ideo in expiatoriis cruciatibus ardere dixit, quod in frequentando sacræ synaxis Sacramento fuisset negligentior, eximi se inde posse, sanctissimi illius Sacramenti sumptione devota ; communicavit (quanto vero ardore, sic monitus) amicus pro amico, et postridie illum gratias pro beneficio agentem vidit. Si S. Nicolai Tolentini pane, vel agnis Dei, vel reliquiis ignes extinguuntur, id quod sæculorum monumenta loquuntur, quid non poterit panis iste, qui Deus est? Blosius, VI.

Gonzaga in Provincia Canariæ in Conventu conceptionis Beatæ Virginis Joannis de Via meminit, qui sub Annum 1541. excessit. Is Ascensio Novitio suo, dum ægrotaret, ministro, tertio adfuit, et quis esset roganti respondit : Frater Joannes de Via ego sum, qui ex maxima Dei misericordia cælicolis adnumeratus existo. Verumtamen ne id statim assequar, impedimento sunt quædam defunctorum officia a me oblivioni tradita. Quamobrem a te obnixe peto, ut ea quamprimum ex charitate persolvenda cures. Dixit visa et audita loci Præfecto Novitius, et curata sunt omnia diligenter. Tum Ascensio Novitio SS. Franscisco et Bernardino comitatus Joannes de Via iterum adfuit cælesti lumine copioso illustratus, et actis tenerrimis pro præstita opera gratiis videri desiit, quia ad patriam transiit ad videndum æternum Deum. GONGAZA, p. 4.

Quidam Monachus preces pro alio post mortem persolvendas assumpserat, sed quia eas persolvere neglexerat, paulo post extinctus, et in purgatorium præcipitatus, non prius inde dimissus est, quam communi omnium devotione fuerat liberatus. S. PETRUS, *Domian. ep.* 6.

Apud Vigliegam dixit avunculus, se quidem jam e Dei Judicis sententia cælesti libertate donatum, sed ob socordem nepotis in iis, quæ juxta testamenti vim curanda erant, suffragii oblivione multa passum. Tu vero, inquit, ad nepotem, in pœnam oblivionis tuæ alterum tantum patieris, supra omne id, quod passus sum ego, præter ea, quæ pro tuis culpis pati alias debes. Dicessit ille et pœnitens facti nepos rite confessus etiam illam negligentiam suam, in lectum decidit æger, inde in mortem. NADASI.

Pater Joannes Major narrat, Cisterciensem quemdam cætera probum Reliogiosum, ob eam tamen, qua Diaconatum cupiebat, ambitionem pœnas in purgatorio dedisse. Adverte vero ad id, quod ille fratri Sacristæ, cui apparuit, dixit : Quodque adhuc gravius, absque condigna pœnitentia hujus delicti de corpore exivi, quia nec tanti ponderis hoc fore putabam, quanti post mortem inveni. *Spec. ex V. Defuncti ex.* II.

Modica res videbatur Joanni Pico Mirandulano Comiti, negligere talentum ingenii, et tamen apud Delrium lib. II, disquisitionum, quæst, XXVI, sect. 5, a morte apparuit, et dixit, torqueri se pœnis expiatoriis, quod non satis diligenter et fæcunde talentum sibi a Deo creditum eruditionis et ingenii multiplicasset, et quia non, quanti par erat, fecisset, internas Dei suggestiones, inspirationesque etc.

Cæsarius ait, se e Benignæ Abbatissæ ore accepisse quæ narro : Gertrudis novem circiter annorum parvula in reliogoso Conventu educata, post mortem comparebat in choro, seque humi sternebat. Rogata ab illa, cui apparebat, quid vellet; ad satisfactionem, inquit, huc veni, quia libenter tecum in choro susurravi, semiplene verba proferens. Idcirco in eodem loco jussa sum satisfacere, ubi contigit me peccare. Et nisi tibi de eodem vitio caveas, eamdem pœnam moriens sustinebis. Satisfactione completa tendebat versus cæmeterium mirabili virtute murum transcendens. CÆSARIUS L. V. XXXVI.

Jordanus a Saxonia ait, notum sibi quemdam in ordine suo magnum a morte pro cuidam viro apparuisse, et se integerrimo anni unius spatio in atrocissimis ignis purgantis tormentis fuisse, jam tamen Dei miseratione cælesti familiæ adscribendum, dixisse. Rogatus, quid ita vir in tanta sanctitatis æstimatione habitus tanto tempore tantis fuisset pœnis excruciatus, respondit : Ob cogitationes pravas, quibus aiebat cor suum sæpe vexatum, a divina tamen protectione custoditum, ne proruperet, omni nimirum custodia servandum est cor, cum semper, tum in his vel maxime, ut ne quid nævi adhæreat, transeunt illæ quidem per cor, at adeo lutulento pede, ut vehementer advertendum sit, ne quod luti frustum, ne quod impuri pedis vestigium post se relinquant. JORDAN. l. III, *de Com. Spir.* XXX.

Audivi (inquit Nadasi) e viro, cujus ætas, doctrina, et religiosæ virtutes facilem apud me fidem invenit, nostra ætate visum, nobilitate ac virtute præstantem, die Beatæ Virginis confessum festo (ipse illi a conscientiæ arcanis erat) et communione munitum, domi frugali refectum prandio, ad visitandum Patrem confessarium suum adiisse, ibi oblatum sibi urbanæ humanitatis causa vini vitrum exiguum semel ebibisse : domum reducem, noctu, repentino nescio quo morbo decessisse. Patri ipsi, præmisso in faciem calidissimo anhelitu adfuisse, ac se mortuum et in purgatoriis suppliciis pœnas dare dixisse. Rogavit hominem is, qui mihi hæc retulit, Pater, quid ita in purgatorio esset, cum heri confessus et indulgentiam plenariam fuerit consecutus causam dedit defunctus, se quidem indulgentias consecutum, sed post prandium pauxillum illud vini ex illo vitrello bibisse supra sitim, ideo se pœnas dare, et daturum, donec pro se sacrum fiat. Rogavit ergo, ut id quamprimum liceret, facere ne omitteret, signum liberationis fore, si non rediret. Fecit, ut primum per tempus licuit summo mane sacrum Pater, et anima non rediit. *Nadasi, l. c. hebd.* XXIX, n. 3.

Modica res, inquit idem, videbatur matutina jusculi sumptio religioso illi valetudine non satis firma utenti, et tamen aiunt etiamnum superstites, illum in fimeto sedere visum post mortem et quidem usque ad os, et causam illam fassum, quam dixi. *Ib.* n. 4.

S. Birgittæ pro anima præclaræ virtutis viri oranti dictum a Beatissima Virgine : Filia, hujus Eremitæ amici mei anima de corpore egressa, mox pervenisset in cœlum, si in morte perfectum habuisset desiderium pertingendi ad præsentiam Dei, ejusque visionem : quod quia non habuit, detinetur nunc in purgatorio desiderii, ubi nulla pœna est, nisi solum desiderium perdenienvi ad Deum. Scito tamen ipsam traducendam in cœlestem gloriam, antequam corpus ejus recondatur in terra. Quis ergo securus, quis ab igne illo tam cito, ac putamus, evadet inter mortuos liber? *Elosius in conclav.* XIII.

Fr. Sylvio Capuccino una anima in templo ante SS. Sacramenti aram sic locuta est, ut ita dicam, lacrymabilissime : Ah mihi! Ah mihi! quid non debeo pœnarum pati! O juste hominum judex, quando illis finem impones? O fratres! O fratres! Si vos sciretis, quam hæc graves sint pœnæ, quod non terroris ac tremoris conciperetis? O Sylvi, ego sum anima fratris N. quæ horribilibus in Purgatorio tormentis excrucior! causa horum sunt peccata linguæ meæ, ob quam ego tanta patior, quanta eloqui plane non possum. Aiebat se rixas interdum inter fratres excitasse; hoc vero, uti maxime videbatur, quod contra Franciscum ejus loci Superiorem seu Guardianum deliquisset, illum accusando non zelo, sed alio affectu. Quare demisse rogare se, ut sui loco Sylvius veniam, simulque triginta sacrificia Missæ peteret a Superiore offenso a se. Superior libentissime omnibus annuens, tres proximos dies omnibus sacerdotibus, ut pro fratre illo sacrificarent, destinavit. Tertio die adfuit, ad agendas Guardiano gratias, purgata jam anima, dixtque se jam ad cœlum proficisci, ibi se illum præstolaturum. Primum offensas remitti sibi voluit, tum demum offerri sacrificia, et quidem illius opera, quem a se sciebat offensum. NADASI, *hebd.* XXI, n. 3.

Catharina Riccia Florentina, ut in ejus vita Guidus lib. I, cap. XXI, testatur, Anno 1545, die Purificationis B. Virginis ad suum conclave redux reperit illic Deiparam Virginem cum parvulo suo Filio Deo Jesu et cum S. Vincentio Confessore. Ibi sub pallio vidit quarumdam ejusdem Cœnobii monialium animas, et sororis suæ, quæ omnes erant Catharinæ precibus a Purgatorio liberatæ. Horam integram tenuit cœleste spectaculum. Dedit B. Virgo Catharinæ in sinum felicem parvulum suum, qui illam monuit, ut primo certæ quædam e cœnobio labeculæ tollerentur. Secundo ut omnibus diceretur, ut de ope certæ ad Jesu Matrem recurrerent. Tertio, ut Cœnobii mater, non tantum adverteret ad errores, verum cum plurima charitate etiam pœnitentiis animadverteret, ne ipsa postea in Purgatorio pateretur, quæ neglexisset. *Idem* XVII, *hebd.* XXXI, n. 4.

Berlaymont ex aliis novennis parvuli meminit, qui matri e Purgatorio spectabilis, dixit adeo acerbis se doloribus cruciari, ut si multis annorum millibus comportarentur carbones, tantum facere non possent incendium. Maternum cor ad hæc illacrymari, et inculpati parvuli pœnas obstupescere cœpit. At parvulus incurium se in exolvendis minimis quibusdam debitis fuisse se dixit, quæ forte pro reculis, quas ad pueriles usus emerat, contraxerat. Satis ergo creditoribus fieri, ac preces pro se fundi jussit. Et vero liberaliter id ac perlibenter fecit mater optima, cui gratias jucundas retulit in libertatem filiorum Dei assertus novennis puer, dicens : O mater dilecta gratias tibi ago : ex quo debita mea persolvisti, me a Purgatorio liberasti, ideo cœlos introibo, et pro te ac fratribus meis Deo supplicabo. *Ibid. ebd.* XXXIV, n 1.

Monachus quidam, teste Vincentio, in extremis agens, antequam decederet, raptus est in spiritu, ductusque est ad loca pœnarum infernalia, viditque, quod sine horrore referre non possumus, animas scilicet multas verubus, et contis acuminatis infixas, ad rogum maximum in modum anserum torreri et assari, ipsosque crudelissimos tortores sufflatoriis aliisque igneis instrumentis miserorum tormenta totis nisibus aggregantes. Alii vero patellas et sartagines ignitas desubtus jacentes ponebant, adipemque, qui de ardentibus jacentium membris fluebat, diligentissime colligentes, eumdem rursus bullientem et ferventem super eos, a quibus fluebat, refundebant, quam pœnam cæteris cruciatibus intolerabiliorem eis esse considerabat. Posthæc ductus est ad quemdam refrigerii locum, ubi multitudinem animarum, quasi post gravem aliquem laborem quiescentium invenit, interrogatusque ab Angelo ductore suo, si sciret, quæ hæc essent, se nescire respondit. Sanctus vero Angelus dixit ei : Hi, quos vidisti ad ignem illum permaximum assari, homines sunt ordinis tui, qui licet criminalibus peccatis se nequaquam fœdaverint, non tamen, sicut monet Scriptura, servire Domino in timore et tremore curaverunt, non disciplinæ censuram tenere, non quietis et silentii patientes esse, non denique vigiliarum et orationum solemnem devotionem, neque laboris sanctæ psalmodiæ executionem strenue, sicut oportet, æmulari studuerunt, sed magis curiosi, faceti, vagi, superflui, desidiosi, pigri, somnolenti, signis, jocis et levitatibus indulgentes, monasticæ professionis puritatem violare non timuerunt, qui postquam, secundum æquissimam Dei sententiam in supra visis pœnis alii brevius, alii prolixius pro quantitate et qualitate excessuum suorum purgati fuerint, mediante gratia Dei, in hunc refrigerii locum introducuntur, atque hic post horrenda supplicia illa pausantes, perfectionem beatitudinis suæ cum patientia præstolantur. *Vinclat. spec. hist.* CIX.

Duo fratres, quorum unus novitius, et alter prædicator erat antiquus in conventu Coloniensi, eodem die defuncti sunt. Tertia vero die post, novitius gaudens infirmario apparuit, dicens, quod propter fervorem conversionis, quem habuit, ita cito purgatus est. Post menses autem prædicator dictus eidem infirmario apparuit gloriosus, pulcherrimum monile habens in pectore, et multos lapides pretiosos in veste, et auream coronam in capite, cumque frater quæreret ab eo, quare novitius cito, et ipse tarde purgatus fuerat, et quid illa insignia figurabant, respondit : Ego propter familiaritates sæcularium et verba solatii diutius in Purgatorio fui, sed majorem gloriam sum adeptus. Monile significat rectam intentionem in Deum, lapides pretiosi animas, quas converti, corona ineffabilem gloriam, quam a Domino sum adeptus. *Annal. Domin.* p. 5.

S. Annon dimidio fere anno, priusquam e vita excederet, visus sibi domum quamdam omni decore intus et foris resplendentem intrare. Et ecce in subselliis judicialibus tamquam ad concilium solemniter evocati residebant, Heribertus Coloniensis Archiepiscopus, Bardo Moguntinus Archiepiscopus, Boppo et Eberhardus Trevirensis Archiepiscopi, Arnulphus Wormatiensis Episcopus, et alii quamplures Galliarum Episcopi, quorum alios in carne noverat, alios fama tantum et lectione compererat, amicti omnes stolis Pontificalibus, et habentes vestem instar nivis candidam, ipse quoque candidis admodum ac pretiosis indutus sibi videbatur, sed partem candentis vestimenti, eam scilicet, qua pectus tegebatur, sordida quædam ac fœda caligo obduxerat, ac cæterum cultus ejus splendorem sua fœditate plurimum obfuscabat, quam tamen ipse, nimio rubore perfusus, objecta manu tegere ac celare, ne adspicientium offenderet obtutum, conabatur. Vidit inter eos sedem sibi quoque miri decoris paratam, quam cum occupare gaudio, et exultatione æstuans procuraret, surgens Arnulphus Wormatiensis Episcopus, modesta voce eum prohibuit, dicens : Reverendos Patres, qui assiderent, nolle eum in suum admittere consessum, propterea quod vestem ejus turpis hæc macula fœdaret; cumque jussus loco cedere, flens, confectoque nimium animo egrederetur, insecutus eum idem Episcopus, æquo, ait, animo esto, Pater, maculam tantum hanc, quæ vestem tuam infecit, maturius ablui præcipe, quia non post multos dies, beatæ hujus mansionis consortium, et sanctorum Patrum, quos aspexisti, confessum voti compos percipies. Mane facto, cum familiari cuidam suo visionem retulisset, ille sapienter rem conjiciens : macula, inquit, hæc vesti tuæ illata, nihil aliud est, Pater, ut æstimo, quam memoria injuriæ civium tuorum, qui te anno superiore Colonia expulerunt, quibus te, divinæ pietatis respectu, jam olim oportuerat admissi hujus veniam dedisse. Hæc quod bona venia dixerim, pectori tuo tenacius, quam æquum sit, insidens et amarissimo merore contra fas mentem tuam decoquens, cæteram sanctissimæ tuæ conversationis claritatem molesta quadam caligine obducit et obscurat. *Vita. ad an.* 1075.

Cæsarius refert de puero quodam, qui sine extrema unctione obierat, quem diabolus accusavit, quod germano suo obolum surripuisset, nec pro eo furto pœnitentiam complevisset, cumque Deum puer quasi velatum atque omnino terribilem conspexisset, audivit eum a dæmone petere, num vellet ipse animam ob tam leve delictum condemnari. Postquam vero pro ea viginti quatuor seniores Deo supplicassent, conjectus est puer in puteum plane horrendum et ardentem, in quo ubi per horam terribilissime tortus fuisset, ad vitam rediit, tantaque se brevi illo horæ spatio perpessum fuisse affirmavit, ut nullatenus sibi possibile fore dixerit, tormentorum gravitatem explicare. *Elias a Jesu* f. LXI, p. 1, *purg*.

Diuturnitas. — Quidam Monachus defunctus Abbati apparens, et pœnitentiam pro peccatis petens, cum Abbas ei injunxisset, ut pro pœnitentia maneret in Purgatorio, donec corpus ejus sepultum foret exclamavit voce magna : O pœnitentia sine misericordia. Spec. *ex d.* IX, *ex* CLXXXIII.

Pater quispiam Dominicanus cum fratri cuipiam suo agonizanti sacrum promisisset, post sacrum mox dictum apparens frater dicebat, jam sibi viginti annos interim elapsos videri. Jod. Andrier, *tr.* II, *de Purg.*

Quidam scelerate vivens gravi morbo cruciatus, cum optione per Angelum facta tres Purgatorii dies pro biennali morbo elegisset, ubi vix per horam in Purgatorio fuit, putavit, se plurimis annis ibi hæsisse, ideoque rogavit, ut ad terras redire liceret, malle se quippe, quamdiu Deus vellet, gravissimo morbo vexari, quam reliquis duobus diebus in Purgatorio hærere. S. Anton, p. 4, *sum. rit.* XIV, c. X, § IV.

P. F. Constantinus a Salvatore vir alioqui sanctus, et gratiis gratis datis in hac vita ornatus, nonnullis post obitum diebus apparuit, dixitque, triduo se Purgatorii pœnis, quæ trium millium annorum spatium videbantur, purgatum fuisse, quod et in superioris officio paulo remissior fuisset, et nimis indulgens in remissionibus concedendis. Boverius *in annal. Capucc.* t. VII, p. 204.

Innoc. III. Pontifex S. Ludgardi flammis circumdatus apparuit dixitque, cruciandum se esse pœnis acerbissimis usque ad diem judicii. Surius XVI.

Quidam in spiritu raptus, inter alios doctorem quemdam decretorum in Purgatorio vidit, quem cum interrogasset, num se propediem liberandum speraret, scio, respondit ille, quod ante diem judicii veniam non consequar. Dion. *Car.* n. 10, *de novissi.*

EXEMPLA DOMESTICA.

B. Virgo Celso Finetto Scolastico apparuit, et quatuor annis in Purgatorio hæsurum dixit : socium vero illius Ridolfinum logicæ studiosum non longo intervallo secuturum, et biennio ibidem detentum iri. *An. Rom.* 1797.

Mortuus erat prope Neapolim Theologiæ studiosus, qui post mortem intimo socio apparuit, dixitque, se in Purgatorio graviter vexatum esse, quod olim in Sacro aliquantulum confabulati essent, nec confessi; ipse proin adhuc confiteretur. *Annuæ Coll. Neap.* 1605.

P. Jacobus Rhem cum quemdam sordida veste et forma sibi apparentem interrogasset, qua de causa adeo torqueretur, is respondit, se propter flagellationes sine facultate peractas iis pœnis adjudicatum. *Annuæ ingolst.* 1618.

Quidam Pater, quod non ea, qua par erat, alacritate et celeritate moribundis adstitisset, post mortem invisibiliter id officium præstare, et sic interea visione beatifica carere debuit. *Ex litt. manuscr.*

Cum P. Michael a Fontibus in India aliquando ex laboribus consternatus jaceret, B. Virgo illi apparuit, bonoque esse animo jussit; ob hos enim labores a Purgatorio liberum fore. Quo dicto mire ille recreatus semper Feria secunda, ob hoc beneficium humi cœnabat, lancesque lavabat. *Annuæ Arag. Domus prof. Valent.* 1606.

Ægrotabat aliquando juvenis ex Societate necdum initiatus, sed sensu et virtute juvenilem ætatem supergressus. Hic, ingravescente morbo, uni familiari socio dixit : Heus tu, mi Frater, ora, obsecro, pro me Dominum; grandis enim mihi imminet tempestas. Et ecce vix hæc dixerat, cum subito multiplex cruciatuum et dolorum procella ingruere, æstuare pectus, ardere, premi, frangique scapulæ, humeri, tergum, caput totum tremere, pungi, lancinari cœpit, imo et omnibus reliquis in membris et ossibus desævire malum. Stupere interim omnes, condolere laboranti, precibus ad Deum juvare, blandisque vocibus consolari æstuantem, ipse patienter omnia tolerare, et B. Virginis opem implorare. Perduravit viginti quatuor horis hoc malum, quibus elapsis æger quasi in portu consistens causam tantæ tempestatis explicuit, dixitque, se petiisse a B. Virgine, ac Deo, ut Purgatorium suum in hac vita sustinere liceret, precesque suas exauditas fuisse. Unde paulo post sancte in Collegio Eborensi obiit. Faber *in aucta. ch.* IV, *in festo S. Jo. Bapt.* n. 3.

Cum Joannes Fernandez extasim aliquando fuisset passus, visus est sibi in spatiosum, amœnissimumque hortum duci : ibi vero animam conspexit veste adeo miri splendoris, artisque, et operis phrygionici circumdatam, ut divinum ei aliquid inesse suspicaretur. Cum autem ad eam propius accessisset, quæve esset sciscitaretur, respondit hæc, sese de Societate Jesu fuisse, nomenque suum indicavit. Tum Fernandez admirabundus exclamavit : Hem! inquiens, haud dubie illustrem gloriam assecuta es. At anima excepit : Adhuc me tenet acerbus dolor. En iste mihi locus purgandæ assignatus est; quod SS. Triadem, cujus tamen beneficio castitatis florem illibatum servari, frigide nimis dilexerim, propterea desideriorum flamma succensa hic hærere cogor. Nieremb, l. II, *de pulch. Dei* iii.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut palmes aridus et abscissus nequit reviviscere, aut fructum aliquem gignere; ita et animæ purgantes, quia de terra viventium abscissæ sunt, et extra statum merendi, sibi prodesse nequent. *Fab. cont.* ii, *in com. anim.* n. 2.

Sicut famelicus aut venaticus canis videns leporem aut cibum, vehementer dolet, si vel fune vel alio impedimento retineatur, quo minus insequi eos, et apprehendere queat; ita non minorem sentit dolorem anima, si a conspectu Dei quem post mortem tantopere desiderat, Purgatorii pœnis affixa retineatur. *Ibid. conc.* iii, n. 1.

Sicut is, qui a Rege quopiam ad regnum possidendum adoptatus, eo tempore, quo jam regnum accipere debeat, ob regem offensum in exilium aliquot annorum damnaretur, merito gravissimum ex tali relegatione dolorem sentiret; sic non minorem sentiunt, quæ in Purgatorium relegantur animæ, utpote quæ post mortem se regni cœlestis possessionem adituras sperabant. *Ibid.*

Sicut, qui venit ante initium comœdiæ, nihil aut perparum angitur, si parum expectare debeat : multum vero dolet is, qui sua culpa tardius venit, magnamque comœdiæ partem neglexisse se advertit; ita quia Patres in Limbo pretium Redemptionis nondum exhibitum, adeoque nec gloriam sibi debitam sciebant, minus angebantur; secus vero se res habet nunc cum animabus in Purgatorio constitutis, hæ enim cum cœlum apertum esse norint, utique gravissime dolent, quando se sua culpa ab ejus ingressu arceri vident. *Ibid.*

Sicut caminorum purgatores, quia nigredo cuti eorum adhæret, difficillime et non nisi aqua aut lixivio calido valde et mordaci lavantur; ita cum et homines per longiorem vitæ usum quam plurimam peccatorum nigredinem contrahant, ab hac non nisi per grave Purgatorium liberari poterunt. *Ib.* n. 3.

Sicut infirmos nihil fere magis cruciat, quam si erepta loquendi aut scribendi aut nutu se explicandi facultate priventur : ita non minimus dolor est animarum in Purgatorio detentarum, quod opem petere a viventibus non sinantur. *Ib.* n. 4.

Sicut mercator, cum merces valde pretiosas mari vehit, etiam gravissima maris incommoda, æquo hilarique fert animo; ita animæ purgantibus pœnis addictæ, æquissimo eas pectore patientiaque summa supportant, quia pretiosissimas meritorum cælestium merces vehere se norunt. *Ibid. con.* n. 4.

Sicut Trochilus, cum veru assandus infigitur, semetipsum ad ignem gyrat, torretque; ita animæ, cum Dei justitiam cernant, seipsas libenter purgatorio igni torrendas, et torquendas committunt. *Ib.*

Sicut sub eodem igne aurum rutilat, et palea fumat; ita sub eodem igne inferni peccator crematur, et electus purgatur. S. Greg. *apud* S. Thom. iii, p. q. 100, art. 2.

Sicut ridiculi videntur Brachmanes Calecutii, qui tam magno impendio lignum odoriferum, Sandal ab iis vocatum, comportant, quo eorum post mortem cadavera comburantur; ita multo magis ridendi sunt homines, qui in hac vita materiam voluntarie coacervant, qua eorum animæ post mortem tam crudeliter, sensibiliterque torqueantur. Pæd. Chr. p. 2, c. xix.

Sicut stultum, nec immerito crederemus, qui, cum posset certo tempore omnia debita sua unico obolo extinguere, eo neglecto mallet solutionem differre in tempus, quo integris millionibus ea solvenda forent; ita non minorem insipientiam committere is censendus est, qui pœnitentiam suam in alteram vitam ubi tam caro pretio solvere debet, differre mavult. *Anonym.*

MOTIVA.

Ad Purgatorium timendum.

Gravitas pœnæ sensibilis : quam quidem Sanctus Augustinus sat clare sequentibus verbis proponit : Quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid homo pati potest in hac vita. Et nostis, quanta hic possunt mali, et quanta possunt pati : tanta enim passi sunt, quanta passi sunt et boni. Quid enim quisque maleficus aut latro, aut adulter, aut sacrilegus sceleratus pertulit legibus, quod non pertulit Martyr in confessione Christi. S. Aug. *in Ps.* xxxvii.

Gravitas pœnæ ex carentia visionis beatificæ oriri solita : sic enim P. Joannes Baptista Sanchez olim de se cuipiam fassus est, si certo sciret, se per integrum diem non moriturum, dolorem hujus cognitionis sufficientem futurum ad vitam sibi adimendam, quanto magis sentient animæ, a majori longe desiderio suo implendo se arceri.

Diuturnitas utriusque pœnæ : ponamus enim (quod plerique faciunt) decem tantum ab aliquo peccata venialia committi per diem; quantus per unum annum peccatorum numerus excrescet? certe trium millium, sexcentorum, et quinquaginta numerum æquabit : si ergo unicum peccatum leve sæpe plurium annorum Purgatorium meruit, ut supra ostensum est, quam diuturnam pœnam merebuntur peccata tam libere patrata.

Facilitas incurrendi : quia, ut Cardinalis Bellarminus asserere non dubitavit, vix ulli justi homines, nisi ex magna misericordia Dei, pœnam Purgatorii acerbissimam evadunt, ita ut recta a corpore ad cœlum evolent. (Bellarm. l. I, *de amis. grat.* xv.) Atque idipsum confirmat S. Theresia de seipsa scribens; quamvis multarum animarum statum mihi Dominus revelare dignatus sit, ex omnibus tamen, quas vidi, animabus nescio, an ulla Purgatorium evaserit, præterquam religiosi illius, de quo paulo ante verba feci, et S. P. F. Petri de Alcantara, nec non illius Dominicani, cujus supra memini *Vita.* xxxviii.

Difficultas exeundi e purgatorio ; sunt enim animæ illic detentæ Evangelico Paralytico similes, seipsas juvare non potentes; constat autem, quam rarum et tenue auxilium a viventibus offeratur.

MEDIA.

Ad Purgatorii pœnam fugiendam, aut minuendam.

Imitationi Christi studere : sic enim implebitur, quod ipse promisit, dicens : Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Jo. viii, 12.

Christiano modo vivere : nam, teste S. Maximo, tota vita Christiani crux est et martyrium, si secundum Evangelium vivat; atqui Martyres privilegium habent, quod sine Purgatorio ad cœlum evolent. (S. Marc.) Adde, quod ipsa vitatio peccati sit medium perefficax, ad flammas illas evitandas, cum juxta S. Augustinum, tanta sit pertranseundi mora, quanta est peccatis materia. Talis profecto uti simplicitate sua, morumque innocentia parvulorum vitam assumit, ita cum his quoque sine purgatorio ad cœlos transibit. S. Aug. *ho.* xvi, *ex.* l.

Misericordiam animabus frequenter exhibere : sic enim mensura iterum nobis remetietur Deus; implebitque quod apud Matthæum promisit : Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Matt. v, 7).

Virtutis studium : sic enim B. Virgo Godefrido Monacho nuntiari jussit, ut de virtute in virtutem proficeret, sic enim futurum, ut verus Monachus, servusque suus et filii dici queat; nec permissuram se, ut anima illius in Purgatorium veniat, sed ipsam suscepturam et filio oblaturam. Lanciz., *opusc.* vi, 463.

Victoria sui, et abnegatio voluntatis propriæ : quod medium S. Gregorius sequentibus verbis præscripsit : Audenter dico, quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante mortem Deo hostia ipsi fuerimus. (S. Greg., l. IV, *Dial. c. ult.*) Et Christus S. Birgittæ dixit : Qui propriam voluntatem relinquit mihi Deo suo obediens, habebit cœlum sine pœna. *III. Revel. apud Lanciz. l. c.*

Pura intentio : uti Christus S. Mariæ Magdalenæ de Pazz. suasit, dum petens, quæ optima esset præparatio ad pœnas Purgatorii evadendas, alta voce in raptu dixit : Oportet spoliari totaliter nobis ipsis, et vestiri te, o Domine mi, oportet ambulare cum pura, munda et sincera intentione. Hinc illa assiduo inculcabat Monialibus, ut, si fieri posset, etiam ictus oculorum, et minimos motus membrorum ad Dei gloriam dirigerent; sic enim recta ad cœlum ituras. *Ibid.*

Pœnitentiæ et indulgentiarum lucrandarum studium : nam, teste S. Augustino, cessat vindicta divina, si conversio præcurrat humana. (S. Aug. *sent.* 210) Quod eleganter etiam confirmans S. Petrus Damianus : O quam jucundum, ait, o quam insigne spectaculum, cum supernus Judex de cœlo prospectat, et homo seipsum in inferioribus pro delictis suis mulctat! ubi reus ipse in pectoris sui tribunalibus præsidens, trifarium tenet officium : in corde se constituit judicem, in corpore reum, in manibus gaudet se exhibere tortorem, ac si Deo sanctus pœnitens dicat : Non opus est, Domine, ut officio tuo punire me præcipias : non expedit, ut ipse me justi examinis ultione percellas, ipse mihi manus injicio, ipse de me vindictam capio, vicemque peccatis meis reddo. Hæc est hostia, quæ viva mactatur, ad Deum per Angelos oblata defertur. S. Petr. *Dam. ep.* i., l. VI.

Labor sedulus pro majore Dei gloria susceptus; uti S. Bernardus indicavit, dum fratrem quemdam sedulo laborantem conspicatus, dixit illi : Eia frater, age, quod agis; nullum aliud post hanc vitam Purgatorium sustinebis. *Cantipr.* l. II, *apum* iii.

Generosorum actuum exercitium; maxime venia inimicis data, quam cum nobilis quidam fratris occisori ad genua procidenti dedisset, Christus sequenti nocte eidem apparens dixit : Quoniam heri condonasti inimico tuo, noveris, me animam fratris occisi hac hora e Purgatorio liberasse, et insuper animam patris tui ex eadem pœna exemisse, et ambos mecum duxisse ad gloriam cœlestem : te quoque invito in octavum diem, ut, relicta hujus mundi miseria, possis gloria mea frui. Et sic factum est; nam octavo post die bene præparatus sancte quievit. *Daurolc.* c. ii, *catech. hist. sit.* 25, *ex* 12.

Sanctorum cultus : Sic Dagobertus Rex Francorum ab ingenti dæmonum turba ad pœnas abreptus, ope SS. Martini, Mauritii et Dionysi Martyrum invocata ereptus, atque ad cœlos deportatus est. Sed et B. Virgo quondam S. Birgittæ dixit, nullam esse pœnam in Purgatorio, quæ propter illam non fiat remissior et lenior ad ferendum. *Beirlinc. V. Purg.*, f. 838, l. VI *revel.*

ASCETICA.

In primis nosse et credere debet Asceta, Purgatorium dari, idque esse carcerem, de quo Christus servo Evangelico dixit : Non exibis inde, donec solvas novissimum quadrantem (Matt. xviii), hoc enim de carcere mundi, aut inferni intelligi non potest, cum ex inferno nulla sit redemptio, in carcere mundi vero non ponantur omnes tales, qui per ultimi quadrantis solutionem dimittantur carcere.

Nosse debet salutarem timorem hujus pœnæ concipere : quem in finem serviet B. Guarici Abbatis sententia, sic loquentis : Væ nobis, si dies adimpleatur, et purgatio minime adimpleatur, et postea necesse sit impleri, et illo nos igne purgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius aut vehementius in hac vita potest excogitari! Sed quis ille tam perfectus, tam sanctus, qui, cum hinc exierit, nihil debeat igni illi? quis sic purum ut omnem in se scoriam excoxerit peccati, ut gloriari possit castum se habere cor, ut dicere possit : Mundum est cor meum, et purus sum a peccato? (B. Guarticus, f. 4, *de purif.*) Ex hoc sane timore perfecta erga Deum subjectio orietur, uti sapienter advertit S. Anselmus, sic discurrens : Sciendum est etiam, quia gravior est ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita; omnia enim tormenta quæ hic sunt, faciliora sunt, et tamen homines, ne ea patiantur quidquid ob homine jussum fuerit, faciunt; quanto melius est, ut faciant, quæ jubet Deus, ne illa graviora patiantur. S. Aug. *in Elucid.*

Nosse debet solidum modum evitandi Purgatorium; quem quidem Christus olim S. Gertrudem docuisse videtur; cum enim hæc vidisset animam, quæ communibus Ecclesiæ suffragiis juvari non poterat ob quoddam impedimentum, petiit a Deo, eam ut doceret quibus orationibus posset obtinere, ut anima cujuslibet defuncti liberetur ab hoc terribili pondere, quod est impedimentum suffragiorum Ecclesiæ. Cui Dominus respondit : Per talem affectum amoris, qualem tu in hac hora sensisti, non per orationes. Et sicut hoc nullus homo potest per se habere, nisi ego dederim, sic etiam tale auxilium nulli animæ præstari potest post mortem, nisi quæ speciali gratia hoc promeretur in vita. Scias tamen, hoc ipsum intolerabile gravamen processu temporis relevari quibuslibet orationibus sive laboribus amicorum fideli intentione peractis. Et ita citius vel tardius liberantur, secundum quod conatus fidelium pro eis affectuosiori instat devotione, et secundum etiam quod in vita promeruerunt. Ex qua revelatione facile patet, præ aliis ad evitandas Purgatorii pœnas efficax esse remedium misericordiam animabus præstitam; hæc enim facit, ut et ipsæ animæ liberatæ pro nobis efficaciter orent, et nos digni efficiamur, similem, illi, quam exhibuimus, misericordiam experiri. Lanciz, *opusc.* VI, n. 152.

Nosse debet, unde gravitas pœnarum Purgatorii oriatur, quod equidem auctor quidam innominatus apud Mansi sic ostendit : Ad dolorem tria concurrunt et simul uniuntur, scilicet potentia, objectum, et utriusque unio. Quod attinet ad potentiam, clarum est, potentiam animæ capaciorem esse potentia corporis, ac proinde animam acerbioris doloris esse receptivam. Quod vero spectat ad objectum, pœna sensus atrocissima est, quia infligitur per ignem realem, sine ulla comparatione activiorem igne nostro elementari : hic enim in comparatione illius est, quasi esset depictus, estque ad hoc ordinatus, ut tamquam instrumentum divinæ justitiæ eidem rigorose satisfaciat, nec non ut rigor ille ejusque incrementum animas magis magisque purificet et emundet. Quod vero attinet ad unionem potentiæ cum objecto, pœna quoque intensissima est, quia si demus exemplum corporis alicujus, quod in medias flammas projectum carbonibusque accensis copiose contectum, hoc certe nullam habet proportionem, si compararetur cum anima in eumdem ignem conjecta; quia unio, quæ fit inter corpus et ignem, fit per extremas utriusque partes et superficies, adeo ut, quando corpus ad ignem accesserit, ignis ossa illius, omnesque corporis partes penetret, ita tamen, quod paulatim idipsum faciat. At vero cum anima voracissimo igni integre et totaliter sit alligata, ab eodem penetrata, unita, atque ab ejus activitate absorpta, utpote qui ad gradus forte ut octo ascendit, ab acerbissimo illo dolore numquam desistere poterit; et ideo quis excessivum hunc ardorem, ejusque intensissimam activitatem assequi valebit? Suarez, adductis multorum sanctorum Patrum aliorumque classicorum Doctorum auctoritatibus, pœnas Purgatorii a pœnis inferni sola perpetuitate discrepare asserit; cujus rationem a priori, ab ordinatione divinæ justitiæ, desumendam esse dicit : nec non ab offensæ quantumvis minimæ adversus ipsum commissæ gravitate, quæ altioris rationis est, quam omne malum creaturæ. Et ideo licet non semper æternam meretur, meretur tamen pœnam graviorem, et quasi altioris rationis, quam Deus in vita futura cum rigore exigit, quia homo in hac vita tempore sibi concesso usus est ad benigniorem compensationem faciendam. Notandum quippe est, quod, quanto res aliqua est magis sensitiva, tanto quoque vehementius dolorem sentiat, quemadmodum in nervis, digitis et tibiis experimur, quia nervi sunt sensus tactus instrumenta. Anima igitur quæ in flammis purgantibus patitur, in gradu superlativo sensitiva existit, utpote quæ primum mobile et prima causa est omnium sensuum; nam, ut habet axioma illud Philosophicum : Propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale. Ideo, ut auctor quidam scribit, cum agit in ipsam aliquod agens læsivum, ipsam maxime lædit, et tanto magis, quanto læsivum est magis activum, ignis autem inter omnia elementa est magis activus. Mansi, *dif.* II, n. 5.

Nosse debet, cur Purgatorium a Deo decretum sit; id quod S. Bonaventura sequentibus verbis declarat : Omnes adstricti tenentur ex decreto divinæ justitiæ, donec reddiderint novissimum quadrantem; cujus ratio est, quia in suprema Jerusalem nihil inquinatum intrare potest; impossibile est animam intrare regnum gloriæ, quamdiu habet aliquid purgandum. Hoc figuratum est in libris Regum, ubi dicitur : *Malleus et securis non sunt audita in ædificatione templi;* prius enim quadrabantur et poliebantur lapides et ligna in Libano, et postea collocabantur in templo : sic lapides vivi necessario in hac vita quadrantur, et poliuntur merito, vel post hanc vitam igne purgatorio, antequam superædificentur in cœlo. S. Bon., l. VII, *comp. Theol.* c. III.

Nosse debet, an vere per rotas et alia crudelitatis instrumenta torqueantur ; de qua re sic discurrit Hautinus : Quamobrem quæ Tondalus quidam apud Chartusianum de 4. noviss. cap. XXI, perhibet se vidisse in purgatorio, bestiam nimirum horribilem (cujus ventri animæ immersæ durissimas pœnas dabant, et velut canum, ursorum, leonum, serpentium, et aliorum truculentiam animalium perpetiebantur). Item carnifices cum cultris, securibus, dolabris, falcibus, terebris, et hujusmodi crudelitatis instrumentis : item alia, quæ videre sibi visi sunt alii, non aliud significabant, quam crudelissima, quæ fingi animo, et exerceri possunt apud mortales supplicia, non quidem ea ipsa per sese, sed in igne purgatorio eminenter, ut aiunt, contenta reperiri. HAUTIN., l. I, n. 304.

Nosse debet causas, ob quas eadem pœna damni tam gravis accidat purgantibus animabus, quas quidem fuse explicat Hautinus, dum ait, gravitatem hanc oriri : Primo, ex dilatione visionis beatificæ, de qua sic discurrit Suarez : Tale est illud bonum, scilicet visio, ut si opera nostra, vel afflictiones per se spectentur, esset superabundans præmium illorum, etsi ad breve solum tempus concederetur : ergo e contrario retardatio tanti boni, et privatio ejus, licet temporalis, maximum malum est, infinite (ut ita dicam) excedens omnia hujus vitæ nocumenta. (SUAR. *de purg.*, f. 3.) Secundo, ex desiderii, quo Deum videre desiderant, vehementia; nam, ut S. Thomas recte advertit, quanto aliquid magis desideratur, tanto ejus absentia est molestior; et quia affectus, quo desideratur, summum bonum post hanc vitam, in animabus sanctis est intensissimus, quia non retardatur mole corporis, et etiam quia tempus fruendi summo bono jam advenisset, nisi aliquid impediret, et ideo de retardatione maxime dolent. (S. TH. *in 4, dist.* XXI, q. I, a. 1.) Tertio, ex privatione amoris beatifici; etsi enim optimum Numen in illo carcere vehementer ament : sed cum adhuc in fidei caligine et ipsæ versentur, noverintque quemcumque amorem suum nihil esse ad amorem patriæ, quo jam potirentur, nisi vecordia sua divino lumini rebelles ante hac fuissent, scilicet amoris sui frigus damnant, dolentissimeque ferunt, non posse se tam eximio illo ac cœlesti amore totas nunc inflammari. Eo maxime, quod (nescio quo peccato) amor hic expetendus videtur prævisione Dei, ac possessione : Nam possessio quidem spei meta est, atque (ut vocant) objectum : amor autem beatificus castissimi amoris scopus ac votum : quare mallent omnino quælibet tormenta, et cujusvis boni jacturam perennem perpeti, quam brevissimam hujus amoris (quippe longe præstabilioris boni, gratiorisque rectæ voluntati) quam horribilis sit, vel jactura quælibet, vel miseria. Itaque hac maxime causa ingemiscunt amantissimæ animæ cum propheta *Psal.* CXIX. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar*, sive, ut Hebræi, *cum tabernaculis Cedar*. Quæ vox tenebras ac nigredinem notat, atque adeo simul fidei caliginem, simul tenebras purgantium locorum, ubi licet non domos mansuras, sed tabernacula peregrinantium incolant pii manes, tamen præ dolore exclamant : Multum, id est, nimis incola fuit anima mea. (SUAR., l. c.) Quarto, ex jactura gaudii beatifici : etsi enim illorum mœror illi gaudio ex æquo respondere nequeat, cum et ipse mœror longe sit inferioris ordinis, ut et cognitio, et amor piorum manium; tamen boni, quod gaudio beatifico continetur, magnitudo, jacturæ illius magnitudinem denotat, et hæc tristitiæ ex ea ortæ gravitatem. Certe ludus est et jocus omnis alius mœror illi collatus. Quinto, ex jactura graduum gloriæ amissorum, de qua sic loquitur Suarez : Existimo, tristitiam illam, ut est pœna per se imposita ad purgationem culparum, magis esse de gradibus beatitudinis perpetuo amissis, seu non lucratis propter otium et venialia peccata, quam propter solam dilationem beatitudinis aliquando consequendæ : et hoc igitur modo gravius tristantur animæ imperfectiores, et quæ majorem reatum habent. Sexto, ex rejectione gratiæ actualis et sanctificantis : cum enim gratiam, et illius augmentum quærere, et admittere optabilissimum sit, repudiare, non potest non esse turpissimum. Nam philosophorum scitum est, ex contrariis contraria consequi. Est sane in gratiæ repudiatione inest aliquis illius, imo et Numinis eam offerentis, contemptus. Gratiæ quidem, propterea quod rem omnium augustissimam et præstantissimam homo tanti non æstimat, quanti abjectissimas mundi quisquilias, quas utique magno labore, gratiam vix levi vult mercari. Numinis autem despectio inde promanat, quoniam, qui donum tantum ac tale rejicit, donantem contemnere censetur. Etenim quemadmodum honoris excellentia a persona honorantis petenda est, ita et doni, quod honoris habet rationem, pretium a dignitate dantis promanat. Et ita moribus hominum comparatum est, ut torques ac bullæ a regibus donatæ, etsi per se non admodum pretiosæ, maximi æstimentur. Sicut ergo, qui regis donum vilipenderet, pariter ejus dignitatem haberet contemptui, ita, qui gratiam (summum Dei donum), contemnit, Deum contemnit.

Septimo, ex peccatorum recordatione : nam ut Sanct. Ambrosius ait, nullus dolor major est, quam qui peccati mucrone vulnerat conscientiam. Octavo, ex neglecta satisfactione tam ex opere operantis, quam ex opere operato; id quod Hautinus sic ostendit. Quæritur Jerusalem, plangitque apud Jerem. vatem Threnorum c. I, 15, rem mirandam. Nam de Deo judice loquens : *Vocavit*, ait, *adversum me tempus.* Quorsum? scilicet, ut ipsum tempus miseram illam ream, vel testis, vel accusator ageret. Quid ita? Quoniam, cum conditum esset eique concessum ad præstandum vero Numini obsequium ac cultum, malesana ad idololatriam et scelerum omne genus tempore abusa esset. Non dissimili ratione ingemiscunt pii manes graviter redargui se a tempore, quod in vivis transegere : quia, cum datum eis esset ad facilem pro culpis suis satisfactionem, per intolerabilem socordiam suam otiose illud fefellere. Porro tot sunt illud voces, quot horæ, immo quot momenta : nec pauciora capita accusationis. Propterea quod omnia præteritæ vitæ momenta eorum mentibus sese obtrudant, simulque propriam singulis momentis satisfaciendi opportunitatem, cujus neglectum accusant. Atque hinc non modicus piorum manium mœror, hinc illi gemitus; nolui dum possem! non possum, dum vellem! O! mihi præteritos referat si Conditor annos? sed heu! tempus non erit amplius. Apoc. X. *Eheu! homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt. Psal.* CXLIII. Quam enim vanum atque insanum est sinere, ut dies et anni præterfluant velut umbra, quippe inanes et meriti et satisfactionis, cum utroque pleni duci possent, et facili negotio pretioque longos, et ingentes cruciatus redimere! *Ecce*, clamat, et ingemit unaquæque anima, *mensurabiles posuisti dies meos, et brevi sane mensura, et tamen substantia mea tamquam nihilum ante te. Psalm.* XXXVIII, cum enim breve spatium vitæ cumulandis meritis, solvendisque levi pretio noxarum mearum pœnis, totum inpendendum fuisset, heu! prope totum vacuum abiit, et licet variis negotiis distentum, laboribusque exercitum, judicio divino instar flocci ac nihil reputatum est, quia mundo, non Deo ac saluti impensum. Ita, quod Jobus gemebat cap. XVII, *dies mei transierunt : cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum :* illæ inquam, cogitationes, quibus lactabam animam spe inani aliquando satisfaciendi, dissipatæ quidem sunt, attamen non cessant jam distorquere, et excruciare animum. HAUTIN., l. I, n. 237.

Nosse debet, quod, etsi maxima sit animarum purgantium pœna, non tamen illæ sint omnis solatii, et gaudii expertes. Nam, ut S. Bernardinus Senensis advertit, multiplici titulo gaudent. Immo quia confirmatæ sunt in gratia, nec valent malum velle, nec agere. Secundo, quia sunt certæ de gloria. Tertio, quia affectæ sunt bene erga justitiam divinam in se. Ideo delectantur, patienter tolerando divinam justitiam in se. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam.* (*Psalm.* LVII), scilicet super se exerceri. Quarto, ob conformitatem cum Dei voluntate, ideo voluntarie sustinent omnia. Ut enim testatur Hugo de arrha Sponsæ, si pœna inferni esset voluntaria, non esset pœna. Hinc patet, etiam inter hæc gravissima tormenta, meliorem, et feliciorem esse statum earum animarum, quam hominum, qui sunt in mundo. Ibid. a. 2, cap. I. Quinto, ob Sanctorum affectionem; Sancti enim assidue orant Deum pro illis proximis suis, quos cruciari cernunt. Sexto, ob justorum participationem; sicut enim membra jam nutrita subveniunt aliis membris, sic et ii, qui e Purgatorio transierunt in paradisum, precibus suis juvant animas in Purgatorio. Septimo, ob propriam perfectionem : nam, secundum S. Augustinum, qui in hoc sæculo magis meruit alios adjuvare, in altero amplius juvatur. Pone, quod moriatur pauper cum multis meritis, tamen habens aliquid ad purgandum; et moriatur dives aliquis cum paucis meritis, habens plurima ad purgandum. Dico, quod eleemosynæ per divitem dispensatæ pauperi proderunt amplius sive minus, prout suis orationibus, meritis, et exemplis, in præsenti vita juvit divitem illum vivum sine defectu. Ex quo patet, quod utile fit orationibus, et meritis, et exemplis vivos vel mortuos divites, et quoslibet adjuvare, cum hæc plus proficiant facienti, quam recipienti. Octavo, ob proximorum subventionem, quæ animabus innotescit, divina inspiratione, vel Angelica revelatione, vel noviter morientium annuntiatione, vel experientiæ cognitione, quia scilicet propter suffragia, quæ illis impeduntur, sensiunt sibi minui pœnam. Et hoc conveniens est, ut, cum de Purgatorio fuerint liberatœ, gratias suffragatoribus suis referre sciant. Non enim possibile est, ut ingratitudo vel aliud quodcumque vitium locum habeat in gloria illa sempiterna. Ibid. art. 2, cap. II, serm. 65, Nono, aliud est gaudium animæ recipientis, nam magis prosunt suffragia illis, pro quibus fiunt. Decimo, est gaudium facientis, nam talia suffragia plus prosunt facienti, quam aliud aliquod opus misericordiæ, quia quanto est miseria major, tanto est major misericordia. Unde S. Joannes Damascenus in serm. de his, qui in fide dormierunt, ait : Quicumque proximi salutem temporalem curat, primum sibi prodest, secundum proximo ; Ideo ista suffragia facta in charitate, prosunt facienti æternaliter, sed recipienti non nisi temporaliter. De tali æternali profectu, qui provenit facienti, gaudent etiam, qui in Purgatorio sunt. Si autem is, pro quo fit oratio, est in inferno, ad facientem revertitur suffragii virtus; si autem in cœlo, tunc salvatus obligatus est ad orandum pro suffragante : et pie creditur, quod id proficiat. Undecimo, gaudium est particulare; nam suffragia, quæ fiunt pro uno, plus ei prosunt, quam si eadem pro pluribus fierent. Ubi secundum Richardum in IV, dist. 41, nota, ad curandam pœnam concurrit virtus agentis, et dispositio patientis : quia juxta Philosophum lib. II, de anima, actus activorum sunt in patiente prædisposito. Potest ergo diminui pœna, vel propter diminutionem virtutis ex parte agentis; vel propter diminutionem dispositionis ad patiendum ex parte sustinentis. Unde inæqualiter dispositi ad patiendum ab æquali virtute, inæqualiter patiuntur, v. gr. pœna magnum onus portantis minui potest, vel per diminutionem oneris, vel per aliquam confortationem virtutis illius, quæ portat onus. Sic et pœna Purgatorii minuitur. Primo, per satisfactionem : secundo, per consolationem quantum ad diminutionem pœnæ. Primo modo, suffragia pro uno facta aliis quidem nihil prosunt; secundo tamen modo, facta pro uno, aliis prosunt, quia per Dei misericordiam suffragia pro quovis in Purgatorio existente aliis omnibus innotescunt et quia se invicem diligunt in charitate, ideo omnes gaudent de illius pœnæ, alleviatione, pro quo suffragia facta sunt. Non credo tamen, quod tantum gaudium in eis sit, ut totam eorum pœnam totaliter tollat : nec forte abbreviat, sed forte intentionem patientis mitigat. Duodecimo, gaudium est generale vel universale : quod sit, quando generalia suffragia pro defunctis fiunt. Tunc quidem talia suffragia melioribus prosunt, quia juxta ordinem justitiæ distributivæ meliora bona communia melioribus secundum virtutem distribuuntur. S. BERN. *Sen.* X, 2, f. 65, ar. 2, c. III.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis sotvantur,* (MACH. XII, 46.) potest existentia, et veritas Purgatorii probari, idque tribus potissimum testimoniis, cum juxta Christi testimonium, in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. (MATTH. XVIII, 16.) 1. Auctoritate *S. Scripturæ,* justa textus § 2, citatos, quorum unus alterve clarior seligatur, et explicetur. 2. *SS. Patrum :* quorum testimonia § 3, reperire est. 3. *Ratione :* quod triplici ratione fieri potest, nempe vel ostendendo quod, ut ipse etiam Cicero discurrit : constet experientia, hominum alios esse optimos, et his merito præmia æterna deberi : alios pessimos, in quos proin recte pœna æterna constituta sit : alios demum ex parte bonos, ex parte malos : et pro his necessarium esse locum, in quo a peccatis purgentur : vel demonstrando, quod ipsis etiam Ethnicis lumen naturæ dictarit, esse similem locum, uti § 13, ostendetur : vel enarrando varia exempla, quibus probetur mortuos a vivis opem petiisse, et quibus fidem adhibendam esse ob qualitatem circumstantiarum, ipsa ratio dictet. Quæ omnia fusius diducta apud Faber. conc. I, in commem. anim. et apud Jacobum Montifordum tr. de mis. animabus exhibenda c. I et II, videri possunt.

Ex occasione thematis : *Funiculus triplex difficile rumpitur* (ECCL. IV, 11) : potest dicere Concionator, nihil esse communius, quam ut omnes homines ad Purgatorium properent, atque ad flammas illas vehementius succendendas ligna ipsi comportent, cum etiam justus septies in die cadat; et quod dolendum, paucos esse, qui dignam de illo loco pœnisve æstimationem habeant ; se proinde triplici funiculo eos retrahere conaturum, id est, demonstraturum triplici causa, cur Purgatorium singulari studio declinare debeat. 1. Ob gravitatem *pœnæ sensibilis,* quæ tum ex varietate, tum ex acerbitate colligi potest, cum juxta fundatam doctrinam Doctorum, gravior sit minima pœna illius loci omnibus tormentis et mortibus hujus mundi. Fingamus autem hominem quempiam singulis in membris acutissimum morbum chiragræ, podagrœ, colicæ, dentium, calculi etc. habere : aut reum omni genere tormentorum, quo ullus Martyrum est excarnificatus, torqueri, quantopere non abhorreremus a tali miseria? atqui gravior est Purgatorii pœna. 2. *Ob carentiam visionis beatificæ*, quæ tanto gravior est, quanto vehementius est desiderium dictæ visionis ex summa æstimatione illius conceptum. 3. *Ob diuturnitatem*, quæ triplici ex capite oritur; nempe ex temporis ipsius longitudine : ex pœnarum acerbitate, quæ facit, ut una hora aliquot annis æquivalens visa sit : et ex desiderii vehementia, quæ facit, ut omne tempus, quod ab impletione illius suspendit, longum videatur. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Jacobum Montfortium cap. III et seq. et Mathiam Fabrum conc. III in commemoratione animarum.

Ex occasione thematis : *Educ de custodia animam meam* (*Ps.* CXLI, 8) : potest explicari, quam gravis ac molestus, atque adeo merito fugiendus sit Purgatorii carcer, ob quadruplicem causam a S. Bonaventura assignatam, nempe. 1. Quod reddit *meritum impossibile*, quia tunc venit nox, quando nemo potest operari. 2. Quia reddit *jugum ineffugabile :* cum per potentiam Dei plus quam mille ferreis catenis januisque teneantur, et constringantur. 3. Quia reddit *debitum insolubile :* cum tempus ibi sit patiendi dumtaxat, atque adeo non nisi alienis meritis hoc debitum exsolvi citius queat. 4. Quia *reddit incendium intolerabile :* cum ibi gravior hora una in pœna sit futura, quam hic centum anni in amarissima pœnitentia, ut loquitur pius Auctor. (S. Bon. *in serm. de anim.*) Quæ omnia videri possunt fusius deducta apud Henricum Engelg. in commem. anim. § 1.

Ex occasione thematis : *Esto consentiens adversario tuo, dum es in via* (Matt. I, 25) : possunt varia media ad conciliandum Christum, satisfaciendumque pro pœna proponi, præcipue tria. 1. Orando, ut debitum dimittatur, sicut Christus docuit, dum in oratione Dominica etiam hanc petitionem posuit : Et dimitte nobis debita nostra. 2. *Amando :* quia amicorum proprium est, amato debita facile condonare; hinc de S. Maria Magdalena Christus dixit : Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. 3. *Mutua remissione :* si scilicet Christo vel inimicis sua debita dimittamus, vel si amore ipsius pro animabus in Purgatorio existentibus frequentur oremus et operemur, sicque eorum debita solvamus; hæc enim omnia ut sibi facta reputat Christus.

Ex occasione thematis : *Ignem ardentem extinguit aqua* (Eccl. II, 33) : potest ostendi, quomodo ignem Purgatorii respectu nostri extinguere, id est, evitare debeamus : Videlicet. 1. *Affundendo aquam pœnitentiæ seu lacrymarum :* si enim nos ipsos dijudicaremus (id est, puniremus), non utique judicaremur, teste S. Paulo. (I. *Cor.* II, 31.) 2. *Affundendo lac misericordiæ :* nam lac specialiter aptum esse ad ignem extinguendum, experientia ostendit; sed aptius est lac misericordiæ ad ignem Purgatorii extinguendum, ut jam pridem suasit Daniel Nabuchodonosori dicens : Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. (Dan. IV, 24.) 3. *Subtrahendo ligna :* nam, ut Salomon ait, cum defecerint ligna, et extinguetur ignis (Prov. XVI, 20), hæc autem ligna nihil aliud sunt, quam ipsa peccata. Unde S. Bernardus : Cesset voluntas propria (per quam peccatum committitur), et infernus non erit. Vide hæc fusius apud Fabrum in conc. VI, comm. anim, et in Auctario the. IV, in festo S. Jo. Baptistæ.

Ex occasione thematis : *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis* (Luc. VI, 35) : potest ostendi, non esse efficacius medium evadendi Purgatorium quam si quisque conetur, multas ex Purgatorio animas liberare, idque probari potest triplici ratione. 1. Ex parte Christi, qui perinde reputat hoc beneficium, ac si sibi fuisset exhibitum; ac proinde merito eximit a Purgatorio illum, qui ipsum toties in animabus exemit. 2. Ex parte animarum liberatarum, quæ agnoscentes beneficii magnitudinem, tum ex gloriæ acceleratæ magnitudine, tum ex pœnarum abbreviatarum acerbitate, non cessabunt orare pro suo benefactore, ut ne ipse quoque veniat in locum illum tormentorum. 3. Ex parte æquitatis : quia æquissimum est, ut qua mensura mensi sumus, eadem remetiatur nobis. Quæ fusius explicata vide apud Montfordum cap. II.

Ex occasione thematis : *Tibi dabo claves regni cœlorum* (Matth. XVI) : potest ostendi : 1. Quam magnus thesaurus in Ecclesia a Christo sit repositus ad debita nostra extinguenda. 2. Quomodo ad hunc thesaurum claves Pontifici sint traditæ, isque per eas aperuerit eum, variasque indulgentias eum in finem proposuerit. 3. Quam efficax hæ indulgentiæ sint medium ad debita sua solvenda, et quomodo quisque earum se participem facere possit ac debeat. De qua materia vide fusius disserentem Montfordum c. XIV, et Fabrum in Auctario them. IV, n. 4, in festo S. Jo. Bapt.

ALII CONCEPTUS.

Qualitas. — In Offertorio Missæ, quæ pro animabus defunctorum celebratur, lacus cujusdam fit mentio, qui ad lacum leonum, in quem Daniel projectus fuit, alludit, dicitur enim : *Libera eas de ore leonis, et de profundo lacu :* Et certe ex omnibus sacræ Scripturæ locis, ad vivaciter nobis describendum animæ alicujus in flammis illis purgantibus detentæ statum, aptior, magisque propria hac lacus figura alia seligi non poterat. Enim vero Rex Babyloniæ permisit, ut Propheta Daniel, licet ipsi summo amore deditus esset, in prædictum lacum projiceretur, avidis ferarum illarum faucibus exponendus, atque ab iisdem devorandus; permisit, inquam, vel invitus, prout ex verbis illis colligitur : *Abiit Rex in domum suam, et dormivit incœnatus, cibique non sunt allati coram eo, insuper et somnus recessit ab eo; permisit vero idipsum, ut Medorum atque Persarum legibus satisfaceret, secundum quas Regi in hac pœna dispensandi facultas non erat.* Eadem quoque ratione Deus (licet animæ purgantes in gratia et amicitia ipsius constitutæ sint, et de sua æterna gloria securæ; licet etiam illas summopere diligat, utpote ipsi deinceps per omnem æternitatem conjungendas) his non obstantibus, in communibus inviolabilis justitiæ suæ legibus nequaquam dispensat; si quidem semel statuit, quod nil coinquinatum intret in regnum cœlorum, ac proinde quod, priusquam in regnum cœlorum aditum habere possint, purificari debeant ab omnibus sordibus peccatorum suorum contractis. Septem leones ad dilacerandum Prophetam destinati, septem præfigurabant vitia capitalia; reatus item, et reliquias peccatorum a quibus in mystico hoc lacu expurgantur. In leonibus adeo excessivus prædominatur calor, ut semper ob eumdem febri laborent : unde merito non solum propter truculentiam, verum etiam ob ignem, quem sibi congenitum habent, flammas illas purgantes aptissime præfigurant. Observanda quoque in hac historia est notabilis quædam circumstantia; sicut enim Rex nihil adeo desiderabat, quam condemnati Danielis liberationem, prout ex jubili et lætitiæ demonstrationibus, quas post Danielem liberatum edidit, manifeste deducitur; ita quoque Deus nihil adeo vehementer desiderat, quam ut animæ illæ ex hoc pœnoso carcere liberentur, divinæque suæ justitiæ debita solvatur satisfactio. In cujus figuram motus est Deus, ut Angelum quemdam e cœlo in Judæam amandaret, ut per apprehensum, et ex capillo suspensum Abacuc Prophetæ, famelico in lacu suo prandium deportaret, quod præfigurabat suffragia, quæ (Deo inspirante) a devotis fidelibus in utilitatem et subsidium animarum illarum offeruntur, et specialiter incruentum Missæ sacrificium, quod præ cunctis aliis efficax est, et satisfactorium. Observandum tamen hoc loco est, quod Angelus ille Danieli cibum hunc non immediate attulerit, sed Abacuc induxerit, ut prandium hoc illi ministraret. Ipse quidem ad hoc multum contulit, dum Abacuc in brevissimo tempore in regionem adeo procul dissitam, quemadmodum Judæa a Babylonia distat, deportavit. Per quod Deus indicare voluit, quod Angeli, utpote qui non sunt viatores, nec in statu merendi constituti, opera satisfactoria pro illis animabus offerre nequaquam possint, cum hoc solum ad nos pertineat, ipsi tamen partibus suis non desint, utpote qui in beneficium illarum animarum corda fidelium ad hæc suffragia ferenda pro virium suarum possibilitate movent et inspirant. Mansi, *dis.* I, *n*, 1.

Rupertus Abbas præ quavis alia figura Cherubinum considerat, ad ingressum terrestris paradisi collocatum, a quo gladio flammeo et versatili homines arcebat, dicente sacro textu : *Collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubinum, et flammeum gladium atque versatilem :* dicitque prædictus Rupertus Abbas, Flammeum gladium, atque versalitem ante Paradisum esse collocatum, ut quicumque deinceps admittendi sunt illuc, transeant per examinatorium ignem. Observandum porro est, hunc Cherubinum cum gladio illo flammeo ibidem non fuisse collocatum, ad arcendum ab ingressu Paradisi homines, nisi post perpessam innocentiæ et justitiæ originalis jacturam; ut per hoc insinuetur, quod pariter ignis purgatorius nos ab aditu in Paradisum cœlestem excludere nequeat, nisi quando nostra culpa innocentiam amisimus baptismalem. Quærendum porro occurrit hoc loco, quo mysterio Deus ex omnibus novem Angelorum choris potius Cherubinum elegerit, et non aliquem ex Potestatibus vel Dominationibus, vel Seraphinis, qui ad hoc munus magis apti fuisse videbantur, eo quod præ nimio amoris incendio scintillarent, et arderent? Respondet Rupertus : Recte Angeli, qui hujusmodi præsunt, Cherubin de plenitudine scientiæ vocantur, ipsi namque judicandi plenam habent scientiam; sciunt enim, quid in libro cujusque nostrum scriptum sit, et in novissimo recitaturi sunt libros illos, de quibus in Daniele scriptum est : *Judicium sedit, et libri aperti sunt.* Bene etiam habent memoriæ traditum, quid boni aut mali gesserit quisque nostrum. *Flammeum etc.* Per ignem tribulatio et ærumnæ hujus vitæ denotantur, quia Deus tamquam aurum in fornace probavit electos : qui autem peccata per adversitates patienter toleratas non purgat, neque ullos contritionis et amoris super omnia actus (qui pariter per ignem figurantur, de quo dicitur : *Ignem veni mittere in terram)* in hac vita excitant, illis opus est, ut per flammas purgantes pertranseant. *Gladium.* Porro gladius justitiæ signum est; *Justus Dominus, et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.* Et ideo Deus indispensabilem condidit legem, quod nulla anima vera filiorum libertate perfrui possit, nisi prius debitis in hac præsenti vita contractis plene satisfecerit. *Versatilem :* per hoc, quod ensis hic flammeus versatilis sit, Deus indicare voluit, pœnam Purgatorii amovibilem esse, non vero item pœnam inferni, ubi nulla est redemptio. Advertenda quoque est alia quædam notabilis circumstantia, scilicet quod sacer textus non dicat? hunc gladium, huncque ignem in manibus Cherubini fuisse positum, sed potius ita habeat : *Collocavit ante Paradisum Cherubim;* et potest separatim subdat : *Et flammeum gladium, atque versatilem.* Quia Angeli nequaquam pœnarum nostrarum ministri sunt : quin potius in utilitatem nostram fideles devotos instigant, ut animabus suffragia porrigant, quamdiu ibi sunt detentæ. Et ideo antiquus quidam interpres *Versatilem* considerans, inquit : Gladius versatilis dicitur, quia potest removeri. Rupertus *Abbas l.* III, *in Gen.* xxxii.

David Rex Legatis illis, qui ab Ammonitis adeo indigne tractati fuerant, præcepit, ne coram facie sua apparerent in regia, sed manerent in Jerico, donec crescerent barbæ eorum, id est, ut Glossa exponit, donec digni habeantur præsentia sui regis; quod si igitur hi Legati citra ullam ipsorum culpam suam indigne tractati, aliquamdiu expectare debuerunt, donc conspectu regio digni efficerentur, quanto convenientius est, ut anima mundetur et purificetur, ut sit non habens maculam neque rugam, priusquam in conspectu Regis gloriæ compareat. Mansi *dis.* I, *n.* 19.

Nescio, an paradoxum sit, dicere, ignem Purgatorii pœnosiorem esse igne illo, quo puniuntur damnati. Porro Aristoteles in ea est opinione, quod flamma activior et voracior sit in summitate, quam in fundo : cujus dicti veritate supposita dici posset, ignem Purgatorii acerbiorem esse igne inferni; hic enim est infimus, id est, in centro : ille vero altior est, circa vastam illius globi terrestris superficiem. Ad idem probandum alia quoque adduci posset melior ratio : quia justitia Dei reprobos punit citra condignum : at vero ab animabus purgantibus eadem Dei justitia summo cum rigore et punctualitate satisfactionem exigit. *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem,* quia ex toto rigore justitiæ in Purgatorio secundum mensuram præscriptam satisfacere debemus. *Ibid. dis.* II, *n.* 4.

Job aliquando inter alia questus est : *In amaritudinibus moratur oculus meus :* de oculo queritur, inquit, Tertullianus, qui totus in tormentis positus est. At vero ex quo totum ipsius corpus vulneribus a vermibus exesis faucium fuerit, mirum est, quare de solo oculo fuerit conquestus. Omnia in figura : repræsentabat namque Job quamdam in Purgatorio constitutam animam, quæ tametsi atrocissimis et innumeris absorbeatur doloribus, specialiter tamen ex oculo affligitur, id est, ex eo, quia Deum videre non possit. Unde continuo ait : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* Omnes quidem aliæ pœnæ tolerabiles sunt, at vero pœna damni omnes alias excedit. Tametsi enim anima purgans, de gloria, quæ in clara Dei visione consistit, certissima sit et secura, attamen ex illa gloriæ dilatione longum quemdam et pœnosissimum sustinet infernum. Nam, ut Sanctus Antoninus ait : Anima a corporis gravamine separata, tunc intelligit Deum summum bonum, et quod ad illud adipiscendum est creata : et quia immediate ipsum summum bonum possideret, si non esset in ea impedimentum. Duplex igitur tormentum animam cruciabit, scilicet hæc dilatio impatientissima se cum Deo uniendi, innumeris aliis purgantis ignis pœnis conjuncta; et remorsus vermis voracissimi, quo cor illius continuo rodetur, eo quod Deum adeo erga se beneficum offenderit; id quod tunc per lumen sibi infusum, perque vivacem apprehensionem evidentius cognoscet. Tert. *l. de patient.*

Sacer textus de Absalone refert, quod, cum interveniente Joab, in gratiam Davidis patris sui restitutus esset, jamque eum ab exilio revocari jussisset, cum hoc tamen pacto, ne ante faciem suam compareret. *Revertatur in domum suam, faciem autem meam non videat;* adeo contristatus fuerit ex eo, quod patris, quem exasperaverat, faciem videre prohiberetur, ut pœnam hanc veluti clavum cordi suo infixum senserit, unde in hasce prorupit voces : *Obsecro ergo, ut videam faciem Regis, quod si memor est iniquitatis meæ, occidat me.* Videre igitur faciem Davidis, potiorem æstimabat gratiam, quam vitam commodam agere. At vero finiti ad infinitum nulla est proportio. Facies etenim Dei glorificat, omnesque animas, quæ in cœlo sunt, beatas efficit, et bonum quoddam infinitum conciliat, cum beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus. E contra vero in Purgatorio degere, non solum est pati pœnas inferni quoad sensum, verum etiam pœnam damni sustinere, licet solum ad tempus. At vero ex alia parte quia animæ illæ securæ sunt, quod tandem aliquando coram facie Dei sint comparituræ, hæc tam immensi boni dilatio tanto plus illas cruciat, quanto boni hujus infiniti consecutionem ardentius suspirant : nam spes quæ differtur, affligit animam : unde sicut juxta proportionem spei crescit et augetur afflictio, consequens est, quod, cum animæ Purgatorii pro objecto spei suæ bonum aliquod habeant infinitum, de quo aliquando consequendo securæ existunt, infinitam pariter sustineant pœnam ex dilatione consecutionis. Mansi. *dis.* i. *n.* 5.

Israelitæ, qui in Babylonia detinebantur captivi, lamentabantur dicentes : *Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus.* At vero cur juxta flumina illa sedentes plorabant? num forte quia luto immersi erant? vel quia in cavernis subterraneis detinebantur? aut vero quia pedes eorum compedibus, manus vero catenis vinctæ erant? vel denique quia in humeris suis immensa cogebantur portare pondera ad muros Babyloniæ restaurandos? Nihil horum illos ad fletum permovebat : quid ergo? hoc solum : *Cum recordaremur tui, Sion.* Omnia in figura contingebant illis. Cuncta namque excessiva tormenta corporalia tanti non faciebant, quanti hoc unicum, quod scilicet se tam procul ab Jerosolyma positos esse recordarentur. At vero quænam terrenam inter et cælestem Jerosolymam est proportio? Ad hanc Propheta regius suspirabat, dum inquit : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus? Ibid.*

S. Bonaventura ait : Plus satisfacit hoc homo valde modica pœna voluntaria pro peccatis assumpta, quam ibi per maximam; sive quia ibi est involuntaria, sive quia, si ibi est voluntaria, est tamen ratione status immeritoria, nulla laude vel præmio digna. Timeant igitur peccatores hunc ignem, qui nihil relinquit intactum, vel nihil penitus impunitum, sive verbum fuerit permodicum, sive opus inutile, sive quid modicum in corde peccatum : unde dicitur : *Quis stabit ad videndum eum?* S. Bonav. *de Sanct. Laur. serm.* i.

Abierunt in Ægyptum fratres Josephi, comitemque habebant Benjamin, quod Josephus id ita præcepisset. Erat Benjamin Josephi uterinus frater. Cumque illum coram vidisset, percontatus est, num frater ipsorum esset : ut audivit esse : *Commota fuerunt viscera ejus super fratre suo*, inquit scriptor Genes. xlii, vers. 30, quo LXX, transtulerunt : Torquebantur viscera ejus. Quid vero illud, quod animum ejus tantopere exulcerabat qui præsentem habebat fratrem tam vehementer expetitum? Respondet S. Ambrosius I, de Joseph c. x. Torquebantur viscera ejus, quia complectendi ejus, quem desiderabat libertas differebatur. Ratio status non permittebat, ut sub id tempus sui erga fratrem affectus signa ederet, cum e contra amor plurimum sollicitaret, ut illum suavi complexu stringeret, nec sui nescium relinqueret, denique etiam luculentis signis sibi charissimum amantissimumque demonstraret. Cumque illum coram habere, nec gaudere illo, uti optabat, posset, idcirco torquebantur viscera ejus, hæc illi lethalis anxietas erat; nec enim alia tam est crudelis, quam frui non posse bono, quod proximum habeas. Did. Nyss. § 2, *in ser.* II, *post Domi.* 1, *Quadr.*

Ivit cœlorum Regina invisum cognatam suam Elisabeth, quæ profundissimæ humilitatis exercitatio fuit. Dum tecta subit, ut Deo fœta erat, gloriamque cœlorum ac terræ castissimo utero gestabat, ita vix dulcem amicamque salutationem Mariæ Elisabeth audivit, quando exultavit infans in utero ejus, quando Joannes intra maternum alvum subsiliit. Hos saltus sacri Expositores volunt fuisse indicia et effectus notitiæ hospitis, qui illi advenerat. Quid vero significare voluerit infans Joannes, quando Salvatoris sui certior factus intra maternorum viscerum claustra saltibus lusit, taliaque indicia edidit ipse nondum editus? Sanct. Joannes Chrysostomus in explicatione istius verbi, *Exultavit,* peculiare aliquid scribit, dicens : Tamquam injustam custodiam quatiebat matricem, in claustra naturæ insultabat calcibus, et clausis labiis, vociferabatur figuris, talia matri dicens; injuste facis, o mater, quæ tardas Prophetam, gestas in utero præcursorem Christi Regis, Martyrem stringis. Hæc ex illo Metaphrastes apud Surium 24 Junii. Ut aves caveis inclusæ, et angusti carceris impatientes, omnia perbentant, si qua forte in liberum evadere aerem contingat; ita Joannes, quod usus linguæ negabatur, toto corporis gestu, et subsaltatione satis indicabat, quam invitus illis materni corporis circumscriberetur angustiis, et quam vehementer prodire in lucem cuperet. Sed illud in verbis Joannis expendendum, quod matri velut dixisse fertur : Martyrem stringis. Unde vero nasci potuit Martyrium Joannis, aut quis carnifex mortem illi intra uterum parare, et adornare matris? Quis carnifex, dicis : quis tyrannus? Non alius quam vicinitas boni propinqui. Itaque benedixit Joannes : Martyrem stringis, nam ad manum habere Deum, nec illo frui pro voto posse, hoc est esse martyrem, et grave aliquid pati, nec enim crudelius est tormentum, quam habere bonum coram se, nec posse illo gaudere. *Ibid.*

Anxia, et saucia animo Sponsa dulcem et amabilem Sponsum perquirebat, qui nonnumquam (ut sincerior puriorque Sponsæ suæ amor evaderet) fastidia illi adferre quædam solebat, post quæ gratiores ac jucundiores ipsæ suavitates accidunt : *In lectulo meo,* in quo caste ac dulciter conquiescere consuevimus, *per noctes quæsivi quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni :* ait illa Cant. III, vers. 1. Discesserat scilic. sponsus a molli strato, ubi illum Sponsa indagabat. Gilberti Abbatis observatio est, numquam majores animi angustias passam Sponsam, quam hac vice et occasione. Cujus hanc subjicit rationem : Nemo enim, quod ardenter quærit, non anxie caret, tantoque cumulatiore angustia, si vicina spe jam jamque apprehensura fraudatur. Proxima erat Sponsa delicioso Sponsi lecto, in quo castas homestasque voluptates captare solita, quas tunc illi, ut merendi copiam majorem faceret, Sponsus negabat. Hoc vero, ait Gilbertus, fuit pati cumulatiore angustia atrociores cruciatus : habere enim vicinum bonum, nec eo frui posse, pœna quædam pœnarum est, et tormentorum tormentum. *Ibid.*

MISCELLANEA.

Veritas. — Tres in Orbe principes Religiones sunt, et omnes pro mortuis curam gerunt. 1. Judaica, quæ suum Mahosor, libellum precatorium, passim precibus pro Defunctis impletum habet. 2. Turcica, quæ pariter pro mortuis orat, et reverenter admodum de iis loquitur, alitque sex mille lampades ante sepulchrum Mahometi in Urbe Mecha. 3. Christiana, de qua constat. Soli Hæretici misericordiæ expertes sunt, ad quorum sepulchra cum cantetur tantum et prædicetur, periit cum sonitu memoria eorum. Bessœus. *in comm. anim.*

Etiam Ethnici mortuos colendos censuerunt. Hinc Albani cum mortuis sepeliebant, quæ charissima et pretiosissima fuerant; et Cicero scribit, primum ad pietatem gradum esse, eorum, qui ante nos vixerunt, meminisse. *Ibid.*

Absalon biennio exulare jussus est ab aula patris, tametsi David omne ei peccatum remisisset; (II. *Reg.* IV.) ita licet culpa quibusdam morientibus remittatur, manet tamen pœna in Purgatorio exsolvenda.

Cum Princeps Radzivilius Turcam quemdam aviculas captas dimittentem interrogaret, cur id faceret respondit is, se credere, merito hujus operis animas propinquorum suorum nonnihil sublevari. *Ep.* II, *in peregr. Jesol.*

Qualitas. — Recte clamant animæ Purgatorii : Miserimini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me; non enim utraque manus, nempe æternitas et acerbitas pœnarum, sed una dumtaxat temporalis pœnæ eos tetigit. *Bessœus in comm. anim.*

S. Gertrudis vidit animam quamdam non potuisse communibus Ecclesiæ suffragiis juvari, donec aliquantulum purgata, Deo miserante, deponeret onus culparum, scilicet inveteratarum, ab ea prius neglectarum. L. II, *in fin.*, c. XIX.

B. Maria Magdalena de Pazzis in raptu dicebat, omnia tormenta, quæ passi sunt Martyres, fuisse tanquam amœnum hortum respectu eorum, quæ infliguntur in Purgatorio. *Vit.* p. 2, c. XIII.

AUCTORES.

Lucas Pinellus de altera vita a cap. XXV, lib. I, usque ad 30.

Dionysius Carthusianus de noviss. lib. II, a cap. XIV, usque ad 34.

Jacobus Montfordus in tract. de misericordia animabus præstanda.

Seelen-Huilff. Martini de Roa.

Herold Georgii Rauch.

Nicolaus Lancizius opusc. 6, c. X et XI.

Casparus Tausch. in matre dolorosa par. 3, c. VII, per aliquot §§.

Jodocus Andries t. de Purgatorio.

Philippus d'Outreman, p. 2, Pædag. c. XIX et XX.

Laurentius Beirlinck in Theatro Vitæ Humanæ. Vide eodem.

Mathias Faber in comm. anim. c. I, II, III, IV et VII, et in Auct. them. 4, in festo S. Jo. Bapt.

Henricus Engelgrave in commemorat. Fidelium Defunctorum.

Josephus a Jesu Maria in Legato animarum.

Stimulus quotidianus Hieronymi Meazza.

Jacobus Hautinus in Lytro animarum.

Laurent. Kepplerus in subsidio animarum.

Heylsame Kurtzweil die Seelenzu fischen, me Authore typo commissum.

RELIGIOSUS STATUS.

Est status ad Christianam perfectionem per vota Castitatis, Paupertatis, et Obedientiæ tendens, uti P. Hieronymus Platus definit; cujus definitionis clariorem, et fusiorem explicationem ex S. Thoma affert sequentibus verbis : Ligare rem dicimur, quando alteri sic eam adstringimus, ut ei facultas adimatur alio divertendi, religare autem, quum iterum eidem rei devincimus, cum qua prius conjuncta fuerat, et a qua defluens distare cœperat. Omnis autem res creata ante in Deo extitit, quam in seipsa; cum vero a Deo per creationem processit, quasi quibusdam passibus progressa, sese ab eo removisse videtur. Quare eæ quidem, quæ possunt, et quæ ejus capaces sunt, rursum in Deum revocandæ, et cum eo colligandæ sunt. Primum autem vinculum, quo homo conjungitur et alligatur Deo, est fides, cujus fidei officia et signa, externis actibus exhibentur. Ex quo fit, ut religio prima, ac præcipua significatione omnem cultum, ac cæremoniam notet, qua Deum rite venerantes, fidem nostram, quæ in animo latet, contestamur. Sed tamen quia Deus non sola fide, nec solis signis fidei colitur, verum aliis quoque virtutibus, spe, et charitate, ideo harum quoque virtutum opera interdum religionis opera appellantur, ut visitare pupillos, et viduas in tribulatione, quemadmodum dixit S. Jacobus Apostolus c. III. Et prior quidem illa religionis significatio in omnes Christianos convenit; omnes enim ipsa Baptismi professione sese ligant cum Deo ac devovent ad cultum ei debitum præstandum. Posterior autem, qua quibusdam charitatis operibus illigamur, propria ac peculiaris est certorum hominum, qui certis etiam actionibus destinantur sive hæ ad vitam contemplativam, sive ad activam pertineant; quot enim sunt hæc operum genera, tot religiones ad ea exequenda institui possunt. (PLATUS, lib. I, c. II.) S. Dionysius putat hanc ob causam ab initio omnes Religiosos fuisse Monachos appellatos, eo quod hoc nomen ab unitate veniat, atque adeo perquam aptum visum fuerit ad unitatem illam significandam, quam cum Deo religiosa disciplina efficit. S. DIONY. *de Eccl. Hier.*, c. XII.

Alii alias definitiones, aut descriptiones potius attulerunt. S. Joannes Damascenus dixit : Hoc vere Monastici Ordinis munus est, nunquam spirituali opere vacuum inveniri. Abbas Moyses commonebat Fratres, dicens : Quatuor sunt Monacho principaliter observanda, id est, tacendi, servandi mandata Dei, humiliandi semetipsum, et angustia paupertatis. (S. DAMA. c. XXXVIII, *in vita Barlaam.*) S. Climacus dicebat : Monachus ita virtutibus affectus est, ut voluptatibus alius. Et iterum : Monachus est ordo. et status Angelicus, in corpore materiali et sordido consummatus. Monachus est perpetua naturæ violentia, sensuumque vigilantissima, et indefessa custodia. Monachus est castificatum corpus, expiatium os, animusque semper divino lumine irradiatus. Et iterum : Quis est fidelis, et prudens Monachus? qui fervorem suum servavit inextinguibilem, et in dies usque ad finem vitæ suæ ignem igni adjicere, fervorem fervori, desiderium desiderio et studium studio numquam desiit. (S. CLIM. *gr.* I.) S. Bernardus ait, religiosum statum esse, in quo debet esse Angelica conversatio in corpore, in corde prophetica expectatio, in utroque Apostolica perfectio. S. BERN. *de altit. et bass. cord.*

DIVISIO. — Dividitur in *Contemplativum, Activum et Mixtuum.* Contemplativus est, qui in sola contemplatione et mentis agitatione consistit, atque ad dilectionem Dei immediate, ac directe ordinatur; qualis est Monachorum SS. Antonii, Basilii, Benedicti, Romualdi, Brunonis, et similium. Activus est, qui in operibus externis charitatis occupatur, et ad solum proximi dilectionem ordinatur immediate, licet indirecte, et principaliter ac ultimate etiam ad dilectionem Dei tendat, et talis est Equitum Jerosolymitanorum, S. Jacobi, S. Joannis, Fratrum de Misericordia, aut Redemptione Captivorum. Tertius est eorum, qui contemplationem cum actione conjungunt, et ad Dei, proximique dilectionem ordinantur; qualis est Ordo SS. Augustini, Dominici, Francisci, Ignatii, qui postea in varias iterum classes dividuntur.

Alio modo dividi potest Religiosus Status in Statum *Monachorum*, in quo potissimum viget sancta illa nuditas, nihil habendo, nihil possidendo, fraterna concordia, et summa unitas, unum corpus e multis membris, mutuum auxilium, obedientia majorum conjuncta cum humilitate ipsius status, et cum iis fructibus, qui ex obedientia existunt. Et *Clericorum*, in quo excellunt labor, et opera in proximos, concionandi studium, pugna cum dæmone, propagatio divini honoris, dignitas ipsa Sacerdotalis, tractatio divinorum Mysteriorum. (PLATUS, l. II, c. XXIII.) Quam divisionem, more suo præclare edisserens S. Ambrosius, hæc duo, inquit, in attentiore Christianorum devotione præstantiora esse, quis ambigat, Clericorum officia, et Monachorum instituta? ista ad comitatem, et moralitatem disciplina; illa ad abstinentiam assuefacta, atque patientiam. Hæc velut in quodam theatro, illa in secreto; spectatur ista, illa absconditur. Ideo bonus Athleta ait; spectaculum facti sumus mundo; hæc ergo vita in stadio, illa in spelunca : hæc adversum confusionem sæculi, illa adversus carnis appetentiam : hæc subjiciens, illa refugiens corporis voluptates : hæc gratior, illa tutior; hæc seipsam regens, illa seipsam coercens : utraque tamen se abnegans, ut fiat Christi, quia perfectis dictum est : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Hæc ergo dimicat, illa se removet : hæc illecebras vincit, illa refugit : huic mundus triumphatur, illi exultat : huic mundus crucifigitur, vel ipsa mundo, illi ignoratur : huic plura tentamenta, et ideo major victoria; illi frequentior lapsus, facilior custodia. Hucusque S. Ambrosius. S. AMBR. *apud Platum.*

Denique dividi etiam potest Religiosus Status in ordinem *Mendicantium :* qui vi instituti sui nullos stabiles redditus possidere, sed mendicata eleemosyna vivere coguntur, quales sunt præcipue Ordo SS. Dominici, Francisci, Augustinianorum, Eremitarum, Carmelitarum, et Societatis Jesu; et *non Mendicantium*, qui stabiles redditus possidere possunt, quales sunt Benedictini, Canonici Regulares, et similes.

Porro hæc diversitas, et varietas, tum ad dignitatem, tum ad utilitatem Ecclesiæ instituta est. Ad dignitatem quidem, quia, ut in Regum aulis, ita et in Ecclesia, quæ est Dei aula, ad amplitudinem et majestatem pertinebat, ut quam plurimos haberet servorum ordines, qui et instituto, et ipso etiam vestitu quasi in multas classes distincti essent; et ut hac varietate ad cælestis Jerusalem imaginem, quam proxime accederet, in qua non unus Angelorum Ordo, sed tot Ordines, et Hierarchiæ, natura quidem similes, sed gradu officiisque dispares, assidue Deo serviunt. Ad utilitatem vero Ecclesiæ tendit hæc varietas, quatenus per hos ordines, quasi per totidem cohortes, fortissime propugnatur (unde plerumque nova hæresi exorta, novus quoque ordo exortus est), per eosdem tamquam fidelissimos Dei amicos precibus juvatur, et Deo conciliatur, et particularium membrorum saluti promovendæ, secundum ingeniorum, et propensionum varietatem, diversa, et accommodata media offeruntur. PLATUS, l. II, c. XXIV.

Ritus. — Varii variis a Religionibus adhibentur, sed quinque præcipue sunt omnibus communes. Primus est *Habitus*, a sæcularibus, et laicis diversus, in quo explicando totum librum Institutionum suarum consumpsit Cassianus; potissima tamen illius causa est, teste Sancto Dionysio, ut significetur Religiosis, eos cum veste vitam quoque mutare, moresque a laicis diversos assumere debere.

Alter ritus est *Capitis certa tonsura*, quæ omnibus etiam Religiosis, saltem in Clericali Ordine constitutis communis est, et tum ad spineam coronam Christi, ut vult V. Beda; (V. Beda, l. V, *hist. Ec.*) vel ad regiam dignitatem, cum servire Deo regnare sit; vel ad indicandam superfluarum curarum rejectionem, ut vult B. Isidorus; (S. Isid. l. II, *de off.* c. IV.) vel denique in signum pœnitentiæ (nam olim pœnitentes non nisi tonsi in Ecclesiam recipiebantur), adhibetur.

Tertius est *Probatio*, tum in favorem ingredientis, tum Religionis etiam ipsius instituta, ut hæc quidem illius mores, et genium, ille hujus difficultates experiri possit; estque varia juxta Statutorum, et Consuetudinum cujusque ordinis varietatem, potissimum tamen in trium votorum religiosa observantia, operibus humilitatis et pœnitentiæ, et instructione in rebus ad perfectionem religiosam, ac officia ordinis pertinentibus consistit.

Quartus est *Professio religiosa*, qua quis in verum Ordinis religiosi membrum assumitur, ac ad valorem suum tria requirit capita. 1. Ut fiat post annum saltem probationis completum. 2. Ut profitens annum decimum sextum compleverit. 3. Ut coram eo, qui habet legitimam suscipiendi potestatem, aut ejus vicario fiat, idque vel explicite, ut si quis distincte tria vota Paupertatis, Castitatis, et Obedientiæ voveat: vel *implicite*, ut si quis se victurum juxta regulam promittat, vel *tacite*, ut si quis post Novitiatum gestet Professorum habitum. *Busæus de Monach. Stat.*

Quintus denique est *Regulæ propositio* : in qua sicut proprius cujusque Religionis Spiritus continetur, ita præcipuo studio a singulis Religiosis observanda est, utpote de qua merito dici queat id, quod post mortem S. Benedicti duobus Religiosis ejusdem Ordinis dictum est, dum viam paleis stratam, et luminibus præfulgentem conspicati, has a sene viæ insistente voces audiverunt : Hæc est via, qua dilectus Domini Benedictus ad cœlum ascendit. S. Greg., l. II, *dial.* c. LVII.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Intrate per angustam portam, quia lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam. Matth. VII, 14.

Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me. Matth. XIX, 21.

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Luc. XIV, 26.

Qui non bajulat, crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. *Ibid.*, 27.

Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris in vinculis illius. *Eccl.* VI, 25.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam : et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. *Psalm.* XLIV, 11.

Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstravero tibi, faciamque te in gentem magnam, benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, et eris benedictus. *Gen.* XII, 1.

Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum, ad momentum, donec pertranseat indignatio. Isaiæ XXVI, 20.

Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis; cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate. *Eph.* III, 1.

Obaudite me divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete flores quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, et date Canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. *Eccl.* XXXIX, 17.

Posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. Joan. XV, 16.

Utilitas. — Quia melior est dies una in

atriis tuis super millia, elegi abjectus esse in domo Domini mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. *Psal.* LXXXIII, 11.

Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. MATTH. XIX, 19.

Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. THREN. III, 27.

Melius est duos esse simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ; si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo; unus quomodo calefiet? Et si quispiam prævaluerit, duo resistent ei : funiculus triplex difficile rumpitur. *Eccl.* IV.

Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrum suorum, et non imputabit eis, quod minus sanctificati sint. II. *Paral.* XXX, 18.

Ero quasi ros Israel, germinabit sicut lilium, et erumpet radix ejus, ut Libani : ibunt rami ejus, et erit quasi oliva : gloria ejus, et odor ejus ut Libani, Convertentur sedentes in umbra ejus, vivent tritico, et germinabunt quasi vinea, memoriale ejus sicut vinum Libani. OSÆ XIV, 6.

Dedit illis regiones Gentium, et labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant. *Ps.* CIV, 44.

Si audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra. *Exod.* XIX, 5.

Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo. *Eph.* I, 3.

NECESSITAS. — Jam non estis hospites, et advenæ, sed estis cives Sanctorum, et domestici Dei : superædificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. *Eph.* II, 19.

Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei : qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. I. *Petr.*II, 9.

Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri. I. *Cor.* I, 9.

Sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea. *Eccl.* XXIV, 15.

Pars Dei Israel facta est manifesta, et omnia opera eorum velut sol in conspectu Dei, et oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum. *Eccl.* XVII, 14.

Hæc dicit Dominus, creans te Jacob, et formans te Israel : noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo; meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus, ego dilexi te, et dabo homines pro te, et populos pro anima tua. (ISAIE, XLIII, 1 et *seq.*) Populum istum formavi mihi; laudem meam narrabit. V. XXI.

JUCUNDITAS. — Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. *Psal.* LXXXIII, 5.

Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. III. *Reg.* X, 8.

Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus. *Psal.* XXVI, 4,

NECESSITAS. — Quia vovavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret : despexistis omne concilium meum, et increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, evenerit. Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio et angustia. *Prov.* I, 24.

FŒCUNDITAS. — Quomodo ponamte in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum gentium? et dixi : Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis. JER. III,19.

Hæc dicit Deus : Adhuc invenient me domus Israel ut faciam eis. Multiplicabo eos sicut gregem hominum, ut gregem sanctum, ut gregem Jerusalem in solemnitatibus ejus : sic erunt civitates desertæ plenæ gregibus hominum, et scient, quia ego Dominus. EZECH. XXXVI, 57.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Virilium animorum, atque Christo in spiritu militantium proprium hoc esse cognoscitur, ut magis belli, quam tranquillitatis tempus, et potius exerceri laboribus, quam ignavia contabescere concupiscant. S. Laur. *Just. apud.*, Lanciz. *op.* i, n. 195.

In hoc differunt laudabiles Religiones et jam collapsæ, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impune peccare sinatur, et peccandi aditus præcludatur studiose, ut boni corrigantur, incorrigibiles eliminentur. S. Bonav. *l. de sex. alis.*, c. iii.

Cum aliquis omne, quod habet, omne, quod vivit, omne, quod sapit, omnipotenti Deo vovit, holocaustum est. S. Greg. *hom.* xx, *in Ezech.*

Quoniam dictum est : Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem : accedens quoque ad servitutem Dei, ad torcular se venisse cognoscat. Tribulabitur, conteretur, comprimetur, non ut in hoc sæculo pereat, sed ut in apothecas Dei diffluat. S. Aug. *in Ps.* lxxxiii.

Quotidie de bonis operibus vos admonere cupimus, ut perfecti, consummatis virtutibus vita prædita spectabiles facti sitis, irreprehensibiles, et sinceri, immaculati filii Dei, et luceatis, sicut luminaria in mundo, sermonem vitæ habentes, in nostri gloriationem in die Christi, ut vel solo aspectu his propositis, qui vobiscum versantur, ac vestræ spiritualis fragrantiæ, vestræque optimæ vitæ, ac conversationis bonæ sint participes. S. Chrys. *ho.* v, *in Gen.*

Attendamus nobis ipsis, ne forte dum angustam et arduam viam nos pergere asserimus, latam et spatiosam vitam teneamus, nosque ipsos seducamus. Angustam tibi viam indicabit ventris afflictio, panis inedia, salubre et purgativum ignominiæ poculum, subsannationes, illusiones, ludibria, abcissiones propriarum voluntatum, offensarum tolerantia, contemptus nostri, murmurationum toleratio, vim sibi in tolerando contumelias inferre, injurias fortiter perpeti, detrahentibus non indignari, contemnentibus te non succensere, condemnantibus humilitatem exhibere. Beati, qui prædictam viam pergunt, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. S. Clim. *gr.* ii et xxiii.

Horum opes sunt in paupertate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in cœlibatu. Qui deliciis minime studere pro deliciis habent : qui regni cælestis gratia humiles sunt : qui in mundo nihil habent, et supra mundum existunt : qui in carne extra carnem vivunt : qui pro portione Dominum habent : qui propter Regnum cœleste inopia laborant, et propter inopiam regnant. S. Greg. *orat.* xii.

Ibi diversa sunt officia, et multa exhibentur charitatis obsequia. Ibi omnia tempus habent, et ad opus suum quisque ex obedientia vadit. Ibi infirmus a fortiori sustentatur. Ibi sanus infirmum visitans, Christo servire lætatur. Ibi uno deficiente, alius locum ejus supplet. Ibi sana membra pro debilibus roborantur. Ibi activus pro vacante laborat, vacans pro laborante exorat. Ibi habet homo multos pro se orantes, et in extremis se contra diabolum protegentes. Ibi tot auxiliarios invenit, quot socios habet. Thom. Kemp. *serm.* ii.

Vetus est B. Antonii, admirabilisque sententia, Monachum, qui post cœnobiale propositum fastigia nititur sublimioris perfectionis attingere, minime debere ab uno universa genera virtutum expetere. Alius enim scientiæ floribus exornatur, alius discretionis ratione robustius communitur, alter patientiæ gravite fundatur, alius humilitatis, alius continentiæ virtute præfertur, alius simplicitatis gratia decoratur. Hic magnanimitatis, ille misericordiæ; iste vigilantium, hic taciturnitatis; ille laboris studio supereminet cæteros : et idcirco Monachum spiritualia mella condere cupientem, velut apem prudentissimam, debere unamquamque virtutem ab iis, qui eam familiarius possident, decerpere, et in sui pectoris vase diligenter recondere. Cassian., l. V, c. iv.

Vos autem, fratres, hortamur in Domino, ut propositum vestrum in Domino custodiatis et usque ad finem vitæ perseveretis, ac si qua opera vestra mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo cum mansuetudine portantes eum qui vos regit mites in judicio, qui docet mansuetos vias suas, nec otium vestrum necessitatibus Ecclesiæ præponatis : cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inveniretis, Aug. *ad Eudosiam et hab.* xv, *q.* i, *Canvo. autem.*

Si cupis esse, quod diceris, Monachus, id est, Solus, quid facis in urbibus? habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos : et serpentis astutiam ne aliorum supplanteris insidiis. *Hieron. ad Paulin.*

Religionem et professionem tuam habitu et incessu demonstra, ut sit in ingressu tuo simplicitas, in incessu honestas. *Isidor. in Simonym.*

Necessitas. — Dignus plane est morte, qui tibi, Domine Jesu, recusat vivere, et mortuus est : et qui tibi non sapit, desipit : et qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, et nihil est. Propter temetipsum Deus fecisti omnia, et qui vult esse sibi, et non tibi, nihil esse incipit inter omnia. S. Bern. *serm.* xx, *in Cant.*

Cæsari, ait Dominus, reddendum esse, quod Cæsaris est : Deo autem, quæ ejus sunt propria, corpus, animam. voluntatem ; ab eo enim hæc profecta et aucta retinemus, et proinde condignum est, ut se totos reddant, cui debere se recolunt originem et profectum. S. Hilar. *in Matth.*

Plerique sunt, qui, nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt. S. Greg. l. II, *ep.* lxi.

Lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvare se posse sperat. Incerta est victoria inter hostilia arma pugnare, et impossibilis liberatio est, flammis cicumdari, nec ardere. S. Cypr. *apud Lanciz.*

Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in sæculo nequam. Fugite de medio Babylonis, fugite et salvate animas vestras. S. Bern. *de conv. ad Cleric.*

Utilitas. — Secure speret, post hanc peregrinationem illam supernam intrare Jerusalem, quicumque in justorum Congregationem fuerit vocatus. Magnum quippe Electionis indicium est, hujus Fraternitatis habere consortium, facileque ab illa excluditur, qui ab hac fuerit segregatus. Ideo cum omni circumspectione. et animi maturitate se studeat promovere, quisquis in hæc sancta Collegia Deo dicata vocatus est, ne diaboli fallacia, aut sui negligentia, amoveatur ab illo. S. Laur. *Just.* c. vii, *de disc. Mon.*

Illius cœlestis civitatis iste est introitus, iste nempe est locus, de quo ait S. Jacob : Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli. Qui hic viriliter, et perseveranter certaverit, coronabitur illic gloriose. Ambo castra Dei, ambo sedes Sapientiæ, ambo Sanctorum civitates : qui in hac laudabiliter conversatus fuerit, ab illa excludi non poterit. *Ibid.*

Optimum certe castrum tulisti Christo, si inimicis ejus tradideris Claramvallem. Optimos inde singulis annis, et pretiosos in oculis suis redditus accipit : et prædam multam, quam hostibus eripit, in hunc monitionis suæ locum solet inducere, et habet fiduciam multam in fortitudine ejus. Ecce enim, quos redemit de manu inimici. et de regionibus congregavit eos, a solis ortu, et occasu, ab Aquilone, et mari. S. Bern. *ser.* iii, *de dedic. Eccl.*

Est claustrum hortus conclusus, paradisus deliciarum, thalamus nuptialis, cubile immaculatum, virtutum schola, tabernaculum fœderis, reclinatorium Sponsi, bellatorum statio, sanctitatis domus, castitatis custos, pudicitiæ firmamentum, religionis magisterium, et obedientiæ sanctæ speculum singulare. S. Laur. *Just. de Mon. convers.* xviii.

Sicut grex tonsarum, inquit. Quam bene Monachi tonsis ovibus comparantur, quia re vera tonsi sunt, quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum est? Quæ ascenderunt de lavacro : lavacrum Baptismus est, de quo ascendit, qui ad celsitudinem veræ perfectionis intendit; descendit autem, qui se vitæ mancipat inhonestæ. Omnes gemellis fœtibus, quia verbo pariunt, et exemplo. Et sterilis non est in eis, quia nullus est, infœcundus. S. Bern. *in.* c. iv, *Cant.*

Ecclesiasticus miles, etiamsi specialibus præliis possit fortiter facere, tutius tamen, et facilius dimicabit, si contra hostem palam in acie steterit, ubi non suis tantum viribus certamen ineat, sed sub invicti Regis imperio fraternis consociatus agminibus bellum universale conficiat. Minore enim discrimine multi confligunt cum hoste, quam singuli ; nec facile patet vulneri locus, quem opposito scuto fidei, non sua tantum, sed aliorum etiam fortitudo defendit, ut ibi est una omnium causa, sit una victoria. S. Leo. *s.* iv, *de jejun.* vii, *mens.*

Etsi non eadem est membrorum omnium pulchritudo, nec in tanta varietate partium, meritorum potest esse parilitas, communionem tamen obtinet decoris connexio charitatis. In sancto enim amore consortes, etiamsi non iisdem utantur gratiæ beneficiis, gaudent tamen invicem bonis suis, et non potest ab eis extraneum esse, quod diligunt, quia incremento nitescunt proprio qui profectu lætantur alieno. S. Leo. *s.* xx. *quadrag.*

Centuplam fratrum patrumque recipiet quantitatem, quisque patris unius, vel matris, vel filii pro Christi nomine, charitate contempta, in omnium, qui Christo serviunt, dilectionem sincerissimam transit, pro uno scilicet tot inveniens patres, fratresque ferventiores, ac præstantiores sibi charitate devinctos. Multiplicata etiam domorum atque agrorum possessione ditabitur, quisquis una domo pro Christi dilectione relicta, innumera Monasteriorum habitacula tanquam propria possidebit in quacumque orbis parte velut in suæ domus jure succedens. Quomodo enim non centuplum, et si Domini nostri sententiæ super adjici aliquid fas est, plus quam centuplum recipit, qui decem vel viginti servorum ministeria infida et coactitia derelinquens, tot ingenuorum ac nobilium spontaneo fulcitur obsequio. Cassian. *coll. ult. cap. ult.*

Quæ est ista, quæso, tam pretiosa margarita, pro qua universa dare debemus, id est, nosmetipsos (quia totum dedit, qui semetipsum obtulit) ut possimus eam habere? Nonne hæc est Religio sancta, in qua homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copiosius. S. Bern. *de bon Rel.*

Modica, transitoria, terrena sunt, quæ deseris : maxima, æterna, cœlestia sunt, quæ appetis. Plus dicam, et vera dicam : tenebras deseris, et lucem ingrederis, de profundo fluctuum emergis ad portum, et de misera servitute ad felicem libertatem aspiras, et de morte denique transis ad vitam. S. Bern. *ep.* cxiv.

Dignitas. — Gaudeas, mater tua longo Martyrio coronata est ; non solum enim effusio sanguinis in Martyrio reputatur, sed devotæ quoquæ mentis servitus immaculata, quotidianum Martyrium est. S. Hier. *ep.* 27. *in Epitap. S. Paulæ.*

Quid sibi vult, quod eadem promissio facta est pauperibus et Martyribus, nisi quia vere Martyrii genus est paupertas voluntaria? quod enim Martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas, et pretiosas, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat ipse noster appetitus, algere? an non merito coronabitur, qui sic certaverit mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, et quod gloriosius est, de ipso triumphans, et crucifigens concupiscentiam pruritentem? S. Bern. *ser.* I. *de Sanct.*

Genus Matyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. *Idem ser.* xx, *in Cant.*

Alii vovent vitulos, alii arietes, vel domos, Nazaræus seipsum. Hoc est Nazaræi votum, quod est super omne votum : filius enim, vel filia, vel pecus extra nos est : seipsum vero Deo offerre, non alieno labore, sed proprio placere, perfectius est, et eminentius omnibus votis. Gloss. *ap. Plat.* l. II, viii.

Quis sæcularis honor excogitari potest, qui non prorsus in tantæ sublimitatis comparatione vilescat? non unius siquidem civitatis aut populi, seu regionis unius, sed universitatis judices habent præsidere cum Christo. Nec solum homines, sed et ipsos Angelos judicabunt; qui parentem ad modicum vaporem præsentis gloriæ dedignantes, et exsufflantes, improperium Christi universis Christi præferunt titulis dignitatum. S. Bern. *ser. Ecce nos reliq.*

Jucunditas. — Nemo proculdubio explicare valet, quanto repleatur gaudio, quanta potiatur pace, quibus spiritualibus reficiatur deliciis, et quot divinis quotidie illustretur splendoribus, qui, deliberato animo, et cœlesti inspiratione afflatus renunciat sponte sæculo, secedit in claustro, et militat Deo, nihil terrenum ambiens, nihil temporale possidens, nihilque quod amorem suum vendicare queat, omnino reservans. S. Laur. *Just. in l. de ebed* xviii.

Una ibi voluptas, una jucunditas, unæ deliciæ, unum desiderium, una spes omnibus inest. Ibi veluti quadam ex regula et libra, cuncta sunt diligentissime ordinata, nulla ibi inæqualitas; cæterum ordo summus, et moderatio, et convenientia, et ineffabilis concordiæ servandæ diligentia, jugisque ac perpetua lætitiæ materia. Illic solum videas id perfecte contingere, nusquam alibi, non modo quod præsentia omnia contemnant, omnemque a se rixæ, et pugnæ materiam abscindant, certissimaque cœlestium bonorum spe beati sint, sed quod ea quoque quæ singulis contingant, et tristia, et læta, communia esse omnium existiment. Quippe et mæror facilius fugatur, cum pro viribus sua omnes comportent onera, lætitiæque occasiones habent innumeras, non in suis quisque gestientes. S. CHRYS. *in apolog. vit. Mon.* l. III.

In Ecclesia lectum, in quo quiescitur, claustra existimo esse et Monasteria, in quibus quiete a curis vivitur sæculi, et solicitudinibus vitæ. Atque is lectus floridus demonstratur, cum exemplis et institutis Patrum, tanquam quibusdam benevolentibus floribus, fatrum conversatio, et vita refulget. S. BERN. *s.* XLVI, *in Cant.*

In humanis rebus, et in hac peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in se imaginem cœlestis Patriæ, quam Monastica conversatio, et congregatio divino cultui dicata. S. LAUR. *Just. de Mon. perf. cap.* VI.

Consulto Deus gratiam Religionis hominibus occultavit, ne, si cognosceretur ejus felicitas, omnes ad eam confugerent. *Idem* IV. *vir.*

Sapientia, quos alligaverit, et exercitatoriis quibusdam laboribus odemuerit, solvit postea, liberatisque sese donat ad fruendum; et quos primo temporalibus nexibus erudierit, post æternis amplexibus alligat. Quo vinculo nec jucundius, nec solidius cogitari quidpiam potest. Prima hæc aliquantum dura confiteor, illa vero ultima nec dura dixerim, quia dulcissima sunt, nec mollia, quia firmissima. Vincula vero hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. His tu ne inseras collum, et manus, et pedes. S. AUG. *ep.* XXXVII.

FACILITAS. — Omnis servitus amaritudine plena est, omnes servili conditione ligati, et serviunt, et murmurant. Nolite timere illius Domini servitutem. Non erit ibi gemitus, non murmur, non indignatio. Magna felicitas est esse in domo ista servum, etsi cum compedibus. Libera servitus est apud Dominum; libera servitus, ubi non necessitas, sed charitas servit. Simul es servus et liber : servus, quia factus es; liber, quia amaris a Deo, a quo factus es. Noli servire cum murmure; non enim id agunt murmura tua, ut non servias, sed ut magis servus servias. Servus es Domini, libertus es Domini; non te sic quæras manumitti, ut recedas de domo Manumissoris tui. S. AUG. *in Psal.* XCIX.

Quoniam si abundat tribulatio vestra pro eo, abundabit consolatio vestra per eum, ut in eo delectetur anima, quæ in his renuit solari. Apud ipsum namque ipsa quoque tribulatio, magnam quamdam consolationem poterit invenire. Nonne enim certum est supra vires humanas, ultra naturam, contra consuetudinem esse, quæ substinetis? alius igitur portat ista; ille sine dubio, qui secundum Apostolorum portat omnia verbo virtutis suæ. Quid igitur timendum nobis, si adest, qui portat omnia. S. BERN. *in Ps. qui habitat.*

Necesse est, ut unctio spiritualis gratiæ adjuvet infirmitatem nostram, observantiarum, et multimodæ pœnitentiæ cruces, devotionis suæ gratia leniens : quia nec sine cruce sequi Christum, et sine unctione crucis asperitatem ferre quis posset? Hinc est, quod multi abominantur et fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, sed non videntes unctionem. Vos qui experti estis, ecce scitis, quia vere crux nostra inuncta est, et per gratiam Spiritus adjuvantis suavis, et delectabilis est pœnitentia nostra, et, ut ita dicam, amaritudo nostra dulcissima. S. BERN. *ser.* I, *de ded. Eccl.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

QUALITAS. — Habitus, et tonsura modicum conferunt : sed mutatio morum, et integra mortificatio passionum verum faciunt Religiosum. L. I, XVII, § 2.

Si vis debite stare et proficere, teneas te tamquam exulem et peregrinum super terram. Oportet te stultum fieri propter Christum, si vis religiosam ducere vitam. *Ibid.* § I.

Ad serviendum venisti, non ad regendum; ad patiendum, et laborandum scias te vocatum, non ad otiandum et fabulandum. *Ibid.* § III.

O quantus fervor omnium Religiosorum in principio suæ institutionis fuit! O quanta devotio orationis! quanta æmulatio virtutis; quam magna disciplina viguit! quanta reverentia, et obedientia sub regula Magistri in omnibus effloruit! testantur adhuc vestigia derelicta, quod vere viri sancti et perfecti fuerunt, qui tam strenue militantes mundum suppeditaverunt. L. I, XVIII, § V.

Vita boni Religiosi omnibus virtutibus pollere debet ut sit talis interius, qualis videtur hominibus exterius. L. I, XIX, § I.

Esto vigilans, et diligens in Dei servitio, et cogita frequenter, ad quid venisti et cur sœculum reliquisti, nonne ut Deo servires, et spiritualis homo fieres? igitur ad profectum ferveas. L. I, XXV, § I.

Quomodo faciunt tam multi alii Religiosi, qui satis arctati sunt sub disciplina claustrali? raro exeunt, abstracte vivunt, pauperrime comedunt, grosse vestiuntur, multum laborant, parum loquuntur, diu vigilant, mature surgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, et se in omni disciplina custodiunt. Et ideo turpe esset, ut tu deberes in tam sancto opere pigritare, ubi tanta multitudo Religiosorum incipit Deo jubilare. *Ibid.* § I.

Vere vita boni Monachi crux est, et dux Paradisi. L. III, LVI, § 4.

UTILITAS. — Habebunt gratiam magnam, qui sponte se subjecerint tuæ sanctissimæ servituti. L. III, X, § V.

O amplectendum, et semper optandum servitium, quo summum promeretur bonum, et gaudium acquiritur sine fine mansurum. *Ibid.*

Religiosus fervidus omnia bene portat et capit, quæ illi jubentur. L. I, XXV, § VII.

DIGNITAS. — Magnus honor, magna gloria, tibi servire, et omnia propter te contemnere. L. III, X, § I.

O sacer Status Religiosi famulatus, qui hominem Angelis reddit æqualem, Deo placabilem, dæmonibus terribilem, et cunctis fidelibus commendabilem. *Ibid.* § VI.

Non magnum mihi videri debet servire tibi, sed hoc potius magnum mihi et mirandum apparet, quod tam pauperem et indignum dignaris in servum recipere, dilectis servis tuis adunare. *Ibid.* § II.

JUCUNDITAS. — Invenient suavissimam Spiritus Sancti consolationem, qui pro amore tuo omnem carnalem abjecerint delectationem. Consequentur magnam mentis libertatem, qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam, et omnem mundanam neglexerint curam. *Ibid.* § V.

O grata et jucunda Dei servitus, qua homo veraciter efficitur liber et sanctus. *Ibid.* § VI.

Quam dulce et jucundum est, videre fervidos et devotos Fratres bene morigeratos, et disciplinatos. L. I, XXV, § 5.

EXEMPLA.

VOCATIO. — Cum S. Franciscus adhuc sæcularis, pauperi cuidam suas vestes amore Dei donasset, proxima nocte sibi visus est in amplum palatium ductus, in quo amplissima aula, variis armis cruce Christi insignitis referta, cernebatur. Quærenti autem, cujus essent, responsum est, omnia ad ipsum pertinere, militesque ipsius. Quare somnium de militia profana interpretatus, ad Apuliæ Comitem, sub cujus auspiciis militare decreverat, se contulit; verum eo in intinere sic iterum Christus eum allocutus est : Francisce, uter tibi melius facere potest, dominus an servus, dives an pauper? Cumque Franciscus, quod erat, respondisset, subjecit Christus : Cur ergo pro servo Dominum relinquis, et pro paupere homine divitem Deum? Ad quam vocem Franciscus, quid ergo, ait, facere me jubes? Cui iterum Christus respondit : Redi in patriam tuam : quod enim vidisti, nihil temporale indicat, nec humana, sed divina ope in te complendum est. S. BONAV. I, *vit.*

Monetus cum diu Reginaldi Dominicani conciones declinasset, tandem sociorum importunitate ad unam tractus, ubi illa verba : *Ecce video cœlos apertos :* explicari, et sibi quoque nunc patere audivit, ita commotus est, ut, mox finita concione, Reginaldum adierit, eique propositum Religionis intrandæ aperuit. *Antonius Senens. ni Chron.*

S. Nicolaus Tolentinas audiens occasione illorum verborum : Nolite diligere mundum, ab Augustiniano quodam Prædicatore vanitatem mundi magno fervore explicari, post concionem statim concionatorem adiit, summisque precibus in Ordinem admitti petiit. *Surius* X, *Sept.*

Andreas Virdunensis Archidiaconus, cum Claramvallem venisset, illius Cœnobii pietatem et ordinem præsens inspecturus, admissus in Capitulum, ubi Monachorum ordinem, quietem, et habitum angelicum vidit, adeo incitatus est ad sese iisdem aggregandum, ut nec ad sua ordinanda domum redire voluerit. PLACUS, III, XXXVIII.

Rolandus vir nobilis cum totum diem quondam inter epulas, ludos, choreas, vestitu pretioso indutus consumpserit, tandem vespere ad se reversus, cogitavit quo omnia hujus diei gaudia abiissent, reputansque, sicut dies ista abierat, ita reliquam quoque vitam abituram cum sua felicitate, nihilque præter pœnitentiam, et dolorem mansurum, postero die Religionem ingressus est. *Ibid. ult.*

Petrus Consalvus Episcopi Valentini nepos, cum opima beneficia patrui diu ad delicias et inanem fastum adhibuisset, tandem, ubi cum sociis equo superbo per urbem vectus, ab eodem in lutum excussus, ideoque a spectatoribus procaciter irrisus est, sic secum decernere cœpit : Quando quidem, o munde, ego a te, cui tam fideliter servivi, tam male tractor, ego quoque te vicissim, ut mereris, tractabo. Itaque eodem momento constituit, se Religionem S. Dominici ingressurum, quod et postero die cum omnium admiratione præstitit. *Ibid.*

Laurentius Justinianus Patriarcha cum annum ageret undevicesimum, qui ætatis flexus lubricus esse solet, ac periculosus, apparuisse ei dicitur Dominus Jesus, virginis specie, cujus splendor solis splendorem facile superaret, vultuque placidissimo hæc ei dixisse : Cur, adolescens, cor tuum effundis, et pacem insectando teipsum per multa spargis? Quod quæris penes me est. Ego si me sponsam accipere decreveris, pacem hanc certissime polliceor. Ille et tanta pulchritudine, et tam magnifico promisso delectatus quæsivit, quod ei nomen, quod genus esset. Tum illa : Ego sum Dei sapientia, quæ ad homines reformandos humanam formam indui. Quare cum Laurentius se eam libentissime accipere respondisset, illa, dato osculo, læta et gaudens, ut videbatur, abscessit. Ipse vero non multo post in Monasterium ad oblatas nuptias se contulit. PLATINA l. III, XXXVIII, *ex.* BERNARDO *justiniano oratorio in vita Laurent.* II.

Bonaventura, Balneo regio in Etruria natus, cum incidisset in vitæ periculum, mater ejus vovit, si inde evasisset, se eum Religioni B. Francisci dicaturam. Itaque adolescens in ordinem Fratrum Minorum adscribi voluit. *Ex Brev. Rom. juxta Conc.*

Non est hoc loco prætermittenda Asellæ virginis memoria, quam D. Hieronymus scribit in matris utero fuisse benedictam, antequam nasceretur, et in phiala nitentis vitri, et omni speculo purioris, patri traditam per quietem, et adhuc infantiæ pannis involutam, vixque decimum annum ætatis excedentem, honore futuræ beatitudinis consecratam. Hæc post duodecimum ætatis annum hunc vivendi modum elegit, arripuit, tenuit cœpit, implevit. Unius cellulæ clausa angustiis, latitudine paradisi fruebatur. Idem terræ solum, et orationis locus extitit et quietis. Jejunium pro ludo habuit, inediam pro refectione. Cum autem hoc propositum arriperet aurum colli sui, quod quidem murænulam vulgus vocat, quod scilicet, metallo in virgulas lentescente quadam ordinis flexuosi catena contexitur, eamque parentibus vendidit, et tunicam fusciorem, quam a matre impetrare non poterat, induta, pro negotiationis auspicio se repente Domino consecravit. Ubi moderate ita se habuit, et intra cubiculi sui secreta custodivit, ut numquam pedem proferret in publicum, nunquam viri nosset alloquium. Et quod magis mirandum, sororem virginem magis amaret, quam videret. TRID. XIII, *Julii.*

UTILITAS. — In vitis Patrum legitur, quod quidam viderit eamdem gratiam descendentam super eum, qui habitum Religionis assumpsit, et super eum, qui baptizatur. Quod tamen, teste S. Thoma, non ideo fit, quod talis a satisfactione liberetur, sed quia eo ipso, quod voluntatem suam in servitutem redigit propter Deum, plenarie jam pro omni peccato satisfecit. S. THOM. II, II, *qu.* 189, *art.* 3, *ad.* 4.

S. Simeon Salus cum, Joanne socio, habitum suscepturus a S. Nicone Monasterii Præfecto, audivisset a Fratribus : Beati estis, quoniam cras regenerabimini, et mundi efficiemini, sicut nati estis, ab omni peccato, ac si die hoc essetis baptizati, cucurrit ad S. Niconem, rogavitque ne se denuo baptizari permitteret; cui S. Nicon respondit : Recte dixerunt Fratres; etenim si Deo placuerit, cras sancto et Angelico habitu te induam. Quo facto Simeon Joanni dixit : Ex quo Dei servus nos eo habitu induit, intrinsecus inflammor nescio unde, et quærit anima mea neminem videre, alloqui, et audire. LANCZ. *opusc.* I, *n.* 21.

S. Dositheus tribuni cujusdam filius, cum post quinquennium in servitio infirmorum sub disciplina S. Dorothei transactum moriturus, ab hoc audivisset : Vade in pace, fili, et te Trinitati præsenta, nec non Deum pro nobis precare : mirantibus hoc dictum Fratribus, utpote qui nihil speciale in Dositheo vidissent, Deus seni cuidam sancto Sanctos illius Monasterii vita functos videre cupienti, inter illos etiam S. Dositheum singulari gloria fulgentem ostendit, utpote quam singularis obedientiæ studio meruisest. S. DOROT. *ser.* I, Fr. *Ægidius* ex ordine S. Francisci, petenti consilium de Religionis ingressu, respondit : Dic mihi, si mendicus certo sciret, alicubi magnum thesaurum latere, an consultaret, num eumdem expediret effodere? cumque is negasset, quanto igitur, inquit, alacrius et promptius debent homines ad infinitum illum Dei thesaurum accurrere, in quo solo sunt veræ, et æternæ divitiæ. PLATUS I, XL.

S. Anselmus quondam extra sensum raptus, vidit fluvium immanem, et præcipitem, in quem omnes sordes mundi confluxerant, et a quibus passim viri, fœminæque abriperentur, ac pascerentur : postea vero amplum, et spatiosum claustrum vidit, cujus parietes argento obducti, hortus amænissimus, aer placidissimus et omnis alia adeo jucunda et suavia erant, ut nihil ad felicitatem desiderari posset. Et per hoc quidem claustrum, Religionem, per fluvium vero illum, mundum significari intelligebat. *Ibid.*

S. Gregorius Magnus ab ineunte ætate monasticam vitam professus est; itaque amorem ejus retinuit, ut etiam Ecclesiæ Diaconus creatus et Legatus Apostolicus Constantinopolim declaratus, noluerit discedere, nisi cum aliquot Monachorum comitatu, ut quasi Monasterium secum circumferret. *Ibid. in prox. l.* II.

DIGNITAS. — Cum S. Clara professionem cum suis sororibus fecisset, apparuit illi Christus in forma pulcherrimi juvenis, qui deposita corona ex floribus immarcescibilibus, posuit eam in capite S. Claræ, in signum, quod eam denuo acceptaret in sponsam, sicut illa se denuo illi consecraverat in actu professionis. VIT. p. I, 24.

In Lucka, domo Ordinis Cisterciensis, Conversus quidam Rodulphus nomine, post Matutinum stans et orans sub dio, vidit Christum in Cruce pendentem, et cum eo quindecim alios, partim Sacerdotes, partim laicos crucifixos; cumque quæsivisset, quid sibi portenderet isthæc visio, responsum ei est hos solos ex Ordine illo esse vere Religiosos, cum ipso Christo crucifixos, seque illius passioni conformare. PRATUM *spir.* VIII, XVIII.

JUCUNDITAS. — S. Romualdus de se confessus est : Vixi centum annis in Religione, et quidem in summa austeritate, viginti vero in sæculo, sed eheu! quam longa, et misera hæc mihi vitæ tempora! quam brevia et jucunda illa religionis fuere! ENGELGR. *de comm. Confess.*

Suatocopius Rex Bohemiæ et Moraviæ ab Arnulpho Imperatore prælio victus, cum ægre evasisset, in Eremum fugit, ibique in summa paupertate inter Anachoretas reliquam vitam exegit. Morti proximus exposuit quis fuerit, atque effusis copiosis lacrymis dixit adstantibus, nullam regi fortunam solitudinis tranquillitati præferendam, veram se vitam in caula duxisse, in aula mortem. *Ibid.*

Carolus Quintus dicere solebat in secessu illo ad S. Hieronymi Monasterium plus uno die liquidæ voluptatis et sinceri gaudii se percepisse, quam ex omnibus aulæ deliciis, victoriis ac triumphis. *Ibid.*

S. Scholastica dicere solebat : Si dulcedo, quam Deus abscondit servis suis, nota esset sæcularibus, Monasteria non caperent eos qui Deo servire vellent. *Ibid.*

B. Maria Magdalena de Ursinis Novitiis Præfecta, si forte eas ridentes consperisset, læto vultu ad eas dicebat : Ridete, Filiolæ meæ, ridete, quia justa vobis causa ridendi, et gaudendi est, dum mundi fluctibus ereptæ, in portum hunc securissimum translatæ estis; non enim fecit taliter omni nationi. *Ibid.*

EXEMPLA DOMESTICA.

VOCATIO. — Sanctus Franciscus Borgia Isabellæ Reginæ Hispaniæ funus Granatam deducens, cum, feretro aperto, adeo immutatem vultum vidisset, vanitatem rerum mundanarum inde colligens, Societati nostræ nomen dedit. VITA.

P. Joannes Nunnius Sacerdos B. Virginem rogavit, ut vitæ modum sibi patefaceret; unde apparuit illi B. Virgo, cum P. Petro Fabro adstante, jubetque Conimbricam adire, ibique rationem vitæ ab hoc Patre ediscere. Fecit id Nunnius, et Conimbricam ingressus, Fabrum statim e facie novit, a quo monitus, labores potius pro Christo expetere, quam quietis propriæ dulcedinem quærere, in genua procidit, ardentibusque precibus in Societatem admitti petiit. *Hist. Sac. l.* IV, *n.* 134.

P. Franciscus Ribera Doctor Theologiæ, cum P. Martino Guttierio ipsum visitanti dixisset, se decrevisse, prope sacellum quoddam B. Virginis vitam privatam inter preces et studia vivere, et certis temporibus ad conciones habendas excurrere, Guttierius vero respondisset : Domine doctor, placet quidem hoc propositum, sed quis tunc sibi optimum pignus, quod habet, retinebit, propriam scilicet voluntatem? Hæc vox ita cor ejus penetravit, ut relicto mundo, Societatem sit ingressus. Vita Bal. Alv. xxix.

Ludovicus Corbellinus civis Florentinus nobilis, natura tristiori, sed acri judicio, cum medicus ei suasisset, ut lætitiæ serio se daret, si diu vivere vellet, assumptis fidissimis sociis, totius fere Italiæ. Hispaniæ, et Galliæ loca jucundissima invisit. Venit tandem Lutetiam, ubi torneamento Regio interfuit, in quo cum vidisset Henricum Secundum in oculo ictum, paulo post decessisse, mundi vanitatem agnoscens, nuntium eidem remisit, Societatemque amplexus est. *Hist. Sac. p.* 2, *l.* III, *n.* 68.

Cum anno 1594, in tota Gallia decretum de Societate ejicienda emanasset, discipuli nostri tanto ejusdem amore succensi sunt, ut Ruthenis supra triginta, Ausciæ vero viginti juvenes selectissimi eamdem expetierint, aut cum nostris, aut pro nostris morituri. *Annal. Aquit.* 1594 et 95.

P. Cornelius Vishavæus, cum multis Religionem persuasisset, rogavit tandem Deum, ut sibi quoque aliquam ostenderet, et audivit clare interius vocem, Lovanium iret, ibi se angelicos homines reperturum, illos sequeretur. Ivit ille, reperit nostros, fecit exercitia, susceptus est. *Hist. Sacr. l.* IV, *n.* 40.

P. Cladius Aquaviva, cum ea etiam in mente fuisset, illud Domini dictum : Oves meæ vocem meam audiunt; simul invasit eum timor, ne si cælesti illi consilio non obediret, non esset ex ovidus Christi. Quam ob causam eadem hora, ac pene momento, ad nostros venit, seque eis toto animo addixit. Platus, I, xxxviii.

Dignitas. — De B. Aloysio dicit Sanct. Maria Magdalena de Pazzis : O quantam gloriam habet Aloysius filius Ignatii! nunquam credidissem, nisi illam mihi monstrasset Jesus meus. Ego vellem posse ire per totum mundum, et dicere, Aloysium esse magnum Sanctum, et vellem posse monstrare unicuique ipsius gloriam, ut Deus glorificaretur. Habet tantam gloriam, quia operatus est interne. Quis posset unquam explicare valorem et virtutem operum internorum? non est comparatio aliqua interni cum externo. Aloysius fuit Martyr incognitus. Vit. *s.* 65.

De P. Baldassare Alvarez revelavit Deus S. Theresiæ, eo tempore nullum fuisset in tam sublimi perfectionis gradu constitutum, quam ipse fuerit. Vita P. Alv. ii.

Jucunditas. — Guillelmus Elfinstonius Scotus, cum vix mense in Societate transacto in morbum lethalem incidisset. incredibilem semper et vultu, et gestu, et verbis alacritatem præ se tulit, cum satiari non posset gratiis Deo agendis, quod in Societate moreretur. Visis postea Angelis, et accepto ab Angelo Custode nuntio, quod per Purgatorium esset transiturus, tanta dulcedine, et fervore completus est, ut corpus ipsum, licet morbi gravitate fractum, insolitis motibus, super lectum cum omnium admiratione exiliret. Inter quæ gaudia repente consistens, tanquam placidissimo somno consopitus spiritum exhalavit. Platus, I, xxxi.

S. Ignatius adeo lætus semper, ac exultans extiterat, ut diceret non minus esse miraculum, videre mœstum Religiosum, qui aliud nihil quam Deum quærat, quam deprehendere lætum aliquem peccatorem, qui alia præter Deum quærit. Hinc cum Franciscum Costerum tironem etiamnum ad risum pronum advertisset, eumdem, dum quondam actu risisset, ad se vocavit, dixitque : Francisce, audio te semper ridere. Et ego dico tibi, fili mi, ut rideas et gaudeas in Domino semper. Religiosus enim nullam tristitiæ causam habet, sed multam lætitiæ; quapropter denuo dico tibi, semper sis lætus et hilaris in Domino. Lyræus, *apopes.*

Card. Bellarminus dicere de seipso solebat : Cum essem Religiosus, nesciebam, quid in vita esset tristitia; factus Cardinalis, nescio quid sit lætitia. Engelgr. *in comm. conf.* §. 1.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut vites et aliæ teneriores arbusculæ vinciri solent ad stipites, ut ab illis sustententur; sic homines infirmi et inconstantes per vota alligant se Deo, ut ab illo conserventur, et stabiliantur. Platus, I, xxx.

Sicut ii, qui carnis et rerum terrenarum curæ se dedunt, toto animo in ea defixi hærent; sic qui animæ curam susceperunt, solis rebus spiritualibus se impendunt. *Ibid. c.* ii.

Sicut e summo montis vertice prospectantibus omnia pusilla videntur; sic Religiosi animo in cœlis habitantes omnia terrena quasi parva, et vilia gaudia despiciunt. S. Chryst. *ho.* II, *ad pop.*

Sicut is, qui in cruce pendet, nec quid ante oculos agatur attendit, nec de castrino solicitus est, nec ullius rei cupiditate teneatur; ita Religiosus mundo crucifixus nihil jam terrenum curat, sed tota mente cælestibus inhiat bonis. Platus, II, XI.

Sicut vetus tabernaculum foris saga cilicina et pellibus arietum vestitum, intus autem totum inauratum erat; ita Religiosus exterius vili quidem habitu vestitus, sed intus aurea charitate, aliisque virtutibus pulcherrimis exornatus est. S. Bern. *ser. Ecce nos reliq.*

Sicut in cœna, quæ ex multorum symbola et contributione instruitur, lautior sit tractatio, quam si ab uno instruatur; sic Religiosi licet singuli boni sint, meliores tamen fiunt, si in unum sint collecti, quia cum unusquisque aliquid virtutis, ac prudentiæ habeat, si id in communione conferant, perfectius quid efficietur. Platus, I, XXVIII.

Sicut navigii tabulæ, si solitariæ sint, parum possunt; conjunctæ vero plurimum valent ad navigationem peragendam; et lapides seorsim accepti nihil prosunt, conjuncti vero pulcherrimum ædificium faciunt; sic Religiosi, etiamsi secundum se non plus valeant, quam quantum in unoquoque est roboris et virtutis, conjuncti tamen, alterius ope, ac virtute non modice adjuvantur. *Ibid.*

Sicut viridis stipes, etsi per se in igne ardere difficulter possit, inter alios tamen ardentes stipites eadem flamma facile conflagrat; sic prorsus evenit in Religiosis, qui etsi separatim degentes langueant, aliis tamen charitate accensis mixti, facile eorum consuetudine, cohortatione atque exemplis incalescunt. *Ibid.*

Sicut in fune torto singula fila tenuia sunt, connexa tamen et implicata maximas moles trahunt, difficileque rumpuntur; sic Religiosi, licet secundum se debiles; si bene cohæreant et uniantur, omnia sustinent, trahunt, et vincunt. *Ibid.*

Sicut corporis membra, cum multa sint, unum tamen faciunt corpus, et se mutuo juvant, dum unumquodque proprio fungitur officio; sic et Religiosi sibi invicem cedunt, et qui legit, orantem amore, et gaudio complectitur, secum hoc reputans, quia pro se precatur. S. Macar. *hom.* III.

Sicut nummus attritus et diminutus, si solus sit, rejicitur : si autem inter duo, triave millia nummorum offeratur, accipitur; sic homines imperfecti, etsi alioquin per se parum grati sint, si tamen in Religione cum aliis perfectis conjungantur, hoc lucrum faciunt, ut aliorum abundantia ipsorum suppleat, sublevetque inopiam. Plat. *l.* I, *c.* XXIX.

Sicut proci, cum Virginem nuptam vident, alio cogitationes transferunt; sic cum hostes nostri Deo in Religione nos desponsatos vident, spes quodam modo illis præciditur nos rebus terrenis implicandi, atque ob id ipsum sæpe solicitare nos deserunt, ne nihil aliud consequantur, quam ut cum suo ipsorum cruciatu coronam nobis augeant. *Ibid.* XXX.

Sicut, cum quis secandus est, alligari cupit, et licet postea, dum secatur, clamet ut solvatur, non tamen vult exaudiri, sicque proficit ei sectio etiam invito animo admissa; sic qui ab initio sponte Religionis jugum suscipit, etiamsi dein incidant, a quibus voluntas abhorret, perfert tamen, quia vinctus est, et illud ipsum medicamentum, quamquam non adeo libenti animo receptum, prodest tamen, et sanitatem affert, quam fortasse solutus refugisset, ut denique, compulso morbo, gaudeat etiam sibi non aliter licuisse. S. Ansel. *l.* I, *simil.*

Sicut Regis filius, qui ad futurum regnum nutritur, ea ex spe tum delectationem magnam, tum altitudinem animi concipit, ut humiliora ac fordidiora aversetur; sic Religiosus, dum se ad regnum cœleste destinatum cogitat, omnia, quæ mundus offert, tamquam dignitate sua interiora, generoso animi impetu rejicit. Platus, II, XXXII.

Sicut agricola vineam, et pastor gregem suum curant, nullique labori ac difficultati cedunt, ob commoda, quæ inde percipiunt; sic Deus non solum ob suam bonitatem sanctis gregibus, et vineæ Religiosorum hominum providentiam suam impertit, sed ob aliquam quodammodo utilitatem suam, unde a S. Paulo vocantur vas sanctificatum in honorem, et utile Domino. *Ibid. c.* XXXIII; II. *Tim.* II.

Sicut in magna domo domestici non tantum a patre, ac Domino, sed etiam a matrefamilias gignuntur, aluntur, educantur, ac reguntur; ita Religiosi non tantum a Deo, sed etiam a S. Dei Matre foventur, ac proteguntur. *Ibid.* XXXIV.

Sicut, cum homo gignitur, necesse est ut omnia ei tribuantur, quæ sunt ad hominis constitutionem necessaria; ita cum Deus hominem ad religiosum statum vocat, omnia talenta ac virtutes ad hunc finem necessarias eidem largiri debet. *Ibid.* II, IX.

Sicut Tyberis, si aquam quæ semper labitur, retineret, in immensam aquarum quantitatem excrevisset; ita Religiosi, cum quotidie bonis operibus augendis insistant, ingentem gratiæ gloriæve accessionem facere oportet. *Ibid.* XVIII.

Jucunditas. — Sicut Isaac, cum immolandus esset, non ipse tamen, sed aries pro ipso immolatus est, ipse autem lætius vixit, confirmata spe posteritatis; sic Religiosi, licet seipsos gaudio privare videantur, tamen non perit gaudium, sed vitium, et contumacia, cujus nimirum cornua vepribus hærentia indicant, numquam sine anxietatis aculeis esse posse. S. Bern. *in* I *Cant.*

Sicut, si quis magnam haberet sarcinam, quæ tamen alterius humeris deferretur, nullum inde gravamen, sed potius solatium, et utilitatem magnam perciperet; ita in onere Religiosæ disciplinæ præmium et gaudium nostrum, onus vero superiorum est. *Ibid.* III, XVI.

Sicut animi tristitia ipsum etiam corpus confici videmus; ita vicissim lætitia mentis in ipsum etiam corpus redundat. *Ibid.* XVII.

Diversitas. — Sicut medici, cum ægrotus appetentiam ciborum perdidit, accomodant se, quantum licet, ad eos cibos, quos ille minime aspernetur, ultroque plures proponunt, ut e multis aliqui saltem placeant; ita Deus, quoniam sæculares homines negotiis terrenis immersi cœlestium rerum gustum miserunt, plures Religiones proposuit, ut, qui unam fastidit, ab alia alliciatur. *Ibid.* II, XXV.

Sicut in naturæ ordine tanta a Deo rerum varietas introducta est, ut variæ ejus perfectiones, quo pluribus communicarentur, eo magis innotescerent; ita in ordine gratiæ, ista multiplicatione statuum, officiorum, ac munerum id agitur, ut variis modis, ac a variis membris participetur illa plenitudo gratiæ, quæ a Christo Domino, ac Salvatore nostro ut capite promanat. Ex quo major utique ipsius Christi gloria existit, cujus et vis in merendo, et liberalitas in donando, magis ac magis illustratur. S. Tho. II, II, *q.* 182, *ar.* 8.

Facilitas. — Sicut si cui transeundum flumen est, navi vel ponte facilius transitur, aut si terra iter faciendum, jumento aut rheda facilius peragitur, quam pedibus; ita iter ad Deum et alteram vitam facilius per vehiculum aut navim Religionis, quam pedibus vitæ sæcularis, peragitur. Platus, III, XXII.

MOTIVA

Ad Religiosum Statum amplectendum.

Quia Religiosus *cadit rarius*: tum quia non habet tot exempla, et occasiones peccandi; tum quia gravitatem, et fœditatem peccatorum per frequentes meditationes, et examina melius cognoscit. Id testatur S. Bernardus dicens : An experimentum quæritis, de quo loquimur? quando is, qui prius vix per biduum poterat a luxuria, crapula, et comessationibus, et ebrietatibus, et cubilibus, et impudicitiis, cæterisque similibus, et dissimilibus vitiis continere, nunc ab iis continet multis annis, tota utique vita. S. Bern. *s.* I, *in dedic.* Confirmat id ipsum Senecæ effatum, quo dixit : Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat; ubi autem plures sunt testes, quam in Religione; ubi tantopere urgetur socii præsentia?

Quia *vivit purius* : partim quia per professionem, velut alterum Baptismum, a præteritis peccatis mundatur : partim quia per sacramentorum frequentationem, et librorum spiritualium superiorumque, ac aliorum Magistrorum directiones perfectius in virtutis studio stabilitur.

Quia *surgit velocius* : tum quia exemplis bonis domesticis, quæ quotidie videt, erigitur : tum quia superiorum tamquam medicorum spiritualium curatione sublevatur : tum quia colloquiis piis cum domesticis vementer accenditur ad fugam vitiorum, et virtutis amorem : tum ob uberiorem influxum gratiæ, quem in Religione experitur ad resurgendum a lapsibus : ob quas causas merito Deus S. Catharinæ Senensi dixit : Religio tutior est, si ibi quis ruat, aptior est ad surgendum, quia cum majori bono se reperit. (S. Catha. Sen. *dial. c.* CLXIV). Alius vero prudenter dixit, Religiosorum et sæcularium hominum lapsum habere se, sicuti se habet ædificium dirutum, ex quo lapides adhuc supersunt, ut adeo facile iterum erigatur, et sicut ædificium a fundamento destructum, de cujus materia nihil sit relictum.

Quia *incedit cautius :* frequentes enim lapsus in sæculari statu docuerunt, quam sit caute incedendum, cum enim per meditationes quotidianas talium lapsuum gravitatem, ac periculum accuratius perpendat (id quod vix unquam serio faciunt sæculares), hinc fit, ut, Theodoro Studita teste, piis implexus cogitatis et distentus, hostiles laqueos evadat. (S. THEOD. STUDITA, *apud Lan. opusc.* I, *num.* 77). Unde de eo verificatur illud S. Chrysostomi. Avicula semel capta laqueo, mox elapsa, et cervus in rete decidens et effugiens, iisdem iterum difficulter capitur, nam cuique est experientia cautelæ Magistra; hinc, ut Salomon ait, frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. S. CHRYS. *ho.* XV, *ad pop.*

Quia *irroratur frequentius :* tum quia Religiosi voluntas tota est in lege Domini observanda defixa, atque ideo, juxta S. Davidem, similis est ligno plantato secus decursus aquarum : tum quia ipse se liberaliorem erga Deum exhibet, atque adeo meretur etiam vicissim Deum liberalem in dandis gratiis experiri. Unde merito B. Ægidius Franciscanus cuidam sæculari quærenti, an posset in sæculo divinam gratiam sibi conciliare, respondit : Potes quidem, sed mallem ego gratiam unam in Monasterio, quam decem in sæculo. Quæ enim in Monasterio obtinetur gratia, ea et crescit facile, et facile custoditur, quod is, qui monasticum sequitur institutum, ab omni mundi strepitu, et sollicitudine perturbante (quæ magnum afferunt gratiæ impedimentum) sejunctus sit, aliique Fratres piis adhortationibus, et sanctis exemplis a malo eum pertrahant, et ad bonum incitent; secus vero se res cum gratia in sæculo requisita habeat, ubi laudatur potius, qui malum operatur, et irrisioni est expositus, qui bonum operari conatur. PROV. I, 27; WADING. *to.* II, *annal. anno* 1262, *num.* 34.

Quia *quiescit securius :* tum quia a curis sæculi liber est : unde S. Bernardus alicubi ait : In Ecclesia lectum, in quo quiescitur, claustra esse existimo et Monasteria, in quibus quiete vivitur a curis sæculi, et sollicitudinibus vitæ (S. BERN. *l.* XLVI, *in Cant.*) : tum quia ob paternam, et occultam Superiorum providentiam de rebus necessariis etiam optime ei providetur, unde merito S. Gregorius de tali scripsit : Liber ergo dimittitur, qui, calcatis desideriis, ab appetitione rerum temporalium securitate mentis exoneratur. Similis proinde est columbæ a Noe emissæ, quæ, cum non inveniret, ubi requiesceret pes ejus, ad arcam reversa est. (S. GREG. XX, *mor.* XII.) Quam arcam merito Patres spirituales Religionem esse dicunt, ad quam, teste S. Eucherio, confugiendum est, qui frementis sæculi tempestate vexantur. Hic statio fidissima, et quies certa. Accedit, quod in Religiosis maxime verificetur illud Christi promissum : Tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris. S. EUCHE. *paræn. ad Valerian.*

Quia *moritur confidentius :* nam, ut S. Chrisostomus ait, ægrotanti non uxor adstat crinibus solutis, nec pueruli imminentem flentes orbitatem, non famuli expirantem importunis precibus pulsantes, ut se cuipiam commendatos relinquat. Sed his impedimentis omnibus solutus animus id unum tantummodo cogitat, quomodo cum majore gratia extremum Deo spiritum reddat. (S. CHRYS. *ho.* XIV, *in* I, *ad Ti.*) Alibi vero idem sanctus ait, Religionem hoc habere, ut eos, qui eam secuti sunt, primum in hac vita multis bonis repleat, deinde post vitæ exitum hilares et ludibundos ad Dei tribunal perducat. (*Idem. ad compar. Regis et Monachi.*) Cujus rationem alio loco reddens ait : Impossibile est mentiri Deum : promisit autem ille vitam æternam ista relinquentibus. Reliquisti tu omnia ista, et abjecisti; quid igitur prohibet de hujusmodi confidere promissione, et esse securum? (*Idem l.* I, *de prov. cot.* II.) Recte ergo S. Bernardus exclamat : O vita secura, ibi pura conscientia! O, inquam, vita secura, ubi absque formidine mors expectatur, imo et exoptatur cum dulcedine, et excipitur cum devotione. Et iterum : Spiritui a corpore exeunti, a cella in cœlum non longa, nec difficilis via invenitur; moriens enim aut vix, aut nunquam aliquis a cella in infernum descendit; quia vix unquam aliquis, nisi cœlo prædestinatus, in ea usque ad mortem persistit. S. BERN. *s. ad milit. templi c.* I, *idem s. de vit. solit.*

Quia *purgatur citius :* id est, a purgatorii pœnis liberatur; tum quia ipsum vitæ religiosæ genus est quodammodo perpetua pœnitentia et satisfactio, juxta illud Thomæ Kempensis effatum : Habet magnum et salubre purgatorium, qui sibi ipsi violentiam frequenter facit, et carnem omnino spiritui subjugare conatur; tum quia post mortem crebrioribus et efficacioribus suffragiis, operibusque a fratribus suis adjuvatur : tum quia quamplurimis etiam indulgentiis Religioni concessis a purgatorio se liberare potest. *L.* I, *c.* II, § 24.

Quia *remuneratur copiosius :* uti pulchre S. Anselmus ostendit, dum dixit : Omnis hominum vita simillima est rotæ frumentariæ, quæ numquam moveri et versari desinit. Sed interest inter homines, qui eam curant. Alii enim farinam sic defluentem negligunt, ut tota in flumen elapsa pereat, uti sæculares, qui numquam mentem ac cogitationem ad æterna erigunt, intenti caducis, et terrenis. Alii partem servant, partem negligentia perdunt, quales sunt, qui, licet in sæculo degant, aliqua tamen bona et salutaria peragunt, eleemosynas tribuunt, frequentes sunt in templo, ægrotos visitant. Atque ii pro operum mensura tantumdem præmii accipient. Alii demum subjecto sacco totam excipiunt; et hi sunt Religiosi, qui, quoniam ex Superiorum suorum jussu, ejusmodi rebus implicantur, quamvis temporale sit quod agunt, nihil tamen in eis de labore suo perit. Quin etiam, licet cogantur quidpiam, negotiis urgentibus, vel de communi disciplina remittere, hæc tamen omnia obedientiæ virtus compensat, eaque farinam defluentem totam puram ita colligit, ac recondit, ut ad illos in omnem æternitatem alendos sufficiat. (S. ANSELMUS, *apud Plat. l.* I, *c.* XXIII.) Hinc recte de talibus S. Gregorius ait : Animam suam justi in vano non accipiunt, qui intentione continua ad ejus utilitatem referunt, quidquid corporaliter operantur, quatenus et transeunte opere, operis causa non transeat, quæ vitæ præmia post mortem pareat. S. GREG. *l.* VII, *mor. c.* XIII.

MEDIA

Ad Religiosum Statum digne amplectendum.

Ardens desiderium perfectionis : nam, teste Salomone, initium illius est verissima disciplinæ concupiscentia : facileque videtur ab his, qui diligunt eam, et invenitur ab his, qui quærunt illam, præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam non laborabit : assidentem illam foribus suis inveniet. (SAP. VI, 12 et 13.) Hinc S. Hieronymus, non sufficit nobis, ait, velle justitiam, nisi et justitiæ patiamur famem : dicereque cum regio Propheta possimus : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. (S. HIER. *apud Rodriq. p.* 1, *tr.* 1, *c.* III.) S. Thomas Aquinas sorori quærenti, qua ratione salvari posset, merito respondit : Si volueris, salvabere.

Oblivisci præteritorum, et ad anteriora se convertere : ita S. Paulus exemplo suo docuit dicens : Fratres, ego non arbitror me comprehendisse; unum autem, quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quæ priora sunt, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. (PHIL. III.) Quod ipsum confirmans S. Hieronymus, quicumque sanctus est, inquit, quotidie in priora extenditur, et præteritorum obliviscitur. Felix est, qui quotidie proficit, qui non considerat, quid heri fecerit, sed quid hodie faciat, ut proficiat? (S. HIER. *sup. Ps.* LXXXIII.) Nam, ut S. Chrysostomus recte advertit, a currendo non cessat, qui se cursus sui terminum necdum attigisse considerat. (S. CHRYS. *ho.* X, *sup, ep. Rom.*) E contrario vero, si respicis ad ea, quæ habes, inquit Sanctus Bernardus, elevaris in superbiam, dum te aliis præponis : proficere negligis, quia magnum te esse arbitraris, et tepidius incipies deficere, et remissius agere. S. BERN. *apud Rodriq. l.* I, *c.* XVII.

Ita se gerere, ac si eo primum die ad Religionem venisset : sic enim jam olim Abbas Agatho suasit, dum antiquo Monacho roganti, quomodo se in Religione habere deberet, respondit : Vide, qualis fueris primo die, quando existi de sæculo, et receptus fuisti in claustro, et talis permane semper. Quod ipsum etiam S. Antonius morti proximus suis suasit dicens : Ego quidem filioli, secundum eloquia scripturarum, Patrum gradior viam; jam enim Dominus me invitat, jam cupio videre cœlestia : sed vos, o viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis, hodie vos religiosum studium arripuisse arbitremini, et cœptæ voluptatis fortitudo succrescat. (RODR. *p.* 1, *tr.* 1, *c.* XIV.) Ita Sanctus Bernardus fecit, qui, teste Surio, semper se velut Novitium unius diei tractabat? (SURIUS, *to.* II, *p.* 186.) Imo omnium Sanctorum proprium est, teste Siracide, ut cum consummaverint, tunc incipiant. ECCL. XIV, 6.

Sæpe a se rationem exigere, cur religionem sit ingressus : sic S. Bernardus iterum docuit, assiduo seipsum his verbis compellare solitus : Bernarde, ad quid venisti? Imo et ipse Christus hoc medio usus est erga Judam proditorem, dum dixit : Amice, ad quid venisti? (MATT. XXVI, 50.) Quasi dicere voluerit : Considera, o Juda, quantum beneficium a me per vocationem ad Apostolatum acceperis, et mox a proposito facinore desistens, magistro tuo adhærebis potius, quam prodes. (RODR. *p.* 1, *tr.* 1, *c.* XV.) Merito ergo etiam pius Asceta sic Religiosum alloquitur : Esto vigilans, et diligens in Dei servitio, et cogita frequenter, ad quid venisti? et cur sæculum reliquisti? nonne ut Deo servires, et spiritualis homo fieres? igitur ad profectum ferveas, quia mercedem laborum tuorum in brevi recipies. *L.* I, *de imit. c.* XXV, § 1.

Brevem sibi hujus vitæ cursum circumscribere : ita Ecclesiastes hortatus est dicens : Quodcumque poterit manus tua facere, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia sunt apud inferos, quo tu properas (ECCL. VII) : id ipsum etiam S. Basilius suasit his verbis : Semper ante oculos tuos versetur ultimus dies. Cum enim diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas pervenire : et cum in lectulum ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis adventu, ut facilius te possis refrænare ab omnibus vitiis. (S. BASIL. *in struct. ad Fil. Spirit.*) Sic exemplo suo docuit S. Job dicens : Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea. Vocabis me, et ego respondebo tibi. (JOB. XIV.) Vere beatus servus quem, cum venerit Dominus ejus, invenerit vigilantem. MATT. XXIV.

Assuefacere se virtutibus : Nam comparato usu, consuetudineque in operando, asperum iter virtutis, planum atque jucundum reddetur : id quod jam pridem Spiritus Sanctus per Salomonem indicavit, dum dixit : Audi, fili mi, et suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ. Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis, quas, cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum. (PROV. IV, 10.) Quod ipsum etiam confirmans S. Paulus, omnis autem disciplina, ait, in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed meroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. (HEBR. XII, 11.) Et clarius S. Bernardus, primum, inquit, tibi importabile videbitur, aliquid, processu temporis si assuescas, judicabis non adeo grave, paulo post et leve senties : paulo post nec senties : paulo post etiam delectabit. S. BER. I, *de consid.* I.

Animum rebus altis, egregiisque applicare : sic enim jam olim Corinthiis Apostolus suasit dicens : Æmulamini charismata meliora. (1. *Cor.* XII, 31.) Per hoc enim medium efficietur, ut, cum ad superiora connitimur, saltem ad mediocritatem perveniamus, ad exemplum scilicet sagittariorum, qui, ut metam certius attingant, paulo altius supra scopum dioptam dirigunt.

Etiam res parvas æstimare, et non contemnere : Qui enim spernit modica, paulatim decidet, Siracide teste (ECCL. XIX, 1); et ut S. Bernardus recte advertit, a minimis incipiunt, qui in maxima proruunt, verissima enim sententia est : nemo repente fit summus. (S. BERN. *de vit. et mor. insti.*) Et, ut iterum Siracides monet : In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus. (ECCL. X, 18.) Ex minimis guttis, ait S. Bonaventura, multiplicatis, inundationes aquarum fiunt, quæ etiam magna aliquando mænia subruunt, per modicam rimam aqua latenter in navem influit, donec summergatur. S. BONAV. *in præm. relig. s. c.* XX.

Ad aliorum exempla respicere : sic Sanct. Antonius suasit, dicere solitus, Religiosum debere api similem esse, et in unoquoque illud studiosius contemplari, quod in ipso præstantius effulserit. Certe Charilaus nobilis apud Lacedæmonas Philosophus quæsitus, quam rempublicam optimam esse censeret eam, respondit, in qua cives de virtute contenderent. RODRIU. *p.* 1, *tr. c.* XIII.

Considerare, quantopere Deus et Sancti nostram perfectionem desiderent : nam, ut S. Cyprianus sapienter advertit, si hominibus lætum et gloriosum est, filios habere consimiles, et tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis soboles paribus successive respondeat; quanto magis in Deo Patre lætitia est, cum quis sic spiritualiter nascitur, ut actione ejus et laudibus divina generositas prædicetur? S. CYPR. *in c.* V, *Matth.*

ASCETICA.

Septem fere sunt, quæ ab Ascæta specialiter de Statu Religioso sunt notanda. Primum est, ut bene cognoscat, quænam requirantur ad Statum Religiosum, nimirum sequentia tria. 1. *Tria vota* Paupertatis, Castitatis, et Obedientiæ; per hæc enim homo perfecte Deo dicatur, et abdicatur propria voluntas, et libertas. 2. *Regula particularis*, sive Institutum; quæ quidem non per se requiritur (cum ad essentiam non alia pertineat regula, quam quæ in divinis præceptis, ipsiusque votis, continetur,) sed per accidens, quia Ecclesia non consuevit Statum Religiosum approbare, nisi cum tali particulari regula. 3. *Approbatio Ecclesiæ, et votorum admissio;* quia enim grave periculum immineret Ecclesiæ, si cuilibet licentia fieret novam Religionem excogitandi, ideo merito a Concilio Lateranensi et Lugdunensi statutum est, ut nullus deinceps Ordo sine approbatione Ecclesiæ institueretur. Beirl. *v. Relig. s.* 129.

Secundum est, ut bene cognoscat varios modos, quibus Deus vocare solet ad Religiosum Statum, quos quidem Sanct. Bernardus, et Cassianus assignaverunt. Tres sunt vocationum ordines, et modi. Primus ex Deo est, secundus per hominem, tertius ex necessitate. Ex Deo quidem est, quoties inspiratio quædam immissa in cor nostrum, nonnumquam etiam dormientes nos, ad desiderium vitæ æternæ ac salutis excitat, Deum sequi, et ejus inhærere præceptis compunctione saluberrima cohortatur. Quomodo B. Antonium avidum esse cognovimus. Secundus vocationis modus est, cum vel exemplis quorumdam Sanctorum, vel monitis castigati, ad desiderium salutis accingimur, (quo modo duo aulici ex vita S. Antonii lecta vocati sunt.) Tertius vero vocationis modus est, qui ex necessitate descendit, cum ingruentibus repente tentationibus, quæ vel mortis pericula comminantur, vel amissione percutiunt, vel carorum morte compungunt, ad Dominum, quem sequi in rerum prosperitate contempsimus, saltem inviti requirere compellimur. (S. Bern. *in centent. Cass. col.* 3, *c.* iii, iv.) De quo ultimo genere sic loquitur Cassianus : Abbati Moysi nil defuit ad perfectæ beatitudinis meritum quod metu mortis, quæ ei propter homicidii crimina intentabatur, impulsus ad monasterium decurrit, quia ita necessitatem conversionis arripuit, ut eam in voluntatem prompta animi virtute convertens, ad perfectionis fastigia summa pervenerit. Et Paulo nihil obfuit, quod repente cæcatus ad viam salutis velut invitus videtur attractus, qui postea Dominum tanto animi fervore sectatus, initium necessitatis voluntaria devotione consummans, gloriosam tantis virtutibus viam incomparabili fine concludit. *Ibid. n.* 2.

Tertium est, ut solidum sciat modum inquirendi vocationem, qui quidem in sequentibus regulis consistit. 1. Non est expetenda aut expectanda revelatio, aut miracula, aliave signa extra naturæ ordinem, quia cum Deus lumen mentis inseruerit, hoc fide adjutum sufficere poterit ad vocationem inquirendam. 2. Ut animus ad eam, quæ haberi potest maxima æqualitate componatur, solumque Dei beneplacitum in hoc negotio quæratur. 3. Ut quoniam secretum consilium secretum auditum quærit, negotia, curæque seponantur, conscientiaque per confessionem purgata, meditationi, ac Sacramentorum frequentationi diligentius insistatur. 4. Ut quoniam duo sunt vocationum a Deo provenientium genera, alterum, quo voluntas vitæ religiosæ desiderio acceditur : alterum, quo ratio illuminata vanitatem, ac periculum vitæ sæcularis ex una parte, ex altera vero securitatem, ac felicitatem vitæ religiosæ agnoscit, diligenter inquiratur, quo horum duorum generum quisque vocatus sit; et si quidem priori genere se quis vocatum sentiat, etsi non simpliciter necessarium sit, ut ulterior inquisitio instituatur, tamen majoris securitatis gratia etiam rationis consultatio jungatur; et ab initio quidem, finis, propter quem creati sumus, ob oculos ponatur : deinde vero varii status, de quibus consultandum est, ob oculos ponantur, et quid in singulis commodi incommodive reperiatur, tum ex illorum tum ex nostra natura judicetur. Tum quid in morte aut judicio extremo elegisse mallemus, aut, quid alteri cuipiam æque nobis cognito ac amato, ac nos ipsi chari, aut cogniti sumus, suaderemus in hoc negotio, perpendatur. Tandem tota hæc electio Deo commendetur, et cum viro aliquo prudente communicetur, ejusque super ea consilium requiratur. Manual. Sedal., c. xiii, p. 5.

Quartum est, ut solidum etiam sciat modum exequendi vocationem, qui quidem in quatuor potissimum industriis consistit. 1. Ut magni æstimetur beneficium vocationis ad

Religiosum Statum, quem in finem memorabilis ista Sanct. Bernardi sententia proderit : Magna est super nos, magna valde misericordia Dei nostri, quos tam ineffabili Spiritus sui virtute, tam inæstimabili dono gratiæ suæ eripuit a vana nostra conversatione hujus sæculi, in quo eramus aliquando sine Deo, aut certe, quod execrabilius est, contra Deum, non ignorantiam habentes, sed contemptum. Cujus vitæ, aut potius mortis (anima enim, quæ peccaverit, ipsa morietur), utinam frequenter in oculis cordis nostri tetra versaretur imago, quanta videlicet cæcitas, quanta perversitas illa fuerit, ut sedula meditatione pensantes misericordiæ pondus, etsi non tam perfecte, sicut est, aliquatenus tamen æstimare possemus liberatricis misericordiæ quantitatem. Jam vero si quis ex nobis diligenter considerare non negligat, non modo unde erutus, sed ubi sit constitutus, non solum quid evaserit, sed et quid acceperit; non tantum unde revocatus sit, sed etiam, quo vocatus, inveniet sine dubio cumulum hujus misericordiæ omnino mensuræ prioris excedere quantitatem. (*Serm. de ingrat.*) In eumdem finem non parum proderit ponderasse, quod Sanct. Basilius monet, scilicet eum, qui sæculo nuntium remisit, hoc in primis cogitare debere, se jam ultra humanæ naturæ fines processisse, seque ipsum ei instituto tradidisse, quod sit quam maxime a corpore sejunctum, ac propterea Angelorum conversationem imitandam suscepisse : siquidem hoc angelicæ naturæ proprium est, liberum esse a vinculis terrenis, nec omnino distrahi ad ullam aliam pulchritudinem contemplandam, sed oculos in Dei vultum assidue defixos habere. S. Basil. f. 1.) Unde merito etiam P. Hieronymus Platus discrimen hoc esse ait inter sæcularem, qui affectu solo relinquit omnia, et Religiosum, qui affectu, et opere omnia relinquit, quod ille quasi adverso flumine remiget, et ideo difficilius tardiusque progrediatur, gravius fatigetur, et facilius relabatur; quoniam vix ullus est, qui in ea perpetua contentione, ac lucta adversus tot difficultates et impedimenta durare possit. Iste vero quasi propitiis ventis feratur, utpote quem nihil impedit aut retardat, omnia juvant et impellunt, locus, status, socii, occupationes et studia, quibus tenetur, denique quidquid videt, vel audit. (Platus, t. III, c. xxii.) 2. Ut bona intentione amplectatur Statum Religiosum; nam, ut Sanct. Augustinus sapienter dixit, magni interest, cum aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione faciamus; officium quippe nostrum non initio, sed fine pensandum est; ut scilicet, non tantum si bonum est, sed præcipue si bonum est id, propter quod facimus, cogitemus. S. Aug. (*conc.* xii, *in Ps.* xviii). 3. Ut celeriter executioni mandetur vocatio; nam, ut recte discurrit Sanct. Joannes Climacus, si vocante nos terreno et mortali Rege, et in suum obsequium nos militare jubente, nihil moraremur, neque occasiones quæreremus, sed omnibus dimissis illi magna alacritate pareremus; attendamus nobis ipsis, caveamusque diligenter, ne forte Regi Regum, et Domino Dominantium, et Deo Deorum, nos vocanti ad cœlestem hunc ordinem, propter nostram desidiam et negligentiam obtemperare recusemus, et postmodum ante tribunal illud horrendum inexcusabiles inveniamur. (S. Clim. *grand.* i.) Pulchre etiam Sanct. Basilius, ad vitam, inquit, te vocamus, o homo, quid fugis vocationem ad bonorum participationem? quid negligis donum? regnum cœlorum apertum est; qui vocat, non mendax est : via facilis est : non tempore, non sumptu, non negotio opus est. Quid cunctaris? quid tergiversaris? quid jugum times, velut juvenca nondum jugum experta? bonum est, leve est, cervicem non atterit, sed glorificat. Subde indomitam cervicem, fias Christi jumentum, ne, dimisso jugo, et vitam degens liberam, feris te laniandum exponas. Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus : dulcedinem mellis quomodo eam ignorantibus declarare possim? Gustate, et videte. (S. Basil. *ho.* lii.) Aliam vero adhuc rationem accelerandæ executionis affert, Sanct. Augustinus his verbis : Ecce indulgentiæ dator aperit tibi ostium, quid moraris? gaudere deberes, si aperiret aliquando pulsanti; non pulsasti, et aperit, et foris remanes? ne ergo differas. Et iterum : De misericordiæ operibus quodam loco scriptura dicit : Ne dixeris, vade, et revertere, cras ego dabo, cum possis continuo benefacere; non enim scis, quid sequenti continget die. Audisti præceptum non differendi, ut in alium sis misericors, et differendo, in te es crudelis; exhibe et animæ tuæ eleemosynam. Non dicimus, ut tu Deo des, sed non repellas manum dantis. (S. Aug. f. 19, *de Verb. Do.*) 4. Ut constanter portetur jugum Religionis semel susceptum : nam, ut Sanct. Ephrem ait, si quis post renuntiationem, et abdicationem vitæ, in virtutis stadio claudicare incepit, et sensim a recta via resilire, oculosque retrorsum convertere, hic et in vita præsenti erit exemplo, et post hanc vitam regno cœlorum privatus, indignum seipsum Sanctorum choro reddet. (S. Ephr. *in f. non decet eos.*) Sanct. Bernardus vero ait : Qui de Monasterio ad sæculum redeunt, a Societate Angelorum separantur, et dæmonibus sociantur. Qui sanctam congregationem relinquunt et ad sæcularem vitam descendunt, a Societate Dei elongantur atque dominio diaboli subjuguntur. (S. Bern. *de modo bene viv.*, c. XXII.) Hinc merito Cæsarius sic Monachos suos hortatus est : Quid gravius, quam ut subito eradiceris de loco, ad quem te Dominus Deus tuus vocaverat, in quo te primum illuminaverat, in quem te post mala sæculi quasi ad portum de gravi tempestate eduxerat? oblivisci subito fraterternitatis, societatis, et consolationis, oblivisci loci illius, in quo primum pristinum habitum, et sæculares mores exueras? aves ipsæ diligunt nidos suos, amant feræ loca, in quibus nutritæ sunt, amant cubilia, et pascua, et tu intellectu præditus, ratione munitus, ita interdum alienus a ratione efficeris, ut præferas Dei beneficiis voluntates vel intentiones tuas, et sequaris proprias cogitationes, quæ quamlibet ad duros labores, quamlibet ad salutis naufragia, atque animæ detrimenta te rapiant, totum hoc præ nimia cordis indignitate non sentis. (Cæsar. *bo.* III, *ad Monach.*) Nec dicas, inquit Sanct. Chrysostomus, unde nobis constare poterit, quod stabit ille, perseverabit omnino? multi enim exciderunt. Et ego tibi respondebo : unde vero tibi constat, quod non perseverabit? multi enim sunt, qui perseveraverunt, et quidem longe plures, quam qui exciderunt. Itaque istorum gratia magis confidendum est, quam illorum metuendum. (S. Chrys., l. III, *con. vitup. vit. mon.*)

Quintum est, ut sciat, in quo consistat verus spiritus seu perfectio Religiosi Status, nimirum in cognitione, et amore Dei; sicut enim Beatorum in cœlis felicitas his duobus consummatur, ita perfectio hominum in hac vita, quæ est beatitudo inchoata, in iisdem quoque recte consistere dicitur. Id quod ipse quoque Christus indicasse videtur, dum dixit ad Apostolos : Estote perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est : (Matt. v, 48.) id est, sicut Pater seipsum cognoscendo generat Filium, et amando eumdem spirat Spiritum Sanctum, et sic quodammodo in ratione Trinitatis personalis perfectus evadit; ita et homo quoque, utpote ad imaginem Dei factus, per cognitionem et amorem ejusdem Deitatis perfectus efficitur. Sicut autem duplex est amor, affectivus, quo quis gaudet de bono personæ amatæ; et effectivus, quo quis operatur propter beneplacitum et bonum amati; ita perfectio quoque duplicem hunc amorem includit, ut scilicet quis ex animo gaudeat Deum esse, qui est : et simul etiam in substantia, modo, et fine suorum operum solum Dei beneplacitum inquirat, id quod breviter nonnemo sequentibus duobus versibus indicavit.

Omne tulit punctum, patitur qui semper, agitque.
Quæ vult, quove modo vult Deus et quia vult.

Quia vero ad hanc perfectionem addiscendam, et exercendam Christus nobis pro Magistro datus est, ideo recte a nonnullis Ascetis dicitur tota Religiosorum perfectio in perfecta imitatione Christi consistere. Id quod imprimis Sanct. Ambrosius sequentibus verbis indicavit : Christus est finis omnium, quæ pia mente poscimus, in omnibus tibi sequendus est. Ad quem igitur contendas, nisi ad perfectionem omnem, summamque virtutum. Et ideo tibi dicit : Veni, sequere me, hoc est, ut ad consummationem virtutum pervenire merearis. Ergo qui sequitur Christum, eum pro possibilitate sua debet imitari, ut præcepta ejus secum meditetur, et divinorum exempla factorum. (S. Ambr. *in explic. tit. Psalm.* XXXVIII.) Sanct. Bernardus autem id ipsum confirmans, ubi verbum, inquit, caro factum est, et habitavit in nobis, jam nobis in eo tradita est imago vitæ, et perfectionis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, ut utraque sequentes vestigio, non ulterius cum Patriarcha Jacob altero femore claudicemus. Neque id dicemus, tanquam salvari quis vel hoc tempore nequeat, si secus egerit, sed ut gradum cognoscat proprium et locum perfectionis, aut discipulatus officium non usurpet. (S. Bern. *in hom. ecce nos.*) Nam ideo, teste Sancto Laurentio Justiniano, se voluit transformare in singulos, ut charitatis compagine singulos, reformaret in se, conformaretque sibi. Fecit se, sicut te, ut te faceret, sicut se. (S. Laur. *Justin. fasc.* 2, *mor.*, c. XII.

Sextum est, ut sciat apta et efficacia media perveniendi ad perfectionem Statui Religioso præfixam, quorum sat multa priori §, sunt assignata, sed quæ omnia fere ad tria revocari possunt, ab ipsa Sponsa in Canticis mox ab initio assignata, dum dixit : Osculetur me osculo oris sui : quibus verbis *grande desiderium* indicavit. Trahe me : quibus verbis gratiam a Deo petivit, suamque diffidentiam in propiis viribus declaravit. Post te curremus in odorem unguentorum tuorum : quibus verbis *cooperationem* propriam insinuavit. (*Cant.* I, v. I.) Hæc sane tria media, scilicet desiderium, oratio, cooperatio, merito funiculus triplex dici possunt, quo homo perfectissime unitur Deo, et sic religiosam perfectionem consequitur.

Septimum est, ut quoniam accedentibus ad servitutem Dei, præparatio ad tentationem suadetur a Siracide, mature sibi de firmo scuto prospiciat, quale quidem aptissimum a Sanct. David offertur, dum ait : Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti me. (*Eccl.* I, v. I.) Hoc sane scuto contra geminum exercitum, quem, teste S. Augustino, contra homines educit dæmon, nempe voluptatem allicientem, et tribulationem terrentem, fortissime propugnabitur, veriusque de illo, quam de Myrtili militis scuto dici poterit :

Effugi geminum clypeo discrimen in uno.
Dum premererque salo, dum premererque solo.

Hinc de eodem Davide, velut viro secundum cor suum Deus dixit : Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum. (*Ps.* LXXXVIII, 22).

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo :* potest ostendi, quam vere hoc religiosus quivis dicere possit. Et 1. quidem ostendatur, quam vere vita Religiosorum crux dici queat; si enim Sanct. Augustinus de quolibet Christiano dixit : Tota vita christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, crux est, atque martyrium; quanto magis de Religioso perfectionem Evangelii sectante id dici poterit? (S. Aug., *serm.* XXXI, *de Sanct.*) certe non immerito Theophylactus de illis dixit : Monachis crux omnino cognata, et familiaris est, quorum tota vita afflictio, et mortificatio, et luctus, et ignominia, et subjectio, et id genus alia, quæ crucem comitantur. (Theoph. *orat. de cruc.*) Et P. Balthassar Alvarez dicere solitus erat, Religionem esse scholam, in qua scientia discitur crucifixos faciendi. 2. Ostendatur, quam vere etiam dicatur Reliogisus tribus clavis huic cruci affixus, scilicet vel per tria vota religiosa; vel, ut S. Hieronymus explicat per humilitatem, patientiam, et obedientiam, de quibus S. Paulus ad Philippenses dixit : Humiliavit semeptipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. (II. *Phil.*, v. 8.) 3. Ostendatur ex conditionibus crucifixi, quam vere hoc præconium Religioso conveniat, quas quidem conditiones Cassianus sequentibus verbis expressit : Sicut crucifixus non pro animi sui motu membra sua quoquam movendi vel convertendi habet potestatem ; ita et nos voluntates nostras, ac desideria non secundum id, quod nobis suave est ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicare debemus. Et sicut is, qui patibulo crucis suffigitur, non jam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastino solicitudine curaque distenditur, nulla possidendi concupiscentia permovetur, nulla superbia, nulla contentione, nulla æmulatione succenditur, non de præsentibus dolet injuriis, non præteritarum jam recordatur, seque, cum adhuc spirat corpore, cunctis elementis credit esse defunctum, illuc præmittens sui cordis intuitum, quo se non dubitat illico transiturum ; ita nos quoque crucifixos oportet his omnibus, id est, non solum carnalibus vitiis, verum etiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quo nos sperare debemus momentis singulis transituros. Ita Cassianus. (Cass., l. IV, XXXIV.) Quod totum bene agnovit S. Ignatius Lojola, hinc in præfatione veteri Constitutionum dixit : Homines mundo crucifixos, et quibus mundus ipse crucifixus sit, vitæ nostræ ratio nos esse postulat. Hinc merito Gonsalvus Silveria Societatis nostræ Sacerdos dixit : Non sistam gradum, donec cum Jesu affigar cruci. Quam altus vero sit hic gradus, Christus ipse olim Rudolpho Converso Ordinis Cisterciensis ostendit, dum ei cum aliis quindecim Ordinis illius Religionis in cruce suffixis apparuit, dixitque, hos solos ex illa Congregatione secum esse crucifixos. Vide hæc fusius deducta apud Engelgrave loco citato. Engelgr. *in festo trium Martyr. Japon.*, § 4.

Ex occasione thematis : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat* *quis pro amicis suis :* (Jo. xv, 13.) potest Religio Martyrio comparari, quia, teste Sanct. Gregorio, duo sunt martyrii genera, unum in mente, alterum in mente simul et actione. Itaque Martyres esse possumus, etiamsi nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe a persequente martyrium in aperto opere est, ferre vero contumelias, odientes diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Potissimum vero probetur hæc assertio triplici ex capite. 1. *Ex forma martyrii*, quæ in eo consistit, quod, sicut in carnis martyrio persecutor Christum eripere conatur erepta fide; ita in martyrio mentis diabolus, quo nullus est immanior hostis, Christum (aliis virtutibus ereptis) eripere conatur. (S. Greg. *hom.* xxxv, *in Evang.*) Hinc Sanct. Augustinus ait : Contra mortifera blandimenta luctemur, scientes in eo etiam quotidiana martyria Christianis deesse non posse. Si enim castitas et veritas, et justitia Christus est, sic et illæ, qui eis insidiatur, persecutor est, et ille, qui ea in aliis defendere, et in seipso custodire voluerit, Martyr est. Cum ergo Religiosus tres primarias virtutes, scilicet paupertatem, castitatem, et obedientiam, singulari studio, et fortitudine defendat, merito martyrii palma illi non negatur. (S. Aug., l. CCL, *de temp.*) Hinc de paupertate quidem dixit Sanct. Bernardus : Quid sibi vult, quod eadem promissio facta est pauperibus, et Martyribus, nisi quia vere genus martyrii est paupertas voluntaria? (S. Bern. f. i, *de SS.*) De castitate vero S. Ambrosius ait : Non ideo laudabilis est virginitas, quia in Martyribus reperitur, sed quia ipsa Martyres facit. (S. Ambr., lib. I, *de Virg.*) De obedientia denique Sanct. Theodorus Studita, ait : Inhærere frangendæ voluntati, martyrium est. (S. Theod., f. 39.) Et Sanctæ Gertrudi revelatum olim fuit, Religiosos sub una regula obedientiæ viventes Martyribus annumerari, quia propriæ voluntati resistunt, et sensus mortificando a peccatis, ad quæ propendent, abstinent, et sic se Deo offerunt in odorem suavitatis. (Lanciz. *opus*, i, n. 38.) 2. *Ex natura mortis :* quia sicut mors corporis a divitiis, amicis, et omnibus rebus mundi separat, ipsasque partes corporis sejungendo per tormenta graves cruciatus infert; ita Religiosus Status separat per tria vota ab omnibus rebus creatis, tantoque majorem cruciatum affert, quanto magis ejusmodi bona plerumque per affectum solent inhærere, et quanto seipsum quisque magis diligit, quam bona sua. Hinc Paphnurius Abbas Tyranno varia tormenta minitanti dixit : Putasne, tua hæc tormenta adeo mihi horribilia videri, ut propter ea Deum verum negandum putem? quinimmo hoc scito, nostras monasticas constitutiones multo plura in se tormenta continere, quoniam in multis exercitationibus assidue tentamur. Sed Salvator noster ita nos corroborat, ut omnia perferre et superare possimus. Quare idem etiam nunc corroborabit me ad tuam hanc sævitiam superandam. (Platus, l. II, c. xii.) 3. *Ex diuturnitate durationis,* de qua Sanct. Bernardus dixit : Genus martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. (S. Bern. *ser.* xxx, *in Cant.*) Atqui in oculis Dei, inquit Ricardus Victorinus, majoris est meriti, sæpe mortificari, quam mori. Nonne mors Martyrum tanto erat pretiosior, quanto mortem præcedens pœna productior quibus volentibus mortem, non dabatur occidi? (Rich. Vict. *in ps.* cxviii.) Qua de materia fusius discurrentes videri possunt Hieronymus Platus lib. II, cap. xii, et Nicolaus Lancizius *opusc.* i, cap. iv.

Ex occasione thematis : *Dux fuisti in misericordia populo, quem redemisti, et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum :* (*Exod.* xv, 15.) potest vocatio ad Religiosum statum eductioni populi Israelitici ex Ægypto comparari; nam, uti recte S. Bernardus dixit, ibi populus est de Ægypto, hic homo de sæculo. Ibi prosternitur Pharao, hic diabolus : ibi subvertuntur currus Pharaonis, hic carnalia desideria, quæ militant adversus animam. Illi in fluctibus, isti in fletibus; marini illi, amari isti. Puto et nunc clamitare dæmonia, si forte contingat incidere in talem animam : Fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro eo. Præcipue tamen hæc comparatio institui potest quatuor ex capitibus : 1. Ratione populi educti, scilicet Israelis, qui interpretatur videns Deum, fuit populus electus, et specialiter dilectus a Deo, quæ prærogativæ multo magis conveniunt ipsis Religiosis, ut facile ostendi potest. 2. Ratione loci, ex quo sunt educti, videlicet ex Ægypto, ubi onerabantur laboribus, flagellabantur, et a cultu Dei impediebantur, quæ mundo rectius attribuuntur, ex quo educti sunt Religiosi. 3. Ratione modi eductionis : scilicet in die per nubem, in nocte per ignis columnam, et per viam maris rubri, et deserti, quæ possunt explicari de Christi exemplo, utpote qui vere nubi comparari queat : de illuminatione Spiritus Sancti, qui columna ignis vocari potest : de remissione peccati per pœnitentiam obtenta, quæ potest itineri per mare rubrum comparari. Et tandem per relictionem omnium rerum, quæ potest viæ per desertum attribui. 4. Ratione termini, ad quem adductus est, scilicet terram lacte et melle manantem, virisque fortissimis constantem, quæ ad puritatem vitæ, consolationum abundantiam, et fortitudinem Religiosorum trahi possunt. Videatur de hac materia fusius discurrens Hieronymus Platus libr. III, in proœmio.

Ex occasione thematis : *Tollite jugum meum super vos : jugum enim meum suave est, et onus meum leve :* (MATT. LI, 29.) potest qualitas Religiosi Status explicari. Et 1, ostendi, quodnam sit jugum illud, quod Christus tolli præcepit, nempe jugum crucis, de quo ipse dixit : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* (MATT. XXVI.) 2. Ostendatur cur jugum dicatur, quia scilicet non solus Religiosus id portat, sed Christus cum ipso, utpote exemplum præbens, ut, quemadmodum ipse fecit, ita et Religiosus faciat. 3. Ostendatur, quomodo sit *jugum suave, et onus leve,* tum propter gratiam vocationis, tum propter consolationum abundantiam, tum propter centuplicem promissionem. Quæ omnia fusius apud Platum l. III, c. IV, VII, XIII, et aliis videri possunt.

Ex occasione thematis : *Beati, qui habitant in domo tua, Domine in sæcula sæculorum laudabunt te :* (*Ps.* LXXXIII, v. 5.) potest Religiosus Status cum Paradiso cœlesti comparari. 1. Qua sicut in cœlo nulla est divitiarum, voluptatum carnis, propriæ voluntatis appetitio; ita nec in Religioso statu. 2. Quia sicut in cœlo nihil aliud agunt, nisi ut Deum laudent : ita et in Religione hoc solum agitur, utpote in qua omnia ad laudem Dei referuntur; sic enim, ut ait Sanct. Augustinus, laudas Deum, cum agis negotium : laudas, cum cibum et potum capis : laudas, cum in lecto requiscis; laudas, cum dormis. (S. AUG. *in ps.* CXLVI.) 3. Quia sicut in cœlo summa est tranquilitas et felicitas, eo quod in uno, eoque summo bono delectentur beati, ita summa quoque eorumdem est felicitas. Quæ omnia fusius apud Platum l. III, c. XV, videri possunt.

Ex occasione thematis : *O quam bonum, et jucundum est habitare fratres in unum :* (*Ps.* CXXXI, 1.) possunt explicari utilitates, quæ ex Religiosorum unitate percipiuntur, quæque a Siracide jam pridem indicatæ sunt, dum dixit : *Melius est duos esse simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ; si unus ceciderit, ab altero fulcietur.* (*Eccl.* IV.) Quibus verbis primus fructus indicatur, scilicet quod a se mutuo subleventur et erigantur, partim precibus, partim adhortationibus, partim exemplis. Unde mox addit : *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Alter fructus indicatur his verbis : *Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo : unus quomodo calefiet?* nimirum sicut carbo junctus aliis ardentibus carbonibus sponte inardescit, ita idem tepido Religioso evenit, si ferventibus jungatur. Tertius indicatur sequentibus verbis : *Et si quispiam prævaluerit, duo resistent ei ;* nam, ut S. Bernardus ait, in Religione tot sunt auxiliarii, quot socii, et tales, qui dicere possunt cum Apostolo : *Quia non ignoramus astutias inimici.* Congregatio enim pro fortitudine sua terribilis, ut castrorum acies ordinata. Quæ fusius deducta videri possunt apud Platum l. I, c. XXIX.

MICELLANEA.

QUALITAS. — Sanctus Climacus Monasterium appellat salutarem fullonum officinam, in qua dum Monachus contumeliis, et ignominiis, et fratrum vexationibus extenditur, atque intellectualiter pulsatur, fortassis etiam sensibiliter, calcibusque tunditur et conculcatur, sordes, quæ animæ vestes commaculaverant, diluuntur. S. JOANN. CLIMAC. gr. 28.

Pambo Abbas, dicebat, Religiosum debere esse similem corpori mortuo, quod neque sensum, nec voluntatem habet : aut qualis baculus in manu senis, qui eo ad arbitrium utitur. *In vitis PP.*

S. Laurentius Patriarcha Venetus adolescentem nobilem ex Monasterio domum remisit, hac solum de causa, quod fratrum consilio et persuasione vitam monasticam fuisset amplexus. Causam vero sciscitanti dixit, Religionis propositum, a Spiritu Sancto esse debere, non ab humana suadela. *Surius in vitis PP.*

Quidam dicebat tunc Religiosum vocationi suæ satisfacturum, si tria Sanctorum servaverit, scilicet spernere mundum, spernere neminem, spernere sperni. Engelgr. *de com. Confess. in ex.*

Alius dicebat tria Religiosum ad Monasterium afferre debere. *Dorsum asininum*, ut omnia portet. *Os porcinum*, ut omnia, quæ apponuntur, comedat. *Cor columbinum*, quod nullam amaritudinem habeat. *Ibid.*

Cassianus dicere solebat neminem posse esse verum Religiosum, nisi surdus, mutus, et cæcus fuerit; hanc enim esse victoriam, quæ vincit mundum. *Ibid.*

Character veri Religiosi est altitudo quædam animi, qui super omnia quæ in hoc mundo sunt, erectus, omnia quasi subter se habet, omnia despicit, ac pro nihilo ducit, ac non modo ea non quærit, ut mundani, sed etiam oblata, et ultro affluentia, ut lutum et stercus abominatur. Platus, l. II, c. vi.

Sicut duplex est hominis perfectio, essentialis una, quæ hominem completum efficit, et accidentalis altera, quæ etiam venustatem, et speciem addit, ut si homo non integrum dumtaxat corpus, sed etiam venustum habeat; ita duplex etiam Christiani perfectio, quarum prior et quodammodo essentialis in plena mandatorum observatione consistit, posterior vero etiam observationem consiliorum superaddit, et talis est, ut aspicientes perinde, ac vultus formosus in amorem rapiat. *Idem*, l. II, c. x.

S. Bernardus pulchre explicat perfectionem ad Religiosum requisitam, dum ait : Unitas spiritus cum Deo homini sursum cor habenti, proficientis in Deum voluntatis est perfectio, cum jam non modo vult, quod Deus vult, sed sic est non tantum affectus, sed in affectu perfectus, ut non possit velle, nisi quod Deus vult. Velle enim quod Deus vult, hoc est jam similem Deo esse : non posse autem velle, nisi quod Deus vult; hoc est jam esse, quod Deus est, cui velle et esse idipsum est. S. Bern. *serm. ad FF. de monte Dei.*

Æquitas. — Fr. Ægydius, cum aliquando ex litterato quæsivisset, num crederet magna esse præmia, quæ præparavit Deus diligentibus se, et is affirmasset, subjecit Ægidius : Atqui ego ostendam, te non credere. Quantum valent possessiones tuæ? Mille aureos, ait ille. Si hos ergo, ait ille, sic collocare posses, ut centum mille subito efficerent, nonne statim eos exponeres! ergo cum non exponas, manifeste apparet, te non habere fidem Christo promissam. Platus, l. III, c. xxxviii.

Recte quidam de mundo cecinit :

Mundus non mundus qui mundos polluit : ergo
Qui manet in mundo, quomodo mundus erit?

Utilitas. — Fuit quidam magnus inter prævidentes; hic affirmabat, dicens : quia virtutem, quam vidi stare super baptisma, vidi etiam super vestimentum Monachi, quando accépit habitum spiritualem. *Vit. PP.* l. VI, lib. i, n. 5.

Cum Sanct. Gertrudis se ad iter aliquod, licet viribus corporis destituta obtulisset, Christus de Cruce in amplexus ejus demittens, dixit : Bene venias mihi, carissima, vulnerum meorum emplastrum lenissimum, omniumque dolorum meorum levamen suavissimum. In quibus verbis intellexit, quod quando aliquis offert integram voluntatem suam ad omne beneplacitum Dei, hoc Dominus tali modo acceptat, quasi homo ille tempore passionis ejus omnibus vulneribus lenissima adhibuisset emplastra. L. III, *fin. c.*

Sanct. Anselmus ait : Si illi tantam a Deo gratiam sperare possunt, qui divitias suas velut fructus Deo consecrant, quantam merebuntur ii, qui etiam seipsos velut arborem eidem offerunt quemadmodum Religiosi faciunt. S. Ans., *l. de mil.*

Christus quondam Sanct. Catharinæ Senensi dixit : Ego nunquam in me vere sperantibus in aliquo deficio, sed gratiose provideo. Et unde procedit, quod homo quandoque stans in deliciis cum pannis multis, et in magna cura proprii corporis, habendo quotidie cibaria delicata, continue tamen est infirmitate gravatus. Postquam autem amore mei se contempsit, et amplexatus est voluntariam paupertatem, unico sibi vestimento reservato ad cooperiendam corporis nuditatem, ipse idem efficitur corpore fortis atque sanus; et non videtur, quod aliquid ei noceat, neque consequitur, quod illi corpori suo detrimentum aliquod inferant frigora, sive calores, vel alia cibaria grossa. Totum hoc a providentia mèa procedit, quia de illo curam habere cœpi, qui mihi de se totaliter curam commisit, omnino derelinquendo semetipsum. Ergo, dilectissima filia, vides aperte, in quanta requie consistant hi peramabiles pauperculi mei. Lanciz. *opusc.* i, n. 139.

Dignitas. — Sanct. Theresia dicebat : Vita boni Religiosi, et ejus, qui vult esse strictus amicus Dei, est longum Martyrium. S. TER. *in itin. perf.*, c. XII.

S. Agnes dixit S. Birgittæ : Martyrii genus est, delicias habere, et deliciis non uti. L. IV, Rev. c. XVII.

S. Julianus, postquam cum Basilissa virginitatem illibatam servare decrevit, vidit inter cætera cum sponsa allatum a duobus Angelis librum argenteum, et in eo aureis litteris exaratam hanc sententiam : Quisquis mei desiderio mundum contempserit, iis annumerabitur, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. LANCIZ. *opusc.* I, n. 93.

S. Gregorius Nazianzenus de religiosis Ordinibus dicit : Omnes sunt terrestre cœlum, omnes sunt gregis Domini primitiæ, columnæ et coronæ fidei, pretiosæ margaritæ, templi illius lapides, cujus fundamentum et lapis angularis est Christus. S. GREG. *erat. ult. in Jul.*

B. Laurentius Justinianus ait : Omnes sunt terra sancta, in quibus puritatis custoditur candor, et quantum fas est, cœlestis vitæ præferuntur insignia. S. LAUR. *Just. ser. de S. Hugon.*

Jordanus Generalis Magister Ordinis S. Dominici dicere solebat, Religiosos esse velut cubicularios supremi Regis, qui ab eo intime, ac familiarissime adhibentur; sæculares autem servire velut in coquina, aliisque vilibus ministeriis. PLATUS, l. III, c. XXXVIII.

Fr. Ægidius Franciscanus aliquando interrogatus, quid de religiosis Familiis sentiret, respondit, curiam esse magni Regis, in quam ingredi cuivis datum est, et nullius reputatur artis; at non ita bene, et convenienter in ea conversari. BEIRLINCK, *cr. Relig.* fog. 162.

AXIOMATA.

Servire Deo, regnare est. ANONYM.

Pauca scribere, pauca legere, et multa facere, officium est veri Religiosi. HUGO ROT. *in via Reg.*

Summa Religiosi perfectio est, communia quæque Religionis officia perfecte obire. *Ibid.*

Non habitus, et tonsura, sed vita religiosa facit Monachum. TH. KEP., l. I, c. XVIII.

Monachus extra Monasterium, et piscis extra fluvium, uterque tendit ad interitum.

AUCTORES.

S. Joannes Chrysostomus lib. tribus contra vituperatores vitæ Monasticæ.

S. Thomas opusc. 19, contra impugnantes Religionem.

Joannes Cassian. de Instit. Cænobiorum.

B. Albertus Magnus in defensorio Mendicantium.

Hieronymus Platus de bono status Religiosi.

Nicolaus Lancizius opusc. 1.

Laurentius Beyrlinck in Theatro vitæ humanæ. V. Religio, et Religiosus.

Robertus Bellarminus lib. II, controv.

Manuale Sodalitatis B. V., c. XIII, part. 4 et seqq.

Henricus Engelgrave in cœlo Empyr. de communi Confess.

RESIGNATIO IN DIVINAM VOLUNTATEM.

QUOAD ESSENTIAM

DEFINITIO. — Est actus charitatis divinæ, quo homo suam voluntatem cum divina in omnibus conformat.

DIVISIO.— Dividitur a Thoma Kempensi in *perfectam*, et *imperfectam*, dum ait : Quidam se resignant, sed cum aliqua exceptione : non enim plene Deo confidunt, ideo sibi providere satagunt. Quidam etiam primo totum offerunt, sed postea tentatione pulsati ad propria redeunt, ideo minime in virtute proficiunt. Hi ad veram cordis libertatem, et jucundæ familiaritatis meæ gratiam non pertingent, nisi integra resignatione, et quotidiana sui immolatione prius facta, sine qua non stat, nec stabit unitio fruitiva. L. III, c. III, § 2.

ACTUS. — Omnia, quæ accidunt, divinæ voluntati adscribere, exemplo Josephi Patriarchæ fratribus dicentis : Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum. (*Gen.* XLV, 8.) Et Jobi dicentis : Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est. JOB. I, 21.

Voluntatem Dei in omnibus ut justam agnoscere ac venerari, exemplo S. Davidis dicentis : Justus est Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, (*Ps.* CXLIV, 17.) nam, ut recte S. Augustinus ait, potest Deus aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest autem quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est. Unde recte infert S. Gregorius, rationem de occulto Dei consilio quærere nihil aliud esse, quam contra consilium ejus superbire. Lib. III, *concr. Ju.*, c. XVIII.

Omnia ad divinæ voluntatis nutum facere velle, et ideo nihil ordiri, nisi eadem prius explorata, exemplo S. Pauli dicentis : Domine, quid me vis facere? (*Act.* IX, 6.) ne cum Israelis Principibus decipiamur, si os Domini prius non interrogemus. JOSUE, l. IX, 19.

Adversa, quæ accidunt, generoso silentio concoquere, exemplo Davidis dicentis : Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti. (*Ps.* XXXVIII, 10.) Hic enim, teste Boetio, quidquid citra spem videas geri, rebus quidem rectus ordo est, opinioni vero tuæ perversa confusio. BOETH., l. IV, *de imit.*, c. XVI, § 2.

In beneplacito Dei solo super omnia delectari exemplo Sanctorum, qui magis de executione voluntatis divinæ, quam de sua gloria lætantur. Quo sensu etiam pius Asceta dixit : Devotus homo, ubique secum fert consolatorem suum Jesum, et dicit ad eum : Adesto mihi Domine Jesu, in omni loco, et tempore. Hæc mihi sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas et justa probatio pro summo solatio. L. III *de imit.*, c. XVI.

GRADUS. — Primus est, voluntatem Dei in rebus præceptis accurate exequi, et quæcumque his adversa peccata studiose devitare, exemplo S. Davidis de seipso fatentis : Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi. (*Psal.* CXVIII, 133.) Hinc et Apostoluss Thessalonicensibus scripsit : Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, etc. *Thess.* IV, 3.

Secundus est, voluntatem, seu beneplacitum Dei etiam in consiliis Evangelicis arripiendis exequi, exemplo Apostolorum aliorumque tot millium Religiosorum.

Tertius est, etiam in aliis materiis et actionibus ea quæ Deo magis placent, eligere, et summo studio perficere, exemplo S. Theresiæ, quæ, ut magis Deo placeret ad ea, quæ perfectiora judicaret, eligenda voto se adstrinxit. Quos omnes tres gradus Apostolus Romanis olim suasit, dum dixit : Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis membra vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. *Rom.* XII, 1.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Benefaciat vobis Deus, et det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem corde magno, et animo volenti. II. MATTH. I, 2.

Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. JOAN. IV, 34.

Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. JOAN. VI, 37.

Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta. XII, 2.

Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei, EPHES. V, 17.

Ut filii lucis ambulate, probantes, quid sit beneplacitum Deum, et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum. *Ibid.* VIII.

Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desiit a peccatis : ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est, in carne vivat temporis.

Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii. I. *Petr.* IV, 1.

Ubi erat impetus spiritus (id est, Spiritus Sancti inspiratio) illuc gradiebantur (animalia scilicet ab Ezechiele visa) nec revertebantur, cum ambularent. *Ezech.* I, 12.

Pater, si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. *Luc.* XXII, 42.

In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam : tunc dixi : Ecce venio. *Psal.* XXXIIII, 5.

Non cessamus pro vobis orantes, et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei. *Coloss.* I, 9.

NECESSITAS. — Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. MATTH. VII, 21.

Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Luc. xii, 47.

Conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua. *Eccl.* ii, 3.

Utilitas. — Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Matth. vii, 21.

Qui facit voluntatem Dei, manet in æternum. I. Joan. ii, 17.

Omnis, qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat super petram. Matth. ii, 26.

Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. (*Psal.* lxxii, 28.

Aquiesce igitur ei, et habeto pacem et per hæc habebis fructus optimos. Job. xxii, 21.

Implebitur agnitione voluntatis Dei, et voluntas Dei in manu ejus dirigetur. *Coloss.* i, 9.

Dignitas. — Quicumque facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ille meus frater, et mater est. Matth. xii. 50.

Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit, et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea, et terra tua habitabitur. Isaiæ. lxii, 4.

Qui adhæret Domino, unus Spiritus est. I. Cor. vi, 17.

Æquitas. — Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus. Job. ii, 10.

In die bona fruere bonis, et malam diem præcurre; sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas querelas. *Eccl.* vii, 11.

Jucunditas. — Agnoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est, quam timor Dei : et nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini. *Eccl.* xxv, 37.

Utinam attendisses mandata mea : facta esset quasi flumen pax tua. Isaiæ, xlviii, 18.

Qui me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato. Prov. i, 33.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Qui sunt recti corde? qui non reprehendunt Deum, qui voluntatem suam ad Dei voluntatem dirigunt, non voluntatem Dei ad suam curvare conantur. Aug. *in ps.* cxxiii.

Optimus minister tuus est, qui non magis nititur hoc a te audire, quod ipse voluerit; sed potius hoc velle, quod a te audierit. *Id.* l. X, *Conf.* xxvi.

Oportet nos in eumdem affectum quandocumque transire, ut quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum, sic nos quoque nec nos ipsos, nec aliud aliquid vel fuisse, vel esse velimus, nisi æque propter ipsum, ob solam videlicet illius voluntatem, non nostram voluptatem. *Id. lib. de Dilig. Deo.*

Tu te putas in virtutum culmine constitutum, si partem offeras ex toto. Teipsum vult Dominus hostiam viventem : te da Deo, non tua. S. Hiero. *Epist. ad Julian.*

Quod sæpe diximus, illi sunt recti cordis, qui sequuntur in hac vita voluntatem Dei. Voluntas Dei est aliquando, ut sanus sis, aliquando, ut ægrotes. Si, quando sanus es, dulcis est voluntas Dei; et quando ægrotas, amara est voluntas Dei, non recto corde es. Quare? quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curvare ad tuam. Illa recta est, sed tu es curvus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad tuam, et rectum habebis cor. S. Aug, *in ps.* xxxv.

Nemo melius ordinat quid agat nisi qui paratior est non agere, quod divina potestate prohibetur, quam cupidior agere, quod humana cogitatione meditatur. *Id. de Catech. rud.* xxiv.

Æquitas. — Solus Deus, quidquid vult, debet velle propria voluntate, ita ut aliam quam sequatur, non habeat supra se. Cum igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert quasi coronam suam. Sicut enim corona soli Regi competit, sic propria voluntas soli Deo. Et sicut Regem aliquem inhonoraret, qui suam coronam ei auferret, ita homo inhonorat Deum, qui aufert ei propriæ voluntatis privilegium, habendo quod ille solus debebat habere. S. Ansel.

Itaque, Fratres mei, Judas malignus traditor, et persecutores Christi maligni omnes, impii omnes, iniqui omnes, damnandi omnes : et tamen Pater proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Dispone, si potes : distingue, si potes : redde Deo vota tua, quæ distinxerunt labia tua. Vide, quid tibi fecerit iniquus, quid justus : ille voluit, iste permisit : ille injuste voluit, iste juste permisit. Voluntas injusta damnetur, permissio justa glorificetur. Noli ergo mirari, permittit Deus, et judicio permittit : permittit, et mensura, numero, pondere permittit. Apud illum non est iniquitas, tu tantum ad eum pertine. S. AUG. *in ps.* LXI.

Si bona est arbor, inquiebat olim Adamus, cur non tango? si mala est, quid facit in Paradiso? Huic Deus : ideo est in Paradiso, quia bona, sed nolo eam tangas, quia obedientem te volo, non contradicentem servum. Eccur hoc? quia tu servus, et ego Dominus. En tibi mille rationes in una, quia Deus noster est Dominus, et voluntatem suam nobis sequendam proposuit, non judicandam, nos autem servi sumus : æquissimum ergo est, hac nos ire, qua nos ducit voluntas Domini. *Id. apud Mex. Heliotr. l.* III, IV, § IV.

Aurum deponere, incipientium est, non perfectorum; fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes : seipsum offerre Deo, proprie Christianorum est. S. HIER. *Epist.* XXVIII, *ad Lucil.*

Bonus est Deus, et omnia, quæ bonus facit, bona sint, necesse est. Mariti orbitas irrogatur? plango, quod accidit : sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Unicus raptus est filius? durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat. S. HIER. *ad Paul. de obitu. Blestillæ.*

UTILITAS. — Magna vis est voluntatis, quæ efficit nos posse illa quæ nolumus. S. CHRYS. *serm. de Zachar.*

Constanter Deo crede, eique te totum permitte, quantum potes. Noli esse velle quasi proprius, et in tua postestate, sed ejus clementissimi et utilissimi Domini te servum esse profitere. Ita enim te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias. S. AUG. *lib. de quantit. anim* XX.

Si te quotidie ex integro divinæ voluntati ad omnes illius nutus promptum, paratumque offeras, veniam noxis obtines, tantumque gratiæ mereris, ut possis non tantum inferorum rogos, sed et piaculares flammas non timere. Sincera hæc tui oblatio ad omnem Dei voluntatem exequendam pœnitentiarum et indulgentiarum loco est. JOANNES, *Gailer. de Spirit. propriet.* VII.

Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se commendet, qui male agere non potest. S. BERN. *ser. quom vol. nostr. div.*

DIGNITAS. — Totius humilitatis summa in eo videtur consistere, si voluntas nostra divinæ, ut dignum est, subjecta sit voluntati. SALVIAN. *ap. Drex. in Helios.*

Summa justitia est voluntas Dei : summa prudentia est, divinæ voluntatis, ac divinæ providentiæ decretis placido animo acquiescere. L. II, III, § V.

Quid est hoc aliud dicere : Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra : quam ut sint homines similes Angelis; et sicut voluntas Dei ab illis impletur in cœlo, ita et hi, qui in terra sunt, non suam, sed ejus universi faciant voluntatem. *Cassian. collat.* IX, XX.

O admirandam virtutem, quæ ad se accedentes ad tantum extollit honorem, ut ipsos Christi faciat esse cognatos! Revera summum vitæ bonum est humanæ voluntatis cum divina conjunctio. *Euthym. in c.* XII, *Matth.*

Super omnia, quæ vel dicere, vel facere possumus, hoc a nobis maxime exposcit Deus, ut intus in corde dicamus : Domine, fiat gratissima voluntas tua. Inter omnes preces, quas Christus in hoc mundo fudit, illa summa, et excellentissima fuit : Pater, non mea sed tua voluntas fiat. BLOSIUS *in farag. instit.*

JUCUNDITAS. — Talis conformitas maritat animam Verbo, cum, cujus similis est per naturam, similem etiam ipsi exhibet se per voluntatem, diligens, sicut dilecta est. Ergo si perfecte diligit, nupsit. Quid hac conformitate jucundius. S. BERN. *serm.* XXXVIII, *in Cant.*

Si mens in Deum forti intentione dirigitur, quidquid sibi in hac vita amarum fit, dulce æstimat : omne, quod affligit, requiem putat : transire et per mortem appetit, ut obtinere plenius vitam possit. S. BERN. *serm.* XXI, *in Cant.*

Eris inter adversa et prospera mutabilium temporum, tenens quamdam æternitatis imaginem, dum te cœperis renovare, et reformare, in insigne illud antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio : quippe sicut ipse, et tu eris in hoc mundo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus.

Vis gaudium habere sempiternum? adhære illi, qui sempiternus est. S. AUG. *serm.* XXX, *de Sanct.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI

QUALITAS. — Fili, oportet te adhuc multum addiscere, qui necdum bene didicistis : Quæ sunt hæc, Domine? Ut desiderium tuum ponas totaliter secundum beneplacitum meum, et tui ipsius amator non sis, sed meæ voluntatis cupidus æmulator. III. XI, l. I.

Dixi tibi sæpissime, et nunc iterum dico. Relinque te, resigna te, et frueris magna interna pace. Da totum pro toto : nihil exquire, nihil repete : sta pure et inhæsitanter in me, et habebis me. L. III, XXXVII, § III.

NECESSITAS. — Quid magis a te requiro, quam ut te studeas mihi ex integro resignare? quidquid præter teipsum das, nihil curo : quia non quæro datum tuum, sed te. Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis, præter me, ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis, te non oblato. Offer te mihi, et te da totum pro Deo, et erit grata oblatio. L. IV, VIII.

UTILITAS. — Quare vano mœrore consumeris? cur superfluis curis fatigaris? ista ad beneplacitum meum, et nullum patieris detrimentum. L. III, XXVII, § I.

Non te magni reputes, aut specialiter dilectum existimes, si in magna fueris devotione, atque dulcedine : quia in istis non cognoscitur verus amator virtutis, nec in istis consistit profectus, et perfectio hominis. In quo ergo Domine? In offerendo te ex corde voluntati divinæ, non quærendo, quæ tua sunt, nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate, ita ut una æquali facie in gratiarum actione permaneas inter prospera et adversa, omnia æqua lance pensando. L. III, XXV.

JUCUNDITAS. — Nihil amatorem tuum, et cognitorem beneficiorum tuorum ita lætificare debet, sicut voluntas tua in eo, et beneplacitum æternæ dispositionis tuæ. Nam voluntas tua, et amor honoris tui omnia excedere debet, et plus eum consolari magisque placere, quam omnia beneficia sibi data vel danda. L. III, XXIII, § V.

Si nihil aliud, quam beneplacitum Dei, et proximi utilitatem intendis et quæris, interna libertate perfrueris. L. II, IV, § I.

EXEMPLA CATHOLICA.

QUALITAS. — Christus de se ipso dixit : Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. (L. IV, 34.) In monte Oliveti oravit : Pater, si vis, transfer calicem istum a me, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. LUC. XXII, 42.

B. Virgo, quantopere resignata fuerit in voluntatem divinam, testatur S. Antonius sic alloquens illam : O Domina, ita divinæ voluntati conformis fuisti, ut audeam dicere; si nullus fuisset, qui Filium crucifigeret, ut adimpleretur voluntas Dei, ipsa illum in cruce posuisses et clavis affixisses. Neque enim minoris te obedientiæ fuisse credendum est, quam Abraham, qui proprium filium propriis manibus Deo obtulit occidendum, et comburendum. Sed et S. Bernardus ait : Intemerata Virgo habuit continuum aspectum ad Dei beneplacitum, promptumque consensum. T. II, *s.* LI. Testantur id verba illa : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. LUC. I, 38.

Abraham, ut notant Hebræi, decies rigide tentatus a Deo, semper sibi similis, et in divinam voluntatem resignatus mansit. *Drex. Heliot.* l. IV, III, § III.

Josephus fratribus suis timentibus, ne injuriam illatam vindicaret, dixit : Nolite timere : num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, et Dominus convertit in bonum. *Gen.* L, 19.

Tobias senior cæcitatis plaga immissa dixit : Justus es Domine, et omnia judicia tua justa sunt. Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum meum. (TOB. III, 12 et 6.) Sed et uxori ad murmurandum contra Deum incitanti respondit : Nolite ita loqui; quoniam filii Sanctorum sumus, et vitam illam expectamus quam daturus Deus est his, qui fidem suam numquam mutant ab eo. C. II, 13.

Heli auditis per Samuelem gravibus pœnis, quibus Deus ipsum, et filios ejus castigare decreverat, dixit : Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. L. I. *Reg.* I, 18.

David cum e conspectu Absolon fugere cogeretur, Sadoch Sacerdoti cum Arca pariter fugienti dixit : Reporta Arcam Dei in urbem : si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me. Si autem dixerit mihi, non placet : præsto sum faciat; quod bonum est coram se. Sed et in aliis calamitatibus dicere solitus est : Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti. II. *Reg.* I, 26.

Job omnibus suis bonis spoliatus, et gravibus insuper corporis ulceribus vexatus, non peccavit in labiis suis, sed hanc unicam æterna memoria dignissimam sententiam protulit : Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. *Psal* XXXIII, 10.

S. Paulus in terram a cœlesti voce prostratus, conversionis suæ fundamentum per has voces : Domine, quid me vis facere posuit. *Act.* IX, 6.

S. Augustinus de seipso dixit : Vellem, ut nihil aliud agerem, quam reddere me, cui me maxime debeo, atque ita Dei fieri, quod Poeta ait, amicum mancipium Domino. L. I, *de quant. anim.* XX.

S. Clemens de S. Petro scribit, illius dogma fuisse : Nos Christiani de nulla re, vel eventu solliciti sumus, sed in Dei providentia plane conquiescimus, scientes nos illi curæ esse, atque ab eo per omnia diligi, ut cuncta nobis cedant in bonum. *Init. recognit.*

Fr. Reginaldus, cum B. Virgo comitata a SS. Cæcilia et Catharina, ab eo periculose ægrotante peteret : quid tibi vis, faciam, fili? admonitus ab una duarum Virginum illarum dixit : Domina mea suavissima, cum non habeam aliam voluntatem a tua, in eam et manus tuas benedictas me totum conjicio. Quo dicto, B. Virgo eum oleo linivit, et extemplo sanavit. *Annal. Domin.* p. 1, l. II, LXXXIII.

S. Catharina Senensis, cum Christus ei spineam et auream coronam offerret, et alterutram eligere juberet, eidem cum reverentia dixit : Diu jam est, Domine, ex quo omnem voluntatem meam tuæ intime conjunxi, ac proinde in mea potestate non est ullius rei electio; si tamen velis, ut juxta sensum meum respondeam, spineam præopto, ut tibi pro me spinis coronato similior evadam. Dixit, et simul spineam coronam arripiens capiti impressit. *Vitæ.* p. 2, IV.

S. Macarius rogatus a duobus, quomodo orare deberent, respondit : Non est opus multa verborum copia; manus ad Deum crebrius pandendæ, clamandumque : Domine Deus quomodo vis, et sicut tibi placet, ita fiat : siquidem ipse novit, quid nobis expediat. *Ruffinus Aquil.* n. 208.

Alius quidam homo, teste Salmerone, alphabetum recitavit, et dixit : Domine, tu junge litteras, et quod tibi magis placet, mihique magis expedit, largire. T. X, *tr.* XI, p. 103.

S. Gertrudis a Christo sanitatem, et morbum offerente, cum neutrum elegisset, sed plicatis in crucem manibus electionem ipsius voluntati resignasset, audivit hæc verba : Quicumque cupit ad me sæpius adiri, suæ voluntatis clavem mihi offerat, nec eam a me unquam repetat. Quo audito, Sancta Gertrudis precatiunculam hanc : Non mea, sed tua voluntas fiat, mi amantissime Jesu : trecenties sexagies quinquies quotidie repetivit. Blos. l. IV, *div. in fin.* XXIII.

Cuidam sibi devoto cum Deus copiosas consolationes fuisset largitus, ille has deprecatus rogavit, ut in desolationes verterentur, quas cum quinquennio integro gravissimas tulisset, Angelum Deus misit, qui sòlatium denuo offerret; sed ille et hoc deprecatus, hanc unicam sibi summam consolationem fore dixit, si sciret Deo placere, quod in his ærumnis sit constitutus. *Idem in monil. spir.* X.

Vir quidam et eruditione et virtute maximus dicere solebat : Salve amaritudo amarissima, omnis gratiæ benedictionisque plena. Quo unico dicto se in omnibus solabatur. *Drex. in Hel. intr.* l. III, II, § I.

S. Lupus cum ab Attila Trojam Galliæ urbem occupare volente quæsiisset, quis esset, et ille respondisset, se esse flagellum Dei, mox aperiri portas jussit dicens : Salve flagellum Dei. Naucler. *vol.* II, *apud Rodriq.* p. 1, *tr.* VIII, c. XXIII.

S. Elisabetha audiens Ludovicum maritum suum in expeditione sacræ militiæ defunctum, dixit ad Deum : Nosti, o Domine, quod præsentiam mariti omnibus mundi deliciis præferrem; sed quia tibi eum eripere mihi placuit, ita acquiesco, ut, si vel minimo capillo eum revocare præter beneplacitum tuum possem, nollem id facere. *Raderus volum.* I. *Bav. San.*

Utilitas. — Quidam Monachus per resignationem voluntatis suæ cum divina, ad tantum sanctitatis pervenit gradum, ut ad solum vestium, aut cinguli ejus contactum ægri sanarentur. Cæsarius, l. X, *Dial.* VI.

Agricola quidam ex agris suis semper, et plures et meliores fructus cum reciperet, rogatus causam a vicinis, respondit se semper tempestatem, quam vellet habere, eam scilicet, quam Deus misisset, nec aliam se velle, *In Vita PP.*

Severus Sulpitius narrat, S. Martinum toto, quo vixit tempore, numquam iratum fuisse visum aut tristem, eo quod voluntatem suam cum divina perfecte conformasset. Rodriq. *part.* I, *tract.* V, c. IX.

Cuidam virgini nescienti, in quo vera devotio et oratio consisteret, ideoque summopere afflictæ, apparuit speciosissimus infans, dixitque, veram devotionem in abnegatione, contemptuque sui ipsius et perfecta resignatione in manus Dei, consistere. Rusbroch *in fin. oper.*

Epictetus et Astion Martyres, cum ad omnes Latroniani judicis quæstiones nihil aliud respondissent, quam : Christiani sumus, fiat voluntas Dei nostri in nobis; non solum mirum inter omnes cruciatus robur ipsi senserunt, sed etiam Vigilantium judicis assessorem permoverunt ad fidem Catholicam amplectendam. Rouveldus *in vitis PP.* I, c. XII.

S. Clara, licet per annos octo et viginti gravissimis morbis exerceretur, numquam tamen vel minimum queri, sed potius continuo Deum laudare est audita. Cumque in extremo morbo per septemdecim dies ne bolum quidem gustare posset. Confessario ipsam consolari volenti dixit : Ex quo cognovi gratiam Domini mei Jesu Christi per servum tuum Franciscum, nullus unquam mihi morbus durus, nulla pœna molesta, nulla pœnitentia gravis est visa. Surius. *in vit.* c. XII, *Aug.*

Dignitas. — S. Josephus adeo voluntati divinæ se conformabat, ut quotidie diceret: Utinam vivam, et voluntatem Dei adimpletam videam. Ita ipsa Dei SS. Mater S. Birgittæ revelavit, addiditque, hanc esse causam, cur tanta in cœlo gloria frueretur. *Alimert. pret. c.* VII, *ex l.* VI, *Rev.* V, *Birgittæ.*

Vir quidam eruditus et pius morti vicinior, cum ab amicis rogaretur; ut doctrinam aliquam monumenti loco relinqueret, sic eis respondit : Virtutum summarium, et omnis doctrinæ breviarum est, omnia, quæ nobis Deus evenire permittit, ab illius manu accipere, nec aliud unquam velle, quam omnia ad divinæ voluntatis perpendiculum facere. Taulerus, *in fi. ser. de Sanctis.*

Jucunditas. — Theologus quidam octo annis petens a Deo gratiam, et occasionem cognoscendi, in quo vera animi quies, et solatium consisteret, tandem mendicum ante fores templi vidit, cui cum bonum imprimis, dein fortunatum, tandem etiam felicem vesperem precatus esset, respondit ille, numquam se malum, aut infortunatum diem habuisse, eo quod omnia de manu Dei accipere consuevisset, et ea, quæ permittit ille, aut ordinat, optima sibi esse crederet. Blosius, *in inst. spir. in appen. ex Taulero.*

S. Catharina Senensis a Deo suppliciter petens, ut modum ostenderet veram animæ pacem obtinendi, a Christo sibi apparente didicit, brevissimam esse viam dictum finem obtinendi, si et crederet, Deum esse *potentissimum,* atque adeo sine ejus permissione nihil ei accidere posse : *sapientissimum,* qui sciat omnia, quæ accidunt, in bonum convertere : et *optimum,* qui nihil, nisi quod optimum cuique esse judicaverit, permittat. *In Dial.*

S. Lyduvina id identidem repetebat : Hoc mihi, Domine, acceptissimum erit, ut affligens me dolore non parcas, cum tuæ voluntatis impletio sit mihil summa consolatio. Surius, *t.* VII.

B. Jacoponus dicere solebat, se a conscientia sua quæsivisse, cur se non amplius, ut olim affligeret? cui illam respondisse : Hoc ea de causa facio, quia te divinæ voluntati penitus permisisti, et in eo quod illa statuit, absque omni expostulatione acquiescis. Hilotrop. *l. c.* IV, *s.* 4.

Monachus quidam bis quotidie saxum ingentis ponderis per tria milliaria portare jussus, cum octo annos in hoc labore insumpsisset, interrogatus, quo animo tantum laborem suscepisset? tam læto, respondit, ac si mihi res omnium honorificentissima injuncta fuisset. S. Hier. *in Reg. Monas. c.* XII.

Ferdinandus II, Imperator ita voluntatem suam cum divina resignaverat, ut de seipso diceret : Jam pridem me molestiæ confecissent, nisi me meaque omnia providentiæ divinæ commisissem. Quotidianæ ipsius preces erant : Domine, si est ad laudem tuam et gloriam, et salutem meam, ut major sim, quam sum, exalta me, et glorificabo te. Si est ad laudem tuam, decusque tuum, in gradu, quo sum, conserva me, et ego glorificabo te. Si est ad laudem tuam et gloriam, ac salutem meam, ut in humiliori gradu sim, humilia me, et ego glorificabo tu. Cum aliquando sermo incidisset, de malis ubique ingruentibus, dixit : Faciamus, quod in nobis est, et sinamus nos et hæc regi ac dirigi a Deo, nos ejus voluntati conformemus, satagamus, ut cœlum lucremur, et Deus omnia bene disponet. *Vit. Compend.* c. VI.

Alphonsus Rex Arragoniæ interrogatus, quem in hoc orbe beatum esse crederet, respondit : Eum qui seipsum summa pietate et affectu Deo committit, et omnia, quæ illi eveniunt, non aliter quam rem a Deo factam laudat et acceptat. *Panormitanus invit. Alphonsi.*

Eudoxia Augusta Theophili Imperatoris conjux, cætero non laudabilis, hoc uno tamen plurimum commendanda, quod cum filius ejus morbo gravissimo decumberet, et Epiphanius Salamiuis in Cypro Episcopus accersitus, ut precibus filio sanitatem restitueret, operam suam spopondisset, si Dioscorus hæreticus urbe exigeretur, illa dixerit : Si Deo visum fuerit, vivet filius meus; Sin eum ille, qui dedit, auferre voluerit, fiat voluntas ejus. *Drex. in Heliop. l. V, c.* XI, § 2.

EXEMPLA DOMESTICA.

Qualitas. — S. Ignatius tam perfecte suam voluntatem cum divina conformarat, ut totius etiam societatis, quam tanto labore erexerat, dissolutionem æquo animo laturum se diceret, si sine culpa sua id accidisset. Ribad. l. V, *vit.* c. I.

S. Franciscus Xaverius ad Mauricienses iturus, amicis evidens vitæ periculum ostendentibus id unum respondit : Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. Alias in litteris ad S. Ignatium scriptis flexis gentibus petiit, ut sibi impetret gratiam ad Dei cognoscendam voluntatem, eamque perfectissime adimplendam. *Vit.* l. III, c. II, *Pennæ quin. in Is. ad amor. div.* p. 1, c. XXIV.

Sanct. Franciscus Borgia cum Deus ipsi optionem dedisset mortem vel vitam conjugis eligendi, in lacrymas solutus respondit : Domine Deus, unde hoc mihi, ut arbitratui committas meo, quod in tua solius est potestate; mea permagna refert, tuam sequi in omnibus voluntatem. Quis enim rectius novit, quid e re mea sit, quam tu, mi Deus. Tua itaque voluntas fiat : nec de uxore solum, sed de liberis etiam, deque me statuas, rogo, quidquid tibi placuerit : fiat voluntas tua. *Vit.* l. I, c. XII.

P. Ludovicus de Ponte quantopere suam cum divina voluntate conjunxerit, testatus est ipse his verbis : Gavisus sum defectibus naturalibus meæ personæ, ac linguæ, et aliis, quia Deus me illis voluit ita esse notatum. Gavisus tentationibus, quas patior, ac miseriis internis et externis, quia Deus ita vult. Si Dei voluntas est, ut mille annos vivam oneratus majoribus laboribus, ac tenebris internis et externis, dummodo ipsum non offendam, id volo. Mihi cœlum est facere voluntatem Dei, cum ipso habeo cœlum in terra. Crebro id habebat in ore, Deum optime scire quid nobis expediat; quæ verba tanto spiritu animare consueverat, ut iis omnem animis audientium perturbationem in adversis ablueret. Sed et in consiliis dandis tam constanter, et asseverate ea pronuntiabat, ac si voluntatem Dei legisset, vel ex tabulis recitaret. Singulis diebus repetebat votum a se brevi hac forma conceptum : Fiat, Domine, in me, de me, pro me, circa me, et omnia mea sanctissima voluntas tua in omnibus, et per omnia, nunc, et in æternum. *Vit.* l. II, c. III, § 3.

P. Balthassar Alvarez de seipso testatus est, quod, cum aliquando aliquid peteret a Deo, quod pro ipsius obsequio cupiebat, intellexit, omnem perfectionem consistere in facienda voluntate Dei, et maximum omnium Sacrificiorum Sacrificium esse cum eadem conformari; unde ipse totis viribus se huic studio dedit, et vere etiam maximam ejus perfectionem assecutus est. (*Vit.* c. III.) Dicere solebat, præcipuum omnis bonæ orationis fructum esse, dare Deo quidquid ille a nobis petierit, magnaque conformitate ei acquiescere in omnibus, quæ ipse de nobis statuerit. (Cap. XLIII.) Cuidam Religioso sic scripsit : Cupis proficere, tuæque orationi bene attendere, ut placeas Deo? permittas te ab eo gubernari, et incipias amorem, quem erga illum habes in eo ostendere, quod sis contentus et pacatus, quandocumque et quacumque via voluerit ille te ducere, et cum eo, quod ille dare voluerit, modicum, aut multum, aut nihil. Et credo certe, te magis illi placiturum, si gaudeas, et tranquillus sis cum tua paupertate, quamdiu ille te non eduxerit ea, quam si obtineres imaginariam illam celsitatem. Satis hactenus eo modo servisti Deo, qui tibi placuit : incipias jam servire eidem vel unico die, quomodo ipse cupit. Cap. XXXIV.

P. Sebastianus a Campo in agone hæc verba magna spiritus exultatione dicebat :

Impleatur, impleatur, scilicet voluntas Dei. Nova, nova perfectio. *Ann.* 1691. *Prov. Sardiniæ.*

Vincentius de Rocha Scholasticus, cum sacra ipsi pro recuperanda valetudine, offerrentur, non ita, aiebat, sed ejus conservationem, vel ademptionem Deo committamus; utraque sors mihi grata est, ex ejus voluntate et decreto. *Ann. Lusit. tol. Ebo.* 1670.

EXEMPLA PROFANA.

Epictetus de seipso sic scripsit : Appetitum meum obedientem præbui Deo. Vult ille me fabricitare? volo et ipse. Vult me aliqua re potiri? volo et ipse. Non vult? nolo. Mori me vult? mori igitur volo. Vir prudens ita rem considerat, hanc rationem secum init : si Deo se dediderit, se iter tuto confecturum. Quid est illud, dedere se Deo? ut, quod voluerit. et ipse velit; et quod ille noluerit, et ipse nolit. Quid ergo istud fiet? quomodo fieret aliter, nisi consideranda Dei voluntate, et administratione. Quid mihi dedit meum, et mei juris? quid sibi ipse reservavit? liberam voluntatem mihi dedit : et quæ in mea potestate sunt, ea nec impediri, nec prohiberi posse voluit. (L. I, *discert.* c. XXVI.) Et alibi : Mihi quidem optabile est a morte me invadi, nulla alia re, nisi voluntate mea curanda occupatum, ut perturbatione vacuus et liber, dicere possim Deo : Numquid præcepta tua violavi? numquid ad alia abusus sum facultatibus, quas mihi dedisti? num sensibus? num te unquam incusavi? num gubernationem tuam reprehendi? ægrotavi quia voluisti : ægrotarunt et cæteri, sed ego volens. Pauper fui, te volente, sed lætus. Non imperavi, quæ tu voluisti? Numquam appetivi imperium. Numquid me unquam hac de causa tristiorem vidisti? numquid unquam vultu minus hilari ad te accessi? Paratus, si quid mandes, si quid imperes. Hæc me cogitantem, hæc scribentem, hæc legentem occupet mors. L. III, *diss.* c. V.

Seneca de seipso dixit : In omnibus, quæ adversa videntur et dura, sic formatus sum. Non pareo Deo, sed assentior. Ex animo illum, non quia necesse est, sequor. Nihil unquam mihi accidet, quod tristis excipiam, quod malo vultu : nullum invitus conferam. Omnia autem; ad quæ gemimus, vel expavescimus, tributa vitæ sunt. *Epist.* XCVI.

De Socrate scribit Cicero : Hoc nec hilariorem quisquam, nec tristiorem vidit, qui æqualis semper fuit in tanta inæqualitate fortunæ usque ad extremum vitæ. *In quæst. Tuscul.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut Clericus resignans beneficium, seipsum penitus illo privat, et arbitrio Prælati committit, ut disponat de illo secundum voluntatem suam, sine contradictione præcedentis possessoris; ita perfectus homo semetipsum reddit manibus divinis, ut in posterum nolit esse suus, nec vivere sibi, nec edere, nec laborare, nec dormire pro se, sed pro sola gloria sui Creatoris. LUD. GRA. *in Duce peccat. s.* 787.

Sicut Nummularii monetam adulterinam aut a tinnitu, aut a signis et inscriptione norunt et rejiciunt; ita nos, quidquid vel tenuem umbram vitii præert, abominemur tamquam divinæ voluntati contrarium. *Drex. in Heliotr. l. c.* IV. *Reg.* III.

Sicut Heliotropium de die cum sole se, etiam nubiloso tempore, circumagit, noctu vero ejus desiderio florem cæruleum contrahit; ita et homo vere resignatus in omnibus, etiam adversis, se divinæ voluntati conformat, continuoque ejus desiderio, cum nox desolationis ingruit, languescit. *Ibid.* c. II, § 3.

Sicut Levitæ olim omnia vasa Sanctuarii hyacinthino pallio involvebant, et desuper operimentum extendebant; ita quisquis se Deo commisit, nihil videre, aut scire cupit earum rerum, quæ in cœlesti sanctuario divinæ voluntatis geruntur. *Ibid.* § 6.

Sicut citharœdus tamdiu trahit, intendit, aut remittit fides citharæ, donec assonent; ita tamdiu voluntas nostra vel adstringenda, vel retrahenda est, donec voluntati Divinæ concordet. *Ibid.* l. III, c. III, § 5.

Sicut duo sunt in capite oculi, quorum unus non potest videre, quod alter non videat, et licet objectum ab utroque oculo videatur, ipsum tamen in se est unum; ita Beati in cœlo, et perfecti homines in terris, divino nutui in omnibus se conformant, quia in omnibus ordinem divinæ justitiæ, ad quem diriguntur vident. S. ANSEL. *l. Simil.* c. LXIII.

ÆQUITAS. — Sicut æger sanguisugas patienter tolerat, donec medicus eas removeat; ita cum tribulationes pariter vitiosum sanguinem peccatorum nostrorum eliciant, merito æquissimo animo tolerandæ sunt, donec Deus easdem auferat. S. Greg. l. III, *mor.* c. xxxii.

Sicut non dubitanter credimus, et obsequimur horologio, quod scimus a perito astronomo dirigi; ita libenter omnes afflictiones acceptare debemus, quia scimus a Deo in summum nostrum bonum directas. Faber *in festo S. Jo. Bapt.* con. v, n. 3.

Sicut olitor horti sui rivulum sub sua potestate habet, et ad quascumque vult arbores, vel areolas educit : ita Deus omnium hominum corda in manu sua habet, et per ea gratias et dona sua, imo et aquas tribulationum, prout cuique expedire novit, distribuit, ac proin gratissimo animo omnia sunt accipienda. *Drex. in Heliotr.* t. II, c. v, § 4.

Sicut si quis te ferrea chirotheca cædat, et sanguinem eliciat, non chirothecæ, sed manui ictum adscribis; ita, cum quis per hominem læditur, non hic, sed manus Dei percutiens respicienda est, S. Jobi exemplo dicentis : Misereminì mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Job, xix, 21 ; *Ibid.* l. III, c. ii, § 2.

Necessitas. — Sicut aer et ventus, quia non sunt cibus proportionatus corpori, satiare illud non possunt; ita cum omnia creata sint vanitas, et sola voluntas divina cibus animæ proportionatus sit, hæc sola satiare eam poterit. Rodr. p. 1, tr. VIII, c. v.

Sicut lingula horologii a magnete tacta non quiescit, donec Septentrionem respiciat; ita cum homo quivis a Deo ad voluntatem ejus implendam creatus sit, tamdiu non quiescet, donec ad eam faciendam animum convertat. *Ibid.*

Sicut qui absque regula ædificium molitur, gravis erroris periculo se exponit; ita qui absque divinæ voluntatis regula actiones suas peragit, non nisi ruinam expectare poterit. Fab. *Dom.* III, *post. Epiph.* cont. ii, n. 2.

Utilitas. — Sicut corpus perfecte quadratum, quocumque projiciatur, immotum et stabile manet; ita et vir perfecte resignatus in omni divina dispositione acquiescit. Et ideo verba illa : *Ab æterno ordinata sum :* quæ Rabbi Himmanuel vertit : *A sæculo tesselata sum;* Salazar B. Virgini accommodat, ut quæ per modum cubi, in omni Dei ordinatione suavissime quievit. Casparus Tausch. *in matre dol.* p. 2, c. x.

Sicut qui naviculam fluctuantem, et submersionis periculo proximam triremi casu transeunti alligaret, prudenter ageret, salutemque suam in tuto collocaret; ita idipsum facit, qui instabilem voluntatem suam divinæ alligat et conformat. Julius Fatius, *de mort.* c. xiii.

Jucunditas. — Sicut accidens adest et abest præter subjecti corruptionem : ita præsens tribulatio et ærumna adest et abest, præter justi contristationem et conturbationem. Hugo, *apud drex. in Heliot.* l. III, c. i, § 1.

Sicut cœlum altius est imbribus ac pluviis, et cum nubibus obdicitur, pati quidem putatur, sed nihil patitur; sic et nos etsi putamur pati, nihil id est; tristitia quasi nubibus obduci putamur, sed non tristamur. S. Chrys. *hom.* xi, *in op.* ii, *ad Cor.*

Sicut si exiguam scintillam in ingens pelagus injicias, eam protinus extinxeris : eodem modo molestia omnis quantumlibet ingens, si in animum sibi bene conscium, et divinæ voluntati conformatum inciderit, confestim perit, et evanescit. *Ibid.*

Sicut Rubus ardens Moysi ostensus consumi videbatur, nec consumptus est; ita homo resignatus, licet per varias tribulationes affligi videatur, revera tamen non affligitur. Rodrig. p. 1, tr. VIII, c. iv.

Sicut tres pueri in Babylonica fornace ignem quasi ventum roris flantem experti sunt, ideoque Deum laudabant; ita qui voluntatem Deo unitam habent, omnes tribulationes suaves et jucundas experiuntur, et pro iisdem Deum benedicunt. *Ibid.*

Sicut Hebræi, dum manna olim comederunt, omne gustus delectamentum in eo repererunt; ita qui divinam voluntatem semel gustare cœperunt, in ea, quidquid desiderant, inveniunt. *Anonym.*

MOTIVA.

Æquitas. — Tum quia justus est, et recta judicia ejus : tum quia potens est, et consilium ejus stabit, ac voluntas ejus fiet : tum quia bonus est, et suaviter omnia disponit in suum, et nostrum finem et bonum. *Psal.* cxviii, 117.

Necessitas. — Quia in ditione ejus cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati ejus. Sed, ut Ecclesiasticus testatur, omne quod voluerit, faciet : et sermo illius potestate plenus est : nec dicere ei quisquam potest : quare ita facis? Is, xlvi, 10; *Sap.* viii, 1; *Esth.* xiii, 9.

Utilitas. — Tum quia voluntas Dei est fortissimum contra omnes adversitates scutum, juxta illud Davidis : Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti me (*Ps.* v, 13); tum quia est optima dispositio hæc conformitas cum voluntate divina, ad divina dona accipienda, uti Ecclesiasticus insinuavit dicens : Conjunge te Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua, id est, sanctitas, in qua vera vita consistit : tum quia specialiter etiam conducit ad omnia, quæ petuntur, a Deo impetranda, uti Christus S. Birgittæ dixit : Quia tu mihi nihil negasti in terra, ideo ego nihil tibi negabo in cœlo, voluntas tua complebitur.

Dignitas.— Quia per hanc virtutem homo magis, quam per ullam aliam cum Deo conjungitur, eique familiaris, gratus, et similis efficitur; hinc S. Catharina Senensis virum Deo resignatum perinde ut Christum beatitudine quadam etiam in terra frui dicebat. L. I *rev.* c. xxiv.

Jucunditas. — Quia talis resignatio facit, ut semper habeat quis quod vult, et nihil male velit, in quibus duobus capitibus vera beatitudo consistit, teste S. Augustino.

MEDIA.

Firma fides, qua credatur, nihil sine Dei providentia fieri, et quidquid ab illa permittitur, in summum bonum nostrum cedere. Hinc illud S. Augustini semper ob oculos habendum : Quid timet homo in sinu Dei positus? tu de sinu illius noli cadere, et quidquid tibi illic evenerit, in bonum cedet. S. Cath. Sen. *in dialog.*

Intensa, et fervens charitas : nam proprius effectus amoris est unire inter se amantes, quod cum realiter per physicam unionem fieri non posstt, moraliter saltem per voluntatum conjunctionem fieri oportet. Ethnici. *cum Arist.*

Mortificatio : nam sicut duo asseres quo melius dedolantur, tanto facilius conglutinantur, et uniuntur; ita humana voluntas tanto perfectius divinæ conjungi potest, quanto diligentius per mortificationem obstacula sunt remota. Rodriq. p. 1, tr. viii, c. iii.

Providentiæ divinæ exempla frequenter objicere : præcipue Jacobi Patriarchæ, Joseph, Tobiæ, Estheris, Judithæ, Saulis, Davidis, Jobi etc., nam, Seneca teste, quisquis divinam circa omnia providentiam, et oculum illum numquam dormitantem considerat, contumelias, verba probrosa, ignominias et cætera dehonestamenta, velut clamorem hostium fert, et e longinquo tela saxaque sine vulnere circa galeas crepitantia excipit. Seneca, *de constant.* vi.

Obedientia Superioribus terrenis præstita : sic enim paulatim voluntas debilitabitur, et tanto facilius divinæ subjicietur, quanto æquius est Dei, quam hominum, implere voluntatem. *Anonym.*

Cubiculum ex voluntate divina sibi extruere, et in illud se includere, uti Christus olim S. Catharinæ Senensi suasit. Id autem fiet, si nihil, nisi quod divino beneplacito conforme noverimus, tentemus, omniaque Divinæ providentiæ adscribere assuescamus. *In Dialogo S. Cathar. Senens.*

Exemplum sæcularium ob oculos habere, ob vilissimum bonum totos se aliorum voluntati accommodantium : certe de Harpalo legitur, quod, cum filium suum epulatus fuisset, et Astyages Rex, qui epulas illas instruxerat, reliqua filii brachia proferri jussisset, interrogassetque, et quomodo tibi hæc placent, respondit : Quidquid facit Rex, illud mihi placet. Sed et notum est, quid Judith adulatoria quapiam æquivocatione superbissimo Tyranno Holoferni instinctu Dei illusura, olim nuntiari jusserit, nempe : Quæ ego sum, ut contradicam Domino meo? Omne quod erit ante oculos ejus bonum et optimum, hoc faciam. Quidquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ. Rodriq. *p.* 1, *tr.* VIII, *c.* vi, *Drexel. in Heliotrop. l.* III, *c.* iii, § 3.

ASCETICA.

Quatuor sunt præcipue, quæ circa hanc virtutem bene observare, aliisque inculcare debet Asceta.

Primum est, ut summam de hoc exercitio resignationis æstimationem habeat, certoque sibi persuadeat, omnis doctrinæ, quam Christus tot divinissimis concionibus tradidit, caput hoc fuisse, ut homines doceret suam cum divina voluntate in omnibus casibus perfectissime conformare, atque adeo in hac conformitate omnem hominum profectum consistere. Drex. *in Helietrop.* l. I, c. i, § 1.

Secundum est, ut bene cognoscat regulas divinæ voluntatis cognoscendæ quas quidem breviter, sed bene simplex noster Frater Joannes Ximenus assignasse videtur, dum dixit, tres esse Superiores, a quibus semper voluntas divina cognosci posset, nempe Deum in cœlo, Capitulum seu Superiorem in Ecclesia vel Monasterio, et Rationem domi. Atque adeo primam Regulam esse Dei volitionem, aut prohibitionem, in lege aliqua divina vel naturali lege expressam : Secundam, omnem Dominorum, aut Majorum aut Præsidum voluntatem : tertiam rationem seu intellectum proprium, dum scilicet implorato prius Numinis auxilio eligitur illud, quod Deo in talibus circumstantiis magis placere indicatur. (Vit. P. Balthas. Alvar. c. xxi.) Quod in judicio ut minus quis aberret, suadent viri pii et prudentes, id semper præferendum, quod propriæ inclinationi magis repugnat; quod alteri, quem æque ac nos ipsos diligeremus, suasuri in tali casu essemus; et quod denique in hora mortis, aut in judicio extremo constituti, factum a nobis fuisse vellemus, juxta notum illum versum : Fac modo, quæ quondam facta fuisse velis. S. Ignat. *in lib. Exerc.*

Tertium est, ut fundamenta, quibus tota hæc conformitas et resignatio innititur, bene intelligantur, quæ quidem ab ipso Christo Sanct. Catharinæ Senensi olim sunt indicata, dum eidem 1. suasit, ut firmiter crederet, eum esse *Potentissimum*, atque adeo nihil sine voluntate ipsius accidere illi posse, uti ipsemet olim contestatus est, cum dixit; Nonne duo passeres asse væneunt? et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. (*In Dialogo S. Cath. Senens.*; Matt, x, 29.) Et iterum per Isaiam : Ego Dominus, et non est alter formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum : ego Dominus, faciens hæc omnia. (Is. xlv, 7.) Clarissime autem alibi per eumdem, dum dixit : Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. Ad Gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia et diripiat prædam, et ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ita existimabit : sed ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem Gentium non paucarum. (Is. x, 5.) Hinc olim Titus Jerosolymam obsidione cingens, visis in circuitu tot cadaveribus, altum ingemuit, et elatis in cœlum oculis ac manibus dixit, factum illud suum non esse. 2. Suasit, ut firmiter quoque crederet, eum *Sapientissimum* esse, omniaque scire in bonum convertere : nam, ut recte dixit Theophilus Bernardinus, subtilissime se nostris peccatis et erroribus insinuat Deus, non ut approbator et particeps, sed ut aversator et corrector, qui ex malis bona plura, quasi ignem ex aqua, elicit. (Theophil. Bern. l. XI, *perfect.* c. iv, § 7.) Hinc a Davide Filius unicornium vocatur, eo quod cornua non habeat supra oculos, ut taurus, sed infra, ut optime videat, quem et ubi percutiat. (Is. xxviii, 6.) 3. Suasit, ut pariter firmissime crederet eum *Optimum* esse, atque adeo velle etiam omnia in summum nostrum bonum dirigere : uti recte S. Hieronymus conclusit dicens : Bonus est Deus, et omnia, quæ bonus facit, bona sint necesse est. (S. Hieron. *in epist. ad Paulam de obitu Blesillæ.*) Immo, ut S. Basilius vult, unum hoc in mentibus nostris præsumptum oportet, quod nihil eorum, quæ nobis accidunt, malum sit, aut tale, ut melius illo excogitare queamus. (Basil. *ho.* viii, *ex var. Quod Deus non est auctor malorum.*) Cui consentiens S. Damascenus, omnia, inquit, quæ Dei providentia fiunt, pulcherrime, ac divinissime fieri necesse est, atque ita denique, ut meliori modo existere prorsus nequeant.

Quartum denique est, ut solidam addiscat, doceatque praxim, in hac sese resignatione exercendi, quæ quidem in duobus fere capitibus consistit. 1. Ut assuescat in omnibus, quæ fiunt, ad divinam justitiam respicere, dicereque cum S. Davide : Justus es, Domine, et rectum (id est, ad optimum finem, nempe ut vel puniat, vel probet, vel præmiet, et hoc triplici funiculo Adæ secundi, difficulter rumpibili, nos ad se trahat, sibique arctissime uniat, directum) judicium tuum. (*Ps.* cxviii, 137.) 2. Ut instructus sit jaculatoriis orationibus, voluntatem Dei in memoriam revocantibus, iisque sedulo in variis casibus utatur, ex qualibus totus psalmus centesimus decimus octavus est compositus. Pro singulis actionibus sequentes servire ex eo possunt. Pro desiderio ; Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas! Pro meditatione : In justificationibus tuis meditabor : non obliviscar sermones tuos. Pro examine : In quo corrigit adolescentior viam suam! in custodiendo sermones tuos, Vel : Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua. Pro oratione vocali : Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo. Domine : juxta eloquium tuum da mihi intellectum. Vel : Septies in die laudem dixi tibi; super judicia justitiæ tuæ. Pro operatione : Levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, et exercebar in justificationibus tuis. Pro colloquio : In labiis meis provuntiavi omnia judicia oris tui. Pro confessione : Erravi sicut ovis, quæ periit : quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Pro proposito : Juravi, et statui custodire judicia justitiæ tuæ. Pro fuga vitiorum : In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Pro gratiarum actione : In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me. Pro zelo : Tabescere me fecit zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei. Pro amore Dei : Portio mea, Domine, custodire legem tuam : Vel : Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis. Pro humilitate : Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas : vel : cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua : et in veritate tua humiliasti me. Pro resignatione : Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Pro morbo. Tuus sum ego : salvum me fac, ut custodiam mandata tua. Pro desolatione. Dormitavit anima mea præ tædio; confirma me in verbis tuis. Contra oculorum curiositatem : Averte oculos meos, ne videant vanitatem : in via tua vivifica me. Contra respectum humanum : Etenim sederunt Principes, et adversum me loquebantur : servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis. Contra contemptum : Aufer a me opprobrium, et contemptum, quia testimonia tua exquisivi. Contra invidiam : Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua. Contra gulam : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua : super mel ori meo. Quod si minus placeat tanta similium precum copia, imaginetur sibi voluntatem suam tanquam Goliathum, ideoque sequentes quinque aspirationes velut limpidissimos quinque lapides assumat, quibus se contra eum defendat. Et quidem si aliquid jam præteritum est malum, dicat : Sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. Si præsens : Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra. Si futurum : Dominus est, quod bonum est in oculis suis, hoc faciat. Si a Deo immissum : Obmutui, et silui a bonis, quia tu fecisti. Si ab hominibus illatum : Dimitte eum, ut maledicat : Dominus enim præcepit ei, ut malediceret, et quis est, qui audeat dicere : quare sic fecerit?

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Inveni David, Filium Jesse, virum secundum cor meum qui faciet voluntates meas* (*Act.* XIII, 22) : explicari potest, quis vir secundum cor Dei, nempe qui facit *omnes* voluntates Dei, hoc est, *quod Deus* vult, *quomodo* vult, *quia vult*; seu, ut alii dicunt, *quoad* substantiam, modum, et finem; juxta vulgare distichon illud :

Omne tulit punctum, patitur qui semper agitque,
Quæ vult, quove modo vult Deus, et quia vult.

In posteriori parte concionis explicari possunt gratiæ, quas Deus viro secundum cor suum offert; nempe quod oleo sancto suo (idest consolatione, alias terrenas consolationes, perinde ut oleum aliis liquoribus supernatat, excedente, repleat, ac recreet) ungat eum : manu sua auxilietur ei (id est, in omnibus actionibus ei adsit, ut prospere eas perficiat) et brachio suo confortet eum contra omnes inimicos et adversitates, ita ut non contristet eum, quidquid ei acciderit; quæ omnia exemplo Davidis solide confirmari possunt.

Ex occasione thematis : *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos* (*Ps.* V, 12); probari potest, quam præclarum sit scutum voluntas divina, simile nempe scuto Myrtilli militis, quo in primis se contra hostes in terra defendit, postea vero, cum naufragium passus esset, idipsum invertit et sic pro navicula usus periculum evasit, ut notum illud distichon indicat.

Effugi geminum clypeo discrimen in uno,
Dum premererque solo, dum premererque salo.

Ostendatur itaque primo, quomodo hoc scutum voluntatis divinæ defendat in solo, id est, tempore prosperitatis, contra hostes triplicis concupiscentiæ, divitiarum scilicet, voluptatum, et honorum, cum ejusmodi homo resignatus de his omnibus non plus petat, quam quantum Deus dare decrevit, neque in datis aliter quiescat, quam quia Deo placet, ut iis ipse fruatur, ideoque dicat cum Davide : Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis. 2. Quomodo etiam in salo, id est, tribulationibus defendat, præcipue in jactura bonorum, ut in Jobo apparet : in contemptu, ut David a Semei illusus expertus est : in morbis, uti S. Edwina, et S. Clara, de quibus vide Rodrig. part. I, tract. VIII, cap. XVI, et in ipsa denique morte, uti Christus ipse exemplo suo præclare docuit. Vide Rodrig. a cap. XV.

Ex occasione thematis : *Fratres, gaudete in Domino semper : iterum dico, gaudete* (*ad Philip.* IV, 4) : ostendi potest, quomodo perpetuam lætitiam habere possint auditores, eum in finem explicetur 1. quid sit verum gaudium, nempe quies vitalis in bono congruenter adepto, quæ in ratione potissimum consistit, et per hoc a delectatione in communi, et exultatione (quæ in membra exteriora diffunditur) et jucunditate, (quæ in vultu proditur) distinguitur, ut docet S. Thomas. (S. THOM. I, 2, q. XXXI, ar. 3 et 4). Porro quomodo hæc quies, sive gaudium obtineatur, pulchre ostendit Seneca, dum ait : Nolo tibi unquam deesse lætitiam. Volo tibi illam domi nasci : nascitur, si modo intra teipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt : leves sunt, nisi tu forte judicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer, et fidus, et super omnia erectus. Mihi, crede, res severa est verum gaudium. (*Sen. epist.* XXIII, *ad Lucil.*) Clarius vero S. Augustinus hoc ipsum explicans ait : Scimus, fratres, quod omnis homo gaudere desiderat? sed non omnes ibi quærunt gaudium, ubi potest inquiri; nam cum ea, quæ possumus contra voluntatem amittere, diliguntur, necesse est, ut pro iis miserrime laboremus. (S. AUG. *serm.* XXX, *de SS. Id. tr.* XXVIII, *in Joan.*) Hoc ergo posito fundamento. 2. Ostendatur, quomodo is, qui voluntatem suam cum divina conformat, simpiternum habeat gaudium, quia scil. semper habet id, quod vult Deus; hoc autem, ut supra ostendimus, optimum est. Hinc merito Epictetus hominem alloquens ait : Ignavissime homo, aliudne expetis, quam id, quod melius est; num vero, quid aliud melius est, quam quod visum Deo fuerit. (*Epist.* l. II, *dissert.* c. VII.) Confirmetur hæc probatio exemplo mendici, semper inter omnes suas miserias gaudentis, uti fusius narrat Drexel. lib. II, Heliotr. c. I.

Ex occasione thematis : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me* (JOAN. IV, 34) : ostendi potest, quam præclarum sit convivium voluntas divina, simile scilicet illi, quod olim Norimbergæ apparatum dicitur, in quo tres tabulæ sibi mutuo superimpositæ erant, et prima quidem meras fictitias epulas, altera meros cibos solidos, tertia meras cupedias, et bellaria continebat. Ostendatur ergo 1. quomodo voluntas divina sit similis cibis fictitiis, quia vere illam non tangere; et dijudicare, sed solum admirari, et in ea videnda delectari licet, illudque Davidis dicere : Justus es Domine, et rectum judicium tuum. 2. Ostendatur, quomodo similis sit solidis cibis, quia *satiat* (faciens quiescere appetitum nostrum, et dicere cum pio Asceta : Domine tu scis, qualiter melius est : fac hoc vel illud, sicut tibi placuerit. Da, quod vis, et quantum vis, et quando vis) (L. III, *de imit.* c. XV, § 2) *nutrit* (crescere faciens in gratia, et gloria, uti ex Christi, B. Virginis, S. Josephi, et aliorum primariorum Sanctorum exemplo patet) *roborat* ad omnes labores et adversitates facile portandas, uti iterum Christus, et S. Job experti sunt. 3. Ostendatur, quomodo bellariis similis sit, quia nulla major voluptas, quam voluntatis divinæ adimpletio, uti tum exemplo Sanctorum confirmari potest, beneplaciti divini adimpletione magis, quam sua gloria delectantium ; tum ex testimonio Ecclesiastici fatentis, quod non sit oblectamentum super cordis (maxime cum corde Dei conformati) gaudium. *Eccl.* XXX, 26.

Ex occasione thematis : *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (LUC. II, 15) : ostendi potest 1, quid sit vera pax, nempe securitas ab omni hoste tam interno, quam externo ; ut de externo quidem constat, de interno autem testatus est Isaias dicens : Non est pax impiis, dicit Dominus. (*Psal.* XXVIII, 22). 2. Ostendatur quomodo hanc pacem, et securitatem possideant homines bonæ voluntatis, quia scilicet nec Deum timent, nec homines, cum illum, et hos ament, omnia vero, quæ ab hominibus accidere possunt, sciant in bonum suum convertere. Hinc merito dixit S. David : Pax multa diligentibus legem tuam. (*Psal.* CXVIII, 165.) 3. Ostendantur præclari effectus hujus pacis, qui sunt *gaudium juge* (juxta illud Salomonis : Secura mens quasi juge convivium) (*Prov.* xv, 25) incrementum divitiarum (spiritualium maxime, juxta commune proverbium : Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur) et *gloria :* ob devictum gravissimum hostem, propriam scilicet voluntatem, unde merito talis sperare potest sibi accinendum, quod Davidi olim Filiæ Jerusalem accinuerunt : Percussit Saul (et alii hostes) mille, et David (et omnis vir secundum cor Dei) decem millia. (I. *Reg.* xviii, 7.) et ut cum Judith semper procedat cum magna gloria. Judith. vi, 25.

Ex occasione thematis : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ille meus frater, soror, et mater est.* (Matth. xii, 50.) Potest ostendi in primis, quam vere dicatur matri Christi similis, qui voluntati divinæ se in omnibus conformat, qua videlicet ut illa ipsum *concipit* dicendo : Ecce mancipium Domini : fiat mihi secundum verbum tuum. Ut illa, *parit,* dum se Christo in obedientia usque ad mortem crucis perfecte conformat. Ut illa, *alit* lacte, et cibo optimo, quo libenter vescitur, ut ipse apud Joannem cap. iv, indicavit. Ut illa, *infasciat* fasciis candidissimis puræ conscientiæ. Ut illa, *ponit in præsepio* cordis tantopere exoptato, ubi gratissimo calore amoris calefiat. Ut illa, utroque brachio, scilicet conformitate in prosperis et adversis *portat.* 2. Ostendi potest, quomodo talis homo etiam favores Matri Dei concessos suo modo participet, nimirum quod ut illa, *præservetur* a macula saltem actualis peccati : ut illa, copiosis donis repleatur : ut illa, vinum lætitiæ interioris aliis *impetret :* ut illa, felici et quieta morte defungatur : ut illa, sine purgatorio, saltem gravi *decedat :* ut illa, alios in gloria longissime *antecellat.*

Ex occasione thematis : *Fiat voluntas tua* (Matth, vi, 10); potest ostendi, quomodo voluntas Dei semper, et ubique fieri debeat nempe 1. *accurate* et *integre :* si enim S. Franciscus suam regulam voluit ad litteram servari, quanto magis Dei voluntas tali modo servanda erit. 2. *Indifferenter :* sive prospera, sive adversa decernat, cum eadem sit voluntas Dei, quæ utrumque decernat. 3. *Universaliter :* non in propriis tantum rebus, sed communibus etiam ærumnis. 4. *Prudenter :* diligenter inquirendo quæ sit voluntas Dei, nec sub specie divinæ voluntatis propriam impleamus. 5. *Constanter :* exemplo Christi paulo ante obitum dicentis : Consummatum est. Vide hæc fusius explicata apud Fab. p. 1, in festo S. Joann. Baptistæ conc. v.

Ex occasione thematis : *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* (Luc. xi, 28) : probari potest, quam vere dixerit S. Catharina Senensis, eos, qui voluntatem suam divinæ penitus conformatam habent, Christo similes esse, et etiam adhuc in terra existentes beatitudine frui, id, quod ex triplici effectu beatitudinis probari potest, 1. ex *impeccabilitate* Sanctorum; quis autem hanc magis participat, quam qui voluntatem Dei semper facere studet? 2. Ex continua *laude Dei :* quis autem et hanc magis continuat, suam qui omnia sua juxta Dei beneplacitum facere studet? ita sane S. Augustinus testatus est dicens : Vis semper laudare Deum? benefac omnia, et laudasti Deum. 3. Ex *impassibilitate,* et perfecta *satietate* voluntatis : quis autem, et hunc effectum magis participat, quam vir secundum cor Dei, qui hoc ipso, quod nihil aliud, quam Dei beneplacitum velit, habet semper, quod vult; et non potest habere, quod non vult. Certe non contristabit justum quidquid ei acciderit. Vide Drexel. in Heliotrop. l. III, c. vi, et Rodrig. p. 1, tr. VIII, c. iv.

Ex occasione thematis : *Quis est homo qui vult vitam : et diligit dies videre bonos (Ps.* xv, 13) : potest ostendi, quomodo semper felicem annum habere queant, si scilicet doctrinam a Christo ipso S. Catharinæ traditam, et superiori § n. 3, relatam, observent; sic enim omnia cooperabuntur eis in bonum, et semper, quod volent optimum habebunt. Vide plura de hoc Fabro conc. ii, in Dom. iii, Epiph. et Dialogum S. Catharinæ Senensis in fine viæ Regiæ ad vitam æternam P. Antonii Suquet.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Cum quidam Frater senem interrogaret : quid faciam, ut vivam in Deo? respondit ille : Deus scit solus, quod bonum est. Sed tamen audivi, quod S. Antonius ad similem quæstionem responderit : Non sunt omnia opera æqualia. Scriptura dicit : quia Abraham hospitalis fuit, et Deus erat cum eo. Et Elias diligebat quietem et Deus erat cum eo. Et David humilis erat, et Deus erat cum eo. Quod ergo vides animam tuam secundum Deum tuum velle, hoc fac, et custodi os tuum. *Vita PP.* l. III.

S. Joannes in mari cum aliis discipulis constitutus, solus Dominum agnovit. Sic nempe pauci, et in gratia tantum constituti, Deum non in prosperis dumtaxat, sed etiam in adversis, cognoscunt. Drex. *in Heliot.* l. II, c. ii, § 2.

Quid vere est dedere se Deo? ut, quod ille voluerit, et ipse velit, et quod ille noluerit, nec ipse velit. *Epist.* x, § 5.

Sapientis oculi in capite ejus, inquit Siracides, quia, ut S. Gregorius interpretatur, qui omnem obtutum in Deo, Deique voluntate figit, hic vere sapiens est, hic quotquot habet oculos, capiti gerit infixos. *Eccl.* ii, 14.

Illud Jobi : Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi ; Adsumus (Job. xxxviii, 35), pulchre aliqui applicant ad viros sanctos, qui si a Deo contra naturam ut fulgura deprimantur, eunt celerrime, iterumque revertuntur ad Deum, et ad alia se imperia offerunt. Sed hæc fulgura, nonnisi ex nube densa, beneque clausa, id est, oratione ferventi, nascuntur. Drex. *in Helior.* l. II, c. iv, § 3.

Quidam Princeps suorum aulicorum uni dixerat : Cras debes mecum ad venationem egredi. Cui ille respondit : Non debeo, sed libenter faciam. Ita homines Deo resignatos cum Deo agere convenit. *Ibid.*

Damnat Plato non immerito illam vulgi precationem : Deus det tibi, quidquid velis. Immo numquam det, inquit, sed faciat, ut velis quod ipse vult. Hæc enim est pura religio : sic te religes Deo. *Ibid.* l. V, c. xii, § 4.

Homines vere resignati similes sunt parvis statuis medio globo plumbum intus continenti insistentibus, aut lampadibus artificiose pendulis, quæ quomodocumque moveantur, vel invertantur, mox ad centrum suum redeunt. Drex. *in Heliotrop.* l. IV, c. i, § 3.

Romani olim libellis supplicibus, quos Cæsari tradebant, subscribere solebant : Numini, Majestatique tuæ devotissimus. Quanto magis hanc loquendi formulam erga Deum usurpare convenit. *Ibid.* c. vii, § 1.

Isaac, qui in monte Moria cadere debuerat, et liberatus est, ideo in proverbium abiit, et usque hodie dicitur : In monte Dominus videbit, scilicet afflictiones virorum secundum cor Dei, ut eos in tempore liberet. *Ibid.* c, iii, § 3.

Job a Deo graviter afflictus dicebat ad ipsum : Mirabiliter me crucias, hoc est, mirifice me exerces ærumnis corporalibus et incredibili interea lætitiæ in mente perfundis, dum tuam, lætus et volens, exequor voluntatem. Job. x, 19.

Laudatur inter Judices Aod, qui utraque manu velut dextra utebatur : tales ambidextri sunt, qui in utraque fortuna viros se præbent, et Deo adhærent. Jud. iii, 15.

Cum quidam diceret, se sponsæ amplexibus sequenti nocte fruiturum, adstantes vero dicerent : Si Deus voluerit : respondit ille : Volente nolente Deo, potiar cupitis amplexibus. Sed dum cubitum it, tam ipse, quam sponsa mortua est. Hinc Benfiræ natum adagium : Si Deus voluerit. Fab. *conc.* ii, *in Dom.* iii, *post Epiph. num.* 1, *ex Nit. Serario.*

Æquitas. — Ei, quod accidit, semper acquiesco, dicebat Epictetus, melius est enim, quod Deus vult, quam quod ego volo. Adsum ei servus et minister, adeoque pedisequus, ad eadem contendo, nec alia expecto. Idemque, quod ille, volam et ego quoque, ac sentio. Lib. IV, *diss.* c. vii.

Laudatissima Ruth ad Noemi socrum suam dixit : Quocumque perrexeris, pergam : et ubi morata fueris, ego pariter morabor : populus tuus, populus meus, et Deus tuus, Deus meus : quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar. Hæc mihi faciat Deus, si non sola mors me a te separabit. Ruth. i, 16.

Sed et Elisæus Eliæ abeunti dixit : Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. (IV. *Reg.* ii, 1.) Rex Josaphat quoque Joramo suppetias poscenti respondit : Ascendam : qui meus est, tuus est : populus tuus, populus meus : et equi mei, equi tui. (IV. *Reg.* iii, 7.) Quanto magis similem affectum erga Deum gerere convenit.

Utilitas. — Homini cuidam quærenti, quæ optima esset ad communionem preparatio, responsum est a Deo : Qui non habet, quod suum est : et qui appetit, quod suum non est : et cui satis placent, quæ a me fiunt is me, quando volet, percipere poterit. Taulerus, *instit.* c. xxxviii.

Armigeri cujusdam uxor semper dicere solita in tristi casu : Hoc tibi melius est : idem etiam dixit, quando maritus oculum amisit. Nec fefellit eventus; nam cum Rege suo morti proximo honoris gratia cum ipso mori juberetur, respondit, parum decens esse, ut Rex tantus pro socio monoculum haberet, et sic mortem evasit. Jo. DE TAMBACO, *in lib. consol.*

Clivus, in quo olim Jerosolymis Christus ad concionem dixerat, et mulier exclamarat : Beatus venter, qui te portavit etc. numquam in hyeme arenis tegitur : in æstate vero numquam virenti gramine caret. Huic similis est homo perfecte resignatus. DREX. *in Heliotr.* l. III, c. v, § 1.

Hierophantus Themistoclis filius gloriabatur, quidquid ipsi placuisset, id populo quoque Atheniensi probari; suæ enim sententiæ matrem suffragari; hujus Themistoclem, cujus universi Athenienses ratum haberent decretum. Multo magis homo divinæ voluntati conformatus gloriari poterit, quod velint omnes creaturæ quod ipse vult, quia velle debent, quod ipse et Deus vult. PLUTARCH. *de l. educ.*

Rex quidam ita suis convivium instrui jussit in mari, ut, eo finito, omnia vasa juberet in mare conjici : quæ tamen, quia retia occulte expandi jusserat cum magno fœnore piscium recepit. Simili ergo modo viri secundum cor Dei copiosius recipiunt, quæ perdidisse videbantur. DREX, p. I, *Rofar.* c. XIV, § 6.

Persarum quispiam olim de suorum multitudine gloriatus dicebat : Cras solem sagittis obscurabimus : cui festive Græcus respondit : Gaudeo, sic enim in umbra melius præliabimur. Idem respondere inimicis suis Deo devoti possunt. VAL. MAX. l. III, c. VII.

Heliotropio, ait Plinus, sunt æterna folia : rectius viris resignatis folia non defluere dicuntur, uti S. David testatur. *Ps.* I, 3.

Quid tibi opus est, ut sis bonus, quærit Seneca? et respondet : Velle. *Epist.* XXXII.

Cynecephalus non absimilis homini senescit cum luna, ita ut cum sidus ad extremam pervenit æstatem, oculi belvæ hient lumine vacui, et omne corpus deficiat; adolescente vero luna, iterum et oculorum acies, et vires crescant. Unde tali modo restitutus, in posteriores pedes se erigit, et mirabili corporis flexu, manibus ad lunarem circum elevatis, supplici gestu adorat lunam, et ubi luna circulum suum totum obtinuit, etiam ipse similem circulum velut diadema sortitur. Simili modo se homo cum voluntate divina conformatus habet. DREX. *in* l. *Heliotr.* l. III, c. VI, § 3, *ex Pierio.*

DIGNITAS. — Vir quidam sanctus dicere solebat : quidquid vis, hoc est. *Ibid.* l. III, c. V, § 2.

Inter bonos viros ac Deum amicitia est, conciliante virtute. Amicitiam dico? imo etiam necessitudo, et similitudo : quoniam quidem bonus ipse tempore tantum differt a Deo, discipulus ejus æmulatorque, et vera progenies. SENEC. *l. de provæ.* I.

Si Cæsar te adoptasset, quis supercilium tuum ferret? nunc cum Dei filius sis (propter voluntatis subjectionem) non te æstimas et attollis? *Epi apud Drex. in Heliotr.* l. III, c. V, § 3.

JUCUNDITAS. — Qui voluntati divinæ se in omnibus conformat, Olympo monti similis est, in quo perpetua serenitas, nulli venti aut tempestates reperiuntur. RODRIG, p. I, tr. VIII.

S. Dorotheus dixit, eum, qui divinæ providentiæ se totum gubernandum committit, cum omnibus crucibus suis curru vehi; alios vero, qui hanc itineris agendi rationem ignorant, pone sequi pedites, et onerosas cruces morose trahere, aut laboriose portare. S. DOROTH. *serm. de obed.*

Arsenius Marco Abbati quærenti; Eccur Pater ad nos non revisis? apte respondit? Cum iis, qui supra nos degunt, melius mihi convenit, cum omnes idem velint; inter homines vero tanta fere voluntatis, quanta vultus dissimilitudo est. DREX. *in Heliotrop.* l. II, c. III, § 1.

Dux belli Jesu Jonadabum affatus dixit : Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo. Et ait Jonadab. : Est si est, inquit, da manum tuam, et levavit eum in currum. (IV. *Reg.* X, 15,) Idem contingit homini, rectum cor et voluntatem habenti : quiescit enim in sinu Dei, velut curru, et laborem non sentit.

Stultus ut luna mutatur (*Eccl.* XXVII, 12); homo sanctus in sapientia manet ut sol, qui, etsi nube obducatur, in se tamen semper serenus manet.

NECESSITAS. — Causa pendet ex causa. Privata, ac publica longus ordo rerum trahit. Ideo fortiter omne ferendum est, quia non, ut putamus, incidunt cuncta, sed veniunt. Olim constitutum est quid gaudeas, quid fleas; et quamvis magna videatur varietate singulorum vita distingui, summa in unum venit. Accepimus peritura perituri. Quid ita indignamur? quid querimur? ad hoc parati sumus. Utatur, ut vult, suis natura corporibus; nos læti ad omnia et fortes cogitemus nihil perire de nostro. SENEC. *de prov.*, c. V.

Quisquis queritur, aut plorat, et gemit, imperata facere vi cogitur, et invitus rapitur ad jussa nihilominus. Quæ autem dementia est, potius trahi, quam sequi? quæ stultitia et ignorantia conditionis suæ, dolere, quod aliquid tibi incidit durius; aut mirari, aut indigne ferre ea, quæ tam bonis accidunt, quam malis? morbos, dico, funera, debilitates, et cætera ex transverso in vitam humanam incurrentia. Quidquid ex universi constitutione patiendum est magno excipiatur animo. Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare nostræ potestatis non est. In regno certe ad regnum nati sumus; Deo parere, libertas est. SENEC. *li. de vit. beat.*, c. XV.

AXIOMATA.

Poeta quidam non invenuste ostendit, omnia divinæ providentiæ committenda his versibus :

Sicut it, ire sinas, sic vult Deus optimus ire,
Sicut enim nunc it, sic semper it, ivit, et ibit.
Si desint vires, tamen est laudanda voluntas.
Sat facit indoctus fidicen saltare volenti :
Id est, voluntas bona ad omnia parata est.

Sua cuique Deus fit dira cupido. Vel rectius : justa voluntas.

Fac, quantum poteris, tua sitque intentio justa.
Cætera supremo cuncta relinque Deo.
Sic nivea intrabit mentem pax alma quadriga.
Et lætos pariet semper amica dies.

AUCTORES.

Francisc. Arrias in tr. de mortificatione, c. II.

Antonius Gaudier in to. de natura, et statibus perfectionis, p. 3, f. 2, fuse.

Jeremias Drexelius in Heliotropio. Et in Rosis, p. 3, c. VI.

Alphonsus Rodriguez in exercitio Perfectionis, p. 1, tr. VIII.

Eusiebius Nierenbergius in vita divina. Et in lib. de adoratione in spiritu, et veritate, l. IV, c. XII.

Alphonsus Madriliensis in Methodo perfecte serviendi Deo.

Theophilus Bernardinus, l. II *de perfect.*, c. XV, XVI, XVII.

Bernardinus Rosignolius de discipl., l. II, c. XXIX.

Jo. Erardus Fullonius S. J. in bona voluntate optimæ consentiente.

APPENDIX

Cum hæc materia, si ulla alia in praxi serviat ad solidam perfectionem, veramque animi quietem acquirendam, non parum ad eam magis illustrandam et confirmandam conducere visum est, si compendium doctrinarum ad eam pertinentium, ab Asceta quopiam collectum, et Dialogus de hac ipsa materia inter Christum, et S. Catharinam Senensem instructus referatur; in his enim devotus voluntatis divinæ æmulator inveniet, quidquid ad perfectam dictæ Resignationis praxim desiderare potest.

PARS I.

Continens doctrinas et fundamenta, ad veram Resignationem obtinendam pertinentia.

PROEMIUM.

Si vis ad veram perfectionem, animique tranquillitatem per breve compendium pervenire, ante omnia laborandum tibi est, ut sequentia tria fundamenta bene percipias, et per ea in omnibus casibus particularibus te dirigas, ut infra declarabitur.

FUNDAMENTUM I.

Summa nostræ felicitatis et perfectio in hac et altera vita, consistit in perfecta conformatione voluntatis nostræ cum divina, quam tanti faciunt ipsi etiam Beati, ut eam gloriæ suæ longe præferant, ideoque coronas suas ante pedes ejus ponant, parati amittere eas quandocumque, si sanctissimæ ejus voluntati visum foret. Uti pulchre P. Jeremias Drexelius ostendit, sic loquens : Illud hic singulariter observandum, beatos in cœlo copiosius lætari de executione voluntatis divinæ, quam de magnitudine suæ gloriæ. Hinc omnes et suo singuli præmio contentissimi sunt, nec ulli displicet, se minus altero habere. Sic enim, qui Deum vident, ad divinam voluntatem non tantum conformati, sed ab illa etiam absorpti transformatique sunt in illa, ut jam solius Dei velle velint, et magis gaudeant, hanc esse Dei voluntatem ut sint beati, quam se beatitudine hac frui. Hanc humanæ voluntatis cum divina conformitatem sequitur excellentissimus amoris affectus, qui non tam conformitas, quam humanæ voluntatis cum divina unitas vocari potest. Et hæc beatos sic afficit, ut totis viribus, et quam ardentissime velint Deum esse, qui est, tam sapientem, ac potentem, tam misericordem ac justum, quam est, tam dignum omni honoris et gloriæ amplitudine, ac majestate. DREXEL. *Heliotrop.*, l. II, c. IV, § 2.

NOTÆ.

Ita 1. Deus Sanctæ Catharinæ Senensi cupienti veram et brevem viam ad perfectionem cognoscere, indicavit his verbis : Scias, servorum meorum salutem perfectionemque hoc uno constare, ut meam solius faciant voluntatem, atque eam summo semper studio adimplere nitantur, quantoque diligentius in id incumbunt, tanto perfectioni proprius accedere, quoniam mihi, qui summa sum perfectio, magis pressiusque adhærent. Addidit, hoc exercitium omnes virtutes, scripturarum volumina, et multiplices prædicationes complecti, ita ut, si ipsa suam ibi faciem contemplatura sit, seque ad illud composuerit, quidquid patet et latet in divinis sermonibus, adimpletura sit, et sempiterna lætitia et pace fruitura.

Ita 2. Thomas Kempensis, in persona Christi sic loquens : Non ergo æstimes te veram pacem invenisse, si nullam senseris gravitatem : nec tunc totum esse bonum, si neminem pateris adversarium : nec hoc esse perfectum, si cuncta fiant secundum tuum affectum. Neque tunc aliquid magni te reputes, aut specialiter dilectum existimes, si in magna fueris devotione atque dulcedine : quia in istis non cognoscitur verus amator virtutis : nec in istis consistit profectus, et perfectio hominis.

In quo ergo Domine?

In offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ, non quærendo quæ tua sunt, nec in parvo nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate : ita ut una æquali facie in gratiarum actione permaneas, inter prospera et contraria, omnia æqua lance pensando. Si fueris tam fortis, et longanimis in spe, ut subtracta interiori consolatione, etiam ad ampliora sustinenda cor tuum præparaveris, nec te justificaveris, quasi hæc tantaque pati non deberes, sed me in omnibus dispositionibus justificaveris, et sanctum laudaveris, tunc in vera et recta via pacis ambulas, et spes indubitata erit, quod rursus in jubilo faciem meam sis visurus. (THOM. KEMP., l. III, c. XXV.) Nihil ergo amatorem tuum, et cognitorem tuorum beneficiorum ita lætificare debet, sicut voluntas tua in eo et beneplacitum æternæ dispositionis tuæ; de qua tantum contentari debet et consolari, ut ita velit libenter esse minimus, sicut aliquis optaret esse maximus, et ita pacificus, et contentus in novissimo, sicut in loco primo : atque ita libenter despicabilis et abjectus, nullius quoque nominis et famæ, sicut cæteris honorabilior, et major in mundo. Nam voluntas tua, et amor honoris tui, omnia excedere debet; et plus eum consolari, magisque placere, quam omnia beneficia tibi data, vel danda. *Etriterum*, l. III, THOM. KEMP., c. XXII.

Ita 3. Alphonsus Madriliensis, c. I et II, fuse et bene addens hoc exercitium alia in tantum superare, quantum sol splendorem candelæ, et mare integrum unicam guttam excedit. ALPHON. MADRIL., c. I et II.

Ita 4. Alphonsus Rodriguez sic loquens; Cæterum caput divinissimæ ipsius doctrinæ princeps hoc fuit, ut sanctissimæ ipsius voluntati, integre, perfecteque nos dederemus, consecraremusque rebus in omnibus, ac singulis. Neque vero verbis dumtaxat (quando orare nos docuit) ita instruxit, ut ab æterno Patre postularemus fieri voluntatem ejus sicut in cœlo, ita et in terra, sed et ipse huic se doctrinæ perfectissime accomodavit : *ad hunc etenim finem descendi*, ait ipse *de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Atque implere jam volens opus redemptionis nostræ, in oratione illa facta in horto, tametsi corpus appetitusque sensitivus naturaliter mortem refugeret, quod satis ipsemet expressit, dicendo : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste :* nihilominus tamen voluntas, appetitusque superior promptus, expeditusque semper fuit ad calicem, quem dederat illi Pater, alacriter bibendum; unde mox subdidit : *Non quod volo ego, sed quod tu.* Ut vero hanc rem in radice penitusque inspiciamus, duo hic brevia quidem at substantialia fundamenta debemus supponere, quibus, veluti duobus cardinibus, totius sequentis dispositionis superinjecta moles debet inniti. Primum est, omnem profectus perfectionisque rationem in hac conformitate voluntatis nostræ cum divina consistere, ita ut, quo hæc fuerit major, eo major etiam futurus sit profectus. Facilis ac plana est fundamenti hujus intelligentia. Certum enim est, perfectionem essentialiter consistere in charitate, timoreque Dei. Plena doctrinæ hujus omnia sunt Evangelia, plenæ Pauli Epistolæ, pleni Sanctorum libri. *Hoc est maximum, et primum mandatum. Charitas est vinculum perfectionis. Major horum est charitas, et amor Dei;* hujus autem amoris Dei pars altior, purior, perfectior, est isthæc cum voluntate Dei conformitas in omnibus. Eadem velle, et eadem nolle, firma amicitia est, vox est magni Hieronymi ex Cicerone petita. Quanto igitur arctius quis se adstrinxerit voluntati Dei, tanto melior erit perfectiorque. Præterea clarum etiam est, nihil voluntate Dei melius esse, nihil perfectius. Ergo perfectissimus is erit, qui se Deo perfectissime conformaverit, atque conjunxerit. Rodrig., p. 3, tr. viii, c. i.

Ita 5. Blosius his verbis : Quisquis ita bona præditus est voluntate, ut sese abneget, et propriæ renuntiet voluntati, seque liberrime resignet, ac dedat voluntati Dei, ejus bona voluntas est perfecta, idemque absque formidine, et anxia sui cura vitam transigit, caducaque ac labentia cuncta proculcat, et de vita æterna obtinenda quamdam se sentit habere certitudinem. Ejusdem in omnibus cum Deo voluntatis est, et pacem habet cum Deo, et in Deo imperturbabilem. Hic ex Deo natus, et verus Christi discipulus est : quia mitis est, et humilis corde. Moderate, suaviter, ac tranquille ferre novit et verba aspera, et truces gestus, sæva opera et quidquid demum injuriæ, sive in ipsum, sive in amicos ejus conferri possit. Eum nihil perturbare potest, neque jactura rerum terrenarum, neque corporis adversa valetudo, neque ignominia, neque mors, neque vita, neque purgatorium, neque dæmon, neque infernus. Quia enim ex vero amore divinæ se resignavit voluntati, et nullius mortiferi peccati conscientia mordetur, facile illi toleratu est, quidquid de eo mandat fieri Deus, in tempore et æternitate. Itaque cum aliquid patitur, et in omni rerum eventu, ita cogitat ac dicit : Domine, sicut ipse ab æternitate, antequam ego essem, voluisti, ita fiat, et non ut ego volo. Non meum commodum, non meam oblectationem quærere debeo, sed tuum honorem, et tuam laudem. Gratior mihi est tua sancta voluntas, quam optandi libertas. En igitur me ipsum dedo, resigno, et promitto tibi, Deus meus, non in tempore modo, sed etiam in ævum sempiternum. Blosius, *in farrag. utilissi. instit.*

Ita 6. S. Paulus ad Romanos scribens : *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona* (id est, quæ Deus vult, bene placeant, et quomodo Deus vult) *et perfecta* (id est, quia Deus vult, singula facientes) uti docet P. Gaudier, part. ii, Sess. 2, cap. xii, his verbis : Præfata conformatio voluntatis nostræ cum divina requirit, ut non tantum velimus idem, quod Deus vult, et nolimus, quod non vult, sed etiam id velimus, et nolimus eo modo, et propter eamdem rationem, propter quam Deus vult. S. Paulus ad Rom., c. xii.

Ita 7. P. Antonius Gaudier, addens, hanc praxim habere tres proprietates valde optandas, 1. quod sit valde facilis, et idcirco maxime conveniens, non eruditis tantum, sed etiam rudibus, et idiotis, præcipue iis, qui in afflictione aliqua positi, divini consilii rationes non intuentur, nec facile aliis mediis pervenire possunt ad perfectionem, cum sæpe impediantur, ne multa agere possint, quæ tamen videntur requiri ad perfectionem; nam iis facile hoc uno actu juvantur. Præterea, quid facilius infanti ignoranti, et cæco, quam matris, aut alterius ductum sequi? quid ergo pariter facilius, quam se projicere in amplexus optimi Patris, et tutissimum providentiæ divinæ sinum. 2. Quod sit maxime simplex; pauca enim requirit, eaque non difficilia cognitu, et tamen, licet sit simplex, involvit omnem perfectionem imaginabilem, sicut actus ipse voluntatis Dei simplicissimus omne prorsus bonum habet pro objecto, tam proprium, quam creaturarum, quæ creaturæ si quid perfectionis habent, vi illius actus unius habent. 3. Quod sit valde expedita; nam idcirco tam multa, eaque evidentia signa voluntatis suæ dedit Deus, ut facile in omnibus pene rebus et actionibus possimus eam cognoscere, quod valde nos juvat, ut facile et expedite eidem nos conformemus. Gaudier, p. 2, *serm.* ii, c. xix.

Ita 8. Jeremias Drexelius sequentibus verbis : Omnes humanæ actiones pretium sui habent a fine, quem spectant : hinc illæ tam bonæ vel malæ, quam illarum finis est. At vero finem actionum nostrarum nec meliorem, nec sublimiorem reperimus ullum voluntate divina, hoc est, ipso Deo. Ergo nec meliores nec sublimiores actiones ullæ sunt, quam quæ proximæ huic fini. Hinc illud Basilii Magni effatum, totam sanctitatis summam in homine Christiano esse, ut is rerum omnium, qua grandium, qua exilium causas ad unum, solumque Deum referat, et sese in omnibus divinæ voluntati promptissime subjiciat. Hæc illa est sanctis patribus, et sanctioris vitæ Magistris toties, ac tantopere commendata Resignatio, quam vocant principium omnis tranquillitatis, ut quæ hominem in Dei longe tutissima manu collocat, ita quidem ut homo jam nolit esse suus, sed Dei, nec sibi vivere, sed Deo, et nihil non facere propter Deum, tam adversis contentus, quam prosperis. Hoc Deus adeo in amoribus, et deliciis habet, ut Hebræum regem David augustissimo titulo donans, appellarit virum secundum cor suum, qui faciat omnes voluntates suas. Adeo enim Rex ille affixum habebat cor divino cordi, ut ad omnes Dei nutus se promptum, ac paratum sisteret. Hac omnino ratione plurimum quotidie promereri quis potest, si actiones illas omnes ex se nec vituperio, nec laude dignas, uti sunt edere, bibere, deambulare, dormire, etc., ad divinam referat voluntatem, neque ideo edat aut bibat, quod esuriat aut sitiat, sed quod Deo id fieri placeat. DREX. *in Heliot.*, l. III, c. IV.

FUNDAMENTUM II.

Semper in nostra potestate est, supposito ordinariæ gratiæ divinæ auxilio, voluntatem divinam perfecte adimplere, cum ad hoc plus non requiratur, quam ut faciamus quæ Deus vult, quomodo vult, et quia vult, quod semper in nostra est potestate.

NOTÆ.

Ita 1. Deus ipse dicens : *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm etc., sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum. Deuter,* c. XXX.

Ita 2. Christus, dum S. Catharinæ scire cupienti, quæ sit voluntas ejus, dixit his verbis : Si paucis, et collectim scire desideras voluntatem meam, hæc est, ut summe, et semper ames me. Si autem me perfecte amare vis, hæc tria facere necesse est. 1. Voluntatem tuam ab omni amore, affectuque terreno, et carnali prorsus amoveas, ita ut nil temporale ames, nisi propter me, quoniam divinus amor terreni affectus, aut alterius amoris, consortium pati non potest. 2. Ut omnes cogitationes et opera, ad meum honorem et gloriam dirigas, et des operam verbis, precibus, et exemplis, ut alii quoque omnes me unum norint, ament, et colant. 3. Ut nolis non solum malum, sed et bonum, quod ipse nolim, atque adeo per quemcumque casum non frangatur mens tua, sed inconcussa fide semper teneas, me Deum tuum omnipotentem magis amare te, quam tu te ipsam. *In Dialog.*

Ita 3. Joannes Ximenes Coadjutor e Soc. Jesu, qui dicere solebat se tres habere interpretes voluntatis divinæ, scilicet Deum in cœlo, Superiorem in Capitulo, rationem domi. *Vita PP. Balth. Alvar.*, c. XXI.

Ita 4. P. Gaudier dicens, hæc esse signa voluntatis divinæ : 1. Præceptum. 2. Consilium Dei. 3. Christi vita, et exemplum. 4. Vocatio Dei ad statum, vel officium. 5. Obedientiæ vox, sive viva superiorum, sive mortua regularum et consuetudinum. 6. Consilium vivorum bonorum, eorum præcipue, qui post Superiores animarum nostrarum Directores sunt, imo vero aliorum omnium judicium, quod non est malum, etsi nostrum videatur melius, tamen humili, et Deum amanti ordinarie sequendum est, nisi aliqua alia signa Dei voluntati obstent. 7. Operationes Dei supernaturales, v. gr. inspirationes, exempla aliorum, prædicatio. 8. Permissio peccatorum. In dubiis autem idem assignat sequentes tres regulas. 1. Cæteris paribus semper inclinandum est in id, quod vilius est, et plus abnegationis continet; hoc enim tutissimum et non tantum nostro merito, sed etiam Evangelicæ regulæ, quæ jubet novissimum locum eligere, consormius est, et certum est id magis placere tunc divinæ Majestati. 2. In dubiis semper inclinandum est in favorem proximi, et amplectenda pars ipsi utilior, honoratior, lenior, et quæ futura est majori ædificationi, et minus periculum perturbationis continet. 3. Si neutrum hoc sufficiat, duo sunt facienda. In primis res accurate Deo semel, iterumque in oratione commendanda est. Deinde proponendum constanter, quod velit majorem Dei gloriam quærere, idque eligendum, quod videbitur ad hunc finem convenentius;

fieri enim non potest, quin Deus signum aliquod aperiat, quo vel suam voluntatem declaret, vel saltem ad prosperum deducat exitum, quod tam sincere ad gloriam suam deductum est.

FUNDAMENTUM III.

Hoc ipso, quod Deus sit summe potens, sapiens, et bonus, potest, scit, et vult semper id, quod optimum est circa nos ordinare, nec nos quidquam melius optare, aut eligere possumus, quam quod de facto de nobis ipse disposuit, cum sine illius voluntate fieri nihil possit.

NOTÆ.

Ita 1. Christus S. Catharinæ Senensi cupienti viam cognoscere, qua posset ad perfectam voluntatis suæ cum divina conformatione pertingere, indicavit his verbis : Volo, ut certa fide, alta mente, ac frequenti consideratione mediteris, me Deum tuum gloriosissimum, qui te ad beatitudinem fruendam creavi, æternum esse, summum, omnipotentem, vobisque omnia, quæ mihi sunt placita, facere, nec esse, qui, vel tantillum meæ possit resistere voluntati, nec quidquam sine eadem voluntate mea vobis accidere, nihil prorsus nisi me permittente provenire, ut per Prophetam vobis enuntiavi, non esse malum in civitate, quod non ipse fecerim, id est, permiserim. Mediteris pariter, me Deum esse summæ sapientiæ, perfectissimæ cognitionis et intelligentiæ, omnia certa ratione videntis, et acutissime penetrantis; ut ad cœlum, terram, mundum totum, et universa gubernanda, nulla possim ratione falli, nullo errore turbari : quod si non ita esset, nec Deus essem, nec sapientissimus. Et ut tantillum percipias vim hujus sapientiæ meæ, scias, de malo culpæ et pœnæ, me longe majus bonum, quam sit malum, elicere. 2. Velim consideres, me eumdem Deum tuum non minus summe bonum esse, et hac de causa non posse, nisi quæ bona sunt, utilia, et salubria tibi et aliis velle; non posse a me aliquid malum provenire, nihil odisse, et hominem, ut mea bonitate creavi, ita per me semper inæstimabili dilectione prosequi. His vero per firmam fidem, mente ac meditatione collectis, cognosces, tribulationes, tentationes, difficultates, dolores, infirmitates, et adversa omnia ob nullam aliam causam me gubernante provenire, nisi utilitatis, et salutis vestræ gratia, ut per ea, quæ videntur vobis mala, a pravitate corrigamini, et ad virtutem, qua itur ad verum et summum bonum vobis incognitum, perducamini. Cognosces præterea hoc fidei lumine illustrata, me Deum tuum magis scire posse, et velle bonum tuum, quam tu, teque id nec posse, nec scire, nec velle absque gratia mea. *In Dial.*

Ita 2. Salomon : *Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas, a Deo sunt. Eccl.* c. I.

Ita 3. S. Augustinus dicens : Prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem. S. Aug. *in Ps.*

Ita 4. Rodriguez sic discurrens : Alterum fundamentum est : citra voluntatem Dei nihil prorsus in mundo posse contingere, secluso peccato, cujus Deus auctor nec est, nec vere esse potest. Sicuti enim naturæ ignis repugnat frigefacere, aquæ calefacere, solis obtenebrare, sic infinities magis repugnat immensæ bonitati Dei amare peccatum. *Mundi sunt oculi tui* (loquitur de Deo Abacuc) *ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris;* sicuti cum volumus dicere de aliquo, quod alterum oderit, dicimus : Non potest illum videre. Quoniam non Deus volens iniquitatem est. De hoc Dei erga peccatum odio plena est omnis scriptura. Hoc inquam seposito, alia omnia, etiam mala pœnæ, ex voluntate Dei eveniunt, et fortuna in mundo nulla est, quod Ethnici somniabant. Bona enim, quæ mundus fortunæ nominat, non ab hac, sed a solo Deo sunt. Ac tametsi non negemus, etiam causis secundis suam efficientiam, certum tamen est, nihil fieri in vasta hac mundi republica, nisi voluntate, ordinationeque summi illius Imperatoris, et Monarchæ Dei, qui eam moderatur. Respectu Dei casus nullus est, sed dextera Dei facit omnia. Unus ipse in numerato habet omnia ossa corporis, omnes capillos capitis tui ex quibus nec unus peribit sine nutu permissuque Dei; sed quid dico de homine? nec avicula quidem laqueo venatoris, sine dispensatione Dei, implicatur, *Nonne duo passeres veneunt dipondio? et unus ex iis non cadet super terram sine Patre vestro ;* sed nec frondes moventur in arbore sine Deo. Et quid de ipsis sortibus? mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur; sic et sors cecidit super Matthiam, non casu, sed decreto, et providentia magni Dei, qui illum habere voluit

Apostolum per hanc viam. RODRIG., p. 1, n. 3, c. II.

Ita 5. Drexelius sic loquens : Omnia mundi mala (peccatum excipimus) a Deo esse, hac ratione docent Theologi. In omni peccato duo sunt, culpa et pœna. Deus est auctor pœnæ, quæ in peccato est, sed neutiquam culpæ. Ideo si demamus culpam, nullum est malum pœnæ, quod non fiat a Deo, aut ipsi non placeat. Sicut autem mala peccati sunt pœnæ, sic et mala naturæ oriuntur a divina voluntate. Naturæ mala vocamus, famem, sitim, morbos, dolores, etc., quæ sæpissime nihil habent cum peccato commercii. Itaque Deus reipsa (et, ut in scholis loquuntur, effective positive) omnia pœnæ naturæque mala vult (intentione saltem secundaria) ob justissimas causas, solum peccatum, seu, culpam permittit. Ideo hæc Dei voluntas Permittens, illa Ordinans vocatur. Id igitur omne, quod nos malum vocamus, a Dei voluntate est. Ita Theologi. Hoc fundamentum altissime in animo jaciendum; maximi enim refert, probe istud capere, idque semper persuasissimum habere, pœnarum, et malorum omnium causam primam esse voluntatem divinam, culpa tamen, ut monuimus, semper seclusa. DREXEL. *in Heliotrop.*, l. I, c. I, § 2.

Ita 6. Thomas Kempensis his verbis : Qui in me confidit, nec proprio judicio stare appetit, absque humano terrore erit. Ego enim sum Judex, et cognitor omnium secretorum : ego scio qualiter res acta est; ego injuriantem novi, et sustinentem. A me exiit verbum istud, me permittente hoc accidit, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Ego reum, et innocentem judicabo, sed occulto judicio utrumque ante probare volui. Atque hæc sunt tria illa fundamenta, quibus, ut dixi, firmissime homo inniti debet, si ad solidam perfectionem per compendiosissimam viam pervenire, veramque animæ tranquillitatem obtinere cupit, id quod ex sequentibus corollariis clarius intelliges. THOM. KEMP., l. III, c. XLVI.

COROLLARIA EX DICTIS FUNDAMENTIS DEDUCTA.

COROLLARIUM.

TRISTITIA. Itaque ex dictis fundamentis colliges 1. *Te non debere de ulla re tristari, quam de peccato, cum hoc solum separet te a voluntate divina, atque adeo vera felicitate te privet, reliqua vero omnia separare te a voluntate divina non possunt, nisi tu ipse consentias.*

NOTÆ.

Ita 1. Deus per Salomonem : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* SALOMON., *prov.*, c. XII.

Ita 2. S. Paulus dicens : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* S. PAUL., *ad Rom.*, c. VIII.

Ita 3. S. Augustinus, sic animans : Quid timet homo in sinu Dei positus? tu de sinu illius noli cadere, et quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, et non ad perniciem. S. AUG., *s. de ver. Dom.*

Ita 4. S. Catharina Senensis dicere solita, Justos Christo similes esse, qui etiam in hac vita non caruit beatitudine. RODRIG., p. 1, tr. VIII, c. IV.

Ita 5. Mendicus, de quo Drexelius sic narrat : Fuit olim magni nominis Theologus, qui octennium ipsum assiduis precibus Deum obsecravit, hominem sibi monstraret, a quo viam doceretur ad cœlum compendiosissimam. Eo igitur die, quo hujus hominis alloquendi desiderio maximo tenebatur, nec aliud mallet, quam videre Magistrum tam arcanæ veritatis, vocem cœlitus allatam audire sibi visus, quæ sic moneret. Exi foras ad templi vestibulum, et qualem quæris, reperies hominem. Prodiit ergo in publicum, et ad ædis sacræ limina mendicum invenit tibiis ulcerosis, et multo putre fluentibus; vestis mendici vix trium obolorum erat. Huic Theologus candidum precatus est et prosperum mane. Cui mendicus : Non memini, ait, me unquam habuisse adversum. Hic litteratus ille, primam salutationem velut correcturus, eia, inquit, fortunatum te reddat Deus. At ego, inquit mendicabulum, infortunatus nunquam fui. Obstupuit ad hanc vocem Theologus, sed ne forsan errasset audiendo, votum suum repetens, sed paulo aliis verbis, ecquid ais, inquit, felicem esse te jubeo. Mox iterum mendicus, numquam, ait, infelix fui. Theologus argutari credens dicacem mendiculum, et ut hominis ingenium experiretur, eveniant, inquit, volo tibi, quæ optas, atque id fiat. Non est, ait iste, quod hic querar : omnia fiunt, ut volo, quamvis fortunæ mea consilia non applicem. At Doctor ille denuo salutans ac valedicens, servet te Deus, inquit, vir bone, si quidem fortunam oderis.

Sed dic, obsecro, tune solus inter calamitosos mortales beatus? Job ergo falsus, qui asserit : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*; et quomodo tu solus evasisti omnes malos dies? non satis assequor animi tui sensa. Ad quæ mendicus : Sic est, mi Domine, ut dixi. Optanti mane prosperum, negavi me unquam habuisse improsperum. Sorte mea, quam mihi Deus hic assignavit, contentissimus sum : non egere felicitate, felicitas mea est. Monstra illa, Fortuna et Infortunium, neminem lædunt. nisi volentem, aut certe timentem lædunt : nec ego unquam fortunæ supplico, sed Patri cœlesti, qui rerum omnium eventus gubernat. Ita me numquam infelicem fuisse aio, ut cui omnia ex voto cadunt. Quod si fame urgear, Deum providissimum Patrem ob id laudo. Si frigus me urat, si nimbus in me ruat, si aliis cœlum injuriis me impetat, Deum æque laudo; cum aliis ludibrio sum, Deum non minus laudo. Nam certus sum, horum omnium auctorem esse Deum, nec posse non esse optimum, quod Deus facit. Idcirco quicquid Deus vel tribuit, vel evenire permittit, gratum sit an ingratum, dulce an amarum juste habeo; nam hæc omnia velut de manu Parentis optimi lætus accepto, et hoc unum volo, quod vult Deus. Ita omnia fiunt, ut volo. Miser est, qui fortunam aliquid in se posse credit, et is demum vere infelix est, qui nescit quam felicitatem in hoc orbe somniat. Hæc vera est felicitas in hac vita, soli voluntati divinæ quam tenacissime inhærere. Dei voluntas optima, rectissima voluntas, quæ non rectior fieri, nec mala esse potest. Hæc de omnibus judicat, de hac nullus. Ut hanc sequar, meum ego studium omne confero, in hanc unam, curam tota mente incumbo, ut quidquid vult Deus, hoc et ego numquam non velim. Ea de causa nequaquam infelicem me censeo, quando meam omnem voluntatem sic integre in divinam transfudi, ut apud me non aliud velle sit, aut nolle, quam quod Deus vult, aut non vult. Ita ne vero, inquit Theologus, tu ista ex animi tui sententia profers? sed dic, obsecro, eadem ne tibi mens esset, si te Deus ad inferos statuisset præcipitare? cui prompte mendicus : me, inquit, ille ad inferos præcipitare? ad inferos ille? At scias, duo mihi esse brachia miri roboris, his ego illum arctissime stringerem complexu insolubili. Unum brachium est, subjectissima humilitas per sui oblationem, alterum charitas sincerissima per Dei dilectionem. His ego me brachiis Deo sic innecterem, ut quocumque ablegaret, illuc eum una mecum traherem. Et sane multo foret optatius, extra cœlum esse cum Deo, quam in cœlo sine illo. Theologus ad has voces attonitus, cum animo suo agitare cœpit, hanc illam esse compendiosissimam semitam ad Deum. Sed libuit ulterius sciscitari, et sapientiam in domo tam incommoda habitantem elicere in apertum; et unde tu, inquit, huc advenisti? a Deo veni, respondit mendicus. Cui Theologus iterum : et ubinam locorum, inquit, reperisti Deum? ubi res creatas omnes, ait iste, deserui. Theologus denuo, ubi vero, ait, Deum reliquisti? subjecit pauper : in mentibus puris, ac bonæ voluntatis. Ecquid tandem hominis es? ait Theologus. Mox alter, quisquis sim, inquit, sorte mea tam contentus sum, ut eam cum omnium Regum opulentiis non commutaverim. Rex est, quisquis sibimet novit imperare. Ergone te Regem credam? inquit alter; ubi regnum tuum? illic, ait mendicus, et simul digito cœlum monstravit : Rex est, cui Regnum illud in alto certis chirographis transcriptum est. Denique Theologus finem facturus quæstionibus, quis ista, inquit, te docuit? quis hunc tibi animum injecit? respondit alter, dicam Domine : totos ego dies sileo, et jam vel precibus vel piis cogitationibus vaco : et hoc unice curo, ut Deo semper sim conjunctissimus. Conjunctio et familiaritas cum Deo, divinaque voluntas docet hæc omnia. Plura quærere volebat Theologus, sed in aliud tempus id differendum ratus, in præsenti valedixit. Dum abit, multa secum cogitans; en, aiebat ipse sibi, doctorem reperisti rectissimæ ad Deum viæ. Quam vere Augustinus : Surgunt indocti, et cœlum rapiunt, et nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne et sanguine? *Heliotr.*, l. III, c. 1.

Ita 6. Rodriguez sic loquens : Quicumque igitur hanc conformitatem suæ voluntatis cum divina integre perfecteque attigerit, omnia tamquam de manu Dei descendentia cupide amplexando, hic utique beatitudinem possederit in terris, fruetur enim perfundeturque perenni quodam gaudio, et lætitia inenarrabili animæ, quia quidem felicitate gaudent in hac vita magni servi et amici Dei. Certum siquidem est illud Apostolicum. *Non est Regnum Dei esca, et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu S.* Merito autem dicitur alma hæc pax beatitudo, quodam enim modo facit nos similes beatis. Uti enim in cœlo nulla est vicissitudo, nullum, ut sic dicam, vade et veni, sed jugis consistentia beatorum in uno esse, gaudendo in, et de Deo : ita et illi, qui hic adepti sunt dictam conformitatem, ut omnis ipsorum gustus et oblectatio, sit ipse gustus et beneplacitum Dei, exulat omnis inquietudo atque turbatio, quæ aliis ex rerum hujus mundi vicissitudine perpetua accidit; etenim illorum mens ita absorpta in Deo est, ut, cum videant a Deo proficisci universa, et in omnibus impleatur sanctissima, rectissimaque ejus voluntas, molestiæ ipsæ, curæque vitæ præsentis vertantur ipsis in gaudium, quia magis quærunt voluntatem Dei, quam suam. Atque ita nihil est, quod illis aliquam possit ingenerare molestiam. Si enim adversa omnia, uti jam diximus, ab ipsis accipiantur, tamquam singulares a Deo immissi favores et consolationes, nihil profecto est, quod altissimam illam eorumdem quietem possit vel in minimo interturbare. Rodriç., p. 1, cr. VIII, c. IV.

Ita 7. Drexellius his verbis veritatem hanc confirmans : Quisquis hanc propriæ voluntatis cum divina conformationem perfecte attigeris, omniaque velut de manu Dei cupide amplexatus fueris hæc tua in hoc orbe inferiore beatitudo erit; frueris perenni quodam gaudio, et lætitia non multis nota, hac enim felicitate fruuntur homines intima familiaritate Deo conjuncti : Beatus es, et bene tibi erit. Certum siquidem Paulinum illud : Non est Regnum Dei esca, et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. Uti autem in cœlo nulla est vicissitudo, nullum (ut sic loquar) heri aut hodie, sed continuus quidam sibique semper simillimus æternæ voluptatis affluxus, isque invariabilis, et nunquam non simul totus; quoniam mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quæ præteriit; ita, et ii, qui hanc suæ, et divinæ voluntatis unionem adepti sunt, jam pene immutabiles, quicquid ærumnosæ vicissitudinis intercurrit, rationis imperio premunt; omnis eorum gustus, et oblectatio est Dei beneplacitum : exulat hinc inquietudo, atque turbatio, quarum alioquin aliæ atque aliæ sine numero quotidie nascuntur. Voluntas illorum a Dei voluntate sic suaviter sopita est, ut, cum videant a Deo proficisci universa, sanctissimamque ejus voluntatem in omnibus impleri, molestiæ ipsæ, ærumnæque particulam gaudii secum afferant, quia in his ipsis molestiis, ærumnisque divinam voluntatem reperiunt, et certius, quam in rebus secundissimis. Ita quietem illorum altissimam, si forte quid incurrat, nihil est certe, quod evertat. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum.* Drex., l. III, c. VI.

Ita 8. Deus ipse sanctæ Catherinæ Senensi dicens : Volo te nosse, quod omnes pœnæ, quibus homines in hoc mundo affliguntur, in voluntate consistunt, quia, si voluntas esset ordinata, et concors cum voluntate mea, careret quodammodo pœna. Quamvis enim is, qui hac sancta, ordinataque voluntate præditus est, sentiat laborem et dolorem, quidquid tamen amore mei sponte patitur, quasi sine pœna portat, libentissime enim sustinet illud, considerans, et sciens, meam esse voluntatem atque permissionem, ut patiatur. Mens ejus in quovis dolore corporali libera est, cum voluntas ipsius in omnibus sit conformis, et unita voluntati meæ. *In Dial.*

COROLLARIUM II.

INVIDIA. Colliges 2. *Nulli hominum te ob ullum temporale, aut spirituale bonum invidere debere, cum semper occasionem habeas eodem bono fruendi, scilicet beneplacito Dei.*

Notæ.

Ita 1. David exemplo suo docuit, dum dixit : *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua. Ps.* CXVIII

Ita 2. Seneca dicens : Scito, quod nulli invidet vir bonus; quis autem magis bonitate præditus est, quam qui in omnibus regulæ omnis bonitatis, id est, voluntati divinæ, se conformat? *Sen. in epist.*

Ita 3. Thomas Kempensis, sic Deum alloquens : Omnia, quæ in anima habemus, et corpore; et quæcumque exterius, vel interius, naturaliter, vel supernaturaliter, possidemus, tua sunt beneficia, et te beneficum, pium, ac bonum commendant, a quo bona cuncta accepimus. Et si alius plura, alius pauciora accepit, omnia tamen tua sunt; et sine te nec minimum potest haberi. Ille qui majora accepit, non potest merito suo gloriari, neque super alios extolli, nec minori insultare; quia ille major, et melior, qui sibi minus adscribit, et in regratiando humilior est, atque devotior. Et qui omnibus viliorem se æstimat et indigniorem se judicat, aptior est ad percipienda majora. Qui autem pauciora accepit, contristari non debet, nec indignanter ferre, neque ditiori invidere; sed te potius attendere, et tuam bonitatem maxime laudare, quod tam affluenter, tam gratis, et libenter, sine personarum acceptione, tua munera largiris. Omnia ex te, et ideo in omnibus es laudandus. Tu scis, quid unicuique donari expediat, et cur iste minus, et ille amplius habeat, non nostrum sed tuum est hoc discernere, apud quem singulorum definita sunt merita. Nihil ergo amatorem tuum, et cognitorem beneficiorum tuorum, ita lætificare debet, sicut voluntas tua in eo, et beneplacitum æternæ dispositionis tuæ; de qua tantum contentari debet, et consolari, ut ita libenter velit esse minimus, sicut aliquis optaret esse maximus, et ita pacificus et contentus in novissimo, sicut in loco primo : atque ita libenter despicabilis, et abjectus, nullius quoque nominis et famæ, sicut cæteris honorabilior, et major in mundo. Nam voluntas tua, et amor honoris tui, omnia excedere debet, et plus eum consolari, magisque placere, quam omnia beneficia sibi data, vel danda.

COROLLARIUM III.

Talentorum distributio. Colliges 3. *Te non tristari debere, si advertas, te minora, quam alii talenta possidere, quia omnia talenta sunt tantum instrumenta ad voluntatem Dei faciendam; unde si pauciora tibi dedit talenta, minus quoque a te requiret, atque adeo æque poteris beneplacitum divinum per tua minora talenta, quam alius per majora, procurare.*

NOTÆ.

Ita. 1. S. Hieronymus docuit dicens : In templo Dei offerat unusquisque quod potest, alii aurum, et argentum, et lapides pretiosos; alii byssum, et purpuram, et coccum offerant, et hyacinthum : mecum bene agetur, si obtulero pelles animalium, et caprarum pilos. S. Hieron. *in prolog. Galeni.*

Ita 2. Joannes Avila : Nullum credo in mundo fuisse Sanctum, qui non voluerit esse melior, quam fuit, sed non propterea animi sui pacem hi amittebant; neque enim id tam ex propria cupiditate, utpote quæ numquam dicit, sufficit, desiderabant, quam propter Deum, cujus divisione ac distributione munerum satis erant contenti, etsi ipsis dedisset minus, rati verum amorem consistere, quod contenti viverent eo, quod ipse iis daret, quam in multa habendi desiderio, etsi id amor proprius non nisi ad melius Deo serviendum fieri dicat. *Avila.* xxiii, 23, *sup. audi filia.*

Ita 3. Thomas Kempensis, sic Deum alloquens, inquit : Unde, Domine Deus, pro magno etiam reputo beneficio, non multa habere, unde exterius, et secundum homines laus, et gloria apparet; ita ut considerata quis paupertate, et vilitate personæ suæ, non modo nullam gravitatem, aut tristitiam, vel dejectionem inde concipiat, sed potius consolationem, et hilaritatem magnam : quia tu Deus pauperes, et humiles, atque huic mundo despectos tibi elegisti in familiares, et domesticos. Testes sunt ipsi Apostoli tui, quos principes super omnem terram constituisti. Fuerunt tamen sine querela conversati in mundo etiam humiles et simplices, sine omni malitia, et dolo, ut etiam pati contumelias gauderent pro nomine tuo, et quæ mundus abhorret, ipsi amplecterentur affectu magno. Thom. *Kemp.* l. III, xii.

Ita 4. S. Paulus, *hæc omnia*, inquiens, *operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* S. Paulus, *ad Cor.* i, c. xii.

Ita 5. Rodriguez dicens : Omnino convenit, unumquemque iis talentis intellectus, ingenii, habilitatis, aliarumque qualitatum esse contentum, quæ divina bonitas ipsi communicavit, nec propterea, quod ea multis fortasse aliis concedat, debet animo esse dejectior. Res istæ ita in hoc mundo sunt ordinatæ, atque dispositæ, ut nemo sit, cui non aliquid desit : et tametsi videantur sibi aliqui in nonnullis rebus esse eximii, et vero etiam sint, habent nihilominus semper etiam alia, quæ ipsos humilient, in quibus opus habent hac conformitate. Viri sancti, quia periculum magnorum talentorum vere penetrabant, non solum ea non prensabant, sed et serio refugiebant. Audi Davidem : *Ab altitudine diei timebo :* et hinc Deo magis placebant, qui servos suos humiles vult, non elatos. O si semel capaces fieri possemus saluberrimæ doctrinæ hujus, omnia videlicet esse nugas et vanitatem, præterquam facere voluntatem Dei? Si tu absque litteris, vel saltem iis leviter tinctus, plus sapis, et places Deo, quid tibi cum litteris? si ob aliquem finem deberes illas velle, certe ob id unum velle deberes, ut Deo placeres; jam si Deo plus places vel nihil vel parum sciendo, uti revera plus places, quandoquidem ipse est, qui hanc distributionem fecit, quorsum te ipsum affligis? cur vis esse plus, cum te Deus velit esse minus? non placuerunt Deo magna illa sacrificia, quæ ipsi Rex Saul voluit offerre, quia res non erant conformes divinæ voluntati, quare nec placebunt eidem alta tua, sublimiaque desideria. Non consistit bonum nostrum, nec in profectu nostro litterario, nec in magnis qualitatibus, nec in re alia ulla, quam in voluntate Dei, et in bona exactaque reddenda ratione eorum, quæ Deus nobis tradidit, In his figendus est oculus cordis, et non in donis. Rodrig. p. 1, *tr.* VIII, 15.

COROLLARIUM IV.

Indifferentia. Colliges 4. *Te ad omnia loca, et officia indifferentem esse debere, cum in uno æque ac altero occasionem habeas finem tuum, id est, beneplacitum divinum obtinendi.*

NOTÆ.

Ita 1. S. Paulus dicens : *Spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus, etc. non ergo refert, quam personam, sed quam bene agas.* S. Paulus II, *ad Cor.*

Ita 2. S. Augustinus : Optimus minister ille est, qui non magis nititur a te audire, quod ipse voluerit, sed potius velle, quod a te audiverit. S. Aug. l. X, *confess.* XXVI.

Ita 3. B. Aloysius dicere solitus, Religionem navi esse similem, in qua æque magnum spatium vehendo conficiunt, qui ad remos, quam qui ad clavum sedent. *Vita.*

Ita 4. Thomas Kemp. Munit parum locus, si deest spiritus fervoris; nec diu stabit pax illa quæsita forinsecus, si vacat a vero fundamento status cordis, hoc est, nisi steteris in me, permutare te potes, sed non meliorare. Thomas Kemp. l. III, XXVII.

Ita 5. Rodriquez sic loquens : Apposita est ad hanc rem declarandam similitudo eorum, qui comœdias exhibent, quorum laus non regulatur a persona, quam repræsentant, sed a modo, dexteritate, et gratia, quacum repræsentant, agunt, movent, loquuntur. Unde si hæc melius præstet is, qui rusticum exprimit, eo qui Cæsarem, laus, et præmium ab æquis censoribus illi adsignatur, non huic. Ita quod Deus in nobis potissimum attendit in hac vita (quæ quid aliud est, nisi comœdia, et utinam in tragœdiam non terminetur) non est persona, quam repræsentamus, v. g. superioris, concionatoris, sacristæ, seu æditui, janitoris, sed illud unum, quam bene scilicet suam quisque personam repræsentet. Quare si melius munere suo fungatur Coadjutor Superiore, vel Concionatore, recipiet majus his in cœlo præmium, magisque a Deo honorabitur. Non potuisset interdum aliquis repræsentare personam Regis, repræsentando vero personam famuli, vel pastoris, honorem laudemque retulit, sic non fuisses tu fortassis idoneus; ad sustinendam personam Concionatoris, aut Superioris, jam vero bene laudabiliterque sustines personam Confessarii, Ministri, vel Coadjutoris. Novit optime Deus dare cuique, quod ipsi congruit, et secundum propriam virtutem. Nemo igitur aut affectet, aut appetat personam sibi non convenientem, nec talenta sibi indebita. Sed hoc sit studium cujusque, ut donum, quod Deus ipsi est elargitus, fructuose ad ejusdem gloriam collocet; hoc enim et Deo erit longe gratius, et copiosius in cœlo præmium percipiet. Rodrig. XIII.

Ita 6. Ignatius Loiola, asserens, eos, qui in Societate vivunt, debere esse indifferentes ad proficiscendum, et residendum in quacumque plaga mundi, quocumque eos miserit obedientia, inter fideles, et infideles, sive ad Indos, Hæreticos, etc. Et quidem circa hoc faciunt Professi quartum votum solemne Romano Pontifici, obligando se ad eumdem prompte et libere, nulla obtenta excusatione, ad quamcumque mundi partem, ad quam eos sua Sanctitas miserit, nihil petendo viatici, nec per se, nec per alios, nec temporale quicquam, idque sive pedibus, sive equo, cum pecuniis, vel sine, petendo eleemosynam, prout Sanctitatis suæ melius in Domino videbitur. Et asserit ibi S. P. N. finem, et intentionem faciendi hoc votum esse, ad conformandum se magis voluntati divinæ; cum enim primi illi Patres diversarum essent Regionum, et non constaret, ubinam terrarum magis esset placitum Deo ipsos occupare, fidelesne inter, an infideles, ad constituendum se in bilance divinæ voluntatis, consecrarunt se per hoc votum Vicario Christi, ut ipse dispiceret, quonam potius ad majorem Dei gloriam essent mittendi. Ipsa vero persona Societatis (inquit) non se debet intromittere, nec ullo modo procurare, ut vel eat, vel consistat in uno loco potius, quam in alio, sed debet esse omnino indifferens, totam dispositionem relinquendo in manibus superioris, qui loco Dei ipsum gubernat, ad majus obsequium, et gloriam suam. Ut autem videamus, quam indifferentes nos esse hac in parte voluerit S. P. N. legimus in vita ipsius, dixisse ipsi aliquando Patrem Jacobum Lainium, sentire se desiderium ad Indos proficiscendi, ad procurandam salutem gentis illius defectu operariorum misere pereuntis. Ego vero, inquit Ignatius, nihil horum desidero, rogatusque ejus rei causam, respondit, quia nos cum devoverimus summo Pontifici, ut ipse exploret ubinam majus Dei servitium obeatur, indifferentes nos esse convenit, ita ut non magis ad unam, quam ad alteram partem inclinemus. Imo (addit) si ego me sentirem inclinatum, uti tu, proficisci in Indiam, conarer me impellere in partem alteram, ad attingendam illam æqualitatem indifferentiamque, quæ ad consequendam obedientiæ perfectionem est necessaria. Neque ideo dicere intendimus mala esse, vel imperfecta ejusmodi desideria : sunt enim vero sancta, quin, et bonum est, ea superiori proponere, cum Deus illa inspirat. Sic enim dicit ibi P. N. gaudent superiores, sibi talia exponi : signa enim sunt divinæ vocationis ad loca, et suavius hoc modo omnia fiunt. Sed id tamen dico, ut videatur indifferentia, animique promptitudo, quam P. N. vult in nobis vigere ad eundum, manendumve in quacumque mundi parte. S. Ign. p. 7, *const.* I, § 1.

Ita 7. B. Ægidius, cui S. Franciscus licentiam dederat eundi quocumque vellet, habitandique in Provincia, et Monasterio, quæ ipsi magis arriderent, omnimodam ipsi, ob ipsius merita et sanctitatem, relinquendo libertatem : quid fit? vix quatriduum in ista licentia exegit, cum magnam sentire cœpit in animo inquietudinem. Redit igitur ad Sanct. Franciscum, petitque instantissime, ut locum, Monasteriumque ipsi designet, in quo ipsum de reliquo velit vivere, magno ipsi hanc libertatem, licentiamque stetisse, certumque se esse, liberam largamque hanc obedientiam nullam ipsi quietis partem relicturam. Boni ferventesque Religiosi pacem adimpletione propriæ voluntatis non inveniunt, sed turbas, et amaritudinem, ac propterea, nec hunc, nec alium locum affectant, sed sese totos in manu Dei superiorumque perfecte consistuunt, persuadentes sibi id, quod vere est, hanc esse voluntatem Dei, in qua sola conquiescunt. Ann. Franc. l. VII, c. v.

COROLLARIUM V.

Orationis modica occasio. Colliges 5. *Turbari te non debere, si advertas, te modicum tempus, et occasionem habere multas orationes peragendi, cum ideo solum debeas orationi vacare, quia Deus vult eam te peragere ad laudandum ipsum, variaque tibi, et aliis dona impetranda. Hos fines autem melius obtinere possit, si ex voluntate Dei aliquid agas.*

NOTÆ.

Ita 1. S. Augustinus inquiens : Vis semper laudare Deum? bene fac omnia, et laudasti Deum? S. Aug. *in Ps.* CXXXVIII.

Ita 2. Blosius dicens : Verissima devotio sita est in verissima resignatione, abnegatione, nihili pensione, et annihilatione sui ipsius. Hanc habet, quivis divina fretus ope, Deo semper inhæret per amorem, idque perinde in penuria, ut in abundantia, in mærore, ut in gaudio. Itaque qui in quibuscumque eventibus integra cum Deo pace, Deo unitus permanet, is, quid sit vera, et integra vita, veraque devotio, perspectum habet. Et in spec. spirit. c. IX. Nihil melius postulare, nullum præstantiorem orationem fundere potes coram Deo, quam ut petas fieri voluntatem ejus. Blosius, *farrag.*

Ita 3. P. Baltassar Alvarez e Societate Jesu; qui cum adverteret nimium in se desiderium orationis, statuit non plus temporis orationi dare, quam obedientia permitteret, amplectens pro regula suæ orationis consilium Tobiæ de eleemosyna filio datum : Quomodo potueris, esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam libenter impertiri stude. Cum enim orare sit esse cum Deo, si quo tempore ille vult opera tua uti, ipsum hac defraudes, jam non erit ipse tecum. Et, si ille tecum non sit, quomodo tua solitudo poterit esse oratio? servus faciens quidquid dominus ejus jubet, tempusque in eo expendens, quod ipse præcipit, paratus ad omnia, quæ ejus sunt obsequii, non gratis comedit panem, potesque omnem deponere scrupulum. (*Ibid.* c. XXXIV.) Alias vero dicebat cuipiam : Cupis proficere, orationique tuæ bene attendere, ut placeas Deo? permittas te ab eo gubernari, et incipias amorem, quem erga illum habes, in eo ostendere, quod sis contentus et paratus, quomodocumque, et quacumque via voluerit ille te ducere, et cum eo, quod ille dare voluerit, modicum, aut multum, aut nihil. Et crede certo, te magis illi placiturum, si gaudeas, et tranquillus sis cum paupertate, quamdiu ille te non eduxerit ex illa, quam si obtineres imaginariam tuam celsitatem. Satis hactenus eo modo servisti Deo, qui tibi placuit; incipias jam eidem servire, vel unico die, quomodo ipse cupit. (*Ibid.* c. XXXIV.) Cum vero quondam videret, se multis externis occupationibus premi, et proponeret Deo teneras quasdam querelas, quod sibi tempus deesset ad manendum cum ipso seorsim, factum est, inquit, hoc verbum Domini in me : Satis tibi sit, quod opera tua utar, quamvis te non habeam meum : Ex quo mansi jucundus, et lætus. Alias circa eamdem materiam hoc sensit : Fieri quidem potest, ut multis hominibus Societatis tempus desit liberum explendæ suæ voluntatis, sed non deerunt occupationes, et opportunæ occasiones ad explendam divinam. Quod si, ut granum frumenti fructum afferat, necesse est, ut moriatur; quæ melior, et major felicitas, quæ vero major stultitia, quam dolere de tali occupatione? Si Deus electionem nobis mortis permitteret, quamnam jucundiorem invenire possemus illa, in qua neque cauteria, neque opprobria adhibentur? quid autem aliud sunt hominum societatis occupationes, quam stationes, in quibus Deus illos ponit; spatia quædam ipsius obedientiis plena; venæ apertæ, ex quibus totus sanguis effluit propriarum voluntatem : quæ magis in oculis Dei splendent, quam lapides pretiosi : aptissimæ, ac tutissimæ viæ ad perfectionem? Dicebat etiam, præcipuum omnis bonæ orationis finem, et optimum fructum ex ea colligendum esse, dare Deo, quidquid a nobis petierit : magnaque cum conformitate acquiescere ei in omnibus, quæ de nobis statuerit. Et velut honesta uxor non alia de causa se exornat, quam ut marito placeat, cui si sine his ornamentis placeret, parata esset illa mox abjicere, etsi ab aliis deformis haberetur, et contemneretur : ita et nos in omnibus soli Deo placere studeamus. *Ibid.* c. L.

COROLLARIUM VI.

SOLICITUDO DE FRUCTU. Colliges 6. *Te in tuis negotiis non turbare debere, si optatus fructus non sequatur, cum intentio tua ad solum beneplacitum divinum ferri debeat, quem fructum semper obtinere potes : sed et de reliquo is fructus laborum optimus censeri debeat, quem providentia divina nobis concessit.*

NOTÆ.

Ita 1. Deus ipse dicens : *Quid est, quod debui facere vineæ meæ, et non feci? Sepivi eam, et lapides elegi ex illa, et plantavi eam electam, et ædificavi turrim in medio ejus, et expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas. Nunc ergo, habitatores Jerusalem, et viri Judæ judicate inter me et vineam meam.* ISAIÆ, V.

Ita 2. B. Virgo S. Birgittæ dicens : Amici Dei non habent attædiari in servitio Dei; sed laborare, ut homo malus fiat melior, et homo bonus veniat ad perfectiora. Nam quicumque voluntatem haberet sibilandi in aures omnium transeuntium, quod Jesus Christus esset vere Filius Dei, et faciendo conaretur, quantum posset, ad aliorum conversionem, licet nulli, vel pauci converterentur, nihilominus eamdem mercedem obtineret, ac si omnes converterentur, sicut per exemplum dico tibi : Si duo mercenarii ex præcepto domini foderent montem durissimum, et alius inveniret aurum electum, alius vero nihil, isti propter laborem et voluntatem digni essent æquali mercede. Lib. IV, *div.* XXI.

Ita 3. Sanctus Chrysostomus sic loquens : Utinam oratio nostra aliquid proficiat! Quod si, post longam admonitionem, in iisdem vitiis perseveraverint, ne sic quidem desistemus, illis, quod rectum est, consulere; quandoquidem et aquarum venæ, et si nullus veniat aquatum, manant tamen; et fontes, quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt : et amnes, etsi nemo bibat, nihilo secius fluunt; sic oportet, et illum, qui concionatur (et conversatur) quamvis nullus auscultet, tamen præstare, quidquid in ipso situm est. Siquidem hæc lex nobis, qui sacri sermonis administrationem suscepimus, a benigno præscripta est Deo. S. CHRYS. *hom.* III, *in* V, *Cor.*

Ita 4. Sanctus Bernardus Eugenium sic adhortans : Noli diffidere, inquit, curam exigeris, non curationem. Denique audisti : Curam habe illius, et non, cura, vel sana illum. Verum dixit quidem : *Non est in medico semper relevetur ut æger.* At melius propono de tuis tibi. Paulus loquitur : *Plus omnibus laboravi.* Non ait : plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi, verbum insolens religiosissime vitans. Alias autem noverat homo, quem docuit Deus, quia unusquisque secundum suum laborem accipiet, non secundum proventum. Ita, quæso, et tu fac, quod tuum est : nam Deus, quod suum est, satis absque tua anxietate et solicitudine curabit. Planta, riga, fer curam, et tuas explevisti partes; sane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu. Ubi forte noluerit, tibi deperibit nihil, dicente Scriptura. Sap. x. *Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum.* Securus labor quem nullus valet evacuare defectus. S. Bern. l. IV, *de Consid.* II.

Ita 5. S. Ignatius, qui, si quem, omnia expertus, tamen e peccatorum cæno extrahere non potuisset, non ideo contrahebat animum, vel se angori dabat, quasi oleum et operam perdidissset, sed conscientiæ et officii fructu contentus acquiescebat in alto providentiæ divino consilio. Idem alios, teste Ribadeneira, *l.* V, *c* XI, facere hortabatur Angelorum Tutelarium exemplo, qui quos a Deo sibi commissos acceperunt, monent, quoad possunt, defendunt, regunt, urgent, et ad bonum juvant; sed si voluntatis libertate abutantur illi, et inobedientes atque obstinati sint, propterea tamen nullo anguntur mærore, nulla afficiuntur molestia; Curavimus, inquiunt, Babylonem, et non est sanata.

Ita 6. Thomas Kem. loquens in persona Christi : Fili, desideria et sæpe accendunt, et vehementer impellunt : sed considera, an propter honorem meum an propter tuum commodum magis movearis. Si ego sum in causa, bene contentus eris, quomodocumque ordinavero : si autem de proprio quæstu aliquid latet, ecce hoc est, quod te impedit et gravat. Et iterum : Quare vano mærore consumeris? cur superfluis curis fatigaris? sta ad beneplacitum meum, et nullum pateris detrimentum. Si quæris hoc vel illud, et volueris esse ibi vel ibi, propter tuum commodum, et proprium beneplacitum magis habendum, nunquam eris in quietudine, nec liber a solicitudine, quia in omni re reperietur aliquis defectus : et in omni loco erit, qui adversetur. Thomas, *Kemp.* l. III, c. XII, § XXVII.

COROLLARIUM VII.

Zelus animarum. Colliges 7. *Etiam tunc turbari te non debere, quando occasionem non habes proximi salutem procurandi : Quia et hanc non aliter, quam juxta mensuram beneplaciti divini procurare velle debes; et præterea voluntas cum divina conformata, optimum etiam medium est, proximo necessaria ad salutem auxilia impetrandi.*

NOTÆ.

Ita 1. Blosius dicens : Multo acceptius Deo est, ut cum Apostolo ex animo dicamus ; *Domine quid me vis facere;* quam, si mira quædam ex voluntate propria, pro illius amore nos libenter facere velle dicamus : super omnia namque, quæ vel dicere, vel facere possemus, hoc a nobis maxime deposcit Deus, ut intus corde dicamus : Domine, fiat gratissima voluntas tua. Blosius *in farrag.*

Ita 2. M. Avila cuidam scribens : Ne quæso, respicias ad id, quod faceres, si sanus esses, sed cogita potius, quam placiturus sis Deo, si in morbo tuo (aut aliquo opere) cum Dei voluntate te conformes. Avila, II, *Epist.*

Ita 3. Bonaventura dicens : Perfectius est, adversa tolerare patienter, quam bonis operibus insudare. S. Bonav. *de grav. virt.* c. XXIV.

Ita 4. P. Balthasar Alvarez, qui, cum ægrotum quemdam visitaret, ferventem valde operarium, et conquerentem, quod in lecto jacens, nec orare posset, nec Sacrum facere, nec confessiones excipere, aliaque ministeria præstare, quæ sanus faciebat, eidem dixit pluris facere Deum, quod qui eum in morbo per mensem sustineat, ac toleret, quam quod in hujusmodi Ministeriis per integrum annum illi serviat. Vit. c. XVIII.

COROLLARIUM VIII.

Casus tristes amicorum. Colliges 8. *Etsi humanum sit, casibus amicorum condolere, numquam tamen te inordinate ab eos tristari debere : cum eadem causa te movere debeat ad eos deserendos, quæ ad agendum cum iis te* *impellere debeat, scilicet beneplacitum divinum.*

NOTÆ.

Ita 1. Christus valedicens Matri suæ, et hæc vicissim Filium dimittens ad mortem tam acerbam, quia sic Deum velle videbant S. BONAV. *in vita Christi.*

Ita 2. S. Job in oppressione liberorum id unum ingeminans : *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* JOB. c. I.

Ita 3. Thomas Kemp. in persona Christi sic loquens : Fili, si ponis pacem tuam cum aliqua persona propter tuum sentire, et convivere, instabilis eris et implicatus. Sed si recursum habes ad semper viventem, et manentem veritatem, non constristabit amicus recedens, aut moriens. In me debet amici dilectio stare, et propter me diligendus est, quisquis tibi bonus visus est, et multum charus in hac vita : sine me non valet, nec durabit amicitia : nec est vera, et munda dilectio, quam ego non copulo. Ita mortuus debes esse talibus affectionibus dilectorum hominum, ut (quantum ad te pertinet) sine omni humano optares esse consortio. THOM. KEMP. l. III, c. XLII.

Ita 4. S. Hieronymus ad Paulam : Bonus est Deus, et omnia, quæ bonus facit, bona sint, necesse est. Mariti orbitas irrogatur? plango quod accidit, sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Unicus raptus est filius? durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat. S. HIERON. *epist. ad Paul.*

Ita 5. S. Augustinus sic adhortans : illum quære, qui deesse non potest : subtrahuntur, quæ dedit; numquid subtrahitur, qui dedit : applica ad ipsam etiam voluntatem divinam. S. AUG. *in Psal.* XXXIV.

COROLLARIUM IX.

SOLLICITUDO DE FUTURIS. Colliges 9. *Te ob nullum eventum futurum inordinate angi debere, cum certo persuadere tibi possis et debeas, id futurum, quod Deo placuerit, id autem tibi malum non futurum, nisi tu per voluntatem propriam tibi in malum torqueas.*

NOTÆ.

Ita 1. Christus expectans usque ad Passionis tempus, et tunc ad orationem confugiens, dicensque : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Etiam alios tam solicite monuit : *Nolite soliciti esse in crastinum, crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. Quærite primum Regnum* (id est voluntatem) *Dei, et hæc omnia adjicientur vobis.* MATTH. c. IV.

Ita 2. Thomas Kemp. inquiens : Quid importat solicitudo de futuris contingentibus, nisi ut tristitiam super tristitiam habeas? Crede in me, et in misericordia mea habeto fiduciam. TH. KEM. l. III, c. XXX.

Ita 3. Balthasar Alvarez, qui eum, qui sub obedientia vivit, nolebat cogitare, quid cras de se futurum esset, aut quid ipse acturus esset. Responsio enim in promptu est : faciam, quod jubebor; erit, quod volet Deus. Et ita hoc totum meum lucrum est, ut te Deum meum contentum habeam, tibique satisfaciam. *Vita* c. A.

COROLLARIUM X.

ANGOR. DE PRÆTERITIS. Colliges 10. *Neque de præteritis te tristari inordinate, sed in providentia divina, quæ ob altissimas causas talia fieri permisit, acquiescere debere, et vero etiam utilius posse.*

NOTÆ.

Ita 1. S. Catharina Senensis in quadam Epistola sic scribens : Si omnia peccata simul in uno homine coacervata essent, non deberent eum impedire, quominus fructum Sanguinis Filii Dei in se reciperet, modo vera fides, et spes infinitæ misericordiæ Dei in eo remanerent. Cum peccatum solummodo in mala perversaque voluntate situm sit, homo videns bonam voluntatem sibi a Deo concessam esse, debet, omni confusione spiritus abjecta, perseverare in sanctis operibus, et exercitiis, ambulareque in lumine gratiæ, quam invenit in se absconditam in munere Dei, qui bonam voluntatem in se conservat. Debet diabolo confusionem, vel desperationem suggerenti respondere : Si gratia Dei in me non esset, et ego pravas suggestiones tuas sequerer : jam vero confido in pio Domino meo Jesu Christo, qui me semper intuebitur, ac salvum faciet, propter immensam misericordiam suam. S. CATH. *in Epist.*

Ita 2. Blosius dicens : Quando Asceta peccat, sibi soli peccatum suum imputet, magisque doleat, et deplangat, quod Deum fidelissimum dulcissimumque Patrem suum offenderit, quam quod commeruerit, ut gravibus, vel etiam æternis suppliciis puniatur. Molestiam illius acerbæ reprehensionis, qua tunc intus a Deo conteritur, non quærat effugere, sed humiliter illam, tamquam salutare antidotum sustineat. Exaggeret quidem offensas suas, non tamen desperet. Si ex lapsu factus est humilior atque cautior, res jam non usque adeo male se habet. Ergo postquam lapsus est, non nimis scrupulose perquirat, unde id acciderit, neque diutius, quam oportet, defectum suum apud se (quasi fugiens a Deo) revolvat : sed cito se in Deum recipiat, et contrito atque amanti corde ad Christum conversus (etiamsi sensibilis contritio non adsit) dicat : Domine, ego ad te confugio, culpam agnosco : propitius esto mihi peccatori. Projicio iniquitates et negligentias meas in abyssum miserationum tuarum. Renuntio omnibus, quæ tibi displicent, et quidquid tu non es, relinquo. Propono per gratiam tuam corrigere me : ablue me pretioso sanguine tuo. In te spero, clementissime mi, et amabilem dexteram tuam, quæ me cadentem semper excipit, deosculor. Præstat omnino post peccatum admissum mox reverti, quam diu in peccato discutiendo occupari, detinerique. Neque enim contracta dissimilitudo melius alibi, quam in Deo deponetur, Revera cum Deus sit fons immensæ misericordiæ, non potest non succurrere, non potest non ignoscere ei, qui ipsum humiliter et confidenter invocat, etiam si is peccata totius mundi millies commisisset. Fasciculus lini in ingentem ignem conjectus, non tam repente incenditur, quam paratus est Deus veniam dare homini pro peccatis suis vere dolenti. Inter bonitatem Dei, et peccatorem pœnitentem, nullum prorsus medium est. Blosius, *instit. spir.* c. VIII.

Ita 3. Idem Blosius sic loquens : Asceta propter eos defectus, quos nulla ratione in se devincere potest, non perturbetur, sed Deo se resignans, reputet illos velut fimum esse, quo conspersus ager animæ suæ uberiorem fructum afferet. Deus enim nævos aliquos spirituales, et modicum quid reprehensibile, etiam in charissimis electis suis sæpe relinquit (qui ut plurimum ad iram et vehementiam procliviores sunt, vel primorum motuum molestia longo tempore fatigantur) ut sibi, et aliis cogniti, magis humilientur, indeque gratia, quam a Domino acceperunt, velut ignis sub cinere occultetur, ac melius conservetur. Sæpe numero accidit, ut hi, qui irresignati adhuc sunt, et grandes in oculis suis, virilius primos in se motus compescant, et fortius adversa quæque extrinsecus perferant, gratiores sint quam humiles, et vere resignati Dei amici. Isti enim secundum interiorem quidem hominem tranquilli in adversis permanent, sed secundum sensualitatem plerumque turbantur, atque pœnas exhorrent. Igitur Asceta roget Christum, ut omnem suam imperfectionem suppleat. Si longanimis fuerit, tandem ab ipso Christo et illud intus audire merebitur : Gratias tibi ago, Fili, quod defectus tuos ad finem usque patienter tolerando, mecum crucem meam portaveris. *Ibid.*

Ita 4. Idem : Sancti Patres affirmant, eum, qui Dei erga se justitiam perinde ut misericordiam, ad æternam ejusdem sui Domini gloriam exosculatur ac diligit, tam facile peccatorum omnium, et pœnarum illis debitarum plenam veniam obtinere, quam facile una aquæ guttula in ardenti fornace consumitur. *Idem, in specul.* c. IX.

Ita 5. B. Aloysius exemplo suo docuit, qui, si quid deliquisse se cognosceret, non nimia tristitia contrahebat animum, sed semet ad pedes Domini projiciens, seque confessione expiaturum peccatum decernens, animoque dolens acquiescebat. Dicere item solebat, nimium de levibus erratis affligi, indicium esse hominis semet ignorantis, qui enim se norit, non posse esse nescium, hortum suum tribulorum, ac spinarum suapte sponte feracem esse. *Vit.* l. II, c. 5.

Ita 6. Thomas Kemp. in persona Christi hominem sic animans : Animæquior esto, et ad majorem sustinentiam accingere. Non est totum frustratum, si te sæpius percipis tribulatum, vel graviter tentatum. Homo es, non Deus, caro es, non Angelus. Quomodo tu posses semper in eodem statu virtutis permanere, quando hoc defuit Angelo in cœlo, et primo homini in Paradiso. Ego sum, qui mœrentes erigo sospitate, et suam cognoscentes infirmitatem ad meam proveho divinitatem. Th. Kem. l. III, c. LVII.

COROLLARIUM XI.

Persecutiones. Ita Colliges 11. *Te nullius persecutionis causa irasci, aut indignari debere, cum nemo tibi nocere possit, aut plus, quam Deus permittat, te affligere; quidquid autem Deus permiserit, id totum in summum bonum tuum ordines.*

NOTÆ.

Ita 1. Christus non aperuit os, cum consisteret peccator adversus ipsum.

Ita 2. S. David dicens : *Dimittite eum, ut maledicat : Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David : et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* L. II. *Reg.* XVI.

Ita 3. Thom. Kemp. sic loquens : Quis tu, ut timeas a mortali homine? Hodie est, et cras non comparet. Deum time, et hominum terrores non expavesces. Quid potest aliquis in te verbis, aut injuriis? sibi potius nocet, quam tibi : nec poterit judicium Dei effugere quicumque est ille. TH. KEM. l. III, c. XXXVI.

Ita 4. S. Antonius dicens dæmonibus, in diversis formis animalium apparentibus : Si quam Deus dedit vobis potestatem in me, ecce, irruite in me; si autem nullum a Deo ad hoc potestatem habetis, cur frustra laboratis.

Ita 5. S. Lupus, qui, cum ab Attila Trojam Galliæ urbem occupare volente quæsiisset, qui es tu? et ille respondisset, se esse flagellum Dei, mox aperiri portas jussit, dicens : Salve flagellum Dei. Ergo, et tu latissime aperi portas cordis tui, et persecutorem cum maximo charitatis, et gaudii affectu excipe.

Ita 6. Monachus ille, qui quanto plus eum aliquis injuriis afficiebat et incitabat, tanto magis ad eum recurrebat dicens : Isti sunt, qui nobis occasionem præbent ad perfectionem nostram; qui autem beatificant nos, ipsi decipiunt nos, et semitam pedum nostrorum subvertunt. *Vit. PP.* l. VII, c. VII, n. 4.

Ita 7. Christus S. Gertrudi, cum turbata ob aliorum persecutionem esset, dixit : Ne contristare, delector enim tua cohabitatione; ideo ut mecum maneas, mitto tibi amicos contrarios, ut, dum in nulla creatura fidelitatem reperis, ad me plenius recurras. (L. III, *Infin.* c. LXIII.) Alias vero eidem dixit : Singula verba detrahentium sume tibi loco virtutum, quibus exornata pervenies ad me, et ego compassiva pietate mea compulsus benigne suscipiam te. Et quanto plus conversatio tua sine culpa reprobatur, eo amplius cor meum amatoria beatitudine tibi condescendit, quia per hoc efficieris mihi simillima, qui in operibus meis semper habui perversores. Et iterum, dum eidem dixit, se ideo præ cæteris creaturis, quæ in humanitate ipsi deservierunt ad commoda corporalia (ut sunt vasa, quibus in infantia balneatus est) multo majorem honorem spineæ coronæ, lanceæ, etc. contulisse, ut et ipsi dilecti adversariis majorem amorem, quam benefactoribus impenderent. L. IV, c. LX.

Ita 8. P. Balth. Alvarez, dum tempestas aliqua gravis contra ipsum fervebat, tantum solatium in oratione, et Sacro ponens; in quo, cum aliquando esset valde compresso animo ex re adversa, accepit sequentia responsa. 1. *Fidelis est Deus, qui non patietur te tentari supra id, quod potes.* 2. Si Religioni ejusmodi fel deesset, quid tibi mihi causa ferendum superesset? et tunc mihi occurrebat, quod si ego essem, qualis esse deberem, debuissem potius similes fellis haustus, imo etiam amariores optare; et si hujusmodi difficilia, et ingrata vitæ justis desint, idem esse, atque si Christi Domini coronæ spinæ deessent, aut auri cuspides pretiosæ vesti. 3. Hoc fac, id est, sanguinem, et Corpus meum sume (erat enim sub sacrificio) ex quo vires accipias ad angustias tuas ferendas. 4. Conquiesce, et in hoc te solare, quod hæc tua pressura geratur, vidente et cognoscente Deo, qui etsi possit, non tamen illam removet, etiamsi plus te diligat, quam tu te ipsum. Sed et ipse se ipsum animabat, et spiritum resumebat, alloquens se ipsum, et dicens : Erras, si cogitas te integrum, et non bene contusum, perventurum ad cœlum : cœlorum enim regnum est detruncatorum, tentatorum, contemptorum regnum, et qui has, et similes alias ærumnas, et calamitates experti sunt. Quomodo igitur auderes inter tot adeo celebres, et decantatos duces, et capitaneos comparere, adeo timidus! *Vit.* c. XL.

COROLLARIUM XII.

DESOLATIONES. Colliges 12. *Etiam in summis desolationibus te perfectam animi æquitatem servare debere; cum semper tibi solida illa, quam quærere debes consolatio, ex voluntatis divinæ adimpletione supersit.*

NOTÆ.

Ita 1. Christus tristis usque ad mortem usurpans illam orationem : *Pater si possibile est etc.* RODRIG. p. 1, tr. VIII, c. LXXXIX.

Ita 2. Amicus ille Christi, qui post quinquennalem desolationem Angelos consolari volentes respuit dicens, abunde sibi ad consolationem sufficere, quod Dei in se voluntas perficeretur.

Ita 3. Alius Dei famulus dicens: Jam quadraginta annis Domino servio, et in oratione me exerceo, numquam tamen ullam in eo consolationem, vel gustum habui; quo tamen die in eam incubo, eo magnum postea in me vigorem ad quælibet virtutis exercitia subeunda sentio; at si quo die eam omittam, eo adeo torpidus et flaccidus sum ut me ad opus aliquod bonum faciendum ne a terra quidem alæ valeant sustollere. RODRIG. *l. c.*

Ita 4. S. Catharina Senensis, sic seipsam desolationis tempore alloquens: Tu vilissima peccatrix, nullis consolationibus digna est. Quid enim? nonne tibi satis fuerit, si non damneris, etiamsi toto vitæ tuæ tempore has cruces, et tenebras ferre deberes? Certe non ideo elegisti servire Deo, ut hic consolationes ab eo recipias, sed ut in cœlo fruaris illo in æternum. Surge igitur, et consueta exercitia tua prosequere, Dominoque tuo fidelis permane. *Idem*, tr. VIII, c. XXVIII.

Ita 5. Mituila dicens: Infinities plus est, ac dignius, in adversitatibus, cruce, desolationibus, ariditatibus, et tentationibus jugiter vivere, si id ipse ita velit, quam quoscumque gustus, consolationes et contemplationes habere, Dei voluntate cum iis non concurrente. *Avila in c.* XVI *Audi filia.*

Ita 6. Preclare Taulerus in hunc modum; Postquam homo ab omnibus abstractus jam puer esse desiit, et abunde refocillatione divinæ dulcedinis roboratus est, tum Deus panem cibarium ei porrigit, utpote viriles annos in spirituali vita assecuto; expedit prorsus, ut ille solido, duroque cibo pascatur, nec decet eum deinceps lacte foveri. Necesse est, ut ipse, jam puerilibus ludis relictis, negotiari, et victum suo labore conquirere, cœlique sævitiam ac tempestates perferre discat. Deus igitur vastam, tenebrosam, desolatamque viam illi proponit, per quam eum deducens aufert et occultat ab eo dona omnia, quæ illi unquam largitus fuerat. Hic jam homo totus sibi ipsi relinquitur, ita ut nullam Dei notitiam in se remansisse putet. Omnia exercitia sua, et quæcumque facit aut dimittit, prorsus insipida sunt, unde et anima illius præ tædio in illis dormitat. Vix ad momentum in pia aliqua cogitatione persistere potest, adeo instabilis est mens ejus: si ad Deum se revocat ut illi intendat, mox inde veluti repellitur excutiturque. Totum tempus suum se perdere, et in his, quæ agit (quantumvis ea bona sint) cœlestem sponsum se offendere arbitratur; pro quibus etiam graves pœnas post hanc vitam se luiturum formidat. In initiis conversionis ejus volens eum Deus ad se allicere, sicut auceps avem esca objecta allicit, crebro suis illustrationibus visitabat, suavissimoque amoris sui igne inflammabat, et dulcedinem suam gustare faciebat, muneribus gratiæ suæ voluntatem ejus ita trahens, ut quidquid ipse vellet, etiam ille vellet. At nunc alia via ei gradiendum est. Jam enim Deus austeritatem prætendit, et dura atque aspera exhibet. Unde ille sibi derelictus gravissimam in se rebellionem sentit, et talem, ac tantam pressuram plerumque incurrit, ut utrum Deum unquam bene habuerit, vel etiamnum habeat penitus ignoret. Tam acerbo dolore coarctatur, ut amplissima mundi spatia illi nimis angusta esse videantur. Deum non sentit, Deum non cognoscit, et tamen cætera omnia nihil eum delectant, nihil sapiunt. Ipse itaque pendet velut inter duos parietes, in quorum neutro requiem capere potest. Non est, quo se vertat, non est, quod agat, nisi hoc tantum, ut secessum recipiat, et dicat; salve amaritudo amarissima, gratia plena. Certe si infernus in hac vita haberi posset, gravius inferno sibi videretur esse impense amare Deum, et tamen eodem dilecto penitus carere. Jam vero fœdæ acerbæque cogitationes et vitia, quæ jampridem se vicisse credebat, vires in eo resumunt, gravissimeque illum impugnant, et forte molestius, quam olim, cum iisdem vitiis male subjectus viveret. Sed plerumque, quo sacratiora sunt tempora, emimentioresque Solemnitates, eo magis affligitur, obruiturque impedimentis, ita ut nec unam orationem Dominicam, vel salutationem Angelicam libere explere possit. Insuper permittit Deus, ut omnis vita et conversatio ejus, tamquam vana a plurimis irrideatur, utque ipse etiam ab his, qui boni esse, et exteriori sanctitate præcellere videantur, vilis habeatur, contemnaturque. Tu quisquis hæc experieris, non declines ad vana solatia, sed esto fidelis cœlesti sponso, viriliter age, probe te gere, nam certissime Deus tuus tibi proximus est. Tantum vivæ fidei stipite fortiter innitere, indubitanter melius habebis, omnia prospere cedent. Sed quid dicimus, cum hujusmodi desolato ac misero homini, quamdiu in hac gemebunda afflictione positus est, persuaderi nequeat, intolerabilem hanc obscuritatem, internas tenebras, posse unquam in lucem mutari, omnino tamen, si vera pace vult gaudere, debet in hujusmodi derelictione, pressura, et spiritus paupertate resignatus esse, atque ab omnibus internis deliciis animum liberum, expeditumque habere. Deprimat igitur sese in gratissimam Dei voluntatem, paratus hanc calamitatem sustinere, quamdiu illi visum fuerit. Profecto multo verius, utiliusque in tanta spiritualis hyemis asperitate Deum præsentem habet, quam unquam in omnibus jucundæ consolationis æstatibus habuit. Porro interim dum tantis afflictionibus a Domino exercetur, satis edat et bibat, ut par sit illis ferendis. Hujusmodi autem pressuræ nonnumquam ex naturali hominis indispositione, nonnumquam ex aeris inæqualitate, nonnumquam ex maligni spiritus operatione oboriri solent, sed undecumque accidant, de manu Domini suscipiendæ sunt, cujus permissu eveniunt. Taulerus, *apud Blosium in apendice post instit. Spirit.*

Ita 7. Blosius : Quando videris tibi magna obscuritate, ariditateque contabescere, et gravibus angustiis premeris, si tunc conformis divinæ voluntati, miseriam, et afflictionem illam cum benigna tranquillitate propter Deum toleras, multo gratior Deo es, quam si divino lumine multum irradiaveris, et intus florerent omnia. In pressura, et afflictione homo non ita facile se ipsum quærere potest, sicut in sensibilis dulcedinis, consolationisque affluentia; in hac enim plerumque natura se admiscet, et anima, si incautior fuerit, per immodicam delectationem cito maculam contrahit. Sane fieri non potest, ut aliquis resignato corde quippiam sustineat pro gloria Dei, quin saporem quemdam Divinitatis percipiat. Licet enim illi nihil fortassis sentire, id est, sensibiliter gustare contingat (Deo se ad tempus occultante) hoc ipso tamen ei, quod patitur, bene sapit, quod se illud ad æternam Dei gloriam ferre velle cognoscit. Idem in farrag. sic loquitur : Si quando sentias naturæ torporem, mæstitiam, et grave pondus, teque gustu, appetitione, et impulsu erga res spirituales destitutum, itemque miserum, inopem, desolatum, atque sine ulla consolatione relictum esse a Deo, et quodam erga quavis, tam externa quam interna exercitia tædio laborare, nihil hinc animo consterneris, sed Domini manibus te permittens ac resignans, illius optes fieri voluntatem, et quod ad ejus sit honorem. Crede mihi, hæc atra, ac tristis nubes propediem dissipabitur, et fax splendorque radiantis solis (qui est Dominus noster Jesus Christus) majori cum gratia, ac consolatione te perfundet atque illustrabit, quam unquam antea, atque hoc ipso senties te diligi a Deo, teque illi placere. Si quis magnopere cuperet divinam intra se consolationem, Deique præsentiam instar aliorum piorum hominum sentire, Deus autem hoc illi negaret, et ille hac in parte se totum pro Dei gloria, divino beneplacito resignaret, multo verius ei hoc ipsum præstaretur, quam si sensibiliter idem percepisset. In propria siquidem voluntatis abnegatione centuplo plus gratiæ ac præmii est, quam in ipsa sensibili consolatione, in qua proprietas retinetur. Blosius, *spec. spir.* c. IX.

Ita 8. Thomas Kempensis : Non est grave, humanum contemnere solatium, cum adest divinum. Magnum est, et valde magnum, tam humano, quam divino carere posse solatio, et pro honore Dei libenter exilium cordis velle sustinere, et in nullo seipsum quærere, nec ad proprium meritum respicere. Thom. Kemp. c. IX, l. II.

Ita 9. P. Balthassar Alvarez dicens : Intellexi Deum parcius consolationes spirituales elargiri, eo qued ad ipsius obsequium ita expediat; nam eo anima est melius præparata ac disposita, quo magis assimillatur suo Redemptori, qui in hac vita fuit calamitatibus plenus, ejusque anima multis desolationibus, et tristitia referta; solatium autem simile debet esse refrigerio et levamini, quo viator in hospitio est refectus, non ut in eo maneat, sed ut majori animo, et robore pergat ulterius. *Vit.* c. X.

Ita 10. Rodriguez sic discurrens : Verum ut clarius perspicias fructum ac valorem talis orationis, et quam ipsa grata sit Deo, peto ego abs te, quam meliorem, Numinique acceptiorem potest quis facere orationem ea, quæ multum sudoris, fatigationis, patientiæ, et in Deum habet resignationis? quidnam vel aliud, vel majus in nostra oratione quærimus? quando igitur Deus mittit ariditatem tentationemque in illa, cur non conformas te Deo in illa? cur non patienter acceptas istam animi desolationem, ex qua maximos, præstantissimosque actus patientiæ amorisque Dei potes efficere? Dicitur, et verum est, amorem consistere in patiendo pro re amata; et quo labor, qui fertur, est durior, hoc et amor major. Jam igitur labores servorum Dei omnium durissimi sunt cruces, et mortificationes istæ spirituales, nimium quantum molestiores temporalibus istis, aut etiam corporalibus, quæ ex valetudine et fortuna sentiuntur. Eo igitur ascendere, ut dictæ cruces et molestiæ æquanimiter, imo et cum gaudio portentur, etiam (si ita Deo videretur) per longissimum tempus, omnemque vitam, idque tantum amore ipsius : Profecto res est altissima, et summæ perfectionis, talisque oratio maxime proficua, adeo certe, ut aliqui Doctores tales appellent excellentes Martyres. Ultimo tantum peto, ne alio respicias et collinees in oratione, nisi ad acquirendam humilitatem, et cognitionem tui propriam : Quoties petivisti a Deo cognoscere quis sis, ecce tibi jam hoc obtinuisti : per hunc enim modum Deus tibi aperuit oculos cognoscendi teipsum. Aliqui fundant orationem suam in multis lacrymis, et magno sensu doloris pro peccatis. At errant; hoc enim Deus facit, non ipsi. Sed si ibi hæreas, ut saxum et stipes, hoc tu es, et nisi Deus saxum percusserit, non fluet inde, nec aqua, nec mel. In hoc igitur cognitio est tui, fons mille bonorum, quorum plenam utramque manum habebis, si sis, ut dictum est, in ejus voluntate resignatus, hic quidem esse debet orationis tuæ fructus et pretium. Rodrig. l. VI, c. XXVI.

COROLLARIUM XIII.

Laus, et vanagloria. Colliges 13. *Te nullius laudis, aut vanæ Gloriæ causa quidquam agere debere, cum alia tibi atque infinities præstantior laus, et gloria ex beneplacito divino offeratur.*

NOTÆ.

Ita 1. S. Chrysostomus : Non laudet ille, nihil enim profuerit; et si vituperaverit, nihil nocebit, in Deo enim utraque habent aliquid lucri, vel jacturæ; at apud homines omnia vana, et in hoc æquamur Deo, quod ab hominibus ille gratia non indigeat; ait enim : Gloriam ab hominibus non capio. Parumne igitur hoc? cum noles gloriam contemnere, dic : Deo par fio, si contempsero, et statim contemnes. S. Chrys. *hom.* XLIII, *ad pop.*

Ita 2. S. Clara de se fassa, quod si a toto mundo honoraretur, nullam mutationem in se, nec initium habituram; nec, si ab hominibus vilipenderetur, se ob id turbatum iri. *Vit.* p. 1, c. XXVII.

Ita 3. Thomas Kemp. inquiens : Qui temporalem requirit gloriam, aut non ex animo contemnit, minus amare convincit cœlestem. Non es sanctior, si lauderis; nec vilior, si vitupereris; quod es, hoc es; nec melior dici vales, quam Deo teste sis; si attendis quid apud te sis intus, non curabis quid de te loquantur homines foris. Item : Quomodo potest erigi vaniloquio, cujus cor in veritate subjectum est Deo? non eum totus mundus eriget, quem veritas sibi subjecit : nec omnium laudantium ore movebitur, qui totam spem suam in Deo firmavit. Lege utrumque caput totum, uti et l. III, c. IX et XL. Et dic cum eodem. Quærant Judæi gloriam, quæ ab invicem est : ego hanc requiram, quæ a solo Deo est : omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana eternæ gloriæ tuæ comparata, vanitas est stultitia. Thom. Kem. l. II, c. VI; l. III, c. XIV.

Ita 4. Natura beneplaciti divini, quod est præmium maximum (nam sancti præferunt gloriæ suæ) præsens (nam confertur eo momento, quo opus peragitur) inauferibile; nam fieri non potest, ut, quod semel Deo placuit, per totam æternitatem non placeat.

Ita 5. S. Thomas Aquinas quæsitus a Deo quod præmium peteret, et respondens : Non aliud, quam te, Domine. Surius, *v. Matth.*

Ita 6. S. Ignatius intra multos annos ne minimam quidem vanæ gloriæ tentationem passus, dicensque, se nihil minus, quam illam timere. *Vit.* l. V, c. III.

COROLLARIUM XIV.

Tentationes. Colliges 14. *Te turbari non debere, si variis tentationibus Deus vexari te permittat, cum has ipsas piissima Dei voluntas in bonum tuum ordinet, nec passura sit, te tentari supra id, quod potes, et præterea scuto bonæ voluntatis suæ te protegat.*

NOTÆ.

Ita 1. Deus : *Si surrexerit in medio tui Propheta* (diabolus) *et dixerit tibi ; Eamus, et sequamur deos alienos* (creaturas) *et serviamus* *eis : non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris : quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde et in tota anima vestra.* DEUT. c. XIII.

Ita 2. S. Jacobus : *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.* JAC. c. I.

Ita 3. Angelus Tobiæ : *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* TOB. c. XII.

Ita 4. Abbatissa Sara tredecim annis a fornicationis spiritu tentata, et numquam orans, ut recederet ab ea hujusmodi pugna, sed hoc solum dicens : Da mihi fortitudinem Deus. *Vita patrum*, l. V, n. 10.

Ita 5. Christus S. Birgittæ querenti, quod cogitationibus inutilibus, et tentationibus, vexaretur, dicens : Hæc vera est justitia, ut, sicut prius delectabaris in vanitatibus mundi contra voluntatem meam, ita modo tibi molestiæ sint variæ, perversæque cogitationes contra voluntatem tuam. Verumtamen time judicium meum moderate, et cum discretione, firmiter semper confidens in me Deo tuo. Certissime enim scire debes, malas cogitationes, quibus mens reluctatur, et quas detestatur, esse purgationem animæ atque coronam.

Ita 6. Thomas Kemp. Sunt tentationes homini sæpe valde utiles, licet molestæ sint, et graves : quia in illis homo humiliatur, purgatur, et eruditur. THOMAS KEMP. l. I, c. XIII.

COROLLARIUM XV.

PROFECTUS IN VIRTUTE. Colliges 15. *Te neque tristari debere, si non proficias in studio perfectionis, quantum velles, cum summus profectus tuus sit velle, quod Deus vult, atque adeo satis tibi esse debeat, te eam mensuram in profectu, et meritis supernaturalibus attingere, quam Deus tibi præfixis.*

NOTÆ.

Ita 1. Blosius : Licet jucundum sit, cum pro virtutibus et gratia oramus, id obtinere a Deo, quod petimus, longe tamen delectabilius atque utilius est, totum se Dei beneplacito resignare. Super omnia enim, quæ vel facere, vel dicere possumus, hæc a nobis maxime exposcit Deus, ut intus in corde dicamus : Domine, fiat gratissima voluntas tua. BLOSIUS, *in farrag.*

Ita 2. Avila : Non credo ullum unquam in terris fuisse Sanctum, qui non desideraverit esse perfectior meliorque, quam fuerit, sed ex hoc ipsi pacis internæ jacturam nullam fecere, quia hoc non ob propriam voluntatem, quæ numquam dicit, sufficit, sed propter Deum desiderarunt, cujus bonorum divisioni acquieverunt, etiamsi illis parum donorum suorum communicasset, existimantes, verum amorem magis elucere ex eo, quod quis contentus sit eo quod Deus dat, quam desiderare amplius, etiamsi amor proprius suggerat, desiderium hoc esse ad majorem Dei gloriam, RODRIG. p. 1, tr. VIII, c. XXX.

Ita 3. S. Bonaventura dicens, multos homines magis servire Deo sine possessione virtutum, desiderando tamen eas, quam si eas haberent : quia hoc modo ambulant in humilitate, soliciti semper ire de virtute in virtutem, et per hoc ipsum rēcurrunt sæpius ad Deum; et si virtutes haberent, forte intumescerent, existimantes, se habere jam omnia; quibus egerent, et ulterius progredi pensi non haberent. S. BONAV. *de profect.* l. II, c. XXXIII.

Ita 4. Rodriguez, sic discurrens : Quemadmodum in summa Dei voluntate totus debes conquiescere, quomodocumque tractet te in oratione, ita et conquiescere debes in eadem, quomodocumque tractet te in aliis omnibus virtutibus, donis ac prærogativis suis spiritualibus. Optimum est, sanctumque desiderium omnium virtutum, optimumque suspirare, enixeque laborare pro illis consequendis. Verum enim vero, ita semper desiderare debemus ex iis proficere, ut tamen si eas non consequamur, Dei voluntati obsecundemus, conformemurque. Si Deus neget tibi puritatem, castitatemque Angelicam, sed velit te multis gravibusque exerceri carnis tentationibus, perfer eas, nec multum te defectu tantæ puritatis eviscera. Plus siquidem tibi commodabit patientia. Si Deus nolit tibi dare humilitatem Sancti Francisci, nec Moysis, aut sancti Davidis mansuetudinem, nec Jobi patientiam, confundere, et humilia te tanto magis, occasionemque hinc pete, tibi tanto amplius displicendi. Non autem multum quere, et inanibus teipsum ob id curis consume, alioquin vera, et solida pace numquam gaudebis. RODRIG. p. 1, tr. VIII, c. XXX.

COROLLARIUM XVI.

MORBI. Colliges 16. *Etiam in morbis te tranquillum, et resignatum esse debere, cum et hi a voluntate divina, perinde ac sanitas proficiscantur, atque adeo ad singularem utilitatum tuam a Deo ordinentur, ita ut infirmitas gravis non sobriam dumtaxat* (ut Eccl. cap. XXXI, dixit) *sed etiam sanctam, et meritis pinguem faciat animam.*

NOTÆ.

Ita 1. S. Clara 28. annis, morbis gravissimis exercita, et Reginaldo Confessario dicens : Ex quo Domini nostri Jesu Christi gratiam per servum ejus Franciscum cognovi, nulla mihi infirmitas dira visa fuit, nulla pœna molesta, nulla pœnitentia onerosa. RODRIG. p. 1, tr. VIII, c. XVI.

Ita 2. Senex ille discipulo ægrotanti dicens : Noli, fili mi, ob hanc infirmitatem contristari, sed ingentes Deo potius propter eam gratias age; si enim ferrum sis, per hunc ignem rubiginem et scoriam depones; si aurum, per eumdem purgaberis, et purior redderis; magna quippe virtus est, et ingens religio, in infirmitate Deo gratias agere. *Ibid.*

Ita 3. Blosius : Si voluntas Dei tibi dulcis est, quando ipse te sanum esse, et vivere vult, amara vero est, quando te vult infirmum esse, vel mori, nondum plene resignatus es, nondum habes cor satis rectum; si vis ut ipsum cor tuum jam non sit curvum, subjice illud in omnibus voluntati divinæ, quæ semper recta est. Unice opta, ut semper voluntas ejus fiat, et eadem voluntas sit summa consolatio tua. BLOSIUS *in farrag.*

Ita 4. Cassianus : Corporis infirmitas nullum est ad cordis puritatem habendam impedimentum, quin imo mirifice juvat, si quis illam ita prout oportet, novit accipere : vide ergo, ne corporis ægritudo ad animam transeat, quod fieret, si ex ea occasionem propriæ voluntatis faciendæ, aut impatientiæ occasionem sumeres. CASSIANUS, c. VII, *de instit.*

Ita 5. P. Balthasar Alvarez, qui ferventi operario conquerenti, quod ob morbum nec orare, nec Sacrum facere, nec confessiones excipere, aliaque munera, quæ sanus præstiterat, obire posset, respondit pluris facere Deum, quod quis eum per mensem sustineat ac toleret, quam quod quis in ejusmodi ministeriis per integrum annum illi serviat. Et recte; cum enim Deus vult Religiosum ægrotare, nihil ille tunc facere potest, quod ejus divinæ Majestati magis placeat, quam tolerare bene quod ille mittit, et propterea, quia ille mittit. *Vit.* c. XXI.

COROLLARIUM XVII.

MORTIS TEMPUS ET GENUS. Colliges 17. *Neque de mortis genere aut hora, nimium solicitum esse te debere, cum ea hora aut genus optimum tibi esse debeat, quod sapientissima Dei voluntas tibi ordinavit, ut pote qui solus novit, quando ob omnes circumstantias tibi expediat ex hac vita discedere.*

NOTÆ.

Ita 1. Blosius : Etiamsi non ita pridem incepisses melius vivere, et jam tibi moriendum esset, nihilominus sis resignatus, nec scire aut perscrutari velis, utrum te Deus post mortem missurus sit ad purgatorium, an mox recepturus ad cœlum : sic tibi placeat dulcedo misericordiæ ejus, ut tamen non displiceat pulchritudo justitiæ illius. Vox hominis bene resignati hæc est : Domine Deus meus, si in tui vergeret laudem, ut post obitum meum annis 50, flammis purgatoriis cruciarer, illico me sub pedes tuos abjicerem, et in tui honorem pœnas illas animo pacatissimo acciperem. BLOSIUS, *in spec.* c. IX.

Ita 2. Sanctus Cyprianus inquiens : Meminisse debemus voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus jussit quotidie orare. Quam præposterum est, quam est perversum, ut, cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos, et accersit hoc mundo Deus, non statim voluntatis ejus imperio pareamus? quid oramus et petimus, ut adveniat Regnum cœlorum, si captivitas nos terrena delectat. Quid precibus frequenter iteratis rogamus et poscimus, ut acceleret dies regni, si majora desideria, et vota potiora sunt, servire istic diabolo, quam regnare cum Christo. S. CYPR. *in laud. mort.*

Ita 3. S. Ambrosius sic discurrens : Christus Rex noster est, et ideo, quod Rex jubet, deserere non possumus et contemnere. Quot Imperator terræ hujus in peregrinis locis, aut honoris specie, aut muneris alicujus causa, jubet degere numquid hinc inconsulto Imperatore discedunt? Et quanto amplius est, divinis parere, quam humanis? Vivere ergo Sancto Christus est, et mori lucrum. S. Ambr. *l. de bono mort.*

Ita 4. S. Bernardus dicens : Volo te mortem, etsi non effugere, certe non timere. Justus quippe mortem etsi non cavet, tamen non paret; denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. S. Bern. ep. cv.

COROLLARIUM XVIII.

Calamitates propriæ. Colliges 18. *Te a nulla calamitate propria liberationem petere debere, nisi adjecta clausula : Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. Imo perfectius absolute faceres, si non desideres, aut labores a cruce liberari, sed ad mortem usque cum Christo in eadem perseverare optes.*

NOTÆ.

Ita 1. Christus noluit descendere de cruce, licet Judæi dixerint : *Si Filius Dei es descende de cruce.* Matth. xvii, 40.

Ita 2. S. Andreas rogavit Deum, ne sineret eum deponi de cruce. Surius, *in vit.*

Ita 3. Thaulerus sic loquens : Felix est, qui angustiis et pœnis afflictus, non aliquid inquirit, quo eas evadat, sed ad finem et ultimum usque punctum eas sustinet, nolens de cruce descendere, nisi Deus illum solvat ac deponat. Felix plane, qui se in abyssum divini beneplaciti ita demergit, et terribilibus occultisque Dei judiciis ita resignat, ut in hujusmodi doloribus, ac pressuris non tantum una hebdomada, aut uno mense, sed usque ad extremi Judicii diem, vel etiam perenniter, persistere paratus sit, non recusans ipsius quoque inferni tormenta (si Deus ita vellet) subire. Quæ quidem resignatio omnem aliam resignationem longe vincit. Vel mille mundos relinquere, in hujus resignationis comparatione, nihil est. Hoc ipsum, quod Sancti Martyres animas pro Deo fuderunt, huic resignationi collatum, parum est. Illi enim divina consolatione affluentes, pœnas omnes pro ludo habebant, hilariterque mortem excipiebant; sed intus carere Deo, pœnas omnes incomparabiliter excedit. Blosius, c. i, *Apendicis sol.* 461.

Ita 4. Virgo illa, quæ interrogata, quibus exercitiis ad perfectionem pervenisset; respondit : Numquam ita doloribus, et pressuris obruta fui, quin majores pro Dei amore perferre optarem, indignam me illis ipsis tam præclaris Dei donis reputans. *Idem, in monil.* c. x.

Ita 5. Alia Virgo apud eumdem, quæ ineffabili pressura, Dei permissione, correpta, cruciatus infernales sibi sentire videbatur; et, cum ita diu fuisset afflicta, tandem toto corde ad Deum conversa, dixit : Dulcissime Deus, memor quæso esto, benigneque considera, me pauperem creaturam tuam esse, te vero Dominum et Creatorem esse meum. Ecce, ego me in æquissimum judicium tuum offero, et gratissimæ voluntati tuæ integre resigno, parataque sum sustinere hunc infernalem cruciatum, quamdiu tibi placuerit : utere me, sicut vis in tempore atque æternitate. Hac resignatione facta, mox Dominus Virginem illam sibi univit, et in amabilem Divinitatis suæ abyssum feliciter immersit. Blosius, *Ibid.*

Ita 6. Ferdinandus II, Imperator, cujus quotidianæ preces erant : Domine, si est ad laudem, et gloriam tuam, et salutem meam, ut major sim, quam sum, extolle me et glorificabo te ; si est ad laudem tuam decusque tuum, ut persistam in gradu, quo sum, conserva me, et glorificabo te. Si est ad laudem et gloriam tuam, ut in humiliore gradu sim, humilia me, et ego glorificabo te. *Vita*, c. vi.

Ita 7. Lyduvina identidem repetens : Hoc mihi, Domine, acceptissimum erit, ut affligens me dolore non parcas, cum tuæ voluntatis impletio sit mihi summa consolatio. Sur. tr. vii.

Ita 8. Balthasar Alvarez, qui dicere solebat, in hujusmodi occasionibus debere unumquemque attendere omnes, qui in cœlo sunt, Sanctos, ipsum aspicere, et exspectare, quomodo ipse difficultatem illam superet et ex ea proficiat; imo etiam ipsum Christum, ne jure conqueratur, quod ejus verbum et exemplum parvi faciamus. Cogita, inquit, quid sentiat superior, si se primo veniente ad communes collegii occupationes id non sufficiat, ut alii ad easdem exacte, et ad nutum conveniant, et se domum purgante, alii non imitentur, et se ad orationem surgente, alii ex ignavia in lecto remaneant; si igitur homo pulvis graviter fert verba et exempla sua optato fructu carere, quid sentiet Christus, si verbo suo non obediatur, et exemplum oblivioni tradatur? Alias vero cuidam personæ sic scripsit : Magno desiderio tenetur Deus in nobis videndi Filii sui imaginem ad vivum depictam ; quod si nos videre vult solos, et ærumnis contritos et oppressos, non alio tendunt ejus curæ et cogitationes, quam ut illa imago in omnibus perficiatur. Postquam ejus Filius (in quo valde complacet sibi) insignia illa induit, quæ fides nos docet ac prædicat, non potest eidem placere, quod nos eisdem indui non studeamus; et quod, cum ipse nos eis induerit, nos genua non flactamus, et cum magni amoris ac reverentiæ significatione gratias non agamus. *Vita*, c. XL, § 1.

COROLLARIUM XIX.

GLORIÆ ÆTERNÆ POSSESSIO. Colliges 19. *Neque de bonis gloriæ plus te optare aut possidere, velle debere, quam Deo placuerit, sed ea mensura contentissimum esse, quam ipsius summa sapientia, et immensa bonitas dare decreverit.*

NOTÆ.

Ita 1. Christus orare docens *ut fiat voluntas Dei, sicut in cœlo, et in terra*, quod fit, si pluris beneplacitum divinum, quam omne nostrum emolumentum, adeoque, possessionem ipsam cœli et terræ æstimemus.

Ita 2. Beati in cœlis, qui plus de adimpletione divinæ voluntatis, quam de magnitudine gloriæ suæ lætantur. RODRIG. tr. VIII, c. XXXI.

Ita 3. S. Ignatius, malens gloriam Dei per factum nobile augere, et dubius de salute manere, quam eo omisso, statim cœlum subire. *Relat. Canon.*

Ita 4. S. Martinus dicens : Si populo tuo sum adhuc necessarius, non recuso laborem.

Ita 5. Rodriguez dicens : Hoc est maximum in homine, si ad conformandum se divino nutui, velit statim mori et habere minus gloriæ, quam mori post viginti annos et habere plus. Et contra, etiamsi certus essem, de consecutione æternæ gloriæ, si jam morerer, et ego nihilominus contentus sum, ut maneam in hoc exilio infinitis ærumnis et laboribus, si Deo ita placet, circumseptus et oppressus. Et sane quisnam Regum aut Principum non putaret se obligatum ad conservandum, defendendumque servum aliquem suum, cui amplissimam aliquam offerret gratiam, eam tamen reipsa illi dare nollet, nisi prius heroicum ipse aliquod facinus patraret : quis inquam, talem non tueretur, quandoquidem ea se gratia privatum vult servus in solius domini ac Principis sui honorem, et obsequium? quod si ergo homines id præstant ingrati alioqui, et meritorum clientum suorum sæpe parum memores, quid de æterno illo Rege sperare par erit, qui sua nos gratia et prævenit et comitatur, et sequitur? quid, inquam, periculi timere unquam poterimus? qua ratione deserere nos poterit, qui beatitudinem nostram, beatificamque fruitionem in solius ipsius honorem gloriamque in longius tempus rejecimus atque distulimus. P. 1, tr. VIII, c. XXXI.

CONCLUSIO.

Ille beate et perfecte vivit, qui semper fruitur summo? et inauferibili bono. Seu, ut S. Augustinus l. I, III de Trinit. ait, qui habet quidquid vult, et nihil male vult.

Atqui hoc habet, qui Dei voluntati perfecte se conformat, seu qui semper agit et patitur, quæ Deus vult, quomodo vult, et quia vult. Ergo semper beate, et perfecte vivit.

PARS II

DIALOGUS

Inter Christum, et S. Catharinam Senensem institutus.

Etsi multa jam ex hoc Dialogo in priori parte sint indicata, quia tamen magis expediens videtur, ut totus Dialogus, prout inter Christum et S. Catharinam institutus est accurate perlegatur, ideo placet eumdem, ut conceptus est, huc apponere.

Cum anima quædam ab auctore lucis illuminata propriam fragilitatem et miseriam, ignorantiam scilicet, et pronam ad malum naturam recognosceret, aliquantulum Dei magnitudinem, sapientiam (inquam) potentiam, bonitatem, cæterasque ipsins præstantiæ partes suspiceret.

Dignus Deus, ut serviatur necessarium. Vidit, quam dignum, et necessarium esset, ut idem perfecte coleretur, et sancte : dignum, quia cum Pater universorum, et Dominus sit, omniaque, ut suum ipsius nomen collaudent, et ad suam referantur gloriam fecerit, congruum et æquum est, ut servus Dominum suum observans, ei serviat, et obsequio pareat. Necessarium, quia, cum ipse Deus, rationale animal spiritu et corpore compositum, hac conditione condiderit, ut, si voluntarie usque ad mortem fidelem sibi præstiterit servitutem, ad vitam perveniat sempiternam, aliter felicitatem illam omni bonorum aggregatione cumulatam consequi nequeat : perpaucos autem hoc adimplere, sicque perpaucos salvari, quod fere omnes quærant, quæ sua sunt, non quæ Dei.

Vita incerta, et mors. Vidit præterea breves dies hominis esse, incertam horam punctumque, quo id momentaneum promerendi tempus finiatur : in inferno vero nullam esse redemptionem, sed unumquemque in futura vita immutabili et inevitabili sententia, præmia pœnasve, prout in hoc suo vivendi genere sit meritus, justa consequi retributione.

Queris compendium viæ ad perfectionem? Ecce. Vidit etiam multos multa dicere, et diversimodè; multifariamque prædicare, ac loqui de virtutibus, quibus Deus fideli servitute colatur; rationalis autem creaturæ capacitatem modicam, intellectum hebetem, memoriam debilem, ut nequeat vel multa percipere, vel percepta fideliter continere, ac idcirco, licet multi studeant semper addiscere, quam paucissimos tamen integritatis perfectionem attingere, Deo, ut dignum et necessarium esset, deservire, sed fere omnes curis anxios, mentis agitationibus fluctuantes, extremo, semper in periculo degere.

Videns igitur hæc omnia illa, spiritu coram Domino exurgens, ardenti desiderio, ac vehementi affectu, ab ipsius Majestate efflagitavit, ut succincte et brevibus verbis præcepta aliqua tradere vellet, quibus vita nostra sancte institui ac perfici posset, quæque vi sententiarum, prædicationum veritatem, et universas complecterentur scripturas, quorum observatione, et ipse debita servitute coleretur, et ex hac brevi, mortali, ac misera vita, ad eam, ad quam creaverat felicitatem perveniremus.

Deus itaque, qui, et sancta desideria inspirat, et eadem suscepta irrita non esse permittit, statim huic animæ in mentis excessu constitutæ affuit, hæc dicens : Dilecta mea, placent mirum in modum hujuscemodi desideria tua, et adeo placent, ut eis longe magis cupiam ipse satisfacere, quam ipsa sibi cupiant satisfieri; ingens namque meum optatum est, ea in vobis (volentibus vobis) beneficia conferre, quæ saluti vestræ utilia, commoda, et necessaria sint, atque ideo tuum adimplere desiderium, et te voti compotem efficere paratissimus sum.

Compendium perfectionis quod sit. Quare attende et diligenter observa, quæ tibi, ipse ineffabilis, et numquam fallens veritas, dicturus sum, quoniam tuæ annuens optioni breviter proponam, quid sit, quod summam perfectionem, omnesque contineat virtutes; ac simul scripturarum volumina, et multiplices complectatur prædicationes, ut si tuam tibi faciem speculata fueris, et te ad illud composueris, ac servandum formaveris, quidquid patet, et latet in divinis sermonibus, adimpletura sis, et sempiterna lætitia, et perpetua pace fruitura.

Perfectio in quo consistat. Scias igitur, servorum meorum salutem, perfectionemque hoc uno constare, ut meam solius faciant voluntatem, atque eam summo semper studio adimplere nitantur, ut mihi uni obsequi, me unum observare, me unum attendere, omnibus vitæ suæ contendant momentis; quantoque diligentius in id incumbant, tanto perfectioni propius accedere, quoniam mihi, qui sum summa perfectio, magis pressiusque adhærent, copulantur, et junguntur.

Exemplum Christi Jesu. Ut autem planius hanc (licet ineffabilem) breviter tamen traditam veritatem intelligas, respice, in faciem Christi mei, in quo mihi bene complacui. Ipse namque exinanitus, servili forma assumpta, factusque in similitudine carnis peccati est, ut vos cæca caligine obrutos, et via veritatis aversos, suæ lucis splendore illuminans, ad rectum iter, et verbo converteret et exemplo, obediens fuit usque ad mortem, sic sua perseveranti obedientia vos edocens, salutem vestram ex faciendæ solius voluntatis meæ stabili instituto pendere.

Nam si quis diligenti studio et consideratione, ipsius tum vitam, tum doctrinam meditari velit, perspiciet procul dubio, mortalium integritatem, perfectionemque in nulla re alia constare, quam in jugi, perpetua, ac fideli meæ voluntatis observatione, quod idem Dux vester toties attestando repetit. Ait enim : *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in Regnum cœlorum, sed omnis, qui fecerit voluntatem Patris mei.*

Resignatio Filii Dei. Et attende, quod non frustra repetit bis, *Domine, Domine*, quoniam, cum omnis transitoria conditio ad duo universalia genera reducatur, Religiosum scilicet, et sæculare, significare vult, neminem, cujuscumque conditionis sit, æternæ vitæ gloriam consecuturum, licet omnem mihi extrinsecus honorem exhibeat, nisi meam fecerit voluntatem. Item alio loco : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, Patris.* Et iterum : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Item : *Non mea voluntas, sed tua fiat. Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

Si vis ergo Salvatoris tui exemplum imitari, meam facere voluntatem, quam constat esse bonum tuum, necesse est ut tuam omnibus in rebus contemnas facere voluntatem, illamque abneges, et extinguas; quoniam quanto magis morieris in te, tanto magis vives in me; et quo purgatius ejicies quod tuum est, eo abundantius ipse reponam quod meum est.

Postquam illa anima hæc veritatis saluberrima documenta percepit, tota lætabunda, dixit : Pater, et Deus meus, placent summopere, et plus quam explicare queam, quæ servulæ tuæ narrare dignatus es, et quam magnas possum, benignæ Majestati tuæ gratias ago : quoniam quanta mea rudi intelligentia consequi possum, non aliter est, quam mihi per Salvatoris exemplum præclare ac lucide demonstrasti; cum enim tu summum et omne bonum sis, non volens iniquitatem, sed justitiam tantum, et honestatem, quidquid faciendum est, perago, sic tuam voluntatem adimpleo, si meam propter te abnego, quam tu minime violare vis; quoniam mihi idcirco liberam tradidisti, ut ego sponte eam tibi subigendo et tuam solius facere semper intendendo, gratior tibi fiam, et majora apud te mea sint merita.

Quæ sit voluntas Dei. Volo igitur, ac vehementer desidero id adimplere, quod præcipis : sed non plane scio, quibus rebus tua contineatur voluntas, quove tibi fideli obsequio mancipari queam : si arrogans non sum, et mea temeritas non abutitur tua lenitate, supplex obsecro, ut juxta petitionem meam, id quoque me paucis doceas.

At Dominus : Si paucis et collectim scire desideras meam voluntatem, ut eam integre valeas adimplere, hæc mea voluntas est, ut summe, et semper ames me, sicut præcepto mandavi vobis, ut toto corde, tota anima, et omnibus viribus vestris diligatis me, hujusque, præcepti observatione tua perfectio continetur : quoniam finis præcepti est charitas, et plenitudo legis est dilectio.

Anima ad hæc : Teneo voluntatem tuam, et perfectionem meam, in summo tui amore collocatam esse, ipsaque te (ut par est,) summo amore, ac vehementissima dilectione prosequi vellem; sed quonam pacto id efficere possim aut debeam, satis mihi compertum non est. Quocirca orans expeto, ut me hac quoque in parte brevibus instruas.

Quid sit amare Deum? Tunc Deus : Audi igitur, et ad ea, quæ dicam, tota mentis attentione invigila. Si me perfecte amare vis, te tria hæc facere necesse est. Primo, ut voluntatem tuam ab omni amore, affectuque terreno et carnali prorsus amoveas, segreges, mundifices, ita ut in ista vita nihil transitorium, nihil caducum, nihil temporale ames, nisi propter me, nec (quod magis, et maximum est) ames me propter te, sed ames me propter me, te propter me, et proximum propter me.

Quoniam divinus amor terreni affectus aut alterius cujusvis amoris consortium pati non potest. Unde quantum eum terrenarum rerum contagione infeceris, tantum et in mei amore peccabis, et de tua perfectione deperdes. Mentem quippe, ut munda et sancta sit, omnia quæ corpus sentit fastidire necesse est. Effice igitur, ne quidquam ex his, quæ a bonitate mea vestros in usus profecta sunt, te a me amando impediat, sed omnia adjuvent, accendant, inflamment. Quoniam vobis illa creando concessi, ut bonitatis meæ largitatem latius ex ipsis dignoscentes, me abundantiore amore prosequeremini.

Perstes igitur appetitu, lumbisque succinctis, ac vigilanti custodia te semper observans, terrenis concupiscentiis, quas undecumque tibi mortalis vitæ miseria, et corrupta suggerit natura, alacriter resiste, ut cum Propheta meo dicere possis : Qui perfecit pedes meos, id est, affectus, qui animæ pedes sunt, tamquam cervorum, ad fugiendum canes, id est, laqueos concupiscentiæ terrenarum rerum, super excelsa statuens me, id est, in contemplatione.

Intensio pura. Cum hoc primum impleveris, ad secundum, quod etiam altioris perfectionis est, pervenire poteris, ut omnes cogitationes, actus, et opera tua dirigas ad meum solummodo honorem et gloriam, semperque solius meæ laudis studiosissimam des operam, precibus, verbis, et exemplis, et quomodo possis, ut non tu tantum sic, sed alii omnes tecum pariter, et eodem modo affecti sint, utque universi me unum norint, ament, colant : hocque mihi magis placet, quam primum, quoniam magis implet voluntatem meam.

Conformitas cum voluntate Divina. Tertium, quod reliquum est, si assecuta fueris, tibi nihil deesse, teque consummatam integritatem consecutam, scito. Illud autem hoc est, ut summo desiderio quæras, nitaris, studeas ad hanc pervenire mentis dispositionem, ut mihi ita conjuncta sis, tuaque meæ (quæ perfectissima est) ita similis sit conformisque voluntas, ut nolis non solum malum, sed et bonum, quod ipse nolim; utque eveniat, quidquid velit, et undecumque velit, in istius vitæ miseria, sive spiritualibus, sive temporalibus in rebus, minime frangatur pax tua, turbeturve quies mentis tuæ, sed inconcussa fide semper teneas, me Deum tuum omnipotentem magis amare te, quam tu te ipsam, meque tui diligentissimam habere curam, et multo diligentiorem quam tu. Quanto magis sic te mihi commiseris, dederisque, tanto magis te adjuvans, tibi semper adero, et tu ipsa clarius cognosces, ac uberius senties circa te dulcissimam charitatem meam.

Abnegatio sui necessaria. Ad hanc autem perfectionem perveniri non potest, nisi per stabilem, constantem, et omnimodam sui ipsius abnegationem : quam qui præstare negligit, simul hanc excellentissimam perfectionem negligit : qui vero libens præstat, simul integerrimam voluntatem meam integerrime exequitur, mihique summe placet, et me secum habet : quoniam mihi gratius et jucundius nihil est, quam per gratiam vobiscum agere, et in vobis habitare, meæque sunt deliciæ cum filiis hominum esse, et ut volentes ipsi (nolo enim liberi jus arbitrii violare) a me in me per gratiam transformentur, ut sint unum mecum participatione perfectionis meæ, præcipueque pacis ac tranquillitatis meæ.

Cur Verbum sit incarnatum. Ut autem planius intelligas, quam ardenti desiderio cupiam vobiscum esse, utque magis accendaris ad subigendam mihi, copulandamque meæ voluntatem tuam, vide, et alta mente considera, voluisse me, ut Unigenitus meus incarnaretur, utque mea Divinitas, Majestatis dignitate seposita, vestræ copularetur humanitati, ut tanto amoris, et charitatis exemplo, tanta ineffabilis dilectionis demonstratione, vos ad pariter conjungendam meæ vestram voluntatem, unique mihi jugiter adhærendum provocarem, allicerem, traherem. Voluisse præterea, ut ille ipse dilectus Filius meus tam horrendam, immanem, crudelem crucis mortem subiret, ut suis tormentis, vestrum peccatum tolleret. Peccatum inquam, quod inter me et vos separationem fecerat, et meam a vobis faciem ita averterat, ut nullo vos pacto possem respicere.

Parasse insuper mensam maximi, et parum agniti Sacramenti Corporis ipsius et Sanguinis, ut in cibum sumentes transformaremini, mutareminique in me, ac sicut panis et vinum, quibus vescimini, in substantiam transeunt corporalem, ita et vos manducantes ipsum, qui mecum unum est, sub panis et vini specie, in substantiam spiritualem, et in me ipsum convertamini. Et hoc illud est, quod Augustino servo meo his verbis dixi : Cibus sum grandium, cresce, et manducabis, nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.

Cum audisset anima illa, quænam esset Dei voluntas, et quemadmodum in eam implendam necessaria etiam erat perfecta charitas, perfectamque charitatem propriæ voluntatis abnegatione constare, dixit : Significasti mihi, Domine Deus meus, voluntatem tuam; significasti, Domine, quod, si perfecte amavero te, nihil terrenum aut mortale, nec etiam me ipsam amabo propter me, sed quidquid amabo, secundum te, et propter te amabo. Dixisti, ut summo semper studio tuam solius laudem, honorem, et gloriam velim perquirere, simulque operam dare, ut alii quoque videantur facere : et ut, quæcumque adversa mihi in hac misera adveniant vita, ea, composita mente, et æquo animo ac lætanti tolerare contendam.

Nunc quoniam hæc per propriæ voluntatis abnegationem efficienda sunt, doce, quæso, quonam pacto ad hanc pervenire abnegationem, ac tantam virtutem comparare, et assequi queam : ut enim per tuæ doctrinæ lumen video, tantum in te vivo, quantum in me morior.

Abnegatio amplectanda. Deus autem, qui sancta numquam frustratur desideria, sic intulit. Perfecta tui abnegatione tuum omne bonum constare, certum est, quoniam te tantum mea gratia repleo, quantum te tua voluntate evacuas : et perfectionem tuam efficit participatio divinæ bonitatis meæ per gratiam, sine qua humana creatura (quantum ad virtutem et dignitatem suam) nihil est. Ad hanc igitur si pervenire vis, tibi est in summa humilitate perstandum, et ex vera, atque intima miseriæ et inopiæ tuæ cognitione id unum jugiter, vehementerque affectandum, ut mihi soli pareas, meamque solius voluntatem ob serves. Quo autem id præstare queas, necesse est, ut per mentis conceptum, et animi existimationem tibi habitaculum circum undique concameratum ex solius meæ voluntatis materia construas, teque eo concludas, et semper inhabites, ut quocumque prospicias, nunquam aspicias, sed tuos mentis et corporis sensus mea semper circumstet voluntas, nec quidquam aliud loquaris, cogites, aut efficias, nisi quod mihi placet, et meæ esse voluntatis credas, sicque te, quidquid agendum erit, Sanct. Spiritus docebit.

Alia etiam via ad propriæ voluntatis abnegationem perveniri potest, si adsunt, qui te secundum me instruant, regantque, his propriam subjiciendo voluntatem, te totam, ac tua omnia his committendo, his parendo, et eorum semper consilia sequendo, quoniam qui fideles et prudentes servos meos audit, me audit.

Nihil fit sine voluntate Dei et cognitione. Sed ad hæc volo, ut certa fide, alta mente, ac frequenti consideratione mediteris, me Deum tuum gloriosissimum, qui te ad beatitudinem perfruendam creavi, æternum esse, summum, omnipotentem, vobisque omnia, quæ mihi placita sunt, facere; nec esse, qui vel tantillum meæ possit resistere voluntati; nec quidquam sine eadem voluntate mea vobis accidere, nihil prorsus, nisi me permittente, provenire, ut per Prophetam vobis enuntiavi, non esse malum in civitate, quod non ipse fecerim, id est permiserim.

Mediteris pariter, Deum tuum summæ esse sapientiæ, perfectissimæ cognitionis et intelligentiæ, omnia certa ratione videntis, et acutissime penetrantis; ut ad cœlum, terram, mundum totum, et universa gubernanda, nulla possim ratione falli, nullo errore turbari. Quod si non ita esset, nec Deus essem, nec sapientissimus. Et ut tantillum percipias vim hujus summæ sapientiæ meæ, scias, de malo culpæ et pœnæ, me longe majus bonum, quam sit malum, elicere.

Tertio, velim consideres, me eumdem Deum tuum non minus summe bonum esse, et summo amore benevolentiaque vos complecti, et hac de causa non posse, nisi quæ bona sunt, utilia, et salubria, tibi, et aliis velle; non posse a me aliquid malum provenire; nihil odisse, et hominem, ut mea bonitate creavi, ita per me semper inæstimabili dilectione prosequi.

Deus omnia ad salutem ordinat. His vero per firmam fidem mente, ac meditatione collectis, cognosces, tribulationes, tentationes, difficultates, dolores, infirmitates, et adversa omnia ob nullam aliam causam, me gubernante provenire, nisi utilitatis et salutis vestræ gratia, ut per ea, quæ videntur vobis mala, pravitate corrigamini, et ad virtutem, qua itur ad verum et summum bonum vobis incognitum, perducamini. Cognosces præterea, hoc fidei, lumine illustrata, me Deum tuum magis scire, posse, et velle bonum tuum, quam tu, teque id nec posse, nec scire, nec velle absque gratia mea. Id igitur cum ita sit, danda tibi summo studio opera est, ut voluntatem tuam divinæ voluntati meæ prorsus subjicias, quoniam sic placida semper mente quiesces, et me semper tecum habebis (factus est enim in pace locus meus) nec erit tibi scandalum peccati, hoc est, offendiculum aliquod ad peccatum, nec per impatientiam, nec aliquo quovis modo.

Pax resignatio. Nam pax multa diligentibus nomen meum, et non est illis scandalum. Tantum enim amant legem meam, id est, meam voluntatem, meaque lex est, qua cuncta reguntur, tantumque mihi per ipsam copulati sunt, et in ipsius delectantur observatione, ut eveniat, quidquid velit, et undecumque velit, cujuscumque generis et æstimationis sit, nulla re, præterquam culpa qua fiat mihi injuria, perturbari queant.

Omnia Deo bona tribuit, et mala caput de manu ejus. Prospiciunt namque claro et purgatissimo mentis oculo, a me summo universi gubernatore, mirifica sapientia, charitate, et ordine cuncta administrante, non nisi bona posse provenire, meque sibi, ac rebus suis melius, utiliusque prospicere, quam ipsimet per se sciant, possint, ac velint, sicque omnibus in rebus, quæ eveniant, quasque sustineant, ut suum me auctorem, et non proximum, firmo considerantes proposito, quadam invicta et inexpugnabili patientia ita roborantur, ut non solum æquo animo, sed libenti, ac gaudenti sustineant, degustantes in omnibus sive intrinsecus, sive extrinsecus accidunt, meæ ineffabilis dulcedinem charitatis : quod est, sentire de me in bonitate, in omnibus (inquam) tribulationibus, difficultatibusque attendere, credere, et læto animo, gratoque meditari, me disponere omnia suaviter, et ex profundo meæ dilectionis fonte cuncta provenire.

Propriæ voluntatis malitia. Atque hujus ultimæ considerationis, compositionisque sanctissimæ maximum bonum nil aliud corrumpit, impedit, et perdit, quam propria voluntas vestra, et amor vestri, quæ si tolleretur, et infernus a vobis; tum ille, qui maledictis æterno mentis et corporis tormento paratus est; tum ille, quem in mortali vita multiplici agitatione animi, ac vario curarum æstu, imo sustinetis errore. Igitur si vivere cupis, et in hoc labenti sæculo per gratiam, et in stabili sempiternoque per gloriam, fac moriaris, temetipsum abnegans, et propriam voluntatem deponeris. Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur, et beati pauperes spiritu, quoniam tales me vident in peregrinatione per mutuum amorem, visuri deinde in patria per gloriam et honorem. Amen.

RESURRECTIO

QUOAD ESSENTIAM

Definitio. — Est reditus a morte ad vitam, de quo dixit Christus : Deus autem non est mortuorum, sed vivorum. (Luc, xx, 38.) Omnes enim vivunt ei.

Divisio. — Dividitur in Resurrectionem *corporalem*, quæ consistit in reunione animæ separatæ cum corpore; quo modo Christus, et Lazarus resurrexerunt. Et *spiritualem*, quæ consistit in recuperatione gratiæ divinæ amissæ, de qua Apostolus locutus est, dicens : Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo. Rom. vi, 11.

Circumstantiæ. — *Missio Angelorum* cum tuba et voce magna, qui congregabunt electos ejus a quatuor ventis, et dicent : Surgite mortui, venite ad judicium. Matth. xxiv, 31.

Locus, ubi resurgent, incertus est, et ab admirabili Dei providentia dependens; alii enim in valle Josaphat, ubi judicandi sunt, futurum putant; alii conformius putant Scripturæ, si dicantur mortui ex sepulchris suis resurrecturi, cum S. Joannes dicat : Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ : qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. Jo. iv, 28.

Tempus quoque incertum est; nam alii hora matutina ad imitationem Resurrectionis Christi; alii intempesta nocte, juxta illud Christi : Media nocte clamor factus est : alii alio tempore futuram divinant potius, quam affirmant, ut videre est apud Marchantium. Marchan. *in Horto Past.* tr. iv. lect. xv.

EX S. SCRIPTURA.

Veritas. — Scio, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Job. xxix, 25.

Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent. Expergiscimini, et laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus. Is. xxvi, 20.

Tu quidem scelestissime, in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. II. Mac. vii, 9.

Nolumus autem vos ignorare, Fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, et resurrexit, ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. I. Thess. iv, 13.

Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de vestris sepulchris, et inducam vos in terram Israel. Ezech. xxxvii, 12.

Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat. Jo. v, 12.

Hæc est voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit, non perdam ex eo, sed resuscitem in novissimo die. Jo. vi, 19.

Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium : quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. I. *Cor.* xv, 20.

Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper (id est, supplicia æterna experiantur.) Daniel, ix, 28.

Ecce mysterium dico vobis. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui surgent incorrupti (id est, immortales.) V. 51, II. *Cor.* xv.

Nisi eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum, pro mortuis orare. II. *Mach.* XII, 44.

Sed dicet quis : quomodo resurgent mortui? quali autem corpore venient? insipiens, tu, quod seminas, non vivificatur nisi prius moriatur. I. *Cor.* XXV, 35.

Expectamus Salvatorem Dominum nostrum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. PHIL. III, 20.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum. ABAC. III, 16.

Ossa arida audite verbum Domini : Ecce ego intromittam spiritum in vos, et vivetis. EZECH. XXXII, 7.

Seminatur in corruptione, surget in incorruptione : seminatur in ignobilitate, surget in gloria : seminatur in infirmite, surget in virtute : seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. I. *Cor.* XV, 42.

RESURRECTIO SPIRITUALIS. — Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. *Apoc.* VII, 12.

Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. *Rom.* V, 4.

Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem. *Apoc.* XX, 6.

EX SS. PATRIBUS.

VERITAS. — Redemptor noster suscepit mortem, ne mori timeremus : ostendit resurrectionem, ut nos posse resurgere confidamus. S. GREG. *in moral.*

Est in Christo homine uniuscujusque nostrum caro, sanguis, et portio : ubi ergo portio mea regnat, regnare me credo : ubi dominatur sanguis meus, dominari me sentio : ubi glorificatur caro mea, gloriosum me esse cognosco. S. MAXIM. *in s. de Pasch.*

Si resurrectio non est, nec Deus est, nec providentia est, tunc casu omnia feruntur et aguntur; videmus enim plurimos justos esurientes, et injuriam patientes; peccatores autem et injustos in divitiis et in omni voluptate abundantes; sed quis usquam hoc Judicis justi, vel sapientis providentiæ opus, bene sentiens suspicabitur. Erit ergo resurrectio, justus enim Deus est, et iis qui confidunt in eum mercedis retributor. *Damasc.* lib. IV.

Multi cum Christo resurrexerunt, ut de resurrectione nostra non dubitaremus. GREG. XIV, *Mor.*

Consideremus parvum cujuslibet arboris semen quod in terra jacitur, ut arbor ex illo producatur, et comprehendamus si possumus, ubi in illa tanta parvitate seminis tam immensa arbor latuit, quæ ex illo processit; ubi lignum, ubi cortex, ubi viriditas foliorum? numquid in semine tale aliquid videbatur, cum in terra jaceretur? quid ergo mirum si tenuissimum pulverem a nostris oculis in elementa redactum, cum vult Deus in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta redintegrat? GREG. *in Moral.*

QUALITAS. — Resurgent corpora Sanctorum sine ullo vitio, sine ulla labe, sine ulla corruptione, sine difficultate, in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. S. AUG. *in Enchir.*

Resurget justus, ut judicet : peccator, ut judicetur : impius, ut sine judicio puniatur. *Cassiod. in Psalm.*

UTILITAS. — In omni re aut actu, virtus agendi spes est futuri; qui enim arat, arat, ut metat; qui pugnat, pugnat, ut vincat. Tolle ergo spem resurrectionis, et resoluta est observantia omnis pietatis. S. CHRYS *in Matth.*

Confringi nos tanquam vas figuli nunc gaudeamus, ut per hunc novæ nativitatis profectum, in beatam illam, ac Deo placentem iteratæ reparationis nostræ speciem reformemur. S. HILAR. *in Psal.*

EXEMPLA.

VERITAS. — De Christi resurrectione sic loquitur S. Augustinus. Ecce surrexit ab antro sepulchri rediviva caro Phœnicis, quum cinnamomum decoxerat pietatis : granum frumenti, quod solum in terra mortificatum est in passione, multum fructum attulit in resurrectione; solus enim mortuus est, sed solus minime resurrexit, quorum enim sepulchra in ejus passione sunt patefacta, horum corpora, Christo resurgente, sunt de pulvere suscitata : et sicut cum Domino surrexerunt, ita cum eo ascendente etiam ipsi ascendisse creduntur. S. AUG. *in ser. de Pasch.*

Cum S. Stanislaus Poloniæ Episcopus Petrum quemdam, ad testimonium de agro a se vendito coram Rege perhibendum resuscitasset, illique longiorem vitam impetrare vellet, respondit ille, se malle in purgatorio ad modicum adhuc tempus degere, quam ad vitam tot periculis et molestiis refertam redire. Surius *in vita.*

Famosus ille Doctor Parisiensis ter e feretro surrexit, dixitque : Justo Dei judicio accusatus, judicatus, et condemnatus sum, quæ causa fuit S. Brunoni et aliis, ut in solitudinem secederent. Surius *in vita S. Brun.*

S. Germanus Episcopus, cum sepulchrum S. Cassiani Martyris adiisset, et quasi viventem allocutus dixisset : Quomodo tibi est, Frater? quomodo tecum agitur? audivit respondentem in hæc verba : Quantum ad animam, æterna felicitate fruor : quantum vero ad corpus, quiescit hoc usque ad generalem resurrectionem. Quo audito, S. Germanus : Quiesce ergo, inquit, o Frater, ad id tempus, et roga Dominum, ut resurgentes ad sonum tubæ, tecum possimus æterna beatitudine frui. Marcha. *in horto Past. tr.* IV, *lect.* XIII, *prop.* II.

Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, cum librum contra resurrectionem scripsisset, a Gregorio legato ita convictus est, ut Imperator Tyberius ejus librum in ignem projiceret, et Eutychius ipse doctrinam suam retractaret, et instante morte pellem manus suæ tenens diceret : Confiteor, quia in hac carne omnes resurgemus. *Ibid. prop. lect.* IV.

S. Cæciliæ corpus a Clement. VIII, post nongentos et amplius annos integrum repertum est. *Ibid. prop.* III.

Cum S. Stanislai Episcopi corpus in septuaginta duas partes dissectum, et avibus projectum fuisset, ab aquilis custoditas partes autem Clerici collegissent, ita eæ in unum corpus coaluerunt, ac si numquam divulsæ fuissent. Cumque unus adhuc digitus deesset, eum quoque lucerna cælestis in vicinam piscinam conjectum, et a pisce devoratum, demonstravit, quem exenterantes, digitum exemerunt, suoque loco restituerunt. *Ibid. prop.*

Jonas Persa, cum magorum Principes ei manuum et pedum digitos præcidi, et ante oculos jactari fecissent, dicentes : Ecce nunc digitos tuos in terra seminavimus, expecta inde, ut messis tempore multos digitos recipias, respondit : Ego multitudine digitorum non egeo, sed Deus, qui me formavit, ille tempore judicii corpus hoc reformabit. Lipelom XXIX, *Mart.*

Quidam Presbyter Sadducææ malignitatis veneno infectus negans corporum resurrectionem, post longam cum B. Gregorio Turonensi disputationem tandem convictus, veram de ea re credenda fidem amplexus est. Greg. *Turon.* l. X, *hist. Francor.* XIII.

Quomodo versutum quemdam hæreticum de resurrectione errantem confutavit divus Hieronymus ex sequentibus patet. Quidam veterator callidus atque ut sibi videbatur, doctus, me nesciente, cœpit Paulæ viduæ proponere quæstiones et dicere : In qua ætate resurrecturi sumus? Si in ipsa qua morimur, ergo nutricibus post mortem opus erit; sin aliter nequaquam erit resurrectio mortuorum, sed transformatio in alio. Diversitas quoque sexus maris ac fœminæ erit, aut non erit : si erit, sequentur et nuptiæ et concubitus, sic et generatio; si non erit, sublata diversitate sexus, eadem corpora non resurgent : aggravat enim terrena inhabitatio sensum multa agitantem, sed futura erunt et spiritualia, dicente Apostolo : Seminatur corpus animale, et resurget corpus spirituale. Ex quibus omnibus probare cupiebat rationales creaturas ob quædam vitia et antiqua peccata in corpora esse delapsas, et pro diversitate et meritis peccatorum, tali vel tali conditione generari, ut vel corporum sanitate gauderent et parentum divitiis ac nobilitate, vel in morbidas carnes et domus inopum venientes pœnas pristinorum luerent peccatorum, et præsenti sœculo atque corporibus quasi carcere clauderentur. Quod cum audisset et ad me retulisset indicans hominem, mihique incubuisset necessitas nequissimæ viperæ, ac mortiferæ bestiæ resistendi, conveni hominem, et orationes ejus quam recipere nitebatur, brevi interrogatione conclusi dicens : utrum crederet futuram resurrectionem mortuorum, an non? Qui cum se credere respondisset, intuli : Eadem resurgent corpora, an altera? Cum dixisset eadem, scissitatus, sum, in eodem sexu an in altero? Ad interrogata reticenti, et colubri huc atque illuc transferenti caput ne feriretur; quia inquam, taces, ego mihi pro te respondebo et consequentiam inferam; si non resurget mulier, ut mulier, neque masculus ut masculus, non erit resurrectio mortuorum, quia sexus membra habet, membra autem totum corpus efficiunt. Si autem sexus et membra non fuerint, ubi erit resurrectio corporum, quæ sine sexu non constat et membris? Porro si corporum non fuerit resurrectio, nequaquam erit resurrectio mortuorum; sed et illud quod de nuptiis objicis, si eadem membra fuerint, sequi nuptias, a Salvatore dissolvitur, dicente : Erratis; neque nubent, neque nubentur, sed erunt similes angelorum : ubi dicitur, non nubent neque nubentur, sexuum diversitas monstratur. HIERONY. *in vita Paulæ viduæ Ro. in Ep.* XXI, *apud fur.* XXVII. *Janu.* p. 733.

UTILITAS RESURRECTIONIS COGITATÆ. — S. Job in mediis afflictionibus spe futuræ resurrectionis solabatur se dicens : Scio, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra resurrecturus sum etc. reposita hæc est spes mea in sinu meo. JOB. XXIX, 27.

S. Jacobus intercisus, cum ambarum manuum ac pedum digiti ei abscinderentur, ad singula tormenta benedicebat Deum gratias agens, quod eum amputarent quasi vineam, ut postea repullularet ac refloreret, et fructum uberiorem ac suaviorem faceret. SURIUS *in vita.*

S. Nicasius Rhemorum Episcopus, cum in templo a carnifice feriretur, versum illum : *Adhæsit pavimento anima mea* recitare cœpit, caputque a reliquo corpore separatum, speciali miraculo reliqua verba : *Vivifica me secundum verbum tuum* absolvit. MARCHA. *tr.* IV, *lect.* XIII, *prop.* III.

Cum Antiochus Rex septem fratres Machabæos crudeliter necari jussisset, et primo cutis capitis cum capillis abstraheretur, dixit ad illum : Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos pro legibus suis in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Sed tertius linguam postulatus, et manus cito protulit, et cum fiducia dixit : E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Quartus vero dicebat : Potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab eo resuscitandos, tibi enim ad vitam resurrectio non erit. II MAC. VII, 9 et 11.

SIMILITUDINES.

VERITAS. — Sicut is qui videt granum, quod corrumpitur, et dissolvitur, non dubitat de ejus resurrectione : sic cogita et in corpore tuo : cum vides corruptionem, tunc de resurrectione philosophare. S. CHRYS. *hom. de ressurrect.*

Sicut de nocte dormisti, postea evigilasti : sic nostra corpora recordare dormitura per mortem, et postea reddenda vitæ a Christo, cum apparebit Judex vivorum, et mortuorum. LUD. *Vivis. c., in introdu. ad Sap.*

Sicut artifex statuam a se factam, ubi viderit mutilatam, iterum conflat, ac dissolvit ac reparat; ita Deus humana corpora per mortem destructa denuo reformat, pristinæque formæ restituit. S. EPIPH. c. I. l. II. f. 259.

ASCETICA.

Tria sunt præcipua, quæ de Resurrectione, advertere debet Asceta. Primum est, ut possibilitatem illius bene apprehendat; qua in re S. Augustinus lucem præfert, dicens : tota hujus mundi adminsitratio testimonium est resurrectionis futuræ. Videmus hyemis tempore arbores spoliari pomis et foliis, sed et verno tempore speciem resurrectionis exprimere, quæ quidem primo incipiunt surgere in gemmis, ornari floribus, vestiri foliis, postmodum pomis gravari. Interrogo te, infidelis homo, qui de resurrectione dubitas, ubi sunt ista, quæ tempore isto, quo Deus disposuit, producuntur? dic mihi, ubi latitant, antequam producantur? quæ nusquam quidem videntur, sed tamen Deus, qui omnipotens est, secreta sua virtute producit. Sic et herba quæ ante vixit et moritur rursus revirescit, ex semine : Ita et nostrum corpus reviviscet ex pulvere. S. AUG. S. XXXIV, *de verb. Apo.*

Alterum est, ut necessitatem, aut potius æquitatem resurrectionis bene apprehendat, quam quidem clare Athanagoras indicavit, dum dixit : Nisi præmia manerent vitæ sequentis, providentia justitiaque divina traheretur in dubium; quin etiam ipsis brutis miserabilior foret homo, qui religionis et justitiæ gratia se corporeis privat oblectamentis, et incommoda subit innumera. Itaque virtus, religio, leges deliramenta forent ac detrimenta.

Tertium est, ut hujus resurrectionis spe se ad perfectionem semper majorem excitet, et sicut Appelles omnes suas picturas cum magna diligentia ac perfectione absolvit, quia æternitati se pingere dixit; ita, et ipse omnia opera sua cum summa perfectione peragere studeat, eo quod æternam pro illis mercedem, laudem, ac gloriam se recepturum speret. ATHAN. *de resurrect.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni;* ostendi potest, quomodo quivis Christianus cum Christo spiritualiter resurgere debeat, nempe. 1. Ut resurgat *vere*, id est, cum vera contritione, confessione, et satisfactione; alioqui enim ex defectu unius ex istis partibus, ficta duntaxat erit resurrectio, ut Samuelis a Pythonissa suscitati; diceturque tale, quod Episcopo Sardicensi dictum est : Nomen habes, quod vivas, et mortuus es. (*Apoc.* III, 1.) 2. Ut resurgat *integre :* nam, ut S. Bonaventura recte advertit, Christus neque manum, neque pedem reliquit in sepulchro; sic tu a peccatis resurgas totus; qui enim adhuc manus operum, vel pedes affectuum mortuos habet, vel qui conversus injusta bona, vel odium, vel aliud vitium non relinquit, nondum resurrexit. 3. Ut *firmiter* resurgat : exemplo Servatoris, qui resurgens a mortuis jam non moritur; sic ergo et tu, inquit D. Bonaventura, perseveranter resurgas in conversione, ut de cætero non moriaris in transgressione, sed dicas cum Davide : Non moriar, sed vivam. (*Ps.* XVII.) Quæ tota materia fusius tractata videri potest a Matthia Fabro concil. V, in Dom. Resurr. et ab Henrico Engelgr. in Cœlo Empyreo in eodem Festo § 3.

Ex occasione thematis : *Surge qui dormis, et exurge a mortuis :* (EPHES. I, 14.) potest Auditor excitari, ut duplicis gratiæ, quam per resurrectionem suam Christus nobis procuravit, participem faciat, scilicet resurrectionis e sepulchro peccatorum, et resurrectionis a corpore ignaviæ spiritualis, de quibus sic loquitur Guarricus : Duplicem gratiam resurrectionis simplex Christi resurrectio præparavit, dum et quotidie reviviscunt a morte peccati per operationem mysterii, et hodie maxime resurgunt a somno corporis per devotionem gaudii : quis enim ille tam piger, ac tepidus, qui hodie audiens vocem illam omni gaudio plenam : *Ressurrexit Dominus :* non totus in exultatione suscitetur, non totus reviviscat, et recalescat spiritu? Utraque ergo hæc resurrectio, quomodo practice fieri debeat, paulo fusius explicetur, et claudatur denique concio ejusdem auctoris verbis : O anima mea, ego dormivi, et exurrexi, ait Christus. Surge et tu, quæ dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. An non, fratres, mortuo similis, qui adhuc stertit orto jam sole, qui adhuc negligentia et socordia premitur, quasi desperato sepultus torpore, jam ubique gratia resurrectionis rutilante. GUARRIC *s.* III, *de resurr.* Vide hæc ipsa fusius apud Engelgr. in Cœlo Empyreo in Festo ressur. § II.

Ex occasione thematis : *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, et lætemur in ea :* (*Ps.* CXV, 22.) potest explicari, quare in hac die exultandum sit, nempe. 1. Quia est dies *admirabilis*, cum mors superetur, vita reparetur, aditus æternitatis reseretur. 2. Quia est dies *amabilis* propter gloriam Christi, in cujus faciem gloriosam desiderant Angeli, et Sancti prospicere. 3. Quia est dies *desiderabilis :* a cœlis, ut reparentur ruinæ : a terris, ut illuminentur homines sedentes in tenebris, a mortuis, ut resurgant, et novam vitam participent. In altera parte concionis ostendatur, quam vere hæc dies etiam respectu cujusque hominis spiritualiter resurgentis sit *admirabilis* propter justificationem, quæ, teste S. Thoma, majus est opus, quam creatio cœli et terræ, et quam donum gloriæ beatificantis : *amabilis* propter gaudium et fructus, qui ex hac justificatione oriuntur : *desiderabilis* denique ob desiderium, quo Deus, Angeli, Sancti, justi in terris, et ii maxime, quibus cura nostræ salutis commissa est, justificationem nostram, et spiritualem resurrectionem desiderant. Qua de materia fusius agens Henricus Engelgrv. in cit. concil. videri potest.

Ex occasione thematis : *Scio quod Redemptor meus vivit;* (JOB. XIX, 25.) *et in novissimo die de terra surrecturus sum :* potest explicari gaudium, et solatium, quod quisque ex Resurrectione Christi, et sua percipere deberet. Et 1. quidem ex resurrectione Christi, quia caput ipsius est, atque adeo ob illius gaudium et gloriam ei congaudere oportet; et sperare, quod cum ille nunc cœlos penetravit, etiam nos velut membra, si ei per gratiam adhæreamus, in illos ingressuri simus. 2. Ex resurrectione nostra, quæ omnem lacrymam absterget, et omnia, quæ hic propter Deum dimisimus, meliora restituet, ea vero, quæ hic passi sumus, copiose remunerabitur, dum, sicut socii passionum Christi fuimus, ita et gloriæ socii futuri sumus. Merito ergo hæc spes nobis perinde, ut S. Job in sinu reposita, et pro solatio in adversis casibus esse debet.

MISCELLANEA.

Veritas. — Etiam Ethnicos cognovisse resurrectionem, testantur verba illa Platonis : est certe, o Cebes, maxime omnium ita, ut mihi videtur, ex mortuis reviviscentes homines fiunt, mortuorum supersunt animæ, atque bonis melius est, malis pejus. Job. xix. 25.

Sed et Seneca : Desinunt, inquit, ista, non pereunt, et etiam mors, quam pertimescimus, et recusamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qui nos in luce reponet dies. Æquo animo debet rediturus exire, observa orbem rerum in se remeantium. Æstas abiit, sed alter illam annus adducit : hyems occidit, referent illam sui menses : solem nox obruit, sed ipsam statim dies abigit. Sen. *ep.* xxxvi.

Narrat Nicephorus septem fratres a tempore Decii Imperatoris usque ad tempus Theodosii Junioris, annis scilicet ducentis in quadam caverna, sine corruptione sui aut vestium dormisse ad certificandam veritatem resurrectionis. Surius xxvii, *Jul.*

Sicut olim Josephus Patriarcha dixit Pincernæ Pharaonis : Tres propagines, tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum, dabisque ei calicem juxta officium tuum. (*Gen.* iv, 13.) Ita et justis olim continget, post tres enim dies recordabitur Deus ministerii, et servitii nostri, et in regiam cœlestem assumet. Est autem prima dies passionis in hac vita, altera dies est dies mortis, et tertia resurrectionis universalis, de quibus Oseas locutus est, dicens : Vivificabis nos post duos dies, in tertia die suscitabis nos. Osæ, vi, 3.

Pulchre Minutius Felix resurrectionis possibilitatem sequentibus verbis persuadet : Vide, quam in solatium nostrum resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergitur, et nascitur : astra labuntur, et redeunt : flores accidunt, et reviviscunt : post senium arbusta frondescunt : semina non nisi corrupta revirescunt. Ita corpus in sœculo, ut arbores tempore hyberno occultant viriditatem ariditate mentita. Quid festinas, ut cruda adhuc hyems revirescat, et redeat? exspectandum etiam corporis ver est. *Minut. Felix apud Fab. in auctar. them.* iii. *in Dom. Resurr.*

Hydrargyrum sive argentum vivum, licet in minutissimas partes dividatur, mox tamen in pristinam formam confluit et coalescit, si manu associetur, et conjungatur; quanto magis Deus partes corporis dissociatas et dilaceratas conjungere poterit. S. Greg. *Niss. l. de creat, ho.* xxviii.

Alphora primum vermis est, post in piscem transit, rursum tabe consumptus extra aquam, ut amnis caro ab ossibus defluat; si in aquam remittatur, iterum carne vestitur, ut prius, et quasi renascitur, fitque longe vivacior, quam si corruptus non fuisset. S. Albert. *Magn. de ani.* l. XXIV.

Cum parentes quidam cum filio ad S. Jacobum Compostellanum peregrinarentur, et in via filius a filia hospitis ad stuprum frustra pellectus, et ideo calice occulte in cucullum imposito, furti apud judicem falso accusatus, et suspensus fuisset, mater Compostella rediens, et filium in patibulo pendentem semel adhuc videre cupiens, vivum esse audivit, judicique id nunciare jussa est, qui cum in convivio existens gallum et gallinam forte appositam haberet, mulieri dixit : Falleris, o mulier, filius tuus vivit, sicut hæ aves. Quo dicto mox gallus et gallina vivi surrexerunt, et in mensa ambularunt, et in locum templo vicinum deportati septennio vixerunt, et pullum ac pullam similis, id est candidissimi coloris reliquerunt, sicque singulis septenniis idem fit a sobole. Quodque mirum, licet peregrini illac transeuntes pennas ab illis auferant : numquam tamen pennæ illis deficiunt. *Faber in Auctar. th.* iii, *in Fer.* ii, *Pasch.*

AUCTORES.

Jacobus Marchantius in Horto Pastorum tr. iv, lect. xiii, xiv, et xv.

Henricus Engelgrav. in cœlo Empyr. in Festo Resurrect. et in Luce Evang. p. 2, embl. xxi, et p. 1, embl. xxii.

Matthias Faber in Auctario them. ii, et iii, Dom. Pasch. et them. iii, in Fer. ii, Pasch. Item in opere tripart. conc. iii et iv, in fest. Resurrect.

Antonius Dauroultius in Cathec. Historial. cap. i, art. 1.

Josephus Langius in Polyanth. V. eod.

Laurentius Beyerlinck text. x, in Fer. i. Pasch.

SACERDOS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Sacerdos est Clericus ad offerendum Deo incruentum Sacrificium, aliaque Sacramenta administranda legitime ordinatus. S. HIER. *in epist. ad Nepot.*

Dicitur *Clericus*, vel quia de sorte Domini est, vel quia ipse Dominus est sors, seu hæreditas illius. *Sacerdus* autem appellatur, vel quia sacra docet, ut Magister rerum sacrarum, vel quia est sacer dux, ad cœlum viam qua verbis, qua exemplis ostendens, vel quia sacra dat, id est, SS. Mysteria dispensat. *Presbyter* vero vocatur, quia ob munus suum excelsum, eodem, quo seniores, honore ac reverentia dignus est. Porro omnia hæc Sacerdotum officia titulosque breviter complexus est S. Prosper dum dixit, dici non posse, quam sancti debeant esse Sacerdotes, cum ipsi sint, qui velut novi quidam Aarones incensum precum Deo offerant, illius Majestatem placent, justitiæ rigorem impediant, iram et furorem illius avertant. Cum ipsi per Dei gratiam fiant divinæ voluntatis indices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fidelis populi ductores, veritatis assertores et defensores, falsorum dogmatum inimici, hæresum flagella, baptizatorum patres, rerum cœlestium præcones, spiritualium conflictuum duces : bonorum operum patroni, alphabetum virtutum, ac fidelium exemplaria. L. II, *de vit. cont.* VI, 2.

DIVISIO. — Dividitur in *simplicem et curatum.* Ille est, qui beneficio simplici, nullam animarum curam annexam habente, gaudet : iste, qui dictam curam sibi commissam habet. Et hic iterum subdividi potest in Parochum, Decanum, Episcopum, Archiepiscopum, Patriarcham, Cardinalem, Papam. II. *Ser.* V, 20.

ACTUS, SEU OFFICIA SACERDOTUM. — Esse *Interpretem et Legatum Dei* juxta illud Apostoli : Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamus Deo. Etsi enim sit unus Mediator Dei et hominum Christus Jesus, teste Apostolo, qui dedit semetipsum pro omnibus, quia tamen hic in terris amplius non habitat, Sacerdotes pro se Vicarios substituit; hinc idem S. Paulus dixit : In quo positus sum ego Prædicator et Apostolus (veritatem dico, non mentior) Doctor Gentium in fide et veritate. II. *Tim.* I, 5.

Offerre thymiama orationis per officii divini recitationem, uti Azarias olim Oziæ Regi thymiama offerre volenti indicavit, dicens : Non est tui officii, Ozias, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium. (II. *Par.* XXVI, 18.) Id quod potiori jure de Sacerdotibus Novi Testamenti dici potest, de quibus recte Alexander Papa dixit : Ipsi Sacerdotes pro populo interpellant, et peccata populi comedunt, quia suis precibus ea delent atque consumunt. (ALEX. I, q. III, c. *Sacrosanct.*) Alium adhuc orationis hujus finem et effectum assignavit S. Hieronymus; dicens : Oret Sacerdos Ecclesiæ indesinenter, ut vincat populus, qui sub ipso est, hostes invisibiles Amalecitas, id est, Diabolum, qui assidue bellum movet iis, qui pie volunt vivere in Christo Jesu. (*Dist.* XXXVI, *c. Si quis.*) Quibus tandem tertium effectum superaddit S. Chrysostomus his verbis : Præsunt Sacerdotes orationibus nostris ob eam rem, ut populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ, simul in cœlum evehantur. *Ho.* LXXIX, *ad Populum.*

SS. Missæ sacrificium offerre, aliaque Sacramenta administrare : uti S. Paulus indicavit, dum dixit : Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum ejus. (I. *Cor.* IV, 1.) Hinc S. Thomas ait, proprium Sacerdotis officium esse, esse Mediatorem inter Deum et homines, in quantum scilicet divina populo tradit, unde dicitur Sacerdos, quasi sacra dans. (II. p. q. XXII, art. 1.) Ob quam causam S. Paulus dixit : Omnis Pontifex assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. HEB. III, 1.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. JOAN. XX, 21.

Sacerdotes tui induantur justitiam, et Sancti tui exultent. Sacerdotes ejus induam salutari, et Sancti ejus exultatione exultabunt. *Ps.* CXXXI, 8 et 16.

Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus : incensum enim Domini, et panes Dei sui offerent, et ideo sancti erunt. L. XXXI, 6.

Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere : exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vasa Domini. Is. LII, 11.

Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum; sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut ministros Dei, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis. II. *Cor.* VI, 3.

Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit. JOAN. XII, 26.

Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis. II. *Cor.* I, 18.

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum ejus. I. *Cor.* IV, 1.

Oportet ergo Episcopum (quidni et alium quemvis Sacerdotem) ? irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, suæ domui bene præpositum, filios (saltem spirituales) habentes subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? I. *Tim.* III, 1.

Talis enim decebat (et etiamnum decet) ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie prius pro se hostias offerre, deinde pro populo. HEBR. VII, 26.

Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. MALACH. VII, 7.

Oculi ejus sicut columbæ super rivos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima. *Cant.* V, 12.

Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis; Mercenarius autem, et qui non est Pastor, et cujus oves non sunt propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit, et dispergit oves. JOAN. X, 11.

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos (et Pastores) regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Act.* XX, 28.

Labora sicut bonus miles Christi. Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit. II. *Tim.* II, 3.

Solicite cura teipsum, probabilem exhibe te Deo, operarium inconfusibilem recte tractantem verbum veritatis. Profana autem et vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem. *Ibid.* 15.

Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non coacte, sed spontanee, secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed formá facti gregis ex animo. I. *Petr.* V, 2.

Eritis mihi sancti, qui sanctus sum, ego Dominus, et separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei. *Lev.* XX, 26.

Ipsum elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum et bonum odorem. in memoriam placare pro populo suo. *Eccl.* XLV, 20.

Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis. *Hebr.* V. 1.

UTILITAS. — Non habebunt Sacerdotes et Levitæ, et omnes qui de eadem tribu sunt, partem et hæreditatem cum reliquo Israel : Dominus enim ipsa est hæreditas eorum, sicut locutus est illis. DEUT. XVIII, 1.

Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, et animam meam faciat, et ædificabo ei domum fidelem, et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. I. *Reg.* II, 35.

Et nunc fratres mei, quoniam estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima eorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite. JUDITH. VII, 21.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat, ut, quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. JOAN, XV, 16.

DIGNITAS. — Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. DAN, XII, 3.

Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum. I. *Petr.* II, 9.

Tu es, Domine, qui vitæ, et mortis habes potestatem; qui deducis ad portas mortis, et reducis. *Sap.* XVI, 13.

Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit talem potestatem hominibus. MATTH. IX, 8.

Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit. Luc. x, 19.

Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Zach. ii, 5.

In anima tua time Dominum, et Sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tua dilige eum, qui fecit te, et ministros illius ne derelinquas : da illi partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum, et purgationis. *Eccl.* vii, 31.

Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Luc. x, 16.

Presbytero humilia animam tuam *Eccl.* iv, 7.

Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, et doctrina. I. *Tim.* v, 17.

Nimis honorificati sunt amici tui, Deus : nimis conformatus est principatus eorum, *Ps.* cxxxviii, 17, n. 5, 9.

Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israel, ad sacerdotem pertinent : et quidquid in Sanctuarium offertur a singulis, et traditur manibus Sacerdotis, ipsius erit.

Sacerdos malus. — Sacerdotes non dixerunt : ubi est Dominus? et tenentes legem nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me. Jer. ii, 9.

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Erit sicut populus, sic sacerdos. Oseæ, iv, 6 et 9.

Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra. Malach. i, 10.

Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege : irritum fecistis pactum Levi. Propter quod, et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in lege. *Ibid.* ii, 8.

Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. Oseæ, iv, 8.

O sacerdotes, si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis : quoniam non posuistis super cor. Malach. ii, 1.

EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Sacerdos quasi communis quidam omnium Pater est; dignum est igitur, ut omnium curam agat, omnibusque provideat, sicut et Deus, cujus fungitur vice. S. Chrys. h. vi, *in* I. *Tim.* ii.

Necdum horrescis, quod ad tale ministerium me nitebaris inducere : indutumque sordidis vestibus, Sacerdotum inserere dignitati, cum talem Christus a conviventium congregatione separaverit? Splendore etiam vitæ, totum illuminantis orbem, fulgere debet animus Sacerdotis. *Idem*, l. IX *de Sat.*

Tantum interesse debet inter Sacerdotem, et quemlibet virum probum, quantum inter cœlum, et terram discriminis est. Nihil petulans, ac juvenile agere debet, verum temperantem ubique, ac probe moderatam vitæ rationem præseferre. S. Isidor. Pelus. l. II, *epist.* 205.

Cum igitur nihil excellentius in hoc sæculo Sacerdotibus, et cum dignitatem eorum oculis demonstramus, ut digne noscamus, quid fuimus, et quid sumus professione, actione potius, quam nomine demonstremus, ut actio respondeat nomini, et nomen cum operibus incidat. S. Ambr. c. iii, *de fac. dig.*

O Sacerdotes, si anima cujuslibet justi sedes est Dei, multo magis sedes, et templum Dei vos esse debetis mundum, et immaculatum S. Aug. *in* c. xi *Is.*

Cunctos, qui sacri altaris suggestu eminent tantum excellere oportet merito, quantum gradu, et dignitate. Nihil enim in mundo haberi potest indignius, quum si quis ad honorum fastigia sublimatus, meritis sit infimus; quid enim est imperium meriti expers, et vile? quid honorum proderit titulus, ubi ipse defecerit homo? aut quid est dignitas indignis humeris imposita, quam gemmæ moniliaque, luto cœnove superstrata? Salvian. Missil. l. II. *ad Eccl. Cathol.*

Sit Sacerdos in cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbis, benignus in omnes, omnia considerans, humilitate bonorum socius, justitiæ zelo erga improbos severus. S. Greg. *post.* p. I, c. v et seq.

Sicut ego excedo omnes creaturas, atque ab universis, quæ a me facta sunt, segregor, ita et vos segregati estote ab omnibus, qui non sunt sancti, nec Deo dicati; segregati autem non locis, sed affectibus, non regionibus, sed conversationibus. S. GREG. *ho.* XI, *in Lev.*

Mirum valde est, quod te solo sit Deus tuus contentus, neque velit aliam præter te hæreditatem habere; tu vero eo non contentus, ad terrenas inhies divitias, et hæreditates : sufficiat tibi, quæso, Deus tuus, sicut tu sufficis Deo tuo. S. CYPR. *in* c. XVIII.

Eum quippe, qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis, cæteros veluti stellarum igniculos, in suo fulgore obscuret. Debet hujusmodi vitam habere immaculatam, atque compositam, ut omnes in illum, et in ejus vitam, veluti in exemplar aliquod excellens, intueantur. S. CHYSOST. *ho.* X, *in* I, *ad Tim.*

Attendat studiose sacerdos, ut signum sine significato non ferat; id est, ut vestem sine virtute non portet, ne forte similis sit sepulcro foris dealbato, intus vero omni spurcitia pleno : quisquis enim sacerdos indumentis ornatur, et honestis moribus non induitur, quanto venerabilior apparet hominibus, tanto redditur indignior apud Deum. DURANDUS. *ap. Mansi*, d. VII, d. 5.

Sacerdotis est scire legem Domini et ad interrogationem respondere de lege. S. HIER. *sup. Aug.*

Sapientissimum esse oportet et perspicacem in omnibus Sacerdotem, et mille, ut aiunt, ex omni parte oculos habentem, quippe qui non solum sibi, sed etiam populo vivit. S. CHRYSOST. *de dignitat. Sacerdos.*

Multi sunt Sacerdotes et pauci sunt Sacerdotes. multi nomine et pauci in opere. *Idem sup. Matth.*

Sacerdos humilitatem in mente et dignitatem in honorem Sacerdotii servare debet. S. GREG. *in Reg.*

Sacerdotes bonorum Ecclesiæ non possessores sunt, sed dispensatores. S. AUG. *in Ep.* L.

UTILITAS. — O magna, et inclita Dei instrumenta, sacerdotes, a quibus omnium populorum pendet beatitudo! Spiritus est, qui vivificat. *Act. Eccl. Med.* p. XII, *conc.* 11.

Sacerdotes per Dei gratiam fiunt divinæ voluntatis Judices, Ecclesiarum Christi post Apostolos, fundatores, fidelis populi duces, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, vindices oppressorum, patres in fide Catholica regeneratorum, prædicatores cœlestium, phalanges, præliatores invisibilium præliorum. S. PROSP. l. II, *de vit. conc.* c. II.

Ipsi sunt Ecclesiæ decus, in quibus amplius fulget Ecclesia; ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundata innititur omnis multitudo fidelium. Ipsi januæ civitatis æternæ, per quas omnes, qui credunt in Christum, ingrediuntur ad Christum. Ipsi janitores, quibus claves datæ sunt regni cœlorum. Ipsi etiam dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni dividuntur gradus, et officia singulorum. *Idem*, c. III.

Presbyteri, qui bene præsunt vita, et doctrina, digni habentur a subditis duplici honore, scilicet, ut spiritualiter eis obediant, et exteriora bona ministrent. Boni enim dispensatores et fideles, non solum honore sublimi præmiari debent, sed et terreno, ut non contristentur indigentia sumptuum, et gaudeant obedientia spiritualium; instantior enim fit, si non humiliatur inopia, et crescit in illo auctoritas, cum videt se etiam in præsenti laboris fructum percipere, non ut abundet, sed ut non deficiat. S. AUG. *super* I. *Tim.* V.

Qui animarum curam pro Domino suscipit, ut errantes doceat, ut consolatur mœstos, vel temporalibus sustentet, vel renitentes ad remedia salutis protrahat, vel pastore destitutos gubernet, ut secum plures ad Dominum perducat, sapiens est, quia sibi, ut sublimius cum Domino regnet, procurat. GLOS. *sup. Prov.* XI.

DIGNITAS.—Sacerdotium est summa bonorum omnium, quæ in hominibus consistunt. S. IGN. *ad Smyrn.*

Sacerdos est miraculum stupendum, potestas ineffabilis, cœlum attingit, cum Angelis versatur, cum Deo familiariter agit. S. EPHR. *ser.* I. *de Sac.*

Qui in terra versantur, his commissum est, ut ea, quæ in cœlis sunt, dispensent : iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit. Habent quidem, et terrestres principes vinculi potestatem, verum corporum solum; id autem, quod dico Sacerdotum vinculum, ipsum etiam animam contingit, atque ad cœlos usque pervadit. S. CHRYSOST. l. V, *de Sacerd.* c. III.

Sacerdotium est ipso etiam regno venerabilius, et majus. Medius stat Sacerdos inter Deum, et naturam humanam : illinc venientia beneficia ad nos deferens, nostras petitiones illuc perferens, et Dominum iratum reconcilians. *Il. ho.* v, *in is.*

Quanto anima corpore præstantior est, tanto est Sacerdotium regno excellentius : solvit enim, aut ligat, supplicio, vel remissione dignos. S. Clem. l. II, c. xxxiv.

Sacerdotium in terris quidem peragitur, sed in cœlestium rerum classem, ordinemque referendum est; atque id per quam merito; quippe non mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creatura, sed ipse divinus Paracletus ordinem hujusmodi disposuit. S. Chrys. t. III, *de Sacerd.* c. iii.

Ipsi sunt Ecclesiæ decus, in quibus amplius fulget Ecclesia : ipsi janua Civitatis æternæ; per quos omnes, qui credunt in Christum, ingrediuntur ad Christum : ipsi janitores, quibus datæ sunt claves regni cœlorum : ipsi etiam dispensatores regiæ domus. S. Prosp. l. III, *de vit. act.* c. ii.

Aurum non tam pretiosius est plumbo, quam regia potestate altior est dignitas sacerdotalis. S. Ambr, c. ii, *de dign.* d. 96.

Quis dubitet, Sacerdotes Christi regum, principum, omniumque fidelium patres, et magistros censeri. *Ib.* c. ii, § 7, disc. 36.

O potestas ineffabilis, quæ in nobis digna est habitare per impositionem manuum sacrorum Sacerdotum! O quam magnam in se continet profunditatem formidabile, admirabile Sacerdotium! S. Ephr. *de Sacerd.*

O Sacerdos Dei, si altitudinem cœli contempleris, altior es; si pulchritudinem solis, et lunæ, et stellarum, pulchrior es; si discretionem Angelorum, discretior es; si omnium dominorum sublimitatem, sublimior es, solo Deo, et Creatore tu inferior es! Cassian. *in Cat. gl.*

Vere veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius, velut in utero matris, incarnatur. S. Aug. *hom.* ii, *Ps.* xxxvii.

Omnium quidem bonorum magna est gratia, inter omnes autem maxima est sacerdotalis dignitas, si quis eam immaculate custodiat, S. Chrys. *ho.* xi, *in Matth.*

Ut enim, qui sacerdotium dixit, sacrorum simul omnium uno vocabulo significavit ordinem; ita et qui Sacerdotem, et Pontificem dixit, augustiorem, prorsusque divinum insinuavit virum, totius sanctæ conscientiæ peritissimum, in quo liquido, ac perpicue sacratus omnis ordo suus et perspectus sit, et possit agnosci. S. Dionys. c. i, *de Eccl. Hier.*

Flos sunt ecclesiastici germinis decus, atque ornamentum gratiæ spiritualis, Dei imago, respondens, ac sanctimoniam Christi, illustrior portio gregis Christi, ut Josephus Mansi illis accommodari posse ait. S. Cypr. *de habitu Virg.*

Magna dignatio Domini, si tamen eam, sacerdos, cognoscas, quod velit Dominus Deus tuus esse pars tua, et hæreditas tua. Quid non habebis, si Deum habeas? Oleast. *in c.* xviii. *Nu.*

Ascendit ad familiaris dignitatem; in opere creationis, non fuit qui adjuvaret Spiritum Domini, aut consiliarius ejus esset; in mysterio vero redemptionis nostræ voluit habere coadjutores, dicens : *Hoc facite in mei commemorationem.* Est ergo Sacerdos coadjutor Redemptoris. Petrus Bles. s. xlvii.

Vide sacerdotum dignitatem, quod divina sit : Dei enim est remittere peccata; sic igitur illi honorandi sunt, ut Deus : nam quamvis indigni sint, quid hoc? Divinorum donorum ministri sunt, et gratia operatur per eos. Theoph. *in* c. xx, *Jo.*

Quemcumque ad sanctum altare divina vocat gratia, fidemque ejus electio S. Spiritus sacerdotali dignitate remunerat, eo ipso quod vocatur, et eligitur ad tale munus, profecto jubetur illi, ut tollat filium suum, quem diligit, Isaac, eumque Domino in terra visionis in holocaustum offerat. Rupertus, *Abb.* l. VIII, *in Gen.* vi, 32.

Hoc honore nihil in hac vita præstantius, et acceptabilius apud homines esse potest, nihilque etiam apud Deum beatius, si eo modo in eo militetur, quo cœlestis ipse Imperator jubet. S. Aug. *ep.* 128.

Nihil honorabilius sacerdotibus; omnis nostra spes, atque salus, et repromissio promissorum bonorum, in iis est. Flavianus, *epist. ad Leonem Pap.*

Æquitas. Honores sacerdotibus exhibiti. — Honorate Sacerdotes ut patres, et dominos; ut beneficos, et benevivendi auctores. S. Clemens, l. VII, *Const. Apost.* c. xxxii.

Honorate sacerdotium secundum Christum, et post etiam honorare oportet Regem. Sacerdotium enim est summa omnium bonorum, quæ in hominibus existunt. S. Ign. M. l. II, *epist.* lii.

Sacerdotibus non ex terrena potestate dominus noster citius indignetur : sed excellenti consideratione propter eum, cujus servi sunt, ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. S. Greg. *in epist. ad Maurit. Imp.*

Sacerdotes merito non modo plus vereri debemus, quam vel principes, vel reges, verum etiam majore honore, quam parentes proprios, honestare. S. Chrys. l, III, *de Sacerd.*

Sic de parentibus carnalibus ait Scriptura : Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut bene tibi sit. Quique maledixerit patri, aut matri, morte moriatur; quanto magis de patribus spiritualibus verbis Dei monemur, honore, et charitate eos prosequi ut beneficos, et ad Deum legatos. S. Clemens. *Const. Ap.* l. II, c. xxxiii.

Ergo, Imperator, considera, si (Deus) illos dixit audiendos, qui super cathedram Moysis sedebant; quanto potius, qui super cathedram Petri sedent, esse existimes audiendos? Nicol. *Papa ad Mich. Imp. l. t.* IX, vi, *eod.*

Sacerdotes Christi vicarii sunt, et qui honorat Sacerdotem Christi, honorat Christum : et qui injuriat Sacerdotem Christi, injuriat Christum, cujus est vicarius, et Sacerdos. S. Chrys. *hom.* xvii, *in Matth.*

Si de Domini Sacerdotibus, qui vere patres sunt aliquid contigerit vos audire, quod confusionem piis mentibus ingerat, non infrunitum, sed pudoratos filios Noe imitantes, paternam de reliquo verecundiam, contegatis, ut affluenti, quemadmodum et illi, benedictione repleri, moderante Domino, mereamini. Nicol. *Papa, dist.* LXVIII, c. viii.

Si David regum justissimus, in Saul, quem constabat jam a Deo reprobatum et abjectum esse, manum mittere non præsumpsit; quanto magis cavendum est, ne manum detractationis, vituparationis, aut calumniæ in Sacerdotes, qui sunt uncti Domini, mittamus? S. Greg. l. XII, ep. iii, *ad Felic.*

Rogo vos, neminem judicate, præcipue autem Domini Sacerdotem, sed viva fide, pura conscientia, et efficaci pœnitentia ad mysteria Dei accedite, atque ita sanctificabimini : est enim Dei Angelus, seu nuntius, qui offert incruentum Sacrificium. S. Anast. *Sinaita s. de comm.*

Absit, ut quidquam sinistrum de illis arbitremur, qui apostolico gradui succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt; quorum industria facti sumus christiani, quique claves regni cœlorum habentes, ante diem judicii quodammodo judicant. Anterus, *Pap.* XI, q. iii, *c. eod.*

Vita illius laudanda est, qui venerationi habet Sacerdotes Christi, et non detrahit gradui, per quem factus est christianus. S. Hieron. *Ep.* 1, *ad Heliod.*

Sacerdotes, quos Dominus suos esse voluit, non sunt leviter tractandi, nec lacerandi, vel temere accusandi, quoniam eorum causas sibi Dominus reservare voluit, et suo judicio vindicare. Fabian. *Pap.* II, q. vii, *c. eod.*

Omnes, qui adversus patres, id est Sacerdotes, armantur, infames esse censemus. Telesphorus, *Papæ* VI, q. i, *c. eod.*

Sacerdos malus. — Vere magna confusio Sacerdotum, et omnium clericorum, quando laici inveniuntur fideliores ac justiores, quomodo autem non sit confusio, esse illos inferiores laicis, quos etiam esse æquales magna confusio est? Auctor. *oper. imp. hom.* iii.

Aurum quippe obscuratum est, quia Sacerdotum vita, quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba; color optimus est mutatus, quia ille sanctitatis habitus per terrena, et abjecta opera ad ignominiam despectionis venit; dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum : ecce jam pene nulla est sæculi actio, quam non sacerdotes administrent : in capite omnium platearum dispersi sunt, quia et jacent per ministerium operis, et honorari volunt de imagine sanctitatis. S. Greg. *h.* xvii, *in Evang.*

Plerique sacerdotes suæ magis utilitatis causa, quam gregis, præesse desiderant, nec ut prosint, præsules fieri cupiunt; sed magis, ut divites fiant et honorentur, suscipiunt sublimitatis culmen, non pro pastorali regimine, sed pro solius honorifica ambitione, atque, abjecto opere dignitatis, solam nominis appetunt dignitatem. S. Isidor. l. III, *sent.* c. xxxviii.

Nihil est turpius, quam excellentem esse quemlibet culmine, et despicabilem vilitate. Quid est dignitas indigno, nisi ornamentum in luto? et ideo cunctos, qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu. Salvian. l. II, *ad Ecc. Cat.*

Ingrediuntur electi, inquit, sacerdotum manibus expiati, cœlestem patriam, et sacerdotes ipsi per viam reprobam ad inferni supplicia festinant. Cui ergo rei similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cœleste mittit, et ipsa postea in cloacas descendit. S. GREG. *loc. eis.*

Mali medici corpora, imperiti Sacerdotes animas occidunt. CUJAS II, *apud Platin.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

QUALITAS. — Attende tibi et vide, cujus ministerium tibi traditum est per impositionem manus Episcopi. Ecce Sacerdos factus es, fideliter, et devote in suo tempore Deo Sacrificium offeras, et teipsum irreprehensibilem exhibeas. Non alleviasti onus tuum, sed arctiori jam illigatus ex vinculo disciplinæ, et ad majorem teneris perfectionem. L. IV, c. V, § 2.

Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, et aliis bonæ vitæ exemplum præbere; ejus conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum Angelis in cœlo, aut cum perfectis viris in terra. *Ibid.*

Sacerdos sacris vestibus indutus Christi vices gerit, ut Deum pro se et pro omni populo suppliciter, et humiliter exoret. Habet ante se, et retro Dominicæ crucis signum ad memorandam jugiter Christi passionem. Ante se Crucem in casula portat, ut Christi vestigia diligenter inspiciat, et sequi ferventer studeat. Post se cruce signatus est, ut adversa quælibet ab aliis illata clementer pro Deo toleret. Ante se crucem gerit, ut propria peccata lugeat. Post se, ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat, et se medium inter Deum et peccatorem constitutum esse sciat, nec ab oratione et oblatione sancta torpescat, donec gratiam et misericordiam impetrare mereatur. *Ibid.* § 3.

O quam mundæ debent esse manus illæ, quam purum os, quam sanctum corpus quam immaculatum cor erit sacerdotis, ad quem toties ingreditur auctor puritatis? Ex ore Sacerdotis nihil honestum et utile procedere debet verbum, qui tam sæpe Christi accepit Sacramentum. Oculi ejus simplices et pudici, qui Christi corpus solent intueri. Manus puræ, et in cœlum elevatæ, quæ Creatorem cœli et terræ solent contrectare. Sacerdotibus specialiter in lege dicitur : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, Dominus Deus vester. L. IV, c. XI, § 6 et 7.

DIGNITAS. — Grande mysterium, et magna dignitas Sacerdotum, quibus datum est, quod Angelis non est concessum. Soli namque Sacerdotes rite in Ecclesia ordinati, potestatem habent celebrandi, et corpus Christi consecrandi. L. IV, c. 5, § 1.

O quam magnum et honorabile est officium Sacerdotum, quibus datum est Dominum majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, et cæteris ministrare! L. IV, c. XI, § 6.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

ÆSTIMATIO. — Deus, ut ostenderet, quanta sit dignitas Sacerdotis, Aaronem summum Sacerdotem, etiamsi idem cum Maria sorore peccatum commiserit, non tamen eadem pœna punivit, sed satis habuit, per sororem lepra percussam castigare. (THOD. q. XXIII *in n.*) Sed et in lege jussit pro suo peccato vitulum saginatum a Sacerdote offerri, quod sacrificii genus numquam alias, nisi quando totus populus peccavit, exigit, ut ostenderet, Sacerdotem toto populo superiorem esse. *Idem* q. I, *in Levit.*

Christus, ut S. Cyprianus testatur, usque ad passionis diem servavit honorem Pontificibus, et Sacerdotibus, quamvis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi servassent. (L. III, *ep.* III, *dist.* 93, *c. eod.*) Hinc et silentium in tota sua passione ad occasiones licet falsissimas servavit, et excepto casu, quo parum honorifice et reverenter Sacerdoti summo respondisse arguebatur. JOAN. XVIII, 23.

De Sacerdotibus, et monachis primitivæ Ecclesiæ Anglicanæ Vener. Beda scribit : Tanta tunc fuit solicitudo doctoribus illis Deo serviendi, non sæculo, tota cura cordis excolendi, non ventris; unde et in magna veneratione fuit tempore illo religionis habitus, ita ut, ubicumque clericus aliquis, aut monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tamquam Dei famulus reciperetur. Et si in itinere pergens invenitur, accurrebant, et flexa cervice, et manu signari, vel ore illius se benedici gaudebant. Verbis quoque horum exhortatoriis diligenter auditum præbebant. Quod si quis Sacerdotum in vicum forte deveniret, mox congregati in unum vicini, verbum vitæ ab illo petere curabant. *Hist. gene. Angl.* l. I, XXVI.

S. Paulus olim accusatus, quod Sacerdotem debito honore non affecisset, protinus crimen hoc a se propulsavit, dicens : Nesciebam, fratres, quia princeps est Sacerdotum. *Act.* XXIII, 5.

S. Antoninus ipsos Sacerdotes, teste Athanasio, in summa veneratione habuisse dicitur, solitusque iisdem caput submittere, benedictionem captare, et pro magno beneficio ducere, si accepisset. *In vita.*

S. Franciscus dicere solebat, se, si cui Sanctorum in terram lapso, et simul etiam Sacerdoti occurreret, prius Sacerdotis manum ad osculum expetiturum, deinde reverentiam Sancto facturum. (S. BON. *in vit.* IV.) Sed et indignum se judicans tanto honore, solo diaconatu, quoad vixit, contentus fuit. S. BON. *in vit.*, c. IV.

S. Martinus ab Imperatore Maximo ad prandium vocatus, arreptam pateram prius Sacerdoti, quem secum duxerat, quam Imperatori, tamquam magis digno, propinavit. (SEVER. l. I, *vit.*) Eidem cum aliquando Valentinianus Imperator ad se venienti non assurrexisset, atque etiam rem patitam subiratus negasset, subito flamma ex sede erumpens, vel invitum surgere, et quod petitum erat, concedere coegit. (MARULUS, l. III, V.) Quam eamdem historiam prosequens Baronius, justumque Dei ponderans judicium circa Valentinianum demonstratum, rem ita enarrat, quod cum hic adveniente Sanct. Martino Episcopo, e throno surgere, et coram eo in pedes erectus reverenter stare noluerit, ignis a sede ipsius egressus sit, qui ipsum adegit, non solum ut surgeret, Episcopo occurreret, suumque caput ejus manibus submitteret, verum etiam, ut ad pedes ejus se venerabundus prosterneret. BARO. *an.* 326, n. 15.

Constantinus Imperator tanto honore prosequebatur Sacerdotes, ut diceret, se, si Sacerdotem cum muliere publice peccantem videret, propriis eum vestibus tecturum. Idem integrum libellum, calumniis contra Episcopos et Sacerdotes refertum, accepit quidem, sed mox nec lectum comburi jussit, indecorum asserens, ut, qui judicari ab aliis debeat, ipsos judicet. PŒD. CHR., p. 1, c. VI, § 4, n. 4.

B Maria Ogniacensis vestigia Sacerdotum summa demissione et reverentia deosculabatur. *Ibid.*, n. 5.

S. Hedwigis Poloniæ Dux quam plurimos poterat Sacerdotes ad S. Missæ officia celebranda conducebat, quos deinde ut manus capiti suo imponerent, et bene precarentur, rogabat, asserens, sæpe id sibi tam quoad animam, quam quoad corpus fuisse salutare. SURIUS, t. III, c. V.

Dequaezus S. Francisci Salesii Confessarius cum S. Angelo suo custodi secum visibiliter ingredienti et egredienti honorem primum detulisset; postquam tamen Sacerdos factus est, semper ipse præcedere Angelum jussus est. NADASI *in ann.*, ANGEL. *hebd.* XXIII, 8.

Marcellus Corvinus in vita Cardinalis Bellarmini, tanta doctrina, raraque sanctitate insignis, tradit, quemdam apud eum propter certa delicta accusatum fuisse sacerdotem; quæ ubi negasset delatus, innocentem judicavit Eminentissimus, inquiens, verisimile neutiquam videri sacerdotem aliquod mendacii verbum prolaturum. MANSI *disc.* V, n. 10.

Gloriosus Franciscus ait fratribus suis : Audite, fratres mei, si Beata Virgo honoratur, ut dignum est, quia Filium Dei portavit in sanctissimo utero suo; si Baptista contremuit, et non audet contingere sanctum Dei verticem; si sepulchrum, in quo per aliquod tempus latuit, tanta reverentia veneratur; quantum debet esse sanctus, et justus, et dignus, qui jam non mortuum, sed glorificatum, et in æternum victurum, in quem desiderant Angeli prospicere, contrectat manibus, corde, atque ore assumit, et aliis quoque porrigit ad sumendum. S. BERN. *Sen.* to. IX, *serm.* XX, c. I, ar. 7.

Cardinalis Baronius de Leontio Episcopo Tripolitano in Lydia scribit, quod cum ab Eusebia Augusta, muliere superba et fastuosa vocaretur, is ei hunc in modum responderit : Quod si velis, ut ad te veniam, conservata in omnibus Episcopis debita reverentia ego intrabo quidem ad te, tu vero subito de sublimi solio tuo descendens, reverenter mihi occurres, et benedictionem a me receptura, caput tuum meis subjicies manibus; moxque ego sedebo, tu vero magna cum modestia stabis, donec a me sedere jubearis; si hæ tibi placent conditiones, veniam utique; secus vero, si illas abnuas. Hunc honorem Leontius, tamquam Sacerdotio debitum ab Augusta exigebat; quem Episcopum Baronius proinde a nonnullis Regulam Ecclesiæ appellatum fuisse dicit, propter exactam rituum Ecclesiasticorum observantiam, licet alias, a communione catholica exclusus esset. BARONIUS, *ann.* 325, n. 15.

Eusebius in historiis suis venerationem, qua Constantinus Magnus Ecclesiasticos, maxime in Concilio Nicæno prosecutus fuit, his verbis refert : Significabant hoc oculi submissi, rubor in vultu, decens ingredientis motus, morum humanitate Imperialisque clementiæ mansuetudine permixta, posita modica quadem sede non sedit, priusquam a ministris Ecclesiæ annueretur. EUSEBIUS, l. III, *de vi. Constant.*

Nicolaus IV. Papa ad Michaelem III. Imperatorem scripsit, eumque monuit, ut sacerdotes, qualescumque illi sint, ob amorem Domini, cui serviunt, ubique veneraretur : convenit enim, inquit ut bene attendas, non quales sint sacerdotes Domini, sed quid ipsi Dei nomine loquantur; nec aliud quidpiam in sacerdotibus spectare debes, quam quod ipsi in beneficium Ecclesiarum, et salutis tuæ laborent. Certum est enim, quod illis nequaquam inferiores esse dices super cathedram Moysis sedentibus Scribis, et Pharisæis de quibus Christus ait : *Quæcumque dixerint vobis, servate et facite, secundum opera illorum nolite facere.* Hoc igitur considerans, o Imperator, dicito : si Christus eos, qui super cathedram Moysis sedent, audiendos esse affirmavit, quanto magis eis, qui in cathedra Petri sedent, benignæ, et morigeræ præbendæ sunt aures? BARONIUS, *ann.* 865.

S. Vincentius Ferrerius in quodam sermone, reverentiam antiquitus clero deferri solitam, his verbis describit : Antiquitus, inquit, quando unus clericus transibat per viam, vel per vicum, omnes assurgebant, dicendo : Deus commendatum me habeat in vestris orationibus : modo autem sunt tot vitia et vanitates Sacerdotum et clericorum, quod pejus loquuntur de ipsis, quam de Judæis ex illorum mala vita. S. VINCENT FER. *s. de* S. MARCE.

S. Ephrem de Sacerdotio scribens, suadet, ne quispiam debitum sacerdotibus obsequium, et reverentiam exhibere detrectet, eo quod an tali honore digni sint, ignorent : quia ad hos rescipiendum non est, sed ad Deum, qui Sacerdotes honorandos esse præcipit; dicit enim : Quod si de illo, qui sacerdos est, ignoras, dignusne an indignus sit tanta sublimitate, tu ob præceptum ipsius Christi eum non despexeris. S. EPHREM *de Sacerdotio.*

Basilius Imperator Leonem filium suum exhortans ad honorem et obedientiam Ecclesiæ, ejusque ministris exhibendam, ita loquitur : Honor enim, qui sacerdotibus habetur, ad Deum refertur; et sicut propter te ministros tuos in honore habere justum est, ita et te propter Deum, sacerdotes ejus magnificare, et in pretio habere, sanctum. *Bibl. PP.*, t. V, c. III.

Anacleti Pontificis Epistolam exstare ferunt qua præcipitur summum honorem Presbyteris a fidelibus ferendum. Non solum igitur Presbyterum offendit, qui digne non honorat, sed et Pontificis edictum negligit atque contemnit, et cum gemini criminis reus existat, alteras irreverentiæ, alteras inobedientiæ pœnas dabit, si modo pœnitentiam non egerit : et correctus deinde tanto ministros Dei coluerit submissius, quanto erga eosdem insolentius se gesserat perversus. MARRUL., lib. III.

Theodosius Augustus quoniam iratus in Thessalonicenses supra quam quod justum æquumque esset animadverti fecerat, Mediolani ab Ambrosio Episcopo Ecclesiæ aditu prohibitus, palamque reprehensus, patienti animo pertulit, et commissum confitens pœnitentiam egit. Vide quanta est Sacerdotis auctoritas, qui tanto Principi publice insultare non dubitavit, et cui tantus Princeps populo inspectante cedere non erubuit! MARRUL. *Ibid.*

Idem Theodosius Imperator cum paschali quodam die Ecclesiam ingressus, intra chorum consedisset, audivit non eum locum purpuratorum esse, sed Sacerdotum, jubentique Ambrosio, ut inde recederet, obedivit; post hæc Constantinopoli ad Ecclesiam veniens, ut in choro sessum accederet a Patriarcha invitatus, nequaquam acquievit, magis Ambrosi sententiam sequens atque probans, qui ne Imperatores quidem Sacerdotum concessione satis dignos judicavit. *Idem. Ib.*

Mariam Ægyptiacam Zozimus Abbas in deserto orantem corpore supra terram attolli vidit, supra aquas Jordanis ambulantem non mergi, et stupefactus congenuare ante illam reverentiæ gratia voluit. At mulier Sacerdotalem in ipso dignitatem animadvertens, non permisit, sed e contra, honorem, quo se indignam censuit, ei detulit majus quiddam existimans Sacerdotem esse, quam miracula facere : imo omnibus miraculis mirabilius judicans, ex pane et vino corpus et Sanguinem Christi confici, quod solis Sacerdotibus est datum. *Idem. Ib.*

FUGA SACERDOTII. — B. Ammonimus contra voluntatem suam a furente populo ad sacerdotium et Episcopatum tractus, auriculam sibi succidit, dicens : Lex divina neminem præcisa aure permittit fieri Sacerdotem. Cum nihilominus populi ad Timotheum Patriarcham recurrerent, ut eum per obedientiam adstringeret, utpote propter sanctitatem tali dignissimum gradu, quantumvis auribus et naribus destitutus esset; obsistenti itaque, sibique violentiam inferenti populo, respondit intrepide : Linguam meam, propter quam vobis placeo, si me ulterius cogitis, propriis dentibus amputabo : et tandem sibi relictus est. Pet. Eles., *ep.* CXXIII.

Non absimile nobis exemplum exhibent Vitæ SS. Patrum. de B. Theodoro, qui, cum Diaconatus Ordine insignitus esset, ut ad ulteriorem sacerdotii gradum progrederetur, vel Diaconatus munus exerceret, persuaderi numquam potuit; cumque a suis hujus sui propositi causam edicere rogaretur, se pro divina voluntate exploranda orationem ad Deum instituisse respondit, in eaque se columnam quamdam igneam cœlum tangentem vidisse, indeque egressam audiisse vocem dicentem : Si instar columnæ hujus, igne flagras charitatis, ministerio fungere Diaconatus. *Vita PP.*, p. 7, § 21.

Sacerdos malus. — In Revelationibus S. Birgittæ de libidinoso quodam sacerdote refertur, quod, cum sæpius, sed in cassum, ad se emendandum monitus fuisset, acciderit, ut, cum die quadam ad pascendum equum in pratum suum concessisset, plura cœlitus delapsa fuerint fulmina, quæ ei percusso subitam intulerunt mortem : et quidem, ut manifestum fieret supplicium hoc ei in suæ impudicitiæ, et libidinis pœnam accidisse, toto corpore ab ignibus illæso manente, solæ arserunt, et consumptæ sunt partes genitales. *Revel.*, l. II, c. II.

Fertur in narrationibus Patrum, vidisse laicum quemdam suis oculis Sacerdotem Ecclesiæ, quam frequentabat, in crimine adulterii deprehensum : adiisse eum tamen fidenter, et absque ulla dubitatione cum postero die sacrificaret, ut ex manibus ejus sanctam Eucharistiam acciperet; postquam vero accepisset, petiisse ab eo, ut frontem, quam habebat leprosam, cruce signaret; quod cum fecisset; lepram quidem tamquam squammam excidisse; frontem vero sanam, et nitidam apparuisse. Res profecto stupenda, et divini judicii plena. Facit miraculum vacuus gratia, ne præberetur locus obtrectationi sacerdotum, et ne quævis judicarent : imo habuit gratiæ efficacitatem propter dignitatem sacerdotii, ut doceremur, cum ad sacerdotes imus, non ad homines, sed ad Deum nos ire, qui per eos nobis tribuit dona, nosque sanctificat, et facit quod is, qui cum fide accedit, efficiatur voti compos : quodque nec vitium sacerdotis alterius fidei noceat, neque rursus sola vita sacerdotis nos ad credendum juvet; sacerdos enim quatenus homo est, infirmitate præditus, non potest juvare, ut neque tu rursus eum, cui par in infirmitate : homo enim homini prodesse non potest : ut sacerdos sacerdotii dignitate præditus gratiam sibi conciliat : siquidem donum Dei est sacerdotium, per gratiam vero efficitur Deo propinquior. Franc. Turrin, l. II, *de Hierarch. Ordinat.*

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius Sacerdotio jam decoratus integrum anni spatium ad se magis colligendum sumpsit, animumque præparandum, ut augustissimum Jesu Christi Domini nostri corpus, vivam veramque pro peccatis nostris hostiam, purius Deo Patri offerret in odorem suavitatis. *Vita,* l. II, c. II.

S. Franciscus Xaverius, quam maxima potuit cura, animum ad primum sacrum offerendum præparavit. Inter alia præcepta Sociis Comorinensibus data, singulariter illos admonebat, ut indigenis Sacerdotibus enixe piis in rebus faverent, eosdemque ad frequenter expianda peccata, et rem divinam faciendam pellicerent. Caverent, ne quidquam cuiquam, quod illorum æstimationem lædere videretur, narrarent, scriberentve, præterquam ei, qui remedium, si quando res posceret, afferre posset, ut videlicet Sacerdotum vitia is sciret unus qui posset etiam curare. (*Vita*, l. I, c. VI, l. III, c. XIII.) Præpositorum vero summam in eo requirebat cautionem, ut ne temere quoslibet initiatos vellent sacris, sed viros tantum fide ac virtute diu spectata, prudentiaque, et doctrina saltem mediocri; hisce, enim præsidiis Societatis Sacerdotes, ut ex instituto vivant, sine magno periculo carere non posse. L. VI, c. XIV.

S. Franciscus Borgias, ne ordine Presbyteratus indignus videretur, orare in dies Deum, corpusque castigare solitus erat; nec enim ignorabat illa sacra illotis manibus tractare, sacrilegio affine crimen esse. *Vit.* l. II, c. II.

P. Balthasar Alvarez postquam Sacerdos factus est, eo titulo cœpit, magis adhuc in devotione crescere, et in familiari cum ipso Deo congressu, ad cujus mensam quotidie admittebatur. *Vit.*, c. VI.

P. Ludovicus de Ponte ad Sacerdotium rite suscipiendum menstrua divinarum rerum commentatione studiosissime se paravit. *Vit.*, l. I, c. IV.

Joannes Petrus Alisius, honesto loco natus, et communium litterarum cognitione haudquaquam destitutus erat; ob quam causam, etiam consentiente P. Generali, Sacris initiari potuisset, nisi tanto muneri imparem se ratus, antiquius habuisset rei familiaris ministerium. *Annuæ* 1610, *pro. Sit. Coll. Neap.*, f. 31.

Dominicus Nicolaus ea excelluit modestia, tantamque habuit de gradu Sacerdotii æstimationem, ut neque ingenii, qua erat præditus, perspicacia, latinæque linguæ intelligentia, neque multorum monitis, aut ipsius denique Præpositi Generalis litteris persuaderi se permiserit, ut Sacerdotium susciperet. *Ibi. prov. mex. Do. prof. mex.* f. 539.

Bartholomœus Alvarus Japonii laboribus destinatus, et ab Antistite Sebastiano Morales in Sacerdotem selectus, amplexus laborem, honorem constantissime remisit. *An.* 1613. *prov. Lusit. dom. prof. Olys.*, f. 735.

EXEMPLA PROFANA.

Pharao Rex Ægypti, etsi cunctos populos a novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus subjecisset sibi, terram tamen, quam Sacerdotibus dederat, exemptam voluit. *Gen.* XLVII, 21.

S. Hieronymus tradit, Ægyptiorum Sacerdotes ab omni sæculari negotio ac turbis liberos, in templis ac fanis semper esse commoratos, cœlorum et astrorum motui contemplando semper intentos, ab omni mulierum consortio remotos; dum vero cultui divino vacarent, diisque ministrarent, a carne et vino abstinuisse, pudicitiam una cum sobrietate inviolate servando. *In reg. Monach.*

Megalobyæus Dianæ Ephesiæ sacrificulus semper eunuchus esse debebat, quia nefas credebant, deæ pudoris præsidem lascivum deservire. *Alex ab Alexand.*, f. 2.

Cybeles Sacerdotes membrum genitale sibi quodam lapide abscindebant, ut casti viverent. Alii Athenis bibebant cicutam, ut vim genitalis membri amitterent. Mulieres vero initiaturæ lectos sibi ex urticæ foliis substernebant. *Textor. in offic.*, l. I, c. II.

Plutarchus de sacerdotibus refert ministrorum Romanorum, qui diabolo, mendaciorum patri et auctori famulabantur, in tanta fuisse veneratione, adeoque æstimatos fuisse veridicos, ut in nullo penitus judicio pro quacumque causa ad juramentum astricti fuerint, quin potius in quibuscumque etiam gravissimi momenti rebus sola eorum assertio, nudumque verbum, juratæ æquivalebat veritati. PLUTARC., *in probi.*

Gentiles, ut observat Baronius, etiam quoad imperium politicum, sacerdoti suo obediebant : (nam, ut Strabo de Æthiopibus scribit) apud illos sacerdotibus erat summa potestas, adeo ut etiam nonnumquam Reges occidi imperarint, alium in illius locum juxta beneplacitum eligendo. Sacerdotes Ægyptii leges promulgabant, judicesque populi erant. In Persia, Magi sacerdotes olim regnarunt, postea vero, mutata hac regiminis specie, nihilominus in tanta existimatione permanserunt, ut eorumdem consilio regnum gubernaretur. In Republica Romana Augures tanta auctoritate pollebant, ut (sicut Tullius refert) unus illorum consilia senatus annulare, consulesque deponere potuerit. Hæc omnia referunt Annales Ecclesiastici. BARO., an. 57, n. 34.

Diodorus de sacerdotibus Ægyptii scribit, eos redditus publicos in tres partes dividere solitos fuisse : priorem vero eorum portionem percipiebat sacerdotum collegium; unde Philo, libro de sacerdotio, hanc deducit consequentiam, dicens : Ex his rebus liquet, juxta Regis judicium, sacerdotes æquiparari majestate atque honore Regibus, siquidem illis, tamquam principibus, conferri tributa imperat. DIOD. l. II, *de sacr. Ægypt.*

Alexander Magnus, tametsi notitiæ veri Dei expers esset, tamen cum tot esset regnorum gloriosus victor, et exasperatus a populo Hebræo, Jerosolymam misisset exercitum, ut se per totius Levitici ordinis stragem de injuriis receptis vindicaret : Jaddo vero Sacerdos vires suas ad resistendum impares esse videns, vestimentis Pontificalibus solemniter indutus, multisque aliis sacerdotibus stipatus, ei occurreret. Alexander mox ad eorum conspectum ira deposita, placatus, sacerdotem non solum non indigne habuit, verum etiam summe veneratus est, et omnia, quæ postulavit, ei gratiose concessit. Cumque, cur id fecisset, interrogaretur : Non hunc adoravi, respondit Alexander, sed Deum, cujus sacerdotio fungitur. JOSEPH, l. XI, *antiq.*, c. VIII.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut artifex ex omnibus lapidibus eligit meliores, et ponit a foris in facie ædificii, cæteros autem lapides qualescumque mittit intus. Sic Ecclesia meliores christianos eligit, et ponit in facie Ecclesiæ, id est, alios facit sacerdotes, alios diaconos, cæterosque ministros Ecclesiæ. *Auctor. ep. imper. ho.* 40.

Sicut lapides, qui sunt intus in ædificatione, nemo aspicit, sed eos qui foris sunt considerant omnes ; sic sæcularium hominum vita ac mores, neque sic considerantur, neque sic nocent Ecclesiæ, quamvis omnis populus sæcularis fuerit indisciplinatus, tamen si clerici boni fuerint, tota Ecclesia speciosa videtur. *Ibid.*

Sicut vinum vas specialius, et diligentius præparatum, in quo servetur, exigit, quam panis ; sic sub specie vini sanguis Christi sumendus solis Sacerdotibus conceditur, tamquam vasis Domini ad hoc specialiter consecratis, et sacra religione constrictis, et virtutum pulchritudine excellentius præordinatis. S. THOM., *opusc.* 58, c. XXIX.

Sicut soli oculi nostri inter omnia alia membra nostra lucem habent, illisque Deus communicavit lumen, ut corpori, multisque operationibus ejus, qui a visu oculorum diriguntur, ducatum præstent ; eadem proportione dicere possumus, quod Deus in mystico Ecclesiæ suo corpore sacerdotes, velut partem magis nobilem, haud secus ac oculos collocarit, majusque illis lumen, suique, bonorumque spiritualium et æternorum notitiam contulerit, ut, hac ratione, aliis ducis loco serviant, divinæque gratiæ bona communicent. S. ISID., l. II, *ep.* CXII.

Sicut cor inter alia membra in corpore humano est primum mobile, ita quoque sacerdos in Republica est primum, et præcipuum omnium bonorum gratiæ instrumentum, in quo vita animæ consistit ; et sicut a corde spiritus vitales corpus vivificantes, illique calorem, motum, et vitam subministrantes in omnes corporis partes transfunduntur, ita pariter a Sacerdotibus in alios spiritus vitales gratiæ Sacramentorum, aliorumque bonorum spiritualium transmittuntur. S. CYRILL. ALEX., c. III, *in Isaia.*

Sicut nautæ periculosis maris tempestatibus jactati, ad accensas in altis turribus faces iter dirigunt, cursumque intendunt ; ita sane homines variis infestissimi sæculi agitati procellis, in Sacerdotum vitam ac mores, tamquam in lumina quædam clarissima, oculos intendunt. *Acta Mediol.*, l. IV, c. I.

Sicut fulgidissimum aurum, licet luto contaminatum non percipit detrimentum, neque speciosissima margarita ex contactu quarumdam immundarum specierum : ad eumdem modum, nec Sacerdotium ab ullo sordidum redditur, quatumvis etiam indignus sit is, qui illud suscepit. S. EPHR., t. I, *de sacerd.*

Sicut macula in lino candido apertius, quam in veste pellicea vel rustica conspicitur ; ita quoque defectus aliquis in homine sæculari non æque, ac in sacerdote aliquo notatur. MANSI. d. I, n. 7.

Sicut pretiosam vestem exigua quævis macula turpius decolorat, ita a nobis multo magis exigitur justitia, cum in aliis nævus, in nobis sit gravis macula. S. BERN. *de triplici custod.*

Sicut si servos nostros quispiam cædat, non in servorum nostrorum injuriam cædit : et si a quoquam filius verberetur alienus, in supplicio filii pietas paterna torquetur ; ita cum servus Dei a quocumque læditur, Majestas Divina violatur. SALV., l. IV, *de prov.*

Sicut honor, qui propter Deum Sacerdotibus impenditur, multum parit fiduciæ (propria enim sibi facit Deus, quæ in servos suos collocantur) ita et illorum contemptus multam e supernis pœnam nobis deferet. Igitur, sicut suum esse honorem, ita contemptum ducit. S. CHRYS., *ho.* LXVI, *in Gen.*

Sicut Imperator palatium, in quo fixam habet sedem, splendidissime exornatum habet, in aliis autem locis, ubi tantum in transitu hospitatur, leviorem ornatum requirit ; ita Deus vult Sacerdotes, in quibus quotidie habitat, splendidissimis virtutibus exornari, minorem vero ornatum a laicis, in quibus rarius hospitatur, requirit. *Fab. cont.* VII, *in Do.* IV, *post Pent.*

Sicut in familia bene constituta nullus esse debet, qui officiis vacet, ut veteres dicebant ; ita in Dei gubernatione nullus, sustinetur otiosus, nullus, qui consertis manibus sedere debeat, juxta illud Servatoris nostri : Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. Palæotus, p. 7, *ser.* I, *ad Cler.*

Sicut in arbore non satis est, si in uno tantum, aut altero ramo fructus hi proveniant, sed undique eum pomis contectum, et onustum, et præ pondere inclinatum spectare oportet; ita Sacerdotes nequaquam muneri suo satisfaciunt, si aliquo tantum tempore, aut aliqua tantum in re ministerium suum rite obeant, sed, ut Apostolus ait, per omnia placentes, et in omni bono fructificantes esse oportet. *Ibid.*

Necessitas. — Sicut caput, et oculi, qui gressibus nostris præsunt, et vias nostras dirigunt, semper contendunt, ut illud erectum sit, hi vigilent, et excubias agant; idque nisi fiat, pedes deviant et errant, et corpus universum periculo casus expositum est; ita nisi Sacerdotes, qui caput et oculi sunt corporis mystici, erecti et vigilantes sint, facile populus ipsis commissus de via deflectit, et devium iter ingreditur non sine manifesto vitæ periculo. S. Greg., p. 2, *Past.*, c. III.

Sicut si pars aliqua domus fuerit corrupta, facilis est reparatio; quando autem ipsum fundamentum quassatum est, non nisi labore, et sumptu maximo error hic corrigitur; ita si populi peccaverint; facile per pœnitentiam et Sacerdotum solicitam charitatem corriguntur; secus vero accidit, si ipsi Sacerdotes, velut fundamenta spiritualis ædificii labefactati, corruerint. S. Chrys., *hom.* XLVII.

Sicut navis eo pergit, quo gubernator gubernaculum tenens eam impellit; ita populus eo tendit, quo Sacerdos dirigit. Labatæ, *tit. Sacerdos.*

Utilitas. — Sicut oves Jacobo Patriarchæ commissæ tales habuerunt colores, quales in virgis, quas canalibus ipse imposuerat, conspexerunt; ita tales populus mores, assumet, quales in Sacerdotibus curam ipsius gerentibus conspexerit. *Gen.* XXX, 27.

Sicut stomachus accipiens cibum coquit in seipso, et per totum corpus dispergit; sic et Sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturam a Deo, et eam in se excoquentes, id est tractantes et meditantes apud se, universo populo ministrant. S. Chrys., *hom.* XXXVIII, *in Matth.*

Sicut apes de divinarum Scripturarum flosculis suavia mella conficiunt; ita Sacerdotes, quidquid pertinet ad medicinam animarum, oris sui arte componunt. S. Ambr., *serm.* XIII.

Dignitas. — Sicut si Rex aulico cuipiam sigillum suum pro libitu usurpandum offerret, magna huic aulico gratia, dignitasque a Rege oblata crederetur; ita cum Deus characterem et potestatem absolvendi et consecrandi pro beneplacito suo exercendam dederit, merito summa ei dignitas gratiaque obtigisse creditur. Lanciz., p. 2, *opusc.* XIII, c. III, n. 195.

Sacerdos Malus. — Sicut in corpore, si aliquod infirmatum fuerit membrum, non omnino languet et stomachus; si autem stomachus languerit, omnia membra inveniuntur infirma : sic si aliquis Christianorum peccaverit, non omnino peccant et sacerdotes; si autem et sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum. *Auct. ope. imp. h.* XXXVIII.

Sicut agricola videns arborem pallentibus foliis marcidam, colligit quod læsuram in radicibus habet : ita cum videris populum indisciplinatum et irreligiosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium ejus non est sanum. *Ibid.*

Sicut lignum vitis optimum est, cum ligno adhæret, cum disjungitur, in nullo utile, nisi ad succensionem fornacis Babyloniæ, illa enim malleolis succenditur, ut dicitur Dan. III. (Hugo Car. *in*, c. XVIII, *Joan.*) Ita est de Clericis, et Religiosis, quando Christo adhærent, optimi sunt, et multum fructum faciunt : quando autem a Christo separati sunt, nutrimentum sunt ignis peccati in præsenti, et in futuro ignis infernalis. Ligna itaque vitis tanto sunt contemptibiliora, si in vite non manserint. S. Aug. *ap. Manst. disc.* XXX, v. 11.

Sicut stultus esset infirmus ad mortem usque languens, qui cum sanari non possit, nisi per venæ incisionem, illam tamen admittere nollet, eo quod chirurgus lanceolam non habeat auream, sed ferream. Simili modo vos, qui in peccato mortali estis, absolutione sacramentali, tamquam unico remedio, indigetis; cur ergo vultis sacerdotem aureum, quando sacerdos ferreus, id est, malus, necessitati vestræ æque potest succurrere? Hinc recte dixit nonnemo de talibus sacerdotibus : Si bene vixerint, eorum est lucrum, si bene docuerint, nostrum; accipite, quod vestrum est, et nolite discutere, quod alienum est. *Auctor. op. imp. hom.* XLIII.

MOTIVA.

ad statum sacerdotalem digne suscipiendum, et conservandum.

Dignitas status sacerdotalis : quod motivum S. Ambr. sequentibus verbis indicavit : Separavit Deus Sacerdotes a populo, et præcepit Moysi, ut montem cum Sacerdotibus ascenderet, populus autem deorsum staret. Vides divisionem? nihil in Sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihilque commune cum studio et usu, et moribus multitudinis inconditæ : sobriam a turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vindicat sacerdotalis. Quomodo enim potest a populo observari, qui nihil habet secretum a populo, et a multitudine dispar? quid in te miretur, si sua in te recognoscat? si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat? S. Ambr., l. I, *ep.* vi.

Necessitas : nam, ut sapienter, advertit S. Chrysostomus, non est nobis species una parata, sed bellum nobis varium, ac multiplex propositum, variis multiplicibusque adversariis constans, nec omnibus eodem armorum genere utentibus, nec eodem nos stratagemate oppugnantibus : quamobrem, qui eosdem expugnare et retundere gestit, omnes eorum artes et technas percalleat, necesse est, inque omni conflictus genere sit versatissimus. (S. Chrys., l. IV *de Sacerd.*) Periclitatur quippe (ut Sanctus Bernardus dixit,) Sacerdotis castitas in deliciis, humilitas in honoribus, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, et charitas in hoc nequam sæculo. Hinc recte Sanctus Augustinus dixit : Nihil est in hac vita, et maxime hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi officio. *De conv. a Cleric.*, c. xxx. *Ep.* xlviii, *ad Valer.*

Æquitas : sic enim de idolorum Sacerdotibus dicebat Demosthenes : Equidem arbitror, eum oportere, qui sit templum ingressurus, et vasa sacra ac canistra tractaturus, et rerum ad Deos spectantium curam habiturus, non certorum duntaxat dierum numero, sed per totam vitam, pure vivere : ideoque nec capra vesci, nec hederam tangere iis licebat, quia libidinis sunt symbolum. (*In orat. conc. Timocrat.*) Sic etiam Sacerdotibus antiqui Testamenti dictum est : Mundamini, qui fertis vasa Domini : (Isaia lii, 11.) quanto magis a Sacerdotibus novi Testamenti summa sanctitas, puritasque requiretur?

Arduitas : nam Sacerdotes, teste Sancto Chrysostomo, sunt muri Ecclesiæ; sicut ergo muri præ reliquis urbis partibus impetum hostium sustinere, ideoque bene solidi et muniti esse debent; ita et Sacerdotes in virtute et sanctitate bene fundatos esse oportet, ut Ethnicorum et Hæreticorum impetum sustinere queant. (*Hom.* x, *in Matth.*) Imo alibi idem Sanctus dicere ausus est : Monachorum quidem multum et ingens certamen esse, sed qui volet ejus instituti sudores cum Sacerdotii administratione conferre, tantum inter illa duo discrimen reperturum, quantum inter privatum, et Regem intervallum. Lib. VI, *de Sacerd.*

Gravitas ruinæ Sacerdotum malorum, quam S. Hieronymus clare sequentibus verbis expressit : Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina, si peccant. Lætamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse : nec enim solum pro nostris delictis rationem, sed pro omnium, quorum abutimur donis, et nequaquam sumus de eorum salute soliciti, Deo reddere cogemur. *Super Ezech.*, l. II.) Hinc S. Gregorius adstipulatus ait : Nos, qui Sacerdotes vocamur, supra ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi et jacentes videmus : tunc enim subjectus moritur sine te, quando in causa mortis te contradictorem pertulerit; nam morti, cui non contradicis, adjungeris. (*Hom.* ii, *sup. Eze.*) Duplici ergo, juxta Granatensem, titulo rei erunt, si officio suo desint : altero, quod legem Dei violant, altero, quod gratis panem suum manducantes, alieno sanguine pascuntur. (*In Silva, loc. com. t. Cleric.*) Ob hanc causam Besseus ait, non solere Deum peccata populi gravius plectere, quam per ruinam Sacerdotum; facere enim tunc, quod fecit Sampson, qui, concussis fortiter columnis domus, in qua Princeps, et populus epulabantur, eadem ruina omnes alios secum involvit. (L. III, *regul. Sacerd.*, c. xvi.) Addit S. Gregorius : Major metuenda est locis illis calamitas, ubi tales intercessores (mali Sacerdotes) ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se iracundiam magis provocant, quam per semetipsos placare debuerant. (*Apud Bes.*, l. VI, c. XIV.) Ut merito S. Bonaventura in hanc lamentationem proruperit : Heu, heu, heu, Domine Deus, egressa est de senibus iniquitas, e judicibus, scilicet senioribus, qui populum tuum regere videbantur. Heu Domine, ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, et regere principatum. *Ibid.*

Ad Sacerdotes honorandos, et amandos.

Quia potestatem habent amplissimam : nam, teste S. Bernardo, potestas Sacerdotis est, sicut postestas Divinarum Personarum, quia in panis transubstantiatione tanta requiritur virtus, quanta in mundi creatione : unico verbo omnes produxit Deus mundi hujus creaturas : *Dixit, et facta sunt :* Sacerdos pariter pauculis verbis Creatorem universi de throno cœlesti descendere, subque speciebus sacramentalibus se occultare facit, substantia panis et vini in sacratissimum ejus transmutata corpus. Sacerdos suo ministerio, inquit idem sanctus Bernardus, transfert verissimum corpus Christi de empyræo cœlo ad ipsum altare sacrum. (S. BERN. t. I, *sess.* XX, ar. 2, c. VII.) Sanctus Vincentius Ferrerius ad idem discurrens intentum, ait : Sacerdos existens in terra, habet potestatem, ut aperiat cœlos, et faciat descendere Filium Mariæ in altare in manibus suis. Magno utique, item subjungit Sanctus, attribuitur miraculo, manna Moysis de cœlo depluens, Eliæque ignis e cœlestibus sphæris eductus : majus mirabile est hic, quoniam Sacerdos, nec de aere, nec de sphæra ignis, nec de cœlo lunæ, Mercurii, aut Martis, nec de cœlo stellato, seu firmamento, aut crystallino, sed de cœlo empyreo, facit Chrystum descendere. Admiramur omnes Josue, dum properum stitit solis cursum : *Sol contra Gabaon ne movearis;* paruitque Dominus, siquidem sol stetit, obediente Deo voci hominis. Sed miraculorum maximum in ultima contingit cœna in cœnaculo Sion, ipsumque perseverabit ad finem usque innumerabilium sæculorum, quando sol Justitiæ Christus promptissime obedit, et obediet linguæ Sacerdotis. S. VINCEN. FERR., *sess.* I, *in festo corp. Chr.*

Quia sunt dispensatores mysteriorum Dei, uti Sanctus Ambrosius indicavit dicens : Sacerdotis officium est Spiritus Sancti; sicut enim tertia sanctissimæ Triadis persona donorum, bonorumque spiritualium est thesaurarius, ita Sacerdotes instituti sunt, ut sint eorumdem thesaurorum dispensatores, quos proinde Apostolus vocat *dispensatores mysteriorum Dei.* S. AMBR. *l. de vid.*

Quia sunt judices mundi; nam Sacerdotis tronus, teste Sancto Chrysostomo, in cœlo collocatus est, et de cœlestibus negotiis pronuntiandi habet auctoritatem : quid cum tanto honore conferri potest? A terra judicandi principalem auctoritatem sumit cœlum : Nam judex sedet in terra. Dominus sequitur servum, et quidquid hic in inferioribus judicarit, hoc ille in supernis comprobat. (S. CHRYS. *hom.* V, *de verb. Isaia.*) Hanc auctoritatem Sanctus Petrus Damianus in quodam sermone de Sancto Petro his verbis admiratur : Præcedit Petri sententia sententiam Redemptoris, quia non quod Christus, hoc ligat Petrus, sed quod Petrus, hoc ligat Christus. O quam potens dignitas, quam digna potentia! judicat Petrus, et Petri judicia confirmat omnipotens, et est in manu Petri manus Altissimi, solusque ille efficitur familiaris. Quis unquam Rex, aut Monarcha reperietur, qui regni sui ministris tantam delegarit potestatem, ut absolvere possint omnia delicta lesæ Majestatis, etiam in primo capite, ut tollere possint omnes condemnationes, omnes rescindere etiam ab ipsomet Principe fulminatas sententias condonare omnia scelera, quamtumvis enormia contra ejus Majestatem commissa eosque, qui illa admiserunt, præter impertitam delictorum veniam, filios declarare adoptivos, et regni ejusdem Regis, a similibus sceleratis offensi cohæredes? Quæ profecto similitudo optime servit ad exprimendam quadamtenus auctoritatem in remittendis peccatis, gratiam infundendam peccatoribus in amicitiam Dei restituendis, dandamque beati illius regni investituram, et possessionem concessam. S. PETRUS DAM., *ser.* XXVII.

Quia sunt Patres totius orbis; uti iterum Sanctus Chrysostomus indicavit dicens : Quasi communis quidam totius orbis pater, et Sacerdos. Dignum igitur est, ut omnium curam agat, omnibusque provideat. Ideo quoque in quodam Canone hæc verba leguntur : Sacerdotes pro populo interpellant, et peccata populi comedunt, quia peccata precibus suis delent, atque consumunt. (S. CHRYS., *in* I *Timoth.*, c. II.) Hinc et S. Augustinus : Talem, ait, oportet esse Domini Sacerdotem, ut quod populus pro se apud Deum non valuerit, ipse pro populo mereatur quod proposuerit impetrare. S. AUG. *in Ps.* XVI.

Quia sunt Ductores hominum; uti Gulielmus Durandus advertit dicens : dicitur autem Presbyter, quasi aliis vivendi præbens iter, vel præbens beatum iter, videlicet populo Dei de mundi exilio ad patriam Paradisi. DURAND. *in Ratio. Div. off.* l. II, c. X.

Quia sunt Forma gregis christiani, juxta Hugonem, qui verba illa S. Petri : Forma facti gregis ex animo, sic exponit : Id est, *perfectio :* in hoc monet eos ad regulam et exemplum exterioris bonæ conversationis, et *ex animo ;* moxque propriam illius nominis *forma* in hæc verba explanat significationem : *Formam* dicit, ut ad ejus aspectum alii minores informentur, et concipiant fœtus similes. (HUGO CAR. *in* I. *Petr.* c. V.) Hinc et S. Hieronymus : conversatio tua, inquit, quasi in speculo constituta, magister es publicæ disciplinæ : quidquid feceris, omnes faciendum putant. S. HIERON. *in ep. ad Heliod.*

Quia sunt Speculatores Ecclesiæ : uti Dionysius Carth. notavit, qui super illa verba Ezechielis, *Speculatorem dedi te domus Israel*, ita scribit : Quemadmodum speculator Principis in turri locatur, ut undique circumspiciat, et quidquid adversitatis venire videt, domino, et populo suo annunciet; sic pastor, prædicator, prælatus, seu doctor, populo insidias dæmonum, pericula vitiorum, pœnitentiæ fructum intimare solicite debet. Hugo Cardinalis eadem verba ita exponit : Speculatorem, inquit, dedi te, non dormitorem, vel dominatorem domui Israel, id est, Ecclesiæ; citatque sanctum Gregorium, qui ad propositum nostrum dicit : Debet oculos habere ante, et retro, et in circuitu, et intus, sicut dicitur Apocalypseos IV; nam speculatoris officium est, vigilem esse, cujus hanc assignat rationem : quia sunt ut custodiant civitatem : unde Isaiæ cap. LXII. *Deus dicit : Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes.* DIONYSIUS CARTH. *in c.* III, *Ezec.*

Quia Coloni sunt populi Christiani, teste Auctore oper. imperf. dicente : Coloni sunt sacerdotes, qui colentes populum, quasi vineam, cum acutissimo ferro sermonis, faciunt eos bonos fructus justitiæ Domino exhibere; sicut autem duram terram ferrum emollit, sic et verbum duritiam cordis relaxat : sicut rastro ferreo herbæ radicitus evellentur a vinea, sic et acri sermone vitia de populo resecantur. AUTHOR. *imperf. op. hom.* XL.

Quia Præcones sunt Ecclesiæ; nam juxta S. Gregorium, Præconis officium suscipit quisquis ad sacerdotium ascendit : Sacerdos si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim, quod super pastores primos in linguarum specie Spiritus Sanctus insedit, ut nimirum, quos repleverat de se, protinus loquentes faceret. S. GREG. l. I, *Ep.* XXIX.

Quia Reges mundi sunt; nam, ut S. Chrysostomus recte pronunciavit, multo dignior est honore, ac veneratione Sacerdos quam Rex, quanto ad majorem vocatus est principatum. Cujus præeminentiæ hanc alio in loco assignat rationem, dum ait : Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ : Rex maculas corporis remittit, Sacerdos peccatorum. Ille cogit, hic exhortatur, ille necessitate, hic consilio. Ille habet arma sensibilia, hic spiritualia. Quantum animarum gubernium excedit directionem corporum, tanto sacerdotalis vincit regalem. Hic in vitam temporalem, substantiam, corpora, et subditos, dominium habet, ille in animas. (S. CHRYS. *hom.* II, *de S. Andrea.*) Imperium nos ipsi gerimus, inquit Nazianzenus, multo præstantius et perfectius regno terreno : etenim sacerdotibus in exorcismis dæmones obediunt, imo et Angeli boni, et ipsemet Filius Dei; hinc tantum est superius Regno Sacerdotium, quantum est inter spiritum, et carnem intervallum. (S. NAZ. *Orat. ad Civ. Naz.*) Ac propterea, sicut potentes potenter tormenta patientur, ita ipsi quoque severam Deo rationem reddere debebunt, uti S. Petrus Damianus indicavit, dicens : Quam pavendum est, ac tremefactis visceribus formidandum omnibus, nunc in ecclesiastica dignitate præcellere, quos æque necesse est, et ante omnes in tremendi Judicis examine respondere, ut, a quibus judicium incipiet, ut, qui primi sunt in culpa, etiam principales sint in pœna.(S. PETRUS DAM. l, III, *epist.* III.) Quod confirmans S. Augustinus : Si diligenter, ait, attenditis, Fratres charissimi, omnes Sacerdotes Domini, non solum Episcopos, sed etiam Presbyteros, et ministros Ecclesiarum, in grandi periculo esse cognoscitis : si enim pro se unusquisque vix poterit in die judicii rationem reddere, quid de Sacerdotibus futurum est, a quibus sunt omnium animæ requirendæ ? Et clarius S, Chrysostomus, dum ait : Criminandi sunt omnes, qui legem transgrediuntur, sed maxime omnium, qui Doctoris funguntur auctoritate, dupliciter namque, et tripliciter jure condemnantur. Primum, qui transgrediuntur: deinde cum in corrigendis aliis ipsi claudicant: tertio, quia, cum ut doctores præsideant, nequitia sua facile cæteros corrumpunt. S. Aug. l. L, ho. vii.

MEDIA

ad Sacerdotalem dignitatem digne sustinendam:

Æstimatio magna de beneficio vocationis ad hunc statum: dignum quippe est, inquit S. Ambrosius, ut dignitas Sacerdotalis prius cognoscatur a nobis, deinde servetur a nobis, ut Psalmographi sententia queat repelli a nobis: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. *Lib. de dign. Sacerd.* c. ii.

Fiducia magna in vocationis gratia: ad quam egregie hortatur Cardinalis Palæotus, dum ait: Positum est in unoquoque vestrum omnia cum Dei auxilio præstare: non enim is est Deus, qui, a se vocatos, et ad aliquod munus perfungendum delectos deserat, aut ope sua in medio cursu destituat, sed quos vocat, eosdem ingenti gratiarum thesauro sic ditat, ut commode explere queant, quæcumque in eodem injuncto munere antea difficilia, ac pene impossibilia esse videbantur. Permagnum est, fatemur, Sacerdotem pro rei dignitate ac sacrarum legum præscriptione se gerere: verum multa majora sunt dona optima et perfectissima, quæ a Patre luminum in eorum Sacerdotum animos instillantur, qui Deo in sinceritate cordis, fidei veritate, ac vitæ morumque puritate inservire student. P. VII, s. i, *ad Cleric.*

Mortificatio, et generosa debellatio passionum, et affectionum inordinatarum ad peccatum trahentium: nam, ut S. Ambrosius ait, cum interficitur impius, Christus infunditur: et ubi abominatio aboletur, sanctificatio congregatur, quia Dominus dixit: In ea die, qua interfecero omne primogenitum Ægypti, sanctificabo mihi omne primogenitum Israel. *L. de Cain et Abel,* c. iii.

Fuga occasionum peccandi maxime conversationis non necessariæ, aut incautæ cum muliebri sexu: nam, ut recte Besseus dixit: Sicut vitra simul constipata gestari nequeunt, quin collidantur, et fructus etiam integerrimi inter se conserti destruuntur et computrescunt, ita non erit absque periculo corruptionis sacerdos qui per nimiam familiaritatem cum externis sæpe colliditur. Fugam amet necesse est, si cum Josepho castus fidelis Domino, et proximam Deo dignitatem Sacerdotii impetrare, et digne conservare cupit. *In pream.*

Colloquiorum piorum frequens usus: ita P. Petrus Faber suadebat cunctis in hospitiis ac diversoriis, non modo statim in congressu ex præcepto Christi pacem hospiti dandam, sed etiam pietatem palam libere profitendam, tum piis de Deo sermonibus inferendis, tum Religionis aperte colendis officiis, ut religiosi viri, dum ita famæ serviunt, cæterosque a flagitio suæ probitatis opinione coercent, eadem opera, et pudori suo consulant, et alieno. Nihil enim nos ita continet in officio, ut edita jam virtutis exempla: nihil ita petulantiam hominum frangit, reprimit impudentiam, cupiditates minuit, ut sobrii hominis et temperantis aspectus. *Hist. Sac.* p. III, c. iii, n. 30.

Magna cum Deo *Conjunctio;* ita enim Christus suasit dicens: Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. (Joan. v, 4.) Hinc S. Ignatius a suis filiis tam solicite semper requisivit, ut media illa præ aliis arriperent, quæ cum Deo ita conjungunt, ac disponunt, ut a divina manu recte gubernentur, qualia sunt probitas, ac virtus, ac præcipue charitas, et pura intentio divini servitii, et familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelus sincerus animarum, ad gloriam ejus, qui eas creavit ac redemit, quovis alio emolumento posthabito. *Part.* X. *Const.* § 2.

Oratio fervens, et crebra: uti S. Carobus Borromæus suasit, qui a suis Diœcesanis, priusquam ad sacros Ordines promoverentur, spiritualia unius saltem mensis exercitia peragi volebat, sub alicujus illuminatæ, et ab Archiepiscopo approbatæ personæ directione; decretum utique celeberrimum, neque tamen modernum, siquidem juxta historias veteres multi priusquam gradum sacerdotalem aut Episcopalem conscenderent, fundamentum jacere voluerunt orationis et recollectionis. Quemadmodum S. Augustinus a Valerio Episcopo, ut jugo pastorali suos submitteret humeros, adstrictus, temporis petiit inducias, quas ab initio Quadragesimæ, usque ad Pascha præmitteret in solitudine, mentisque ad Deum elevatione. Id quod et S. Nazianzenus præstitit fidelissime, dum, priusquam Episcopalem thronum conscenderet, sancto vacavit recessui, inquiens : Bonum enim est et Deo sese parumper subducere. *Acta Mediolan.* p. IV, c. CDLXVIII.

Exemplum bonum; nam, teste Hugone, bona conversatio est condimentum populi, propter hoc sunt sal : sed propter verbum doctrinæ sunt lux : prius sal, postea lux, quia oportet prius bene vivere, quam bene docere; unde de Salvatore nostro, cujus omnis actio nostra fuit instructio, sanctus Lucas ait: *Cœpit Jesus facere, et docere.* (Hugo *Car. in cap.* v, *Matth.*) Hinc, et S. Augustinus ait : Pascite oves verbo, et exemplo; nolite eis cœlum claudere; clauditis, dum non corrigitis; clauditis, dum male vivere ostenditis. S. Aug. *serm.* xxx, *ad FF.*

Vigilantia indefessa; nam, ut S. Bernardus ait : Pastorum est vigilare super greges propter tria necessaria, videlicet ad disciplinam, ad custodiam, et ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem; ad custodiam, propter diabolicam suggestionem; ad preces, propter tentationum instantiam. Hinc quicumque pastor animarum Jacob Patriarcham imitetur oportet, dicentem : *Diu noctuque æstu urebat et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* (S. Bern. *in senten.*) Ex quo zelo hanc S. Damasus eruit consequentiam; si ergo sic laborat, et vigilat, qui pascit oves Laban, quanto labore, quantisque vigiliis debet intendere, qui pascit oves Dei? S. Damas. *in* c. xxxi, *Genes.*

Scientia solida; nam absque sermone, id est, doctrina, conversatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet; nam et latratu canum, et baculo pastoris luporum rabies depellenda est. (S. Hieron. *epist. ad Ocean.*) S. Isidorus vero idipsum confirmans : Sicut iniqui, ait, et peccatores ministerium sacerdotale assequi prohibentur, ita indocti et imperiti a tali officio retrahuntur; illi enim exemplis suis vitam bonorum corrumpunt, isti sua ignavia iniquos corrigere nesciunt. (S. Isidor. l. III, *sent.* c. xxxv.) Hinc et Laurentius Justinianus ait : Sacerdos quisque prius studeat scire, quam posse, quoniam in illo potestatem præcedere debet scientia. Nonne Ecclesiæ quoddam est dedecus, inscium videre Presbyterum, cui utique congruit erudire populum, et ad se confluentibus monita propinare salutis? (S. Laur. *Just. lib. de spir. animæ interitu.*) Ad arentem fontem quis pergeret, ut aquam hauriret? sic tales aridi, non solum malum doctrinæ imbrem populis propinant sitientibus, verum etiam mala consilia præstant, quibus plebeculæ moriuntur, unde superstitiones vigent, mandata contemnuntur, peccata fiunt. *Idem de compunct.*

Cupiditas opum moderata; nam impedimenta hæc sunt, non adjumenta, teste Salviano, onera, non subsidia : possessione enim, et usu opum non fulcitur religio, sed evertitur. Hinc lamentans Psalmista Ps. xxv, 10, ait : *Dextera eorum repleta est muneribus.* (Salvian. lib. II, *ad Eccl.*) Ubi Hugo Cardinalis ait : Manus sacerdotum modo inunctæ sunt pice cupiditatis ad retinendum, quæ deberent esse inunctæ unctione charitatis ad largiendum. Hugo, *Car. in cit. Ps.*

Recta distributio reddituum; nam tales redditus sunt vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum (Urbanus, *Pap. apud Mansi,* dis. xxxvi, n. 1) : hinc, clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur, et dicunt : Nobis fame et frigore laborantibus quid conferunt tot mutatoria servata in domibus vestris? nostrum est quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis, nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris; duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum vos in vanitate operitis, et nos spoliando perimitis. S. Bern. *epist. ad Sen. Ep.*

Exuere affectum erga consanguineos : nam ut Philo Hebræus sapienter advertit, Deo dicatus, ductorque factus sacrati ordinis, debet abdicari omnibus cognationis affectibus, ut charitatem erga parentes, liberos, fratres posthabeat religioni. (Ph. l. II, *de mon.*) Hinc S. Hieronymus de sacerdotibus Ægypti, ab eo tempore, quo se Diis suis dedicarunt, ita scribit; Numquam mulieribus se miscuerunt, nunquam cognatos et propinquos, ne liberos quidem, vident; quod si igitur illi, qui dæmonibus in falsis nominibus serviebant intelligere poterant quanti referret a sanguine alienum vivere, quantum hæc a parentibus alienatio sacerdotibus nostris convenientior erit? (S. Hier. l. II, *cont. Jovin.*) Cavendum ergo, ne verificetur illud Poetæ.

Cum Factor rerum privaret semine Clerum,
Ad satanæ votum successit turba nepotum.
Mansi, dis. xxxvii, n. 6.

ASCETICA.

In primis nosse, et curare debet, *ut vocatio sacerdotum sollicite ac prudenter inquiratur :* intelligitur autem hoc loco *Vocationis* nomine nihil aliud, quam dispositio divinæ providentiæ, qua pro suo beneplacito quosdam homines seligit, et segregat ad opus Ministerii divini, ipsisque qualitates, et gratias ad id necessarias elargitur. Unde patet ex tribus potissimum indiciis colligi posse vocationem. 1. *Ex impulsione divina* si scilicet post orationem crebram, aliaque pia opera (eo fine, ut Deus manifestet voluntatem suam) præmissa, bono fine (qualis est gloria Dei major, propria et aliena salus, et perfectio, non autem laboris fuga, spes quæstus, honoris occupatio, respectus humanus, etc.), ad hunc statum impelli sentiat. 2. *Dispositione naturali:* si videlicet mediis ad hunc statum necessariis (qualia sunt carentia irregularitatis, aut Canonici alterius impedimenti, doctrina sufficiens, vita irreprehensibilis, donum continentiæ, et similia) sufficienter instructum se advertat. 3. *Approbatione humana :* eorum maxime, quos Dei loco veneramur (uti sunt Episcopus, Patres spirituales, Confessarii), quæ tunc saltem non modice ad vocationem certius cognoscendam conducit, quando ex prioribus duobus indiciis non evidenter certitudo vocationis cognoscitur (LUD. ALBELUS, *in Sac. Chr.* p. I, c. III); cum enim, teste Sancto Gregorio, sæpe mens de seipsa mentiatur, et fingat se de bono opere amare, quod amat (P. I, *past.* c. IX); merito ad mendacium hoc evitandum, aliena requiruntur consilia, illud que Salomonis hoc in negotio præ oculis habetur : Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. *Pr.* III, 5.

Nosse, et curare debet, *ut eadem Vocatio legitime suscipiatur :* ad quod tria necessaria sunt. 1. Ut cum *debita celeritate* arripiatur, ad imitationem Apostolorum, qui a Christo vocati, statim relictis omnibus secuti sunt illum. (LUC, V, 21.) 2. *Cum debita intentione :* ne scilicet fini bono et supernaturali, profanus atque terrestris, velut principalis adjungatur : sic enim, et alter finis bonus vitiaretur, cum bonum non nisi ex integra causa, malum autem ex quolibet defectu oriatur. 3. *Cum amplissima grati animi affectione :* prout ipsius beneficii magnitudo requirit. Certe in Sacerdotibus, vel maxime locum habere credendum est verissimum illud S. Bernardi effatum : Nihil ita displicet Deo præsertim in filiis gratiarum, quam ingratitudo.

Nosse, et curare debet, *ut scopus et perfectio vocationi præfixa sufficienter intelligatur :* quæ in eo consistit, ut munera omnia ad Sacerdotalem statum pertinentia (qualia sunt, officii divini recitatio, Sacrificii oblatio, et si curam animarum habet, etiam prædicatio, ac Sacramentorum administratio) cum magna alacritate, diligentia, et constantia obeat, ita ut de eo dici queat, quod Pater æternus de similibus operariis S. Catharinæ Senensi dixit : Vere tales appellari possent alter Jesus Crucifixus Unigenitus meus, ex eo, quod assumpserint officium ejus. Ipse venit velut mediator, ut miseriam auferret, et ita pacificaret hominem, et mihi reconciliaret, tolerando multa patienter; ita faciunt isti cum desiderio cruciato sancto suo, qui mediatores efficiuntur cum orationibus humilibus, cum verbis exhortationis, et suam vitam sanctam proponunt omnibus in exemplum. Relucent in eis lapides pretiosi virtutum cum vera patientia, supportando defectus aliorum. Isti sunt hami, cum quibus capiunt animas. Alias vero eidem de similibus pastoribus dicebat : isti erant veri hortulani, qui sollicite cum sancto zelo, ac timore Dei spinas peccatorum evellebant, plantando virtutum odoriferas in Ecclesia plantas : unde subditi vivebant virtuose cum sancto timore, quotidie crescentes velut odoriferi flores in corpore mystico S. Matris Ecclesiæ. *Dialog.* c. CXIX.

Nosse debet, et curare, *ut digne æstimetur talis vocatio :* inde enim non levis haurietur stimulus ad eamdem sollicite implendam. Porro hæc æstimatio concipi potest ex triplici capite. 1. Ex *dignitate* hujus status quæ tanta est, ut Vasquez non sine fundamento ex ipsius S. Thomæ doctrina petito doceat, constitui posse virtutis habitum ab observantia communi distinctum, circa cultum Sacerdotum, quod in eis sit specialis ratio dignitatis alterius generis, quam civilis. (Lib. I, *de ad or.* c. I, n. 170.) 2. Ex *potestate :* quod enim datum non est Angelis (inquit S. Augustinus) concessum est hominibus. Sacerdos enim hoc ineffabile conficit mysterium, et Angeli conficienti quasi famuli assistunt. Super hoc tam insigni privilegio stupet cœlum, terra miratur, veretur homo, horret infernus, contremiscit diabolus, et veneratur quam plurimum angelica celsitudo. (*In Psal.*) Sed, et de altera potestate, scilicet absolvendi a peccatis, loquens S. Chrysostomus ait; Quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnium rerum cœlestium potestatem illis a Deo esse concessam? quorumcumque enim, ait, peccata retinueritis, retenta sunt? quænam obsecro potestas hac una major esse queat? Ex *privilegiis* huic statui concessis : qualia sunt immunitas a vectigalibus, a censu, a tutela, susceptione militum, a tribunali laicorum, et ut a nullo, nisi superiore, sine pœna excommunicationis, graviter quoad corpus lædi possint (*In illud quodcumque ligaveritis etc.*), id quod clare Fabianus Papa indicavit dicens : Sacerdotes, quos Dominus suos esse voluit, non sunt leviter tractandi, nec lacerandi, vel temere accusandi, quoniam eorum causas sibi Dominus reservare voluit, et suo judicio vindicare. (II, q. VII, *c. eod.*) Unde, et ipse Dominus, teste Anacleto Pontifice, sacri sui corporis tractatores a vilibus, ac reprobis, ac non idoneis personis infamare noluit, nec calumniari permisit, sed ipse proprio flagello Sacerdotes e templo ejecit. VI, q. II, *c. eod.*

Nosse debet, et curare, *ut eadem vocatio digne impleatur :* juxta Apostoli monitum Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis. (EPH. IV, 1.) Ad hoc autem præstandum duo requiruntur, nempe ut qualitates, et instrumenta ad functiones suas rite obeundas necessarias studiose conquirat, et ut pericula, vocationis impletionem impedientia, fortiter ac generose removeat.

Primum ergo horum caput quod attinet, tria præcipue instrumenta necessaria sunt Sacerdoti. 1. *Magna,* id est, sufficiens *scientia;* ita in primis Deus indicavit, dum jam olim in Rationali judicio doctrinam, et veritatem poni jussit, ut essent in pectore Aaron (EXOD. XXVIII, 30.) : cœcos Sacerdotes a ministerio repelli jussit (LEVIT. XI, 17) : præceptum æternum Leviticæ generationi posuit, ut haberent scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum, doceantque filios Israel omnia legitima ejus (LEVIT. X, 9) : et tandem Sacerdotibus ignorantibus per Oseam dici jussit : Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. (OSEÆ. IV. 6.) Eamdem scientiam etiam non obscure requisiverunt Apostoli, et SS. Patres. S. Petrus enim Ecclesiæ rectoribus scribens; Parati, inquit, esse debetis rationem reddere omni poscenti vos ad satisfactionem, de ea fide, quæ in vobis est. (I. *Petr.* III, 15.) S. Paulus Timotheo scribens : Attende, inquit, lectioni, et doctrinæ. (I. *Tim.* IV, 13.) S. Chrysostomus; Boni Sacerdotis, inquit, conversatio sine verbo tenet quidem sanctos in sanctitate per suum exemplum; adducere autem ignorantem ad scientiam non potest. (*Hom.* X, *in Matth.)* S. Isidorus ait, elaborandum esse Sacerdotibus, ut ignorantiam a se quasi pestem abjiciant. (*Dist.* XXVII, *c. ideo.*) Sanct. Leo : Si in laicis vix tolerabilis videtur ignorantia, quanto magis in his, qui præsunt, nec excusatione digna est, nec venia. (*Disc.* XXXVIII, *c. eod.)* Denique ejusdem necessitatem ipsa experientia, et damna ex illius defectu exorta, satis ostendunt. Nam, ipsa Scriptura teste, propterea captivus ductus est populus, quia non habuit scientiam. (Is. V, 13.) Et iterum : Speculatores ejus cœci omnes, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare, ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam; ideo omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum. (ISAIA LVI, 10.) Merito ergo S. Augustinus Fratres suos alloquens ait : Eia ergo, Fratres mei, qui pastores rationabilium ovium noncupamini, festinate rapere non sophismata paganorum, non carmina Poetarum, non argutias Philosophorum, de quibus tam auditores, quam doctores reddituri aliquando sunt rationem, sed suavem illam Sapientiam Sapientiarum, seu Theologiam; hæc est enim Scientia Scientiarum, Angelorum ferculum, Archangelorum voluptas, Apostolorum gloria, Patriarcharum fiducia. Prophetarum spes, Martyrum corona, robur Virginum, Religiosorum refectio, Episcoporum vocatio, Sacerdotum cellarium, infantium exordium, viduarum alphabetum, conjugatorum pulchritudo, mortuorum resurrectio, æterna denique viventium protectio. *Ad FF. in trem. ep.* XXXV.

Secundum instrumentum Sacerdotis est *major prudentia* : hinc Christus Apostolis dixit : Estote prudentes sicut serpentes. (MATTH. X, 16.) Et iterum : Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. (MATTH. XXIV, 45.) Et merito; cum enim prudentia sit moderatrix, et auriga virtutum, ornatrixque affectuum, et morum doctrix, numquam sine ea officium suum rite, atque secure peragere poterit Sacerdos. Hinc recte Sanctus Chrysostomus ; Non solum, ait, mundum purumque Sacerdotem esse oportet, ut qui tali ministerio dignus habitus sit, sed etiam prudentem, et longo rerum variarum usu, experientiaque donatum, ut non minorem rerum sæcularium, quam mundani ipsi in mundo commorantes, cognitionem habeat. Lib. VI, *de Sac.*

Tertium instrumentum est *maxima sanctitas*, in puritate animi, et virtutum possessione, ac exercitio consistens : nam Sacerdotibus dixit Deus : Sancti estote, quia ego sanctus sum. (Lev. xi, 44.) Et iterum : Sancti erunt Deo suo Sacerdotes, et non polluent nomen ejus; incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt. (Lev. xxi, 6.) Hinc Moysi præcepit : Applicabis Aaron et filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, et lotos aqua indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi. Super quæ verba Sanct. Ambrosius discurrens ait : Si tanta in figuris opus erant, quid non fiet in veritate? disce Sacerdos, quid sit vestimenta tua ablui : disce, quid sit corpus mundum in administratione Sacramentorum afferre. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum prohibeatur accedere ad hostiam suam, tu illotus mente pariter et corpore audes pro aliis supplicare, et ministrare? (L. I, *offre.* c. xxx.) Merito ergo Sanctus Bernardus exclamans : Væ, ait, iis qui ambulantes in carne, Deo placere non possunt, et placere præsumunt. *S. de conversion. ad Cleri.* c. xxvii.

Porro inter virtutes præ reliquis exiguntur a Sacerdote 1. *Devotio :* hæc enim, teste Bessæo, omnes illius decus, fulgor, ornamentum, majestas, et anima Sacerdotii, et potissimum illius trophæum, ac triumphus est. (*In proœm.*) Certe Ezechiel inter abominationes, quas Deus ei ostendit, non immerito etiam illam commemorat, quod viderit senes et canis conspersos tergum altari obvertere, et ad templi januam respicere (Ezech. viii.) 2. *Castitas :* nam incorruptio facit proximum Deo, Salomone teste; hinc Christus discipulis dixit : Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. (Sap. vi, s. 20.) Et S. Paulus Timotheum adhortans : Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, et charitate, in fide, in castitate. (I. *Tim.* iv, 12.) S. quoque Augustinus : Omnibus castitas pernecessaria est, sed maxime ministris Ecclesiæ altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio. (I. *Dom.* xv, *post. Trin.*) Et merito; sic enim de Ethnicis sacrificiis cecinit Tibullus.

Vos quoque abesse procul jubeo, discedite ab aris.
Queis dedit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent Superis.

Si in veteri lege Sacerdotes pro populo hostiam offerentes debebant ab uxoribus separari, purificari, et nec vinum, nec siceram, aut aliud quid ad voluptates carnales excitans bibere audebant : Si Sanct. Paulius sæcularibus suasit, ut abstineant ab invicem ad tempus, ut facilius vacent orationi; (I. Cor. vii, 5.) si herbam, cui Agnus castus nomen est, quis tangens pudicus efficitur : si oves illæ, quæ circa Orientem versantes aromatibus, cinnamomo, et caryophyllis pascuntur, corruptionem nesciunt; quanto magis Sacerdos Sacrificium infinities perfectum offerens, et ad orationem pro populo offerendam ex vocationis suæ instituto obligatus, totiesque Agnum castissimum arboremque vitæ sumens, ab omni luxuria abstinere debet? Hinc, teste S. Ambrosio, recte Sacerdotes apibus comparantur : quia sicut apes, castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cœlestis exhibent, aculeum legis exercent, puri ad satisfactionem, suaves ad refectionem, severi ad ultionem. 3. *Zelus animarum :* ita ut pro tessera sibi familiari habeat illud Regis Sodomorum dictum : Da mihi animas, cætera tolle tibi. (Gen. xiv, 21.) Ut velut bonus pastor animam suam ponat pro ovibus suis; (Jo. x, 11.) dicereque jure possit cum S. Davide : Zelus domus tuæ comedit me. (*Ps.* lxviii, 10.) Eum in finem certo sibi persuadeat, quod S. Chrysostomus non sine fundamento pronuntiavit, nimirum hoc nostræ salutis argumentum esse, et occasionem, si non solum pro nobis ipsis soliciti, sed et proximo utiles fuerimus, ipsum ad vitam veritatis manuducentes. (*Hom.* iii, *in Gen.*) 4. *Mansuetudo :* servum quippe Domini, juxta Sanct. Pauli monitum, non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. (II. *Tim.* ii, 24.) Id quod præcipue erga peccatores observandum dixit : Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerantes invicem, alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi, (*Gal.* vi, 1.) qui Apostolis suis dixit : Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. (MATTH. XI, 29.) Hinc Deus in veteri Testamento, et Ecclesia etiam in novo, oleum in consecratione Sacerdotis adhiberi præcipit. Semper itaque Sacerdos sententiam Sanct. Bernardi ob oculos habeat : Discite, qui judicatis terram, esse debere vos matres, non vero Dominos subditorum vestrorum; ita vos gerite, ut amemini, non vero timeamini; si vero severitate interdum opus est, paterna sit, non tyrannica. Patres vos gerite in reprehendendo, matres in defendendo, mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguescant, non typho turgescant. Cur tam graviter opprimitis, quorum solicitudo, et cura vobis incumbit. (S. BERN. *in Cant. s.* 25.) Caveant ergo Sacerdotes, ne ob neglectam hanc virtutem audiant quondam a Deo; Vos autem cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia, et dispersæ sunt oves meæ. (EZECH. XXXIV, 4.) Sequantur potius consilium Roboamo a senioribus datum : Si hodie obedieris populo huic, et servieris, et petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus. (III. *Reg.* XII, 7.) 5. Est *Modestia, et gravitas;* quæ in tribus potissimum elucere debet, nempe in *vestitu*, ita ut, quemadmodum S. Hieronymus monet, vestis, nec satis munda, nec sordida, aut ulla diversitate notabilis sit, ne digito monstretur, et hoc vitio vertatur. (*Epist.* XXI, *ad Eust.*) In *verbis* : nam licet interdum honesta, jocosa, et suavia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula : quomodo enim probare poterimus, quod in Scripturæ corpore neutiquam reperire est, inquit recte Sanct. Ambrosius. (L, I, *offic.* III.) Imo Sanct. Bernardus dicere ausus est : Nugæ inter sæculares nugæ sunt : in ore Sacerdotis blasphemiæ. Consecrasti os tuum Deo : talibus jam aperire illicitum, adsuefacere sacrilegium. (*In modo bene viv. ad Frat.*) In *moribus :* ita ut illud S. Augustini semper non tantum ob oculos habeat, sed reipsa impleat : In omnibus moribus vestris nihil sit, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. (*In regul.*) 6. *Liberalitas :* tum erga *peregrinos,* juxta Isaiæ monitum : Frange esurienti panem tuum, et egenos, vagosque induc in domum tuam. (Is. LVIII, 7.) Id quod Sacerdotibus præcipue convenit, teste Gratiano, ne sint de numero eorum, quibus in judicio dicetur : Hospes fui, et non suscepistis me. (*Grat. dist.* XII, 21.) Tum erga *pauperes :* juxta monitum Nannetensis Concilii dicentis : Instruendi sunt presbyteri, pariterque admonendi, quatenus noverint decimas et oblationes, quas a fidelibus recipiunt, pauperum, et peregrinorum esse stipendia, atque ideo eadem non ut propria usurpanda, sed velut fidei commissa. (I. vol. 3 p. c. X, *Con. Nannet.*) Aurum quippe, ut recte dixit Sanct. Ambrosius, Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, et subveniat in necessitatibus. (XII, q. II, *eod.*) Hinc Sanct. Bernardus ait : Quidquid Sacerdos præter necessarium victum, et vestitum simplicem de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. Væ ergo, exclamat alibi, væ tibi clerice, mors in olla, mors in tuis deliciis est, ideo præsertim, quia, quæ comedis, peccata sunt populi. (*Epist.* II.) 7. Tandem est *Taciturnitas*, et secreti præcipue custodia; Sacerdotes quippe Dei, hominumque sunt secretarii, unde tibi contingere putent, quod Alexander Ephæstioni fecit, dum arcanum quodpiam illi committens, simul ori annulum, quo secreti admoneret, impressit. Hic certe, vel maxime locum habet illud Moysis pronunciatum : Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. (*Num.* XIX, 15.) Hinc et mustela, quæ per aurem concipere, et ore parere dicitur, inter immunda animalia reputatur. (*Lev.* XI, 29.) Quare semper illud Paulinum Sacerdos usurpet : Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui. (II. *Cor.* XII, 4.)

Alterum caput ad dignam vocationis executionem pertinens est *periculorum fuga :* quorum quidem tria sunt præcipua, nempe. 1. *Divitiæ :* Sacerdotes quippe tales Dei adjutores, teste Sanct. Bernardo, esse oportet, qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, et crimina corrigant : famæ provideant suæ, non invideant alienæ, qui non de dote viduæ et patrimonio Crucifixi, se vel suos ditare festinent : gratis dantes, quod gratis acceperunt : qui debeant fatigari quidem, sed non suffarcinari curiosis, et pretiosis. (L. IV, *de Confid.* II.) Et merito, quia, ut Sanct. Hieronymus optime dixit, quicumque Deum possidet, et cum Propheta dicit : Pars mea Dominus : nihil extra Dominum habere potest : ac si quid aliud habet præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Si enim aurum, argentum, possessiones, variam supellectilem habuerit, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur. (XII q., I. c., *eod.)* Hinc, ut idem alibi dixit, ignominia Sacerdotis est, propriis studere divitiis; ut qui potius cum Apostolis dicere debet : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. (*Serm.* LIII, *de modo bene viv.*) Et iterum : Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Itaque tres præcipue occasiones devitet Sacerdos, in quibus lepram avaritiæ cum Giezi contrahere potest, nempe ab *importuna exactione salarii* (ne, dum nimis emungit, sanguinem eliciat, et ovium suarum a se animos avertat) a *munerum acceptione* (ut dicere olim cum solatio illud Samuelis possit : Loquimini de me coram Domino, et coram Christo ejus, si de manu cujusdam munus accepi, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum) ab *eleemosynarum distributione, aut testamentorum executione.* (I. *Reg.* XII. 3.) ut prudenter monuit, Sanct. Basilius, dicens : Prætextu sublevandæ pauperum inopiæ, provideto, ne fias studio inexplebili congerendæ pecuniæ obnoxius, adeo, ut si quis afferat pecunias in usum inopum erogandas, ipse item certo cognoveris, aliquos fulciendæ vitæ præsidio destitutos, atque indigentes, is, in cujus ære sunt pecuniæ, fac, consilio tuo tecum eat, ut adferat egenis fratribus erogaturus : neque contingat, ut, cum dispertiendas ipse acceperis, earum affectu, conscientiæ nitor sitim ducat avaritiæ, et inquinetur. (*Ep. ad Chilon.)* Certe Sanct. Philippus Nerius suos sapienter admonuit, ut si vellent fructum copiosum facere in aliis, a marsupiis aliorum abstinerent. (*Vit.* l. V, c. XV, n. 16.) 2. Alterum, quod fugere studiose debet, est *vinum* intemperanter haustum : vinum quippe, et mulieres apostatare faciunt sapientes, teste Ecclesiastico : (*Eccl.* XIX, 2.) hinc olim in veteri lege, quando intrare debebant templum testimonii, a vino, et quod inebriare potest, abstinere debebant. (*Lev.* X, 9,) Et merito, cum nihil æque, et auctoritatem minuat, et mentem ad functiones Sacerdotales ineptum efficiat, quam vinolentia; summaque confusio, et ignominia sit, Jesum Christum pauperem, Crucifixum, et esurientem fartis prædicare corporibus, jejuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre. (*Cap. Eccl. dist.* XXXV.) 3. Tertium quod præ aliis fugiendum est, *mulierum* familiaritas censeatur : nam, ut sapienter Sanct. Hieronymus dixit, prima tentamenta clericorum sunt fœminarum frequentes accessus : iste sexus reprehensibiles exhibet clericos : quid tibi revera cum fœminis, qui ad altare cum Domino famularis? te in publico cuncti, te in agro rustici, aratores ac vinitores quotidie lacerabunt, si contra depositum fidei cum fœminis habitare contendis. Mihi crede, non potest toto corde cum Domino habitare, qui fœminarum accessibus copulatur. (*Epist. ad Ocean.*) Hinc P. Ludovicus de Ponte merito sequentia documenta suggerit ad hoc periculum declinandum. (T. III, tr. II, c. IX, § II.) 1. *Ne habitet in eadem domo cum fœminis,* nisi quas antiqui Concilii Nicæni Canones permittunt, quales sunt mater, amita, Soror etc. Qua de re egregie Sanct. Hieronymus : memento, inquit, quod una fœmina de Paradiso expulerit eum, quem Deus in ipso collocaverat : quare merito timere potes, ne tibi sit occasio discedendi ex Paradiso Religionis, et ipsius Ecclesiæ, ac proinde gloriæ Paradisum amittendi. (*In reg. c. de cast.*) 2. *Ne visitet fœminas suspectas, aut ab iis visitari se sine causa gravi permittat :* ita idem Sanctus iterum suasit dicens : Hospitiolum tuum, aut raro, aut numquam mulierum pedes terant, quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum accessibus copulatur. Fœminam, quam bene videris conversantem, mente dilige, non corporali frequentia. (*Cap. Hospitiol. dist.* XXXII.) 3. *Ut numquam solus, absque gravissima necessitate, cum sola maneat :* nam Sacerdos solus, teste D. Thoma, est dæmonium solitarium; eo quod non habens Custodem Angelum visibilem, qui ipsum coerceat, et retrahat ab his, quæ appetit, sibi ipsi est Dæmon. Nam Dæmon videns solum cum sola, statim occurrit, tamquam tertius ad illos solicitandos, ac denique illos prosternit. (*Castill.* l. III, *hist. c.* XXXVII.) 4. *Ne tangat aut tangi se permittat ab ulla fœmina,* nisi in casu ingentis necessitatis : (S. Greg. l. IV, *Dial.* XI.) exemplo Sanct. Ursini Abbatis in agone jam constituti, et tamen mulieri aurem ad nares, ut deprehenderet, num adhuc spiraret, aplicanti, dicentis : Recede a me mulier, adhuc igniculus vivit : paleam tolle. (Prov. VI. 27.) Nimirum sicut non potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus; sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam. 5. *Ut etiam munera et litteras ab illis missas non temere facileque admittat :* nam crebra munuscula, ait S. Hieronymus, et dulces litteras et sudariola, et prægustatos cibos sanctus amor non habet : hæc enim omnia carnem sapiunt, et procul sunt ab amore casto. Quæ omnia ut tanto facilius præstet, amorem Dei animo suo firmiter inserere studeat; cum enim, teste S. Hieronymo, valde difficile sit, animam non amare rem aliquam, amore Spiritus carnis amor vincendus est, et unius desiderium, alterius desiderio mortificandum, ut, quantum ex altero minuitur, tantum alterum crescat. *Epist. ad Eustoch. de cust. Virg.*

Præcipuas porro istas, quibus ornatus esse debet Sacerdos dotes, breviter indicavit. S. Carolus Borromæus, dum dixit : Quam ab omni labe puros nos esse oportet, quam a perturbationibus animi alienos, quam castissimis moribus præditos, quam omni virtutum exemplo præstantes, quam divini cultus zelo accensos, quam salutis animarum cupidos et appetentes, quam doctos, omnisque disciplinæ sanctæ peritos? (*Acta Mediol.* p. 4, *car.* 486.) Et idipsum etiam confirmavit Pontificale Romanum, dum in collatione Tonsuræ sic jubet orari : Oremus, Fratres charissimi Dominum nostrum Jesum Christum pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum Religionis in eis perpetuum conservet, et a mundi impedimento, ac sæculari desiderio corda eorum defendat, ut, sicut immutantur in vultibus, ita dextera manus ejus virtutum tribuat eis incrementa. (*Pontific. Roman.*) Sed et ipse Christus has dotes significasse videtur, dum ad S. Birgittam dixit : Quibus (sacerdotibus) dedi quinque bona pretiosiora omni auro, scilicet conscientiam, intelligentiam super omnia irrationabilia, ut discernant inter bonum et malum; inter verum et falsum. Secundo dedi eis spiritualium rerum intelligentiam et sapientiam. Tertio dedi eis castitatem. Quarto temperantiam omnium rerum, et abstinentiam ad corporis moderationem. Quinto stabilitatem in bonis moribus, verbis et operibus. (*Revel. S. Birgit.* l. I, LIX.

Nosse debet, quid corona capitis significet in sacerdote; neque enim, ut V. Beda scripsit, ob id tantum in coronam attondemur, quia attonsus ita est Petrus : sed quia Petrus in memoriam Dominicæ Passionis ita attonsus est, idcirco et nos, qui per eamdem passionem salvari desideramus, ipsius Passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte, gestamus. Et paulo post iterum ait : suo quemque in capite tonsuram ferre, ut se irrisiones, et opprobria pro illo libenter, ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant; ut corona vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, semper expectare, proque hujus perceptione, et adversa mundi, et prospera contemnere, designarent. V. BEDA l. V, *de gest. Anglor.* XXII.

Nosse debet, quæ præparatio ad sacerdotium sit adhibenda; nimirum ea, quam S. Philippus Nerius indicavit dum cuidam interroganti, quantum præparatio ad Missam requireret temporis, respondit : Præparatio equidem necessaria, sed omnium excellentium est jugis sacerdotis integritas, ita semper viventis, ut quacumque hora paratus sit dicere Missam, et communicare. (*Vit.* l. I, c. XX, n.37.) Unde Tertullianus pariter ad nostrum inquit propositum : Ei offero optimam et majorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam. *Tertull. adv. gent.* c. XXX.

Nosse debet, quam gratitudinem pro beneficio vocationis ad sacerdotium exhibere debeat : id quod breviter indicavit S. Bernardinus dicens : Quapropter, sicut super omne hominum genus propter hoc mysterium Deus vos honoravit; ita et vos eum super omnes diligere, venerati et honorare curate. S. BER. *Sen.* t. X, s. XX, n. 2 c. VII.

Nosse debet cur summa continentia, et castitas requiratur in Sacerdotibus, ut Origenes insinuavit : Ante omnia, Sacerdos, qui divinis assistit altaribus, castitate debet accingi. (*Orig.* l. VI, *in Levit.*) Nimirum cum omnes (Sacerdotes præcipue) templum simus Dei, illato in nos, et consecrato Spiritu Sancto, ejus templi æditua, et antistes pudicitia est, quæ nihil immundum, nec profanum inferri sinat. (*Tertull. de cultu fœm. S. Hieron. ad Tit.*) Hinc S. Hieronymus : Quid, inquit. Sacerdoti decentius, quam decor et puritas castitatis? sit pius, sit fervidus, sit humilis, sit devotus, sit quicquid vis, si non est castus, nihil est, altari non congruit. (S. HIER. *ad Tit.*) Clarius vero rationem affert S. Petrus Damianus dum ait : Niveus pudicitiæ candor effloreat in iis, qui sacris myteriis familiarius appropinquant : nam quia dominicum Corpus in virginali uteri templo coaluit, nunc etiam a ministris suis continentis pudicitiæ munditiam quærit. S. PETRUS *Damian.* l. II, *ep.* XX.

Nosse debet, cur specialiter venerandi sint Sacerdotes? nimirum ob rationem a S. Carolo Borromæo indicatam, dum ait : Dignitatem Sacerdotalem clericalemque, non a persona eorum, qui illam obtinent, sive nobili, sive humili genere nati sint, sed ab officii munere administrationeque pendere, nec propterea illos æstimandos esse, quatenus homines sunt, sed tanquam dispensatores mysteriorum Dei et hominis, quorum administratio illis commissa, ad populi salutem, et perpetuam utilitatem spectat. (*Acta Medio.* f. 547.) D. Chrysostomus vero verba illa *Pro Christo legatione fungimur*, exponens ita scribit : Quandiu in hac sede sedemus, quandiu habemus præsidentiam, habemus et auctoritatem, et virtutem, additque circumstantiam valde considerabilem, inquiens : Etiamsi simus indigni ; legati enim, quicumque ii fuerint, propter dignitatem legationis, multum honorem assequuntur. S. Chrys. *ho.* III, n. 2, *Cor.* II.

Nosse debet, cur vitia Sacerdotum a privatis personis dissimulanda et tegenda sint, nimirum propter reverentiam iisdem debitam, uti S. Franciscus indicavit, de quo sic scribit Mansi : Tradunt Annales Fratrum Minorum, hæreticum quemdam Sacerdotis Catholici bonæ insidiantem famæ propter concubinatum, populo dixisse, ne verbis ejus ullam adhiberent fidem, nullum illi præstarent respectum, reverentiam, aut obedientiam, siquidem manibus iis meretricibus Corpus Christi attrectaret; Sanctus itaque Franciscus periculum advertens, quod temerarius illius hominibus intentabat error, coram universo populo dicti Sacerdotis genibus advolutus, in hæc prorupit verba : Si tales sint manus illius, quales iste dicit, nescio; sed licet tale forent, scio, non posse inquinare virtutem divinorum Sacramentorum. Quia ergo per istas multa beneficia, et charismata populo Dei fluunt, eas exosculor ob reverentiam eorum, quæ ministrant, et cujus auctoritate ministrant. (*Mansi disc.* XXVI, n. 5.) Hinc recte dixit Auctor Op. Imp. Numquid propter vilem terram pretiosum aurum contemnitur? non, sed aurum eligitur, et terra contemnitur : sic et vos doctrinam accipite, et mores relinquite. (*Auctor. oper. imp.*) Et in eumdem sensum S. Bernardinus : Nec a tua utilitate, inquit, te retrahat quorumdam clericorum deformis vita, cum non despicias in tua necessitate candelam, alios quidem illuminantem, seque continue consumentem; nec insuper despicias crucem in capite viæ iter tibi monstrantem, nec tamen seipsam inde moventem ; nec quoque despicitur ipsa campana ad prædicationem alios vocans, nec tamen ipsa aliquando ad prædicationem descendens. S. Ber. t. XI, *ar.* II, c. IV.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Nimis honorificati sunt amici tui Deus :* (*Psal.* CXXXVIII, 17.) explicari potest dignitas Sacerdotis. Et 1. ostendi, quomodo illos Deus honorarit, dum eos Principes super omnem terram constituit, duplicemque potestatem in suum corpus verum, et mysticum concessit, 2. Quantopere eos Angeli honorarint; dum unus quidem S. Joannem adorare eum volentem prohibuit dicens : *Cave ne feceris, conservus enim tuus sum.* (*Apoc.* XIX, 10.) Alius autem clientem suum necdum Sacerdotem præcedere solitus, post Sacerdotium susceptum numquam amplius præire voluit. 3. Quantopere eos sancti viri honorarint, et æstimarint, id quod variis exemplis § V, allatis probari potest. 4. Quantum honorem ipsi etiam Imperatores, et Reges detulerint, præcipue Constantinus Magnus : etiamnum hodie deferant. 5. Quam honorifice de suis Sacerdotibus senserint, eosque tractarint Ethnici ; ex quibus omnibus facile colligi potest quantum honorem illis christiani deferre debeant. Ostendatur ergo, quibus officis honorandi sint, nimirum 1. *Cogitatione :* magnam de iis æstimationem concipiendo, eorumque defectus et acta, quantum fieri potest, in melius interpretando, aut excusando. 2. *Verbo :* honorifice de illis et cum illis loquendo, neque unquam illorum famam aut honorem, vel minima detractione violando, exemplo Constantini Magni, qui integrum querelarum fasciculum contra Sacerdotes factarum in ignem conjecit. 3. *Opere :* tam cavendo ab omni injuria corporali, puta percussione, aliave læsione simili : tum exhibendo signa externa honoris debitaque stipendii, et charitatis officia præstando.

Ex occasione thematis : *Ecce constitui te hodie super gentes, et regna :* (Jerem. I, 10.) ostendi potest, quam vere dicantur, Sacerdotes etiam ipsis Regibus præcellere, et quidem in tribus primariis capitibus, e quibus regia majestas potissimum colligi et æstimari solet. Videlicet 1. *Dignitate :* uti S.

Martinus, aliique SS. Patres, de quibus supra dictum, verbo, et facto declararunt. 2. *Potestate :* cum terrestres Reges vinculi potestatem in corpora dumtaxat, Sacerdotes etiam in animas; illi in terris, hi etiam in cœlis exercent. Et præterea etiam veri Corporis Christi producendi potestatem acceperint, quæ potestas merito omnes alias potestates excedere dicitur, 3. *Utilitas :* cum Reges terreni Reipublicæ solum in temporibus, Sacerdotes vero in spiritualibus et æternis prosint. Deducantur ex hoc discursu tria corollaria. Primum pro Sacerdotibus, quanti æstimare debeant vocationem suam operamque dare, ut eamdem dignis operibus, virtutibusque exornent atque confirment. Alterum pro parentibus, et cognatis Sacerdotum, quantopere sibi gratulari debeant ob tantam filiorum exaltationem, precibusque suis apud Deum instare, ut gratiam vocationi exequendæ necessariam filiis eorum largiri dignetur. Tertium pro aliis hominibus, ut scilicet, et hi cognoscant, quanto in honore habere Sacerdotes, eosque tamquam benefactores suos maximo reputare, colere, et amare debeant.

Ex occasione thematis : *Vos estis lux mundi :* MATTH. V, 14.) comparetur status Sacerdotalis luci. Et in prima quidem parte ostendatur, qua ratione ipsi vere sint in candelabro positi, dum per dignitatem Sacerdotalem super omnes alios homines sunt evecti. In secunda ostendatur, quomodo officium lucis exercere debeant, *purificando*, seu liberando homines a vitiis : *illuminando*, seu instruendo in rebus fidei, aliisque scitu necessariis : *calefaciendo*, seu ad amorem Dei ac proximi, aliarumque virtutum exercitium invitando. In tertia ostendatur, quibus instrumentis id efficere queant, nempe *splendore*, tam doctrinæ, quam boni exempli, et *calore* sinceræ, et zelosæ charitatis, qua nihil efficacius est ad corda in omnem partem trahenda.

Ex occasione thematis : *Vos estis sal terræ :* (MATTH. V, 13.) Sacerdotes sali comparentur 1. Propter similitudinem proprietatum, nempe *candorem* (puritatis interioris) *siccitatem*, (id est vacuitatem omnis affectus inordinati erga res humanas velut fluidas, et transeuntes) *acrimoniam*, seu efficaciam ad omnes hominum actiones condiendas, Deoque sapidas et gratas efficiendas. 2. Quomodo salire corda hominum debeant, nempe *penetrando*, seu ad cor loquendo : *condiendo*, id est adjuvando ut opera Deo grata efficiant : *exsiccando*, et conservando a putredine peccati, et periculorum animæ. 3. Qua cautione salire debeant, videlicet *moderate* (nec nimis multum, nec nimis parum; id quod aliquot instantiis, probari potest) *caute* (cavendo sedulo, ne evanescat; si enim sal evanuerit, ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus teste Servatore) (MATTH. V, 13.) *sapienter* (id est, diligenter attendendo, ne, ubi acrimonia, et effectus salis, vel necessarius non est, vel inutilis creditur, ultro, et cum nocumento proprio et alieno obtrudatur.

Ex occasione thematis, *Venite post me faciam vos fieri piscatores hominum* (MATTH. LIV, 19) ; excitentur Sacerdotes ad officium suum magni faciendum, et legitime administrandum. 1. Itaque ostendatur *Honestas* hujus piscationis, cum, teste S. Dionysio, omnium divinorum divinissimum sit cooperari Deo in salute animarum : *Utilitas*, tum ab ipsis piscibus, tum a Deo laborem præmiante haurienda : *Jucunditas* ob præstantiam, et multitudinem piscium : *Facilitas* tum ex motivis enarratis, tum ex occasione semper obvia, tum ex instrumentorum copia causata. 2. Ostendatur, quo instrumento potissimum uti debeant ad piscationem hanc feliciter peragendam, videlicet per *rete* constans tribus partibus 1. filis, inter se optime, et pro piscibus capiendis apte connexis, per quæ, actiones et functiones Sacerdotales cum fervore et dexteritate obitæ intelliguntur, 2. *plumbum*, id est, humilitatem et diffidentiam in propriis viribus, 3. *Suber*, quod rete in alto sustinet, et confidentiam in Deo, et conjunctionem cum ipso significat.

Ex occasione thematis : *Ego sum Pastor bonus :* salutaris instructio poponi potest Sacerdotibus, et 1. quidem dignitas eorum ostendi, tum ex præstantia officii, a summo Pastore Christo in ipsos tanquam vicarios translati; tum ex ipsarum etiam ovium excellentia : tum ex præmii ob fidelem custodiam promissi magnitudine. 2. explicari possunt officia ad bonum Pastorem requisita, nempe ut ad *bona pascua deducat*, ut suo tempore diligenter *tondeat*, ut a Lupis aliisve periculis *defendat*, et si opus fuerit, etiam *animum pro ipsis ponat :* quæ omnia in sensu spirituali explicentur, et quomodo a Christo observata sint, atque a Sacerdotibus curam animarum habentibus observanda, solide ostendatur.

Ex occasione thematis : *Sedens de navicula docebat turbas* (Luc. v, 3) : dici potest, Christum præter alias causas, etiam ideo videri turbas de navicula docuisse, ut ostenderet, vitam hominum navigationi similem, et hujus navigationis navarchos, seu præsides Sacerdotes esse. Itaque 1, ostendatur, quomodo vita humana sit navigatio, tum propter mundi, in quo degimus, amaritudinem, inconstantiam, flubilitatem : tum propter pericula assidua, quæ navigantes tum a *piratis* (diabolis insidiantibus) tum a *sirenibus* (mulieribus blandientibus) tum a *scopulis* (divitiis submergentibus) cum magno timore naufragii patiuntur. 2. ostendatur naviculæ hujus dictionem sacerdotibus commissam, adeoque triplicem ab ipsis notitiam requiri, nempe *astrorum cœlestium,* id est, Dei, et Sanctorum, ut juxta illorum aspectum, influxum, et cursum, navim recta semita ad portum dirigant, atque perducant : *ventorum, et fluctuum, et periculorum,* id est, ut varios motus animi sapienter discernere, eosque placare queant : ut in fluctibus tentationem et tribulationem contra se et alios insurgentium, se aliosque dirigere et salvos servare sciant : et ut prædicta tria sirenum, piratarum, et scopulorum pericula studiose tum pro se, tum pro aliis declinare et avertere possint. *Ipsius viæ* ad portum æternæ felicitatis recta ducenti : id est, ut sciant, quibus mediis felicitas æterna obtinenda sit, et tum ipsi ea sedulo adhibeant, tum alios ad illa constanter usurpanda persuadeant.

Ex occasione thematis; *Dominus autem præcedebat eos, ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut Dux esset itineris utroque tempore* (*Exod.* xiii, 21). 1. Pulchre comparari potest vita Christianorum eductioni Israelitarum ex Ægypto, tum propter infernalis Pharaonis, id est, *Diaboli,* cui per peccatum serviebant, sævitiem et duritiem; tum propter *mare rubrum* sanguinis Christi pro nobis effusi apertum, hostesque in eo submersos; tum propter terminum terræ lacte et melle, id est, omni deliciarum et voluptatum cœlestium genere, fluentis, ad quam ducuntur. 2. Ostendatur, duces hujus itineris esse Sacerdotes : qui proinde in primis debeant esse similes columnis, recti per intentionem ad Deum, *rotundi* per perfectionem vitæ *immobiles* per constantiam et fortitudinem in quibuscumque adversitatibus et insultibus demonstratam. Deinde per diem deberent esse velut *nubes,* id est, tempore prosperitatis eos suo exemplo docere, quomodo humilitatem et subjectionem erga Deum conservare, sicque ex beneficiis Dei optatum fructum referre debeant. Denique tempore noctis, id est, adversitatis, velut *columna ignis* præcedere debeant, docendo suo exemplo, quomodo charitatem inter adversa exercere et conservare, sicque etiam in nocte iter suum ad cœlestem Patriam continuare queant.

Ex occasione thematis : *Ite ad Joseph, et quidquid ipse dixerit vobis, facite* (*Gen.* xli, 55) : possunt Sacerdotes Josepho comparari. 1. Propter *similitudinem nominis,* quod idem, ac augmentum Domini significat, quia, et Sacerdotes præ aliis hominibus in scientia ac virtute excellere debent. 2. Propter *similitudinem officii ;* quia sicut ille panem et frumentum Ægypto providit, et benigne ac liberaliter distribuit, omnesque ad se confugientes cum magna charitate ac benevolentia excepit, et non nisi quintam partem de frumento pro Rege exquisivit (*Gen.* xlvii, 24.); ita, et Sacerdotes panem verbi divini, SS. Eucharistiæ, et bonorum exemplorum, subjectis Christianis providere, distribuere, et quintam solum partem de frugibus inde excrescentibus pro Deo requirere debent, scilicet fructum majoris gloriæ divinæ, reliquos vero quatuor (nempe fructum meriti, satisfactionis, impetrationis et gaudii ex bono opere oriri soliti), ipsis relinquere possunt. 3. Propter *similitudinem dignitatis :* ut enim Joseph proximus Regi fuit, eique a Rege dictum est. Tu eris super donum meam, et tui oris imperio cunctus populus obediet : uno tantum regni solio te præcedam (*Gen.* xli, 40); ita et Sacerdotes quoad dignitatem Deo proximi sunt, uti fusius supra § 3, probatum est. Hortandi proin Auditores, ut, et sibi in variis occasionibus, præcipue indigentia verbi divini, sacramentorum, consolationis, dictum putent : Ite ad Joseph.

ALII CONCEPTUS.

Qualitas. — Ingeniosa est illa Hugonis Card. super sequentia S. Pauli verba : *Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum,* facta observatio, dicentis : In hoc quod dicitur : ex hominibus ; notatur, quod debet excedere vita Sacerdotis vitam plebis : et ideo quando nostri ipsius ad divinum perpetuum cultum factam oblationem, primum pedem in domum Dei figimus, Psalmus XXIII, recitatur, in quo Psalmista interrogat, dicens : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* moxque sine ulla hæsitatione respondetur : *Innocens manibus, et mundo corde.* Causam vero ob quam hæc innocentia requiritur, Deus ipse subindicat, dum ait : *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus;* ac proinde quando Episcopus clerico habitum sacrum imponit, hæc verba pariter pronuntiat : *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.* HUGONIS *Car. in* c. V, *Heb.*

Nabuchodonosor rex ex toto Hebræorum populo, paucorum quorumdam stirpis regiæ jussit fieri delectum, qui in ejus regia proxime sibi ab obsequiis assisterent; at vero audire, quibusnam illi conditionibus vestiti esse debuerint : *De semine regio pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, eruditos omni sapientia.* Quod si igitur Rex ille hunc in finem in eligendis raras adeo conditiones desideravit, longe utique æquius est, ut, qui pro domo Dei, pro templo, pro palatio Regis gloriæ ad sacrosanctum ejus ministerium eliguntur, viri sint vita immaculata, et irreprehensibili præditi. Ac proinde idem auctor subdit : Nullam debent habere maculam, neque in verbo, neque in cogitatu, neque in facto, neque in opinione, quia sunt pulchritudo Ecclesiæ, et si mali fuerint, totam deturpant Ecclesiam. MANSI, *disc.* I, n. 3.

Theodoretus, illum Psalmistæ textum : *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*, explicans, per hunc vultum Ordinem sacerdotalem intelligit, dicens : Sacerdotum Ordo, veluti quædam facies est Ecclesiæ, tamquam majori spiritus dignitate exornatus. Macula enim, vel labes, si in alia quacumque corporis parte resideat, non pari indecentiam, nec tanta apparet, sicut in facie; ita pariter defectus, vitia, scandala tantum in sæcularibus non pariunt præjudicium, quantum in Ecclesiasticis. THEOD. *Ps.* I, n. 3.

De Sacerdotibus Divina Sapientia ait : *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* (ZACH. VII, 8) : Unde per pupillam, Ecclesiastici intelligantur. Cui consonat epithetum a S. Isid. Pelus. Sacerdotibus attributum, hos namque oculos Ecclesiæ appellat. Quis autem adeo rerum ignarus est, qui nesciat quod in pupillis quilibet quantumvis minimus pulveris atomus dolorem, et detrimentum intolerabile adferat? in pedibus quidem, per quos in corpore mystico denotantur sæculares, lutum, et macula facile tolerantur, utpote qui continuo terram contingunt et terunt; at vero personæ Deo consecratæ, quæ sunt veluti oculi; imo pupillæ ipsiusmet Dei, ne umbram quidem nævi admittere debent.

Ingeniosa profecto est illa Hugonis Cardinalis super illa Psalmistæ verba : *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*, facta observatio. Quærit enim quonam spectes illa a Davide inter transgressores terræ, et alios, insinuata distinctio? Etenim post rebellium Angelorum defectionem, qui peccatores terræ non erant, quid est qui nesciat, unicum et solum culpæ, et peccati locum esse præsentem hanc vallem lacrymarum? ut proinde optime S. Bernardus dicat : Tuta habitatio Paradisus; nullum enim serpens antiquus in superna aditum habere valet : cur igitur ait ; Peccatores terræ? Demum vero respondet : Peccatores terræ dicit ad differentiam peccatorum cœli, quæ magna est, quia Adam peccavit in terra, et veniam consecutus est : Lucifer in cœlo, et Diabolus factus est : sic et differunt peccata laicorum, et clericorum, qui in Ecclesia peccare non formidant, Clerici sunt peccatores cœli, quia in domo Dei peccant, unde admirative conqueritur Dominus, Jerem. XI. *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* HUGO, *Cardin*, c. V, *Mat.*

S. Augustinus textum illum Canticorum : *Dentes tui sicut grex tonsarum;* ponderans, dicit : quid est, *dentes tui,* per quos loqueris? Dentes igitur Ecclesiæ, per quos loquitur Ecclesia : Quales dentes tui? Tamquam grex tonsarum; quare detonsarum? quia sarcinas sæculi deposuerunt. (S. AUG. *in Ps.* XLIV.) Hugo de S. Vict. de tonsura clericali disserens, ait : Capillos ante præcidimus, et ab eis sensuum instrumenta liberamus, ut hoc signo curarum illecebras frequenter redeuntes, et cogitationes supervacuas a cordibus nostris resecare discamus. HUGO VICT. *in c.* IV, *Cant.*

Deus olim in veteri Testamento ordinavit, ut omnia sibi offerrentur primogenita, tam de hominibus, quam de pecoribus, ita tamen, ut certa quadam monetæ specie redimi possent ; verumtamen Levitas nullo quantocumque etiam pretio, redimi volebat, idque non quia illos nihili faceret, quin potius per hoc se illos summo in pretio habere demonstrabat, quasi dicere vellet : Levitæ redimendo nulla potest reperiri æquivalens moneta; vel etiam per hoc illis indicare volebat, quod, sicut ipse per nullum qualecumque pretium ad illis renuntiandum induci poterat, ita quoque justum sit, ut ipsi pro nulla re hujus vitæ se permittant induci ad ipsis renunciandum, unde apud Ezechiel conqueritur, dicens : *Propter fragmen panis, et pugillum hordei violabant me.* Per hoc quoque, quod pro Levita nullam admittere volebat redemptionem vel litrum, insinuare iisdem voluit, se illos velle totaliter divino servitio suo addictos esse, absque eo quod se ad quamcumque aliam rem terrenam diverterent. MANS. *dis.* III,n. 7.

Increata sapientia, qua omnia in pondere, numero, et mensura disposuit, e numerosissimo Israelitico populo aliquo in summum designaturus Sacerdotium miraculosum adhibuit virgæ Aaronicæ signum, dum prius arida et sicca, confestim florescere cæpit : sed ecce in processu modum : *Invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi, et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Numquid suffecisset aridi fructificatio ligni absque vigore? Notate successim : primo namque virga dicitur sicca; exinde vero suas producere gemmas et flores; et tandem, dilatatis foliis, apparuisse amygdalas. In eo namque docemur, omnes per varios virtutum, et non minorum dumtaxat, sed et majorum Ordinum gradus ad Sacerdotium nobis concedendum fore, juxta illud Psalmistæ assertum : *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion,* merito equidem in Sion, ibi namque templum fabricatum erat. Unde Lyranus : Germinat, inquit, flores, celebritate famæ, frondet veritate, fructificat sanctitate vitæ, et ideo sibi debetur dignitas vitæ sacerdotalis. *Num.* XVII, 6. *Mansi, disp.* V, n. 2.

Quando Judas traditor pœnitentia ductus triginta argenteos retulit sacerdotibus, hi illos accipere detrectarunt, hanc allegantes rationem : *Non licet eos mittere in carbonam, quia pretium sanguinis est.* Quia vero eosdem ultro citroque in templum projecerat, illos in rem collocarunt pientissimam, scilicet in emptionem agri figuli, in sepulturam peregrinorum. Quod factum profecto omnes Ecclesiasticos docet, cum quanta anxietate et sollicitudine tractandi sint redditus Ecclesiæ, qui pretium sunt Sanguinis Christi : *Non licet eos mittere in carbonam, quia pretium sanguinis est,* id est, nequaquam sunt accumulandi aut erogandi ad locupletandum parentes. MANSI *disc.* XXXVI, n. 4.

In sacris Canticis dicitur : *Manus illius tornatiles aureæ,* quæ verba S. Greg. Nyssenus de manibus sacerdotalibus exponit; hæ enim deauratæ, id est charitate præditæ, et auro plenæ, atque insuper tornalites, id est, in torno elaboratæ esse debent; quod enim in torno elaboratur, ut plurimum rotundum est, et sphæricum, cui si quid super inponatur, decidit subito : tales quoque Sacerdotum manus esse debent; neque enim aurum illis impositum in eis sistere et morari, sed in manus pauperum pro eorumdem sublevatione cadere debet. Unde S. Greg. Nazianz. ait : Minime, fratres et amici mei, minime committamus, ut rerum earum, quæ nobis divino munere datæ sunt, mali æconomi et præposteri inveniamur : ne alioquin dicentem Petrum audiamus : *Erubescite, qui aliena detinetis.* In sexta Synodo Romana sub Symmacho Papa habita, ita inter cætera dicitur : Nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui a religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta, contra fas, sine aliqua pietatis consideratione dispergit. *Ibid.* n. 6.

Quærunt nonnulli, cur in Rationali Aaronis, cui varii lapides pretiosi infixi erant, non etiam adamas repertus sit; sed et Sanct. Joannes pariter ut ex Apocalypsi deducitur, lapides pretiosos fundamentis cœlestis Jerosolymæ injectos enumerat, nec tamen inter illos adamantem pariter nominat, cum tamen valore, æstimatione, et pulchritudine omnes alias gemmas forsan longe superet. Cur igitur hunc inter alios pretiosos lapides omissum fuisse existimatis? Pro resolutione sciendum, quod gemmæ illæ varias præfiguraverint virtutes, quibus locupletatus esse debet Sacerdos; ac proinde ex singulari mysterio adamas aliis gemmis non annumeratur, quia symbolum est affectionis ad sanguinem, ad parentelam et consanguinitatem, a qua Ecclesiastici remotissimi esse debent; habet enim hæc gemma illam proprietatem, quod, tametsi nullo alio etiam ferro et chalybe frangi possit, attamen ab hirci sanguine continuo frangatur. *Ibid. disc.* XII, n. 6.

Confestim, ut populus Israeliticus in deserto idololatrare cœpit, Moyses de monte descendit, Deique contumeliati cultum, et honorem zelans, dixit : *Si quis est Domini, jungatur mihi;* cumque omnes Levitæ se ipsi junxissent, præcepit iisdem, dicens : *Ponat vir gladium super femur suum, et occidet unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum :* ubi enim de religione agitur, non est respiciendus cognatus, quantumvis proximo sanguine junctus : Proximum Parentem Deum offenderant, inquit Tertulianus, ac proinde, eos in proximos cognatos desævire voluit. (Tertull. c. iii, *adv. Christi.*) At vero S. Ambrosius apposite quærit, cur Moyses Levitis præceperit, ut femur suum gladio accingerent, dicens : *Ponat vir gladium super femur suum?* quis enim gladium femori semper applicari ignorat? cur igitur hanc circumstantiam specificat? advertendum est igitur, quod, quia in femore origo est generationis, ideo Levitas femora gladio accingere jubet, id est, irreconciliabile adversus quemvis inordinatum erga consanguinitatem et parentelam affectum voluit adoriri bellum, ut contemplatione, atque amore reverentiæ divinæ premeretur omnis affectus necessitudinis; ex hoc autem facto tribus illa divinam promeruit benedictionem : *Ut detur vobis benedictio;* quia tunc nos divinis benedictionibus dignos efficiemus, quando omni amore et affectu erga consanguineos superiores erimus.

Dignitas. — S. Bernardinus hanc conclusionem circa potestatem et dignitatem sacerdotalem stabilit, dicendo : Potestas sacerdotalis superat potestatem Virginis gloriosæ : hisque verbis dictis, ad Mariam Virginem se convertens, dicit : Virgo amorosa et benedicto, excusa me apud te, quia non obloquor contra te, cum veritatem, quam dixit Filius tuus, fatear coram te, et sacerdotium in templo ipse prætulit supra te. Etenim potestas Sacerdotum Virginis potestatem, juxta sanctum Bernardinum, in quatuor punctis excedit. Primo in brevitate; si enim quis clavem haberet, quæ quinquies circumversa, portam aliquam aperiret, hæc utique melior futura esset illa, quæ ad illam aperiedam octies circumvolvi deberet. Lingua autem Virginis clavis extitit Paradisi, et in octo dictionibus, tamquam in octo linguæ quasi clavis revolutionibus, aperuit cœlum. Sanctus Bernardinus enim observat, quod beata Virgo octo verba protulerit, ut verbum Patris in sinum suum evocaret. Unde idem Sanctus ait : Angelo nuncianti respondit octo verba, scilicet ; *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum;* iisque dictis, Filius Dei in ejus utero præsens fuit. Ac longe major est in hoc Sacerdotalis dignitas et potestas, cum per quinque consecrationis verba januas aperiat Paradisi, atque de cœlis ad terram Christum trahat. Secundo excedit potestatem Virginis in majoritate : nam cum Christus in uterum Virginis venit, carnemque assumpsit, tanta brevitate circumactus est, ut, si jam conceptus in Virgine positus fuisset super palmam manus, vis eum humanus oculus percepisset, licet divinitus et anima et corpore, atque omnibus interioribus et exterioribus membris et lineamentis, perfecte completus esset ; Sed ad Sacerdotis probationem verborum descendit Christus, tam magnus in manibus ejus, sicut in altissimo cœlo regnat. Tertio excedit virgini potestatem in immortalitate; nam in ventre virginali mortalis fuit, in altari vero est impassibilis, et immortalitate dotatus. Quarto Virginis quoque potestatem antecelli in replicabilitate; nam, si B. Virgo millies replicasset illa sui consensus verba, scilicet : *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi etc.* Filius Dei numquam amplius de illa sumpsisset carnem. Nam sicut impossibile est Patri producere aliud Verbum, pro eo quod Verbum suum genitum sit perfectissimum, totamque potentiam generandi exhausit; ita in tempore impossibile est Matri posse parere alium Filium unigenitum Dei, cum per Christum in sua conceptione potentia concipiendi Deum, quæ secundum corpulentam substantiam ab Adam in virginem descendit per lumbos patrum, ita exhausta sit, quod impossibile esset Virgini, alium Filium Dei generare; sed Sacerdos toties, quoties secundum ritum Ecclesiæ, consecrat Corpus Christi, toties descendit de cœlo Filius Dei. S. Bern. t. I, s. xx, l. I, c. vii.

Sacerdos Malus.— Apud S. Matthæum de Salvatore nostro dicitur : *Venit in synagoga, et ecce homo manum habens aridam, et ait homini : Extende manum tuam, et extendit; et restituta est sanitati.* (Matth. xii, 9.) Enim vero si Christus in synagoga eum, qui manum contractam habebat, tolerare non potuit, sed eamdem miraculose sanare voluit, quanto majorem curam habebit, ne altaris sui ministri, qui sacratissimum ejus Corpus quotidie tractant, manus habeant aridas, et contractas? Observandum quoque, quod

Evangelista, dum nobis in synagoga infirmum ob oculos ponit, non repræsentat aliquem qui Paralyticus, vel cœcus, vel mutus, vel surdus sit, sed hominem manum aridam habentem; quæ utique omnia in figura contingebant; per hoc namque incarnata Sapientia nobis insinuare voluit, unum præcipue in Ecclesia morbum necessario curandum esse, et sanandum, scilicet tenacitatem Cleri in dispensandis redditibus ecclesiasticis, atque ideo Christus hunc hominem manum suam extendere jussit. Unde D. Chrysologus ait: Orate, fratres, ut sola synagoga tali debilitate fuscetur, nec sit in Ecclesia, cujus manum arefaciat cupiditas, contrahat avaritia, rapina debilitet, tenacitas ægrotum constringat, et si acciderit idipsum, adeat Dominum, et cito eam in opere pietatis extendat. S. Chris. s. lxii.

Si quando inter horrendam maris tempestatem, navis, cui, quis inest, periculum incurreret submersionis ob ventorum violentiam, et undarum fluxum atque refluxum, ipseque navis gubernator extremo luctaretur in discrimine, reliqui autem vectores tripudiarent seltive, nonne omnes amentes, fatuosque appellares? Hoc mare magnum de hoc sæculo astruit Psalmista, nosque Christiani per Dei gratiam omnes navem conscendimus Ecclesiæ, ut ad littus Paradisi adnavigemus : sed cheu! *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me*. Quot equidem tentationum, periculorum, et discriminum procellæ nos in abyssum usque demergunt? qui nostri sunt naucleri, qui hanc dirigunt navem, nisi Ecclesiastici? qualiter ergo quisquam nostrum gaudere, aut exultare præsumet, si quando eos humana fragilitas periclitari fecerit? Mansi, *disc.* xxv, n. 7.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Mens ex divino Spiritu ducta, et sufficienter firmata, adjungitur Deo. Simile enim ad ejus simile accedere necesse est. Quamobrem solus Sacerdos sapiens appellatur, solus enim est Dei amator, solus Deo preces effundere novit, solus Deum honorare scit, qui dignitatem non confundit, quique in primis hostiam seipsum producens, propriam animam quasi simulacrum quoddam ædificat. Hierocles, *Lanciz. Opus.* xiii, n. 281.

Sacerdotes veteris legis accipiebant ex victimis pectusculum, linguam, et ventriculum, ut, quemadmodum S. Hieronymus, ait, eorum tria officia denotarentur, per linguam concionatores, per pectusculum confessores per ventriculum sacrificia. *In* c. ii, *Matth.*

Sacerdos sui curam negligens similis est naupegis arcæ Noe alios salvantibus, et interea diluvio pereuntibus; item aquæ baptismali, quæ alios abluis, et ad cœlos transmittit, cum tamen ipsa sordes contrahat, et in terram effundatur. Similes quoque sunt facibus, seipsas, dum aliis lucent, consumentibus; aut Uriæ Hethæo, litteras mortem decernentes in sinu portanti. Besseus, *in proœm.*

Moyses in tabernaculo labrum æneum de speculis mulierum fecit, ut monerentur Sacerdotes, seipsos prius ad morem mulierum solicite inspicere, et, quæ non munda satis deprehenderint, studiose tollere. *Exod.* xxxviii.

Origenes considerans mandatum, quo jubeantur olim Sacerdotes arcam Dei humeris portare, ait, hoc ideo factum, ut significaretur, illos demum esse veros Sacerdotes, qui non tantum alios ad legem Domini servandam excitant, sed ipsi etiam eidem humeros subjiciunt. *Ho.* ix, *in Josue.*

Dignitas. — Etsi lege divina olim Deus caverit, ne una tribus cum altera matrimonium iniret; Sacerdotibus tamen concessit, ut cum tribu regia, nempe cum tribu Juda contrahere possent, ne regia tribus supra sacerdotalem esse videretur. *Num.* xxxvi.

Sacerdotes sunt in Ecclesia luminare majus, quod præsit diei, id est, operibus spiritualibus; Reges autem sunt luminare minus, quod nocti, id est, operibus et rebus temporalibus, præsit. Bess. l. I, c. i.

Sacerdotes, teste Bessæo, sunt perfectionis specula, mundi Philosophi, Angelorum condiscipuli, populorum ductores, animarum pædagogi, religionis fulcra, operarii in messem vocati, et patroni fidelium Luc. c. ii.

Aaronem Deus voluit triplici colore, nempe hyacinthino, purpureo, et cocceo vestiri, ut ostenderet, Sacerdotes dignitate et potestate, Angelis per cœlestem hyacinthi colorem significatis, et Regibus per purpuram indicatis æquales esse. *Ibid.* c. v.

Asinus Isidis Dei effigium portans, cum omnes coram se flectere videret, ideoque insolesceret, et supra alia bruta se efferret, Agaso latus tundens, non tibi, inquiebat, sed

Isidi honor hic defertur. Idem sibi dictum Sacerdos putet. ALCIATUS *Embl.* VII.

Theodoretus observat, Sacerdotem pro suo peccato non aliam offerre hostiam debuisse, quam si populus universus idem peccatum admisisset, indicaretur, cum dignitate universo populo parem esse, graviusque censeri peccatum solius Sacerdotis, quam totius populi. Q. I, *in Lev.*

JUCUNDITAS. — Isidorus ait, virgam illam nuceam, quam olim vidit Jeremias, typum et imaginem sacerdotii fuisse; nam, ut exterior nucis cortex asper et durus est, sed nucleus dulcis et sapidus; ita Sacerdotum status exterius quidem laborem ac difficultatem præfert sed interius jucundus ac gratus est. L. I, XIV, *epist.* L.

AUCTORES.

Franciscus Labata in locis communibus, Verbo : Sacerdos.

Nicolaus Lancizius to. II, opusc. XIII.

Petrus Bessæus in Regali Sacerdotio.

Ludovici Abelis Christianus Sacerdos.

Joannes Trithemius de Sacerdotum vita instituenda.

Ludovicus de Ponte tom. III, de perfectione.

Jacobus Marchantius in horto Pastorum de Virga Aaronis florente.

SACRIFICII MISSÆ OBLATIO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO.—Est actus Religionis, quo, Deo tamquam supremo Domino, Corpus et Sanguinem Filii sui incruento modo offerimus. (PÆD. CHR. p. I, c. IX, § 2.) Unde nulli unquam Sanctorum, sed soli Deo, offerri potest, ut Concilium Trident. expresse docet. *Sess.* XXII, c. III.

Christus Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, et sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem.* Etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini, Deo Patri obtulit. CONC. TR. *sess.* XXII, c. I.

Fuit autem Christus non solum Sacerdos, et hostia sed Sacrificium quoque, quia, ut ait Augustinus l. IV, de Trinit. omne Sacrificium visibile est invisibilis Sacrificii Sacramentum, id est, sacrum signum. Ideo expositio, qua Christus tam infallibiliter se exposuit in extremis in hostiam et sacrificium, tam in isto Sacramento, quam in crucis patibulo, signum est illius ineffabilis expositionis et sacrificationis, qua Spiritum suum jugiter immolavit Deo Patri pro nobis in templo latissimo cordis sui, in quo se ipsum obtulit a conceptionis suæ instanti, usque ad horam mortis; universa, quæ dixit, fecit ac pertulit, pro nostra agendo et patiendo salute, ad gloriam Patris. Omnia namque, quæ Christus fecit ac passus est, meritoria nobis fuerunt. Ideo tota vita Christi in sæculo quasi una solemnissima Missa fuit, in qua ipse fuit altare et templum, Sacerdos et hostia. DIOM. CARTH. *l. de vita curat, art.* XVI.

Sacrificium Missæ a tribus offertur, a Christo, ab Ecclesia, a Ministro; sed non eodem modo; Christus enim offert primarius Sacerdos, et offert per Sacerdotem, hominem ut per suum proprium ministrum; Ecclesia non offert, ut Sacerdos per ministrum, sed ut populus per Sacerdotem. Itaque Christus per inferiorem offert, Ecclesia per superiorem ; Sacerdos enim quatenus talis, major est reliquo populo, quippe qui ut mediator quidam pro populo apud Deum intercedit, nec est proprie in ea re minister Ecclesiæ, sed Christi Principalis. BELLAR. l. II, *de Missa*, c. IV.

Quæritur, quare Missa sic nominetur, etsi in omni Sacrificio mittatur hostia? Respondeo, Missa dicitur, quia mittitur cœlestis missus. Cœlestis ille missus (sicut exponit Innocentius) est magni consilii Angelus. Iste mittitur ad consecrandum, quia iste est Sacerdos invisibilis, qui consecrat, et conficit hoc Sacramentum, ubicumque conficiatur. Confirmatque hactenus dicta auctoritate Hugonis de S. Victore p. IX, c. XIV, ita scribentis : Ipsa hostia sacra Missa vocari potest, quia transmissa est; primum scilicet a Patre, ut esset nobiscum; postea a nobis Patri, ut apud Patrem pro nobis intercederet. Primum a Patre nobis mittitur per incarnationem; secundum a nobis Patri per passionem. Similiter in Sacramento : primum a Patre nobis per sanctificationem, qua nobiscum esse incepit; postea a nobis Patri per oblationem, qua pro nobis intercedit. Idem Seraphicus Doctor alibi de expositione Missæ tractans, idipsum confirmat in hæc verba : Dicitur autem Missa a mittendo, et repræsentat legationem inter homines et Deum; Deus enim mittit Filium suum Christum in altari, et iterum mittit Ecclesia fidelis eumdem Christum ad Patrem, ut pro peccatoribus intercedat. S. BONAV. l. IV, *sent.* III, *dist.* I. n. 2.

DIVISIO. — Dividebatur olim in Sacrificium seu Missam *Cathecumenorum* et *Fidelium;* quarum prior durabat usque ad oblationem (tunc enim Cathecumeni exire jubebantur) posterior usque ad finem extendebatur. BERLINCK. *in theatr. vit. hum. hoc tit.*

EX SCRIPTURA.

QUALITAS. — In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus. MALACH. II, 11.

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est. I. *Cor.* X, 16.

Omnis homo primum bonum vinum ponit, et, cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius : tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. JOAN. II, 10.

Erit firmamentum in terra, in summis montium. Quem textum multi ex Hebræo sic vertunt. Erit pugillus frumenti, vel erit placentina frumenti in capitibus Sacerdotum. Is. LXI, 16.

Habemus Altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Græcus textus habet : Habemus Sacrificatorium. HEB. XIII, 10.

Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata non tibi placuerunt, tum dixi : Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam; in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. *Idid.* 7.

Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis. EPH. I, 2.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. *Ps.* CXV, 12.

UTILITAS. — Infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. SAP. VII, 14.

Si sanguis Hircorum, et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emendationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab omni peccato? HEB. IX, 13.

Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. MATTH. XLIV, 28.

Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri, dicetur vobis : fortitudinem gentium comedetis, et in gloria eorum superbietis. Is. LXI, 6.

DIGNITAS. — Quid est bonum ejus, et quod pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? ZACH. IX, 17.

Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus, et ad quem ascendet a nobis? I. *Reg.* VI, 20.

EX SS. PATRIBUS

QUALITAS. — Quoniam Sacerdotes descendens de cœlo in carne Verbum contrectant manibus, tribuunt populis; in seque suscipiunt, et Angelorum sive adstantium, sive ministrantium vice funguntur (quod numquam datum est Angelis) potius angelicam, quam humanam, debent conversationem habere. Accedat igitur Sacerdos ad Altaris tribunal, ut Christus, assistat ut Angelus, ministret ut Sanctus, populorum offerat vota ut Pontifex, interpellet pro pace ut mediator, pro se autem exoret ut homo. S. LAUR. *Just. s. de corp. Christ.*

In oblationis hora, quantum fas est credere, aperiuntur cœli, mirantur Angeli. Quamobrem colligitur, quanta cum veneratione ibi debeat assistere Sacerdos, cui consecrandi potestas, atque intercedendi pro populo est impensa auctoritas. *Idem* l. VI.

Vere unica et perfecta hostia, fide æstimanda, non specie; non exteriori censenda visu, sed interiori aspectu. CÆSARIUS AREL. de XVII, *de Pasch.*

Agnus Dei pro te immolatur, sanguis spiritualis ex sacra mensa refluit : Seraphim adstant sex alis faciem tegentia, omnes incorporeæ virtutes pro te cum Sacerdote intercedunt : ignis spiritualis e cœlo descendit, sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est : et non erubescis, revereris, et confunderis, neque Deum tibi propitium facis? S. CHRYS. *Euch.*

Non minus videtur Deus facere in hoc, quod quotidie dignatur descendere de cœlo super altare, quam cum de cœlo descendens, naturam humani generis assumpsit factus homo; et ideo hoc est memoriale totius dilectionis suæ, et quasi compendium quoddam omnium beneficiorum suorum, quod nobis reliquit, et incarnationis, redemptionis, glorificationis, et justificationis figuram in hoc inclusit. S. BONAV., t. VII, *de in hit. novit.*, p. 1, c. XI.

Missa tam plena est mysteriis, sicut mare guttis, sicut sol atomis, sicut firmamentum stellis, sicut cœlum empyreum Angelis. *Idem com. Theol. Vir.*, l. VI, c. XIII.

NECESSITAS. — Aufer a cœtu Ecclesiæ quotidianas Salvatoris nostri hujusmodi exsequias, et vide, quam merito dicat ipse Salvator : *Quæ utilitas in sanguine meo?* Refrigescente enim ea, quæ in hoc mundo nunc ubique calet, ejus memoria, refrigescet universa charitas, muta erit fides, claudicabit spes, conticescet magnus ille clamor sanguinis justi Abel, qui per traditum tanti Sacrificii ritum, quotidie laxatos lugentis et vociferantis, terræ scilicet Ecclesiæ, maledictum coarguens Cain, et mature indigne fusi Sanguinis vindictam reposcens. Calente ergo memoria tam celebri, charitas Christi concalescit, perstat super fundamentum suum ædificium fidei. RUP. ABB. *de div. Off.*, l. II, c. X.

Tolle hoc Sacramentum de Ecclesia, et quid erit in mundo, nisi error et infidelitas? et populus Christianus erit quasi grex porcorum dispersus et idololatriæ deditus, sicut expresse patet in cæteris infidelibus. S. BON. *de præpar. ad Miss.*, c. II.

UTILITAS. — Tantum valet celebratio Missæ, quantum mors Christi in cruce; unde Thomas de Aquino ait : In qualibet Missa invenitur omnis fructus et utilitas, quam Christus in die parasceves operatus est in cruce cum morte sua. *Discipl. ser.* XLVIII.

Dicendum, quod Eucharistia non tantum est Sacramentum, sed etiam est Sacrificium; in quantum autem est Sacramentum, habet effectum in omni vivente, in quo requiritur vitam præexistere; sed in quantum est Sacrificium, habet effectum etiam in aliis, pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantum, et ideo, si eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri Sacrificii, a quo omnis gratia in nos influxit; et per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat. S. THOM. IV, *sent. dist.* XII, q. 2, ad 4.

Solet, qui beneficium aliquod ab alio impetrare desiderat, muneribus datis ejus voluntatem disponere; sic ergo Patris æterni voluntatem cures tibi Christi oblatione, ut nihil tibi neget eorum, quæ petis. Sed obsecro, qui gratis, et sine ullo pretio innumera bona concedere solet, qui pro minimis maxima donat, quid tibi negabit Christum offerenti? Obtulit Abraham filium, et continere se non potuit, quin diceret : *Benedicens benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli;* quid negabit offerenti Christum? Quid amplius Ecclesiæ dari potuit, ut confidenter universa peteret, quam Christus, quem offerat, in eorum pretium, quæ petit? *Osorius tr.* IV *de ser. Miss.*

Sane nullo alio Sacrificio honorificentius laudatur Deus, quam per altaris immaculatam hostiam, quam præcipue ob divinæ laudis exhibitionem complendam, Ecclesiæ suæ Christus offerendam instituit. S. LAUR. *Just. ser. de Corp. Christi.*

Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, et perpetua gratiarum actio, propterea et reverenda ac salutaria illa mysteria, quæ in omni certe Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, id est, gratiarum actio, nuncupatur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinæ erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper exolvere. S. CHRYS., *hom.* XXVI, *in Matth.*

Si pater negotiatori filio decem millia auri talenta daret, ut negotiaretur, parva adhibita diligentia maximum reportaret lucrum; attende quas tibi Pater in Missa dat, ut similis sis homini negotiatori quærenti bonas margaritas; cura, ut plurima tibi acquiras; dat tibi Christum Dominum, *et qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donabit?* Donat ergo tibi Filium, et omnia illius merita, satisfactiones, et investigabiles ejus divitias, ut eorum particeps fias. Ecce quæ quotidie in Missa accipias. Sed quæ lucra reportasti? Esne de illis, de quibus Paulus ait : *quoniam divites estis facti in illo, in omni gratia?* Si ditissimus non es, in negligentia tua factum est. Osor., t. IV, *conc. de div. Sacr.*

Qui Missam audivit, prosperabitur in illo die in laboribus, in artificio, in peregrinationibus, et Dominus confortabit eum in corpore et anima. Si contingeret te illo die, quo Missam audisti, mori, tunc Christus præsens erit tibi in extremis, et vult tibi astare, sicut tu præsens fuisti, et sibi astitisti Missam audiendo. Angeli delectabiliter morantur cum illo homine, et solicite eum custodiunt, quia ipse fecit socium ipsorum in assistendo et laudando Regem Angelorum. *Disc. ser.* XLVIII.

Is, qui in se resurgens a mortuis jam non moritur, adhuc per hanc hostiam in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ Passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram Passionem illius reparamus. S. Greg., *hom.* XXXII, *in Evan.*

Nihil hoc sacrificio acceptabilius Deo Patri pro reconciliandis peccatoribus, nihil pro expiandis sceleribus, pro captivis fidelibus redimendis utilius in Ecclesia offeri potest : quippe cum sit memoriale efficacissimum illius excellentissimæ charitatis, quam ipse Dominus Jesus Christus ultimum Pascha celebraturus ostendit, quamque in crucis patibulo moriendo notam fecit, in ipso idem Dominus quotidie mystice immolatur. S. Laur. Justin., *de inst. Præl.*, c. XX.

Nullus profecto valet humano explicare eloquio, quam locuples fructus, quantave ex hujus oblatione, ac perceptione sacramenti spiritualia exuberent dona. Reconciliatur quippe peccator Deo, justus autem justificatur adhuc, lætificantur Angeli, cumulantur merita, facinora remittuntur, augentur virtutes, resecantur vitia, diaboli machinamenta superantur, sanantur ægri, eriguntur lapsi, debiles refocillantur, famelici saturantur, et defuncti fideles istius Sacramenti liberantur effectu. *Idem l. de obed.*

Multiplicitatem sacrificiorum veterum singularitate sui sacrificii abbrevians, occupationem exteriorum nobis minuit, beneficiorum nobis gratiam multiplicavit, uno unico sacrificio suo remissionem redemptionemque peccatorum faciens, profectuque fidei, cæterarumque virtutum ad vitam æternam perducens. Cæterarum omnium hostiarum vim, et dignitatem magnitudine sua, et præstabili dignitate obruit. Hic holocaustum, hic hostia pacifica, hic propitiatorium Sacrificium continetur. B. Albert., lib. II, *de Sacr.*, c. III.

Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur, tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe corpus ibi sumitur : ejus caro in populi salutem partitur : ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigentii Filii Dei semper imitatur. S. Greg. IV. *Dial.*, c. LVIII.

Dignitas. — Per id tempus, et Angeli Sacerdoti assident, et cœlestium potestatum universus Ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est. S. Chrys. lib. VI, *de sac.*

Quod datum non est Angelis, concessum est homini. Sacerdos enim ineffabile hoc conficit mysterium et Angeli conficienti quasi famuli assistunt. Super hoc tam insigni privilegio stupet cœlum, miratur terra, veretur homo, horret infernus, contremiscit diabolus, et veneratur quam plurimum angelica celsitudo. S. Aug. *in Psal.*

Cum cœpisset Sacerdos sacrificium seu oblationem facere, plurimæ statim ex illis virtutibus cœlo descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis pronæ altari, magno cum silentio et reverentia quoad venerandum illud mysterium expletum fuit, circumsteterunt. Deinde huc illuc singulæ per totam domum diffusæ, Episcopis, presbyteris, et diaconis distributionem corporis et pretiosi sanguinis ministrantibus adhæserunt, satagentes, et sedulo adjuvantes. S. Nilus *in Epist. ad Anastas.*

Quis fidelium habere dubium possit, in

ipsa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unumque ex invisibilibus et visibilibus fieri? S. Greg., l. IV, *Dial.*, c. LVI.

Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis tui implet oblatio, quoniam tu es verus *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi;* et ita in te universa perficis mysteria, et sicut unum est pro omni victima sacrificium, ita unum de omni gente fit regnum. S. Leo, f. 8 *de passion.*

Nec solum pius Dominus umbras et figuras veteres et superfluas, superveniente novitate, et veritate sui Sacrificii, distulit, sed et multiplicitatem sacrificiorum veterum singularitate sui Sacrificii abbrevians, occupationem exteriorum nobis minuit, beneficiorum nobis gratiam multiplicavit, uno unico suo Sacrificio redemptionem remissionemque peccatorum faciens, profectuque fidei cæterarumque virtutum ad vitam æternam perducens. Sciendum enim, quod ideo Deus tam multa sacrificia dedit in lege, ut nullum eorum sufficiens esse ostenderet, quia cœtera essent superflua, si unum sufficere posset, ut unum suum sufficiens magis desideraretur. S. Algorus, l. II, *de Sacr.*, c. III.

Qua nulla major hostia, nulla utilior, nulla amplior, nullaque oculis divinæ Majestatis est gratior, dum honorem Deo, Angelis contubernium, exulibus cœlum, religioni cultum, justitiæ debitum, normam sanctitati, obedientiam legi, gentibus fidem, lætitiam mundo, credentibus gaudium, unitatem populis, sacramentis legalibus finem, initium gratiæ, virtuti robur, hominibus pacem, lucem mentibus, spem laborantibus, peregrinantibus viam, et pervenientibus tribuit speciem. S. Laur. *Just. ser. de Corpore Christi.*

Quando Sacerdos offert hoc Sacrificium, Pater æternus intuens donum illud, non sistit in Sacerdote, sed in illo respicit personam Filii sui, quem repræsentat, et ideo acceptat illam purissimam oblationem, et summe gratam, et acceptabilem sibi. *Suar.* d. 79, s. 91.

Offertur æterno Patri Nati assumpta humanitas, quatenus cognoscat ipse, quem genuit, quemque pro hominum salute misit in terras, ut interventione ipsius, delinquentibus veniam, lapsis manum, et justificatis præroget vitam. Clamat idem Redemptor ad Patrem, corporis sui cicatrices ostendens, quatenus ab æternis suppliciis sua homines interpellatione custodiat. *Advocatum,* inquit Joannes Apostolus, *habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Vides perspicue, nullum acceptabilius Deo posse offerri sacrificium, ad impetrandam indulgentiam. S. Laur. *Just. de Christi corpore.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI

Qualitas. — Si hoc sanctissimum Sacramentum in uno tantum celebraretur loco, et ab uno tantum consecraretur Sacerdote in mundo, quanto putas desiderio ad illum locum, et ad talem Dei Sacerdotem homines afficerentur, ut divina mysteria celebrari audirent? Nunc autem multi facti sunt Sacerdotes, et in multis locis offertur Christus, ut tanto major appareat gratia, et dilectio Dei ad hominem, quanto latius est sacra communio diffusa per orbem. L. IV, c. I, § 12.

Non sis in celebrando nimis prolixus, aut festinus, sed serva bonum communem modum, cum quibus vivis. Non debes aliis generare molestiam et tædium, sed communem servare viam secundum majorum institutionem, et potius aliorum servire utilitati, quam propriæ devotioni vel affectui. L. IV, c. X, § 7.

Qui aliter se non præparat, nisi instante festo, vel consuetudine compellente, sæpius imparatus erit. Beatus, qui se Domino in holocaustum offert, quoties celebrat! L. IV, c. X, § 7.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Veritas. — Cum S. Andreas Apostolus constanter pro Christo Egeæ Proconsuli sese opposuisset, eumque S. Crucis mysterium fuse docuisset, tum dixit Ægeas : Ista verba illis narrare debes, qui tibi credunt; mihi autem nisi hoc consentias, ut Sacrificium diis omnipotentibus offeras, in ipsa cruce, quam laudas, te fustigatum affigi præcipiam. Andreas respondit : Omnipotenti Deo, qui unus et verus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum quotidie in altari crucis sacrifico : cujus carnes posteaquam omnis populus credentium manducaverit, et ejus sanguinem biberit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseverat, et vivus : et cum vere sacrificatus sit, et vere carnes ejus manducatæ sint a populo, et vere sanguis ejus sit haustus, tamen (ut dixi) integer permanet, et immaculatus, et vivus. Ægeas dixit : Quomodo potest hoc fieri? Andreas respondit : Si vis discere, quomodo hoc potest fieri, assume formam discipuli, ut possis doceri, quod quæris. Ægeas dixit : Ego a te tormentis exigam hujus rei notitiam. Andreas dixit, miror te hominem prudentem tam stulte locutum. Ergo tu tormentis putas me divina pandere Sacrificia. Audisti mysterium crucis, audisti mysterium Sacrificii. Si credideris Christum Filium Dei, qui crucifixus est a Judæis, verum Deum esse, pandam tibi, quo ordine occisus vivat Agnus : qui cum sacrificatus fuerit, et comestus, integer tamen, et immaculatus in suo regno permanet. Ægeas dixit : cum sit occisus, et ab omni populo, ut asseris, devoratus, quomodo integer perseverat, et vivus? Andreas respondit : Si credideris ex toto corde tuo, discere poteris; si non credideris, penitus numquam tu ad indaginem hujus veritatis attinges. *Surius in vita* XXX, *die Nov.*

Cum S. Evortius Aurelianensis Episcopus rem sacram aliquando faceret, ecce ipsa hora confractionis panis cœlestis, cum ex more sacerdotali, hostiam elevatis manibus tertio Deo benedicendam offerret, tamquam nubes splendida apparuit super caput ejus, et manus quædam ter porrectis digitis oblata benedicens. Rite autem peracto Sacrificio, dixit vir sanctus ad eos, qui aderant, incipiens ab Episcopis usque ad extremum de plebe : Dicite, quæso, beatissimi fratres, num quod miraculum sub Sacrificio videritis? illis negantibus, subdiaconus Baudilius, cujus tunc erant ministerii vices; vidi ego, inquit, sed præ timore vix ausus sum eloqui. Videbatur mihi te elevante hostiam, manus de nube, quæ operuerat caput tuum, tertio benedicere Deo oblatum. Episcopus ait : Beatus es, frater charissime, cui tanta sunt mysteria ostensa. E populo quoque duo reperti sunt tantæ visionis participes, Elusinus pœnitens, et Procopia castimonialis, quibus Episcopus dixit : *Beati etsis etiam vos, quia non caro et sanguis hæc revelavit vobis, sed Deus, qui in cœlis est.* His vero compertis, omnis Ecclesia clamavit : *Gratias tibi agimus, Domine Deus noster, qui abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, quorum Angeli te semper vident in cœlis sedentem; et fecisti nobiscum mirabilia, sicut locutus es per os sanctorum tuorum Prophetarum, qui a sæculo sunt. Idem* VII, *Sept.*

Nec prætereundum puto, qualiter cœlestis signi visione sanctum Udalricum Episcopum Augustanum voluerit Dominus mirificare. Nam in ipso die sancti Paschæ, multa fratrum caterva adstante, dum sanctus Sacerdos divina celebraret mysteria, dextera quædam apparuit superna, quæ cum ipsius dextera divina sanctificavit Sacramenta. Expletis vero Missarum solemniis, quidam Henricus presbyter, qui eo die cantoris officium agens tanto interfuit miraculo, sequens Episcopum usque ad cubiculum, ad ejus pedes cecidit, atque in præsentia popularium personarum eamdem visionem minus caute explanavit. Cui vir Dei : Melius, inquit tibi fuisset tacere, quam talia in aures vulgi proferre. Mox ille rubore perfusus exiit, et in vestibulo cubiculi residens tantas lacrymas emisit ut ex illarum suffusione cogeretur lucis hujus suspendia sustinere. Vir autem Dei memor suæ fragilitatis cavebat favorem humanæ laudis, ne caderet in præcipitium elationis, semper gratias agens Deo super inenarrabili ejus dono. *Idem*, IV *Jul.*

Princeps cujusdam civitatis presbyterum habebat sanctæ conversationis, et in divinis officiis, præcipue in solemnitate Missarum, indesinenter assiduum. Qui cum quotidie sacris mysteriis reverenter insisteret, Angelus Domini ex consuetudine veniebat, et vidente Principe, Sacramentum Dominici Corporis ex offerentis manibus assumebat. Sed criminalis hujus vitæ lubrica, et incerta conditio! Nam qui angelicis fruebatur mundus obsequiis, in fœdæ luxuriæ voraginem repente prolapsus est. Quid plura? Peragendi sacri mysterii tempus advenit, presbyter consuetudine foris exigente compellitur, sed graviter intus conscientia remordente torquetur, ornatur, accedit, trepidat, palpitat, tamen offerre præsumit. Ecce Angelus, ut assuetus fuerat, venit, et inspectante Principe spongiam infectam aqua super caput illius expressit, totumque corpus illius tergendo purgavit. Expletis autem mysteriis eamdem spongiam rursus expressit, omnesque sordes atque squalores, quos ex corpore illius ante contraxerat, membris ejus omnibus iterum superfudit. Hoc viso, Princeps admiratus obstupuit, presbyterumque semotis omnibus secrete convenit. Inquisitus itaque presbyter, si novi aliquid criminis admisisset, primo quidem, quasi perhorrescens, facinus abnegat; deinde sibi male conscius, de Principis auctoritate compulsus, tandem se corruisse nocte præterita in quamdam ejusdem Principis cubiculariam confitetur. *Specul. exempl. dist.* I, *ex.* LXXX.

In monasterio Saviensi sub venerabili patre ejusdem monasterii Serione contigit, quod relatu dignum credimus. Nam die quodam, cum frater quidam divino fungeretur officio, veniens ad illa verba : Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, inclinans se juxta morem, et supplicans, vidit angelicos cives in circuitu altaris astantes hilares et jucundos, et stolis miræ pulchritudinis indutos : inter quos unus supereminens apparebat forma sublimior, et vultu venustior, qui et præ cæteris solus de altari sacram hostiam accipiebat, solus sursum deferebat, et solus divinis conspectibus præsentabat. Cæteri vero, qui astabant, in tantum illi Angelo congratulabantur, ac si quisque hostiam acciperet, si deferret, si præsentaret. Reflexis oculis Sacerdos ad altare repositam reperit, missa sumpsit sanctificantia se, et sanctificata, et sic plenus gaudio agenda implevit. *Ibidem, dist.* IX, *exempl.* CCCLXXXV.

Frater Petrus de Cavagnuelas Ordinis S. Hieronymi cum dubio, num sanguis in hostia esset, vehementer vexaretur, accidit, ut cum Missam de B. V. legeret, et ad illa verba : *Supplices te rogamus,* pervenisset, densa nubes in aram delapsa, et calicis et hostiæ aspectum eriperet, imo postea omnino auferret, donec post multas preces et lacrymas vidit hostiam ori calicis imminere, et ex ea guttatim tot guttas stillare, quot ante in calice fuerant. L. II, *Chr. S. Hieron.*

Cum Judæus filium suum, quem cum catholicis pueris communicantem viderat, in ignem conjecisset, mater accurrens, vidit illæsum inter flammas sedentem, qui, cum interrogaretur a quo servatus esset, respondit, a muliere, quæ filium brachiis tenebat, se servatum. PETRUS SANCH. *in Regno Dei,* p. VII. c. 4.

Cum S. Proculus Episcopus, et Martyr Missam celebraret, Angeli calicem in aera levarunt, iterumque post intervallum reponentes in ara, dixerunt : Deus ipsum consecravit, non ergo opus est, ut denuo consecres, sed sumas dumtaxat. *Ibid.*

Excitata inter hæreticos, et catholicos quæstione, num Christus sub hostia consecrata lateret, catholicus veritatem probaturus, tam hæreticorum quam catholicorum hostiam assumens, utramque in aquam calidam conjecit. Quo facto, hæreticorum quidem hostia statim ab aqua dissoluta est, catholicorum vero illæsa mansit. *Ibid.*

Dum navigaremus in Trisiam, positis nobis in medio mari, quod adjacet regioni Marinorum, adfuit hora, in qua Sacrificium Deo victimæ salutaris immolandum erat. Tunc jactis anchoris, navis immobilis persistebat, et celebrante Sancto Pontifice Walfranno Missarum solemnia, ventum est ad locum, ubi minister patenam Præsuli porrigere debuit, extensaque manu expectabat horam, qua susciperet eam ; sed dum minister eam abluere vellet, in mare ejus manibus collapsa est. Finita vero oratione imperat diacono, ut in eum, in quem patena ceciderat locum, mitteret manum. Quo facto, ab imo maris eadem patena divinitus revecta ejusdem ministri manui inhæsit. Quod videntes nautæ, cæterique navis comites, Dominum cuncti potentem totis viscerum præcordiis collaudaverunt, qui per servum suum tale dignatus est operari miraculum. Sicque commixtionem corporis et sanguinis idem sanctus præsul faciens, nomenque Salvatoris glorificans, sacrosancta Missarum solemnia complevit. Languore corporis, quem diu protraxerat, per dies ingravescente, septimo die post quam obitum suum Dominici corporis et sanguinis perceptione munivit, soluta est ab ergastulo corporis anima sancta. Hæc Wando Abbas ad Jonam de his, quæ ipse vidisset.

Cum Dei amore et spiritus fervore sacram oblationem in altari offerebat S. Ignatius Episcopus Constantinopolitanus, ut in ipsomet altari sacro aperta Spiritus sancti assistentiæ argumenta cernerentur; videbatur divinus et sacer ille panis totus alteratus, totus instar cœlestis carbonis factus, gratia cœlestis ignis micans. Visa est enim aliquando sancta crux, quæ super Altare sacrum sita est, concitata et elevata, et dum sacer panis exaltaretur, frequenter paulatim moveri eadem crux videbatur, Sancti videlicet Spiritus obumbrationem hoc pacto significans. Die vero Paschatis præcipue, ita vehementer crux ista commota est, ut omnes Sacerdotes et Pontifices, præsertim aliarum Patriarchalium sedium, ob miraculum hoc perterriti, magna voce clarificarunt Deum multo tempore.

Theodoretus in historia sanctorum Patrum scribit in vita S. Maris. Cum longo tempore divinus Maris desiderasset videre offerri spirituale, et mysticum Sacrificium, rogavit, ut divini doni illic fieret oblatio. Illico sacra vasa allata in pago cum haud longe aberat, et pro altari usus diaconorum manibus mysticum divinum et salutare obtulit Sacrificium. Ille autem omni spirituali implebatur voluptate, et existimabat se ipsum cœlum videre, et dicebat, se nunquam tantam cœpisse lætitiam.

QUALITAS. — Quidam sanctus senex, quotiescumque Sacrificium offerebat, videbat Angelos sibi læva dextraque assistentes. Sed et S. Sampsoni Episcopo, solemnia Missarum agenti, semper Angeli Dei ministrabant, atque illo solo vidente, sacram hostiam cum ipso manibus suis frangebant. *Fratrum spir.* CXCIX.

S. Andreas a tyranno Diis sacrificare jussus, respondit : Quotidie sacrifico Omnipotenti Deo, non boves et oves, sed immaculatum Agnum, cujus caro, licet a populo manducetur, integer tamen ipse perseverat. *Petrus Sanch. in regni Dei* p. 7, c. IV.

Leo Pontifex III, hujus nominis interdum uno die septies, aliquando novies, celebrabat. *Strabo de div. offic.*

S. Udalrico sacris operante, sacram hostiam e cœlo manus cœlestis benedicebat. *Nadasi in anno Euc. hebd.* XXXVI.

S. Cajetanus plerumque horas octonas in præparatione ad Sacrificium Missæ impendebat, et tunc, primum præmissa confessione, ad altare accedebat. *Rho.* l. III, *virt.* I, 15.

S. Laurentius Justinianus dicere solebat, eum, qui cum posset, Domino suo non frueretur, facile declarare Domini sui curam se non habere; huic ipse quotidie celabrabat. BERN. *Just. in ejus vit.*

Stanislaus Hosius Cardinalis usque ad decrepitam ætatem Missam dicebat quotidie, aut audiebat, etiam in infirmitate. Tribus tantum bucellis panis vespere se reficiebat. Ante Missam nullis unquam negotiis operam dare volebat, sed soli meditationi vacabat, reliquis omnibus curis et cogitationibus ab animo procul explosis. Quamobrem in ipso sæpe diluculo, qualecumque tandem cœlum esset, ad Ecclesiam accedere consueverat. Cumque aliquando medicus malum esse aerem diceret, respondit ille : At Deus bonus est, qui utique juvabit. *Vita.* XXVI, 19.

UTILITAS. — S. Isidorus ita cum suo domino pepigerat, ut quotidie sacro interesse posset. Quod eo diligenter faciente, dum alii famuli murmurarent, adverterunt Angelos pro eo arare. GREG. l. IV, *Dial. cap.* LVII.

De matre sua S. Monica scribit S. Aug. Illa, imminente die resolutionis suæ, non cogitavit corpus suum sumptuose contegi, aut aromatibus condiri, aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulchrum patrium. Non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis. S. AUG. l. IX, *conf.*, c. XI.

Sacerdos quidam cum popularibus Jerosolymam profectus, cum die Paschæ sociis reditum maturantibus solus mansisset, sacrumque legisset, hoc finito, equitem obvium habuit, qui ipsum pone se ascendere jussit, et eadem adhuc die, ante domus suæ, licet longissime dissitæ, fores consistit. THOM. *Cantipr.* l. II, *apum* c. XL, § III.

Quidam sutor ob Missam quotidie auditam insigniter locupletatus est, cum socius ejus diu noctuque laborans cum paupertate tamen luctaretur. *Surius in vit. S. Jo. Eleem.*

Aulicus ex invidia alterius aulici falso accusatus, et in fornacem calcis conjici jussus, quia in templum, audiendi Sacri gratia, secesserat, effecit, ut inimicus ejus interea in fornacem injiceretur. RODRIG. p. 2. *tr.* VIII, c. XVI.

Ferdinandus Antolinus cum Saracenis acie conflicturus, quia, imminentibus licet hostibus, Missæ finem præstolari decreverat, meruit, ut S. Angelus Custos illius vices obiret, hostesque feliciter superaret. *Pæd. Chr.*, p. 2, VIII, § II.

Anno Domini duodemillesimo novis motibus contigit Galliam agitari. Ascendit Robertus Rex in Burgundiam cum magno exercitu pugnatorum, ducens etiam secum Richardum Rothomagorum Comitem, cum triginta millibus Northmannorum, quoniam Burgundiones ei fuere rebelles, nolentes eum suscipere in civitatibus et castris, quæ fuerant Ducis Henrici, ejus videlicet avunculi, quin potius sibi in proprias divisere partes. Deveniens quoque Rex primitus cum omni exercitu ad civitatem Antiosodorum, eam obsidione circumdedit. Qui diu ibi crebris assultibus fatigatus recedens, non adversus eam prævaluit, quæ fertur numquam fraude, vel hoste fuisse decepta. Relicta namque civitate. Rex cum universo apparatu bellico convertit se ad castrum beati Præsulis Germani expugnandum, quod munito aggere præpollens hæret civitati : vallaverat enim illud Landrici Comitis exercitus, nec non ejusdem loci familiares viri, hostium siquidem metuentes sacri gregis diremptionem. Occurrit interea furenti Odilo Venerabilis Abbas Cluniacensis Monasterii, cupidus intervenire inter partes utrasque, sic quidem, ut Regi exhiberetur honorificentia, solidaretur concordia Principum, pax patriæ firmaretur. Qui minus posse fieri cernens, quod decreverat, hortabatur fratres octo tantummodo, qui ad confessoris custodiam relicti fuerant (nam cæteros cum suo Abbate, Hilderico nomine, jussio Regis inde exire compulerat) ut orationi instarent assidue, si forte Domini pietas eos, pariterque locum a tanta obsidione dignaretur eripere. Sexto igitur obsidionis die illucescente, nimio Rex arreptus furore, indutus lorica, simul et galea, omnemque exercitum dictis acuens, habens etiam secum Hugonem ejusdem urbis Pontificem, solum ex omni Burgundia parti Regis faventem. Eidem namque Regi in procinctu jam constituto occurrit Venerabilis Abbas Odilo, illum increpans, ejusque Primates redarguens, cum adversus tantum Dei Pontificem scilicet Germanum, hostili manu insurrexissent, cui specialiter (ut in gestis illius invenitur) usui fuit, Dei auxilio, et bella compescere plurima, et Regum ferocitati obsistere. Cujus verbis minus auditum præbentes, quo tendebant pervenerunt, cingentesque supradictum castrum in coronæ modum, certatim illud expugnaturi inierunt. Alternis quoque partibus diu multumque decertantibus, domus suæ parti Dei subito affuit præsens auxilium. Nam ejusdem castri universa capacitas ita repleta est hora prælii teterrima nebula, ut nemini hostium a foris pervius foret jaculandi aditus, cum ab intro repugnantibus cernerent se gravi cæde prosterni; sicque cum suorum, maxime Northmannorum concisione, dimiserunt castrum incolume : quos, licet tarde, pœnituit adversus magni meriti locum arma sumpsisse. Contigit etiam, ut hora, qua Regis exercitus adversus locum sacrum certamen inire cœpisset, vir religiosus Gissebertus, ejusdem loci monachus, super altare beatæ Mariæ semper Virginis, quod decentius cæteris in vertice ejusdem constat Ecclesiæ (quemadmodum hora diei tertia quotidie consueverat) Missarum sacramenta celebrare inciperet, quod scilicet factum satis cœlitus præstitæ congruit victoriæ. Sequenti igitur die egrediens Rex inde processit, igne cremando res hominum, præter civitates, et castra tutissima, usque ad superiores Burgundiæ partes. Qui in Franciam, rediens, post hæc tamen, licet tardius, ad se reversis Burgundionibus prospere universam obtinuit regionem. Baron. *an.* 998, n. 5.

P. Joannes Bonifacius sequens refert exemplum : Cum in publica custodia, ait, facinorosi plurimi asservarentur, illorum quidam tam desperato fuit animo, tamque perdita et vesana lingua, ut Deum ipsum, a quo sati, generatique sumus, pessimis conviciis lacesseret, seque pro impio, infidelique jactaret, non quod inferos esse abnueret, in quos se detrudendum fatebatur, sed quia de Dei clementia diffideret, a quo se esse relictum, et destitutum impudentissime et insanissime querebatur. Hunc adiit religiosus quidam vir, et amice consolatus, audiendæ rei divinæ auctor suasorque fuit : fore enim, ut in suam causam Deo, cui omnia sunt curæ, commendet; res hominis perditæ, et afflictæ recreentur, ad portumque perveniat, malorum fluctibus, vel omnino repressis, vel aliqua ex parte sedatis. Paruit obstinatus ille : cumque in sacello carceris res divina peracta esset, vinctusque præsens fuisset, secuta est die postero libertas homini, cui ex ipso altari Christus benignissimus liberationem pœne est visus polliceri; tantumque medicina illa profuit, ut corporis animique salutem ipsa una præstiterit. *Idem* VII, *ep.*

Superat omnem admirationem, quod de Guidone de Lachia memorat Bernardus Luzenburgicus in Cathalogo Hæreticorum lit. G. hunc in Episcopatu Brixiensi ita simulasse sanctitatem, ut pro altero Joanne Baptista a populo haberetur; sepultus ita fuit honorifice. Post mortem certis testimoniis Inquisitores deprehenderunt hæreticum fuisse; quare de consilio Episcopi, et aliorum prudentium assessorum, sententiam tulerunt, cadaver exhumandum comburendumque. Exhumatur astante populo, et ossa projiciuntur in ignem; sed ecce illa statim dæmones (qui nulli cernebantur) ex rogo elevant, et in aere suspensa tenent. Inde nata populi indignatio, exclamant : Occidatur Episcopus et Monachi, qui stimulati livore, ossa sancti viri comburere conati sunt. Quid cessamus? Deus id sibi non placere demonstrat. Extimuit Episcopus, sed Inquisitores cum adhorti sunt, ut ad Missam celebrandam se accingeret; Deum potius miraculum facturum, quam fidei causam sinat in periculo versari. Ubi ventum est ad corporis Dominici elevationem, dæmones in aere clamare cœperunt : O Guido de Lachia, nos defendimus te, quantum potuimus, sed modo non plus possumus, quia adest majus nobis. Confestim ossa in rogum recidere, et incendio in cineres redacta fuere. *Delvio. disquis. mag.* l. VI, c. II, *sect.* III, q. 3.

In vita B. Petri de Alcantara lib. II, cap. XIV, legitur, quod, cum in die ultimo Paschatis in territorio del Pedroso magna solemnitas fieri consuevisset, incolæ illius B. Petrum ad missam ibidem celebrandam invitarint : quia vero Ecclesiam ad populum, qui ad eam solemnitatem concurreret, capiendum ampla satis non erat, altare quoddam extra Ecclesiam ruri sub dio erexerunt, cumque viro Dei Missam inchoante, omnes circumstantes ad compunctionem moverentur, accidit, ut post dictum, *Credo*, aer, qui antea serenus erat, turbari cœperit, moxque excitatus fuit ventus adeo impetuosus, ut omnes vehementer metuerent, ne altare, in quo Missa dicebatur, ex impetuosi venti vehementia inverteretur; unde omnes ex hoc turbine vehementer commoti sunt; tametsi pauci a Sacrificii loco recederent. Sanctus autem vir Dei, cum in sua quiete persistens, ad primum *Memento* pervenisset, dæmones haud secus, ac si a fulminis sagittis percussi fuissent, per aera fremebundi discurrebant, atque ut Sacrificium turbarent, longe severiorem excitarunt tempestatem, horrendis excitatis tonitruis, evibratis ex fulmine sagittis, obscurato aere, et copiosa dilapsa pluvia; inter hac vetuit Sanctus conjurationes fieri a Parocho, neque toto eo tempore, vel minima super altare, vel super circumstantes qui Missæ assistebant, cecidit gutta, licet circumcirca rivi diffluerent aquarum; immo nec venti, quantumcumque impetuosi, luminaria delere potuerunt. Quare Sanctus, ut pro tam singulari protectione Domino gratias agerent, præcepit, dicendo, miraculum hoc virtuti Missæ, eorumque qui illi devote assistunt, merito adscribendum esse. *Vita* S. PETRI *de Alcant.* l. II, c. XIV.

Eo tempore, quo S. Bernardinus in civitate Mediolanensi præsens, in Ecclesia S. Ambrosii Missam celebraret, sequens accidisse legitur eventus; cum enim ad sanctum virum Dei adducta fuisset energumena quædam per multos annos adeo graviter vexata, ut monstro similis esse videretur. Sanctus Abbas illam prope Altare adduci, et teneri præcepit; quoties vero de more sacrosanctam Hostiam signabat, toties ad mulierem quoque conversus, eodem signo crucis edito, spiritum nequam fortis athleta impugnat. Expleta autem oratione Dominica efficacius hostem aggreditur, patenæ siquidem calicis sacrum Domini Corpus imponens, talia loquebatur : Adest ille, qui pro nostra salute passus est; nunc, inquit, princeps hujus mundi ejicitur foras. Hoc illud Corpus, quod de corpore virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo jacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis ascendit in cœlum. In hujus ergo Majestatis terribili potestate tibi, spiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla ejus egrediens, contingere eam deinceps non præsumas. Post quæ verba protinus egressus est spiritus malignus, et energumena deinceps semper libera remansit. *Vita*, l. II, v.

Fuit quædam mulier tristata valde, et a diabolo multum tentata, quæ sibi laqueum ad suspendendam se ipsam præparavit, quæ, dum cœpta conaretur perficere, ecce pro elevatione Corporis Christi, juxta morem audivit campanulam; tunc flexis genibus, sicut a juventute in consuetudine habuit, oravit et dixit : Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, miserere, et ecce mox trabs, et funis suspendii confractæ sunt, dæmonibus fugientibus, et dicentibus, quia virtus præsentiæ Corporis Christi te liberavit a temporali, et æterna morte. *Discip ser.* XIV, *de S. Steph.*

In historiis selectis Augustini Manni sequens refertur historia : cum juvenis quidam insano erga mulierem quamdam, raræ pulchritudinis, accensus amore, eamdem promissis, præcibus, et blandimentis in sua conatus fuisset seducere desideria, ac tandem eadem potius fuisset, mulier illa mox erroris sui commissi pœnitens, eumdemque amare deplorans, omnem carnali huic juveni aditum præclusit. Qui repulsam hanc sufferre nequaquam volens, quamdam prædictæ mulieris ancillam conveniens, eidem, si commoditatem sibi dominam ipsius adeundi subministraret, ingentem pecuniæ summam pollicitus fuit; quæ auri amore excæcata, sequentem eam conveniendi modum, lascivum juvenem edocuit, videlicet ut Domina sua ad Missam audiendam e domo egressa, ipse domum illius ingrediens, clam in cubili absconderetur; juvenis lenæ consilium executus, muliere prædicta in Ecclesia Missam auscultante, domum mulieris ingressus, in abditissimis ejus se recondidit penetralibus, ut desideratam expectaret prædam; subdit vero historia : Cum mulier reversa esset Sacrificiis munita, ille ex improviso objicit sese conspectui mulieris, œstro libidinis, et spiritu nequissimo concitatus, insurgit rogans; et, ne diutius deneget ei, quod tam vehementer concupiscebat, variis blanditiis animum mulieris primum solicitabat. Turbata est illa in conspectu ejus, et expavit, et cœlum suspiciens, quanta potuit vi, juvenis rejecit petulantiam. Deinde cum pararet ei violentas manus inferre, astitit illico canis ferocissimus, qui fœminæ patrocinium suscipiens, contra juvenem dente iracundo prosilivit, et apprehenso collo ejus tam ferociter, tam immaniter huc et illuc discerpsit, donec amputatum a corpore caput separaret. Canis cruentum caput secum detulit, et disparuit. *August. Manni his.* c. I, 37.

Quidam a Persis in servitutem redactus, in carcerem quemdam conjectus fuit, qui Lethe appellabatur; Persis autem lex firma erat, quod, quisquis in hunc carcerem conjiciebatur, inde erui numquam posset, ac proinde Lethe vocabatur, quod Latine idem significat, quod oblivio. Cum autem quidam e Perside fugientes in Cyprum venissent, parentibus hujus adolescentis ipsum in carcere mortuum esse dixerunt; quo nuntio permoti parentes, tres quovis anno Missas pro ejus anima celebrari curarunt. Post quatuor vero annos adolescens e carcere fugiens in domum rediit paternam, quem pater et mater ejus, non ut e carcere fugitivum, sed ut a morte redivivum, ingenti cum stupore videntes, post multos inter se habitos sermones ei indicarunt, pro anima ipsius quovis anno ex paterna pietate, tres Missas procuratas fuisse, videlicet in festo Epiphaniæ, Paschatis, et Pentecostes, quibus ipse subjunxit se iisdem quoque diebus a viro quodam, qui ardentem portabat lampadem, a vinculis suis exsolutum omni gavisum fuisse securitate, cum tamen diebus sequentibus iisdem se vidisset vinculis nexum, quibus antea. Bar. *an.* 614, n. 39.

S. Philippus Nerius, quando rem aliquam efficaciter impetrare, suumque intentum infallibiliter consequi volebat, ad Missæ Sacrificium semper confugiebat. Inter cætera vero de quatuor adolescentibus Hebræis eodem patre progenitis in vita ejusdem Sancti, refertur, quod, cum longo tempore, ut ad fidem nostram compararentur, diu oppugnati fuissent, ipsi vero semper obstinati et inconcussi persisterent, S. Philippus tandem vespere quodam eos rogarit, ut velint Deum Isaac, Jacob, Abrahæ interpellare, ut eorum mentes veritatis luce collustrare dignaretur, sponderitque se proximo adveniente die vim Deo facturum; animadversum igitur fuit, eo prorsus tempore, quo Philippus Missam celebrabat, illos ad suscipiendam Christi fidem aures aperuisse, et ut christiani fierent consensum dedisse. Interea vero unus illorum in febrim incidit, atque adeo sexta die morbus exasperatus est, ut a medicis desereretur; quem cum Sanctus vir Dei visitaret, dixi ei : Ex hoc morbo, fili, nolim decedas; jactarent enim Hebræi tibi a christianis mortem illatam, quapropter juveni se die sequenti pro ejus salute rogaturum esse promisit. Rem miram ! vix Sanctus Sacrificium perfecerat, adolescens plane sanus consurrexit, et lecto insidens, totaliter a febri liber remansit. *Vita,* l. I, xii, n. 9.

Miles quidam privatus alapam impegerat juveni nobili, atque vivacis spiritus, cui nomen Leo Pererius, qui vindictæ avidus persecutorem insequens, inque Ecclesia assequens, pectori ejus pugionem superimposuit, confossurus adversarium, quando hic opportunissime ob amorem hostiæ, quæ tunc elevabatur, adolescenti supplicat, dicens : Per hanc, te obsecro, parce. Res stupenda ! Mox juvenis retracto brachio, vultuque, ac corde longe magis serenatus, in hæc prorupit verba : Hæc te servat. *Mansi dis.* vi, n. 6.

Thomas Bozius memorabile quoddam refert exemplum a Petro Cluniacensi in honorem Missæ Sacrificii ad perpetuam memoriam in hæc verba conscriptum : Est in Gratianopolitano Episcopatu locus, in venis subterraneis plurimum ferri habens, quod multo incolarum et rusticorum sudore assidue erutum, a fornacibus coctum, et expurgatum, per circum jacentes terras fabris ferrariis, vel quibuslibet pro lucro venditur, inde, et villa, quam iidem homines juxta incolunt, ferraria nuncupatur. Solent autem hujusmodi homines, dum terræ abdita fodiendo perscrutantur, spe tracti majoris lucri longius procedere, et per subterraneos specus pertinaciter majorem ferri materiam perscrutari. Huic operi dum quodam tempore quidam rusticus indefessus instaret, et intima terræ fodiendo, acriter rimaretur, repente maxima moles terræ delapsa aditum, per quem ingressus fuerat, obturavit; quia tamen fodiendo longius processerat, ac multum post se spatii exhausta terra inane reliquerat, mortem evasit, et velut in domo clausa, ac validis munitionibus undique circumsepta egredi quidem non potuit, incolumis tamen permansit, sed tenebris tam tenebricosi carceris circumseptus, spe omni evadendi sublata, ac velut in amplo sepulchro sepultus, mortem ipsam adhuc vivens jam se cernere existimabat, quem jam per aliquot dies non apparentem uxor sua mortuum credens, ad animam ejus spiritualibus beneficiis adjuvandam conversa est; unde per annum integrum omni hebdomada unam ei Missam celebrari a Sacerdotibus faciens, et pro eo panem, et candelam offerens salutari sacramento, ut mos est Ecclesiæ, animæ defuncti mariti subvenire satagebat. Una tamen in anno hebdomada extitit, qua mulier aliis intenta negotiis, Missam, ut proposuerat, marito providere neglexit. Et ecce totius anni pene emenso spatio rursus fossores metalli officio assueti, irrequieti instantes ad lacum, in quo jam dictus rusticus adhuc vivens latebat paulatim fodiendo perveniunt, quorum dum voces, et malleorum sonitus jam appropinquantium rusticus inclusus audisset, quantis potuit nisibus vociferari cœpit, cujus illi vocem audientes, et (utpote artis illius periti) hominis subterranei esse cognoscentes, sese invicem cohortati sunt, et ad eum tandem post multum fossionis laborem pervenerunt; quem accensis luminibus curiose circumspicientes, illum esse, quem anno jam præterito ibidem obrutum esse sciebant, agnoverunt. Admirati, et ut par erat, tanta rei novitate stupefacti, quomodo illic vivere potuisset instantissime requirebant; at ille respondit : Isto, quem modo removistis terræ obice, foramini, per quod intraveram, objecto, cum in hoc carcere, quem videtis, retentus fuissem, atque aliquantis diebus sine cibo et lumine permansissem, subito mihi pene deficienti, cum pane simul, et lumine quidam astitit; qui me confortans et ad cibum capiendum admonens, tetras tenebras illa candela quam ferebat, clarissime illustrabat, et pane per spatium septem aut octo dierum, ut mihi videbatur, refectus, totidem diebus illa candela illustratus, et famis periculum evadebam, et hujus fossæ tenebras evitabam; post septem vero, vel octo dies, rursum ille, qui prius cum recenti pane, et renovato lumine adveniebat, eaque mihi dimittens, recedebat. Hoc per unius (ut mihi videbatur) anni excursum æquo pene temporis intervallo numquam facere destitit, excepto unius hebdomadæ spatio, quo mihi præsentiam suam munusque solitum, nescio, qua de causa, subtraxit. Hoc illi ab eo audientes et quod illi uxor ejus per totum annum fecerat, ad mentem revocantes, cuncta ei protinus exposuerunt. *Tho. Bozius tom.* II, *de sign. Eccl.* II, *sig.* LVIII.

Anno 871, postquam exercitus Danorum irreparabilibus Angliam Orientalem devastasset desolationibus, atque minis, victor, et insolens ad Angliæ Occidentalis se convertit exterminium, ubi intrepidam constantemque ab Etelredo Rege expertus est resistentiam. De hoc autem piissimo Principe alias inter virtutes principaliter memoratur et illa, quod, dum Missæ assistens sub tentorio suo sæpe sæpius ad conflictum invitaretur, et provocaretur ab hostibus docerentque circumstantiæ illam opportunatissimam, nequaquam omittendam præliandi occasionem, nihilominus sapientissimus Rex se nec pedem promoturum asseruerit, donec Missam finiisset Sacerdos, ac proinde sacra illa hostia fortificatus et animatus, postea prorupit in Danos, cum gloriosissimæ victoriæ successu. *Baron. ad an.* 871, n. 182.

Æneas Silvius, qui postea summus Pontifex factus Pii II, nomen sibi assumpsit, historiam quamdam refert, præsenti proposito peropportunam : dicit enim in provincia Istriæ, Nobilem quemdam fuisse admodum pium, qui tamen, Deo ita disponente, a dæmone continuo molestabatur, ut laqueo sibi vitam adimeret; fuitque hæc, tentatio adeo vehemens, ut sæpius in procinctu fuerit exequendi, quod a dæmone continuo suggerebatur. In hisce vero angustiis constitutus, statum conscientiæ suæ Religioso cuidam docto, et timorato aperuit, salutare ab ipso poscens auxilium; qui postquam illum pluribus consolatus fuisset, hoc tandem ei suggessit consilium, ut videlicet capellanum quemdam conduceret, qui quotidie coram eo Missam diceret; cumque remedium hoc Nobilis velut opportunum amplexus fuisset, cum Sacerdote quodam stipendium pactus, cum eodem in arcem quamdam bene munitam, quam ruri habebat, secessit; cumque annum integrum quietus in eadem cum Sacerdote vixisset, contigit, quod die quadam prædictus Sacerdos licentiam ab hoc Nobili peteret adeundi villam quamdam arci prædictæ vicinam, ut cum Sacerdote loci illius amico suo festum occurrens celebraret, quam a Nobili facile obtinuit, utpote qui ad eumdem se locum cum sacerdote conferre ibidemque Missam auscultare decreverat; verumtamen per occurrens aliquod negotium ad tempus usque meridianum impeditus fuit, quo absoluto, cum ab arce valde anxius digrederetur, timens ne tempus Missam auscultandi elapsum fuisset, in pristinam denuo incidit tentationis vehementis molestiam; tandem vero, cum ab obvio quodam rustico a prædicta villa redeunte, officia divina in Ecclesia terminata esse intellixisset, maledicere cœpit iis, qui illum a Missa ea die audienda impediverant, jam enim se perditum, et de salute sua actum esse existimabat. Rusticus autem illum consolaturus his eum verbis est affatus : Ne affligaris quæso, Domine mi, nam Missam, quam audivi, nec non et meritum, quod inde apud Deum mihi comparavi, libenter tibi resignabo, dummodo aliquam mihi impertitus fueris retributionem; oblationem sibi factam libenter acceptavit Nobilis, et rustico vestem quamdam, qua indutus erat, dare promisit, eaque rustico data ab eodem recessit. Nobilis igitur cœptum prosecutus est iter, ut in Ecclesia villæ illius, ubi festum agebatur, communes cum aliis fidelibus lucraretur indulgentias; in reditu autem, o res admiranda! cum ad locum, ubi Missæ meritum sibi per simoniam compararat, pervenisset, prædictum rusticum ex arbore quadam suspensum invenit, Deo id ipsum permittente, eo quod tam vili pretio inæstimabilem Missæ thesaurum vendidisset, seque validissimis privasset armis, quibus inimico infernali resistere poterat. Nobilis autem in devotione Missæ audiendæ magis confirmatus, deinceps semper, quoties tentabatur, Missæ Sacrificio adhibito victor semper evasit. Merito igitur Sanct. Ignatius Martyr primos Ecclesiæ Ephesinæ fideles ad Missam audiendam his verbis assidue invitabat; Date operam, ut sæpius congregamini ad Eucharistiam, et gloriam Dei, cum enim sæpius in idem loci convenitis, labefactantur vires Satanæ. *Mansi dis.* VIII, n. 16.

S. Ferdinandus de Tolanera primus Archiepiscopus Granatensis, dum in aula ageret, multis gravisbusque occupatus regni negotiis plurimos patiebatur æmulos, qui, cum innocentem accusare non possent, adversus quotidianum ejus Sacrificium murmurare cœperunt eorum aliqui, qualiter scilicet, tam ardua pertractans negotia, animum dispositum, quietum, et ad quotidie celebrandum recollectum habere continuo posset, quasi in Monasterio degeret; quod cum Cardinalis Hispanus, et Archiepiscopus Toletanus, Joannes Gonzalez de Mendoza, die quadam eidem familiariter insinuaret, respondit servus Dei : ita domine quia majestas sua tam arduis me implicavit negotiis, onusque mihi imposuit, meis superius viribus, ideo ne in terram prolabar quod unicum mihi superest refugium, inquiro quotidie, scilicet altare sanctum, ut eo mediante negotia feliciter terminare, optatamque de omnibus valeam reddere rationem. RODRIG. *part.* II, *tr.* VIII, XVI.

MISSA LECTA. — Surius in vita S. Petri Cœlestini refert, quod, dum die quadam ex una parte sublimem de cœlo in Sanctissimum Sacramentum, et Sacrificium descendentis Majestatem, ex alia vero parte indignitatem suam considerasset, simulque in memoriam revocasset Paulum primum Eremitam S. Antonium Magnum, S. Franciscum Assisinatem, pluresque alios Dei servos altissimum Missæ mysterium exercere ausos non fuisse, circa frequentiam hujus mysterii multum anxius per aliquot dies præ timore, ac reverentia tanti Domini, ab hoc Sanctissimo Sacramento, et Sacrificio abstinuerit, donec tandem Romam accedere decrevit, summum Pontificem consulturus, an non melius foret a celebratione illius Sacrificii per tempus aliquod totaliter abstinere? Cum igitur cum hac intentione Romam versus iter institueret, sanctus quidam Abbas, haud pridem mortuus, in via ei apparuit, a quo habitu monastico indutus fuerat, qui ei dixit : Quis est, o Fili, qui, licet Angelus sit, celebratione hujus mysterii dignus dici possit? Verumtamen suadeo tibi, ut cum amore et reverentia erga Deum, prout hactenus consuevisti celebrare pergas. Surius, *in vita S. Cœlestini*.

S. Thomas Herfordensis in Anglia Episcopus, vir cibi et potus abstinentiæ deditissimus, et castissimus, tanta animi pietate et devotione rebus divinis intererat, ut intuentium fidem et mores informaret tanta in Missæ Sacrificio lacrymarum ab ejus oculis copia manabat, ac si coram se Christum Dominum in carne humana patientem vidisset. *Idem in vita* II, *Octob.*

Scribunt historici, neminem ante Nicolaum III. Papam religiosius sacrificare visum, cum semper, dum solemnia ageret, lacrymas funderet : erat enim Religionis observantissimus, dotibus animi, et corporis ornatissimus, adeo ut multa fecerit, plurima intentaverit, suam prudentiam, et animi magnitudinem ostendentia. Vacantibus Ecclesiis nullus Pontifex cælerius, ac maturius consuluit; notarios et tabellarios, utpote sanguine pauperum et litigantium viventes, a se ut pestiferos amovit. Daurolt. c. v, *tit.* XXVII, *exemp* II.

S. Cuthbertus Episcopus Lindisfarnensis tantum compunctionibus erat deditus, tantum cœlestibus ardebat desideriis, ut Missarum solemnia celebrans, nequaquam sine profusione lacrymarum implere posset officium : sed congruo satis ordine, dum passionis Dominicæ mysteria celebraret, imitaretur ipse, quod ageret, se ipsum videlicet Deo in cordis contritione mactando, sed et astantes sursum corda habere, et gratias agere Domino Deo nostro, magis cor, quam vocem exaltando, potius gemendo, quam canendo, admoneret. Surius XX, *Mat.*

Missa audita. — Frater Franciscus Durasse in Oieta, Religiosus Franciscanus, culinæ servitio destinatus, quotidie pro sua devotione multis Missis inservire solitus erat; at vero cum die quadam ob ejus a culina absentiam in præjudicium refectorii notabile damnum accidisset, a Superiore jussus est post ministratam primam Missam subito in culinam se recipere, nec ab ea recedere, cui præcepto prompte obedivit, ita tamen ut quotiescumque audiret signum elevationis hostiæ, genua sua flectendo in terram, hostiam illam e longinquo adoraret. Accidit vero, quod dum in præcipua quadam solemnitate signum elevationis in Missa solemni factæ, omnibus simul campanis compulsatis dari audiret, in genua corruens dixerit : o dulcissime Salvator, ex quo præsidum voluntate in culina detineor, careo ea voluptate, quam mihi dulcissimam pariebat divinæ hostiæ coram adoratæ; sed bene, ac beate res habet, quam tu utcumque habere voluisti. Vix autem hæc verba elocutus fuerat, cum ecce inauditum hoc contigit miraculum; nam muri inter templum et coquinam interjecti aperti sunt adeo, uti Dei servus Christi corpus in ara cernere, et adorare posset, qui tamen continuo rejuncti sunt, non obscuris recessus hujus prodigiosi notis relictis. Mansis, *disc.* II, n. 6.

Anno 1570, mense Novembris sequens hic prope Romam accidit casus. Tres Eugubienses ad nundinas convenerant in loco, cui nomen Cisterno, idemque elegerant hospitium. Finitis nundinis, duo illorum de itinere cras instituendo discurrere cœperunt, concluseruntque sub auroram discedere, ut eodem vesperi in patriam pervenirent, Audiens hoc alter protestari cœpit, dicens : Ego quidem cras, cum sit dies Dominicus, Sacro inaudito nullo pacto discedam, ideo si simul abire volumus, prius Missam audiamus, ac deinde paululum cibo refecti in nomine Domini proficiscamur. Quod si Eugubium pervenire nequibimus, in Oppido Castelli diversabimus. Saluberrimo hujus consilio non acquieverunt cæteri, sed replicantes, sese postridie vesperi Eugubium omnino pervenire velle, Deumque ipsos, si pro ista vice Missam audire non possent, excusatos habiturum; sequenti die Dominico sacræ rei adesse non curantes summo mane equos conscenderunt, ac Eugubium versus iter dirigentes, ad flumen usque Corfuone appellatum, a Cisternæ oppido per duo fere milliaria distans, perrexerunt; cumque ambo ligneum pontem equis conscendissent, ut flumen, quod ob magnos, qui præcedenti nocte defluxerant imbres, valde rapidum erat, pertransirent, pons valido aquarum impetu ictus repente decidit, amboque una cum pecuniis, quas ex mercium venditione secum deferebant, justo Dei judicio demersi sunt, ac eodem puncto vitam, facultates (et utinam non animi salutem) miserrime perdiderunt : quorum corpora jam extincta a vicinis, qui illuc accurrerant, ad ripam extracta fuere, equis in tuto deductis; qui quidem pons eo tempore ad perpetuam hujus rei memoriam numquam refectus fuit. Alius, qui remanserat, socius prudentior, et timens Deum, audita Missa, et ipse alacri animo ingressus est iter, cumque ad flumen pervenisset, in duo sociorum cadavera nihil tale cogitans, ibidem prope ripam jacentia, magno animi terrore incidit, quo facto valde commotus, cognito Dei judicio, gratias ipsi Deo agens suum iter sanctius cœptum, felicius absolvit. Aug. Manni *hist. select.* c. cxlv.

S. Ludovicus Rex Franciæ, raro accidebat, quin quotidie duas Missas audiret, et frequentér tres, vel quatuor : cum autem audisset, quod nobilium aliqui murmurabant super hoc, quod tot Missas audiret, respondit, quod si duplo tempore poneret in ludendo ad aleas, et currendo per silvas pro venationibus et aucupiis, nemo super his loqueretur. *Rayn. an.* 1270, n. 19.

Erat Comes Castellæ Garsias Ferdinandez filius insignis Comitis Ferdinandi Gonzalez in oppido, quod nuncupatur Stantistenam de Garmaz. Venit contra eum Rex Cordubæ nomine Almancor cum ingenti Maurorum exercitu. Decrevit vero Comes Castellæ in crastinum pugnam inire cum Mauris; summo ergo mane Comes cum suis, Sacro audito, in pugnam prodiere. Sed inter nobiles milites quidam erat, qui dicebatur Paschual Vivas, cui tanta inerat a multis annis affectio ad Missæ sacrificium, ut, cum semel in Ecclesiam intrasset, ab ea non exiret, donec omnes Missas, quæ in illa celebrabrantur, audiret. Hic ergo solus armis circumdatus in Ecclesia, quæ divo Martino sacra erat, mansit donec octo Missæ celebratæ sunt, is enim numerus Sacerdotum Religiosorum in ea erat domo. Minister vero ejus ante Ecclesiæ januam erat tenens Domini sui equum, lanceam, et scutum, et incusabat Dominum, quod ad pugnam non prodiret. Reportata insignis victoria a Mauris est : sed omnibus visum est, solum Paschualem Vivas eam obtinuisse, quia ille vexillum Maurorum prostravit, et antesignanum eorum occidit, et plurimos alios, ita ut ei soli victoria tribueretur, cum ille in Ecclesia fuisset, nec pugnasset; pugnavit vero ejus loco Angelus Dei in ejus figura. Parta victoria, Comes Castellæ accersiri jussit Paschuale Vivas, ut ei gratias referret pro obtenta victoria. Ille vero in Ecclesia erat, nec præ pudore ad Comitem venire volebat. Adductus tandem est, apparueruntque in armis ejus et equo, ictus et vulnera, quæ visa fuerunt in eo, qui ejus personam susceperat in prælio. Ex quo omnibus manifestum factum est, propter viri illius singularem devotionem ad Missæ sacrificium, Angelum loco illius pugnasse ac hostes profligasse, quia tunc penitus devicti Mauri fuere, cum octava Missa finita fuit. Sicut ergo audiente illo Sacrum, Angelus ejus personam suscepit, et melius pugnavit, quam ille pugnasset, ita audiente te devote Sacrum, Angelus negotia tua geret, melius quam tu. *Osorius in histor.* t. IV, *conc. de Sacris. Missæ.*

S. Wenceslaus Bohemorum Rex non contentus erat Missæ Sacrificio quotidie præsto adesse, sed etiam messis et vindemiæ tempore, oblitus quasi dignitatis suæ, metebat et vindemiabat, quæ pro Sacrificio Sacerdotum manibus afferret. Surius *in vit.*

L. Thomas Morus Martyr, regni Angliæ Cancellarius, quod ad Dei cultum attinet, religiosam pene vitam ducebat; singulis diebus ante alia negotia quæcumque (studiis interdum valde matutinis exceptis) Sacrum audiebat. Quod quidem quotidianum pensum defixum habebat, stricteque observabat, ut a Rege ipso forte accersitus, quum Sacro audiendo intenderet, ad Regem iterum, et tertio vocatus venire noluerit, donec totum absolutum fuisset : vocantibus et urgentibus eum, ut relicto Sacro Regem accederet, respondebat, se meliori Domino obsequium præstare, et perficere prius oporteret. Quod memorabile factum plane simile est ei, quod Carolo Magno Imperatori exhibuit S. Ludgerus primus Episcopus Monasteriensis, vir sanctissimus. *Vita* vi.

S. Elisabeth consuevit ab adolescentia sua cum humilitate maxima Missarum semper sacris mysteriis interesse. Oculis namque fidei excellentiam ineffabilem intuens Sacramenti, ad propriæ conditionis parvitatem respiciens, ornatum corporis exteriorem, capitis, pectoris, brachiorum, digitorum, cæterorumque membrorum intra Missæ officium solvit, imminuit, inclinavit, vel penitus removit. Hora vero Evangelicæ lectionis, et canonis, et qua Dominicum Corpus, et Sanguis immolatur a Sacerdote, et sumitur, hanc humiliationem præcipue studuit exhibere. Flagrabat erga Sacramentum hoc fervore omnium medullarum, stupore admirans grandi illam charissimam dignationem, et dignissimam charitatem. *Vita* l. II, c. II.

S. Homobonus ad aram B. Virginis omnia Sacra audiebat, et ibidem post Sacrum, et communionem expiravit. *Nadas in anno Euc. hebd.* XXXVI, n. 9.

Lotharius Imperator ternas quotidie Missas audiebat. SIGON. l. II, *de regn. Ital.* l. VI, *revel.* LXXXVI.

S. Birgitta vidit ignem de cœlo super altare descendere, et in pane agnum vivum, et in agno faciem quasi hominis inflammantem, et denique in elevatione juvenem miræ pulchritudinis, qui dixit : Benedico vos credentes, non credentibus ero judex.

Anno Domini 1583, triginta ægri Japonenses in eadem domo Funai decumbentes, cum impetrassent, ut Sacrum coram ipsi legeretur, eo peracto omnes sani surrexerunt. THO. *Bozius* l. IV, *de Sienis Eccl.* II.

Capitaneus quidam Ducis Galeatii numquam ab inimicis, qui tamen illum continuo insequebantur, capi potuit, quamdiu quotidie Missam audierat; donec tandem eo semel omisso occisus est. PINELLUS l. II, *de miss.* II.

SACRIFICII MINISTERIUM. — S. Osuvaldo Episcopo Wigoriensi Missam celebrante, cum minister illius visione admiranda territus fuisset extra Sacellum, Angelus illius officium supplevit, et ad singula verba Sacerdotis de more respondit. SURIUS *in vita* XXVI.

S. Thomas Aquinas quotidie post Sacrum a se celebratum, etiam alteri celebranti ministrabat. *Idem* VII, *Mart.*

S. Mechtildis vidit animam cujusdam conversi in magna claritate, eo quod speciali devotione et studio, ubicumque poterat, ad altare serviebat. BEIRLINCK, *tit. Sacris.* f. 45.

Petrus juvenis Religiosus, cum Abbati suo ministrans; absolutionem de more devotius acciperet, vocem de cœlo dicentem sibi audivit : Dimissa tibi sunt omnia peccata tua. *Ibid.*

Joannes Rheatinus, ob ministerium sacrificantibus sedulo impensum, aliquot diebus Philomelam suaviter ante fenestras cantantem audivit, per quam se ad Paradisum invitari dixit. Hinc pauló post ad Missam ministrans, visa super altare luce divina, ægrotare cœpit, et magna cum devotione obiit. *Ibid.*

Sebastianus Rex Lusitaniæ singulis sabbatis post Missam publice auditam, privatim altari ministrabat. BERRID. *in epist dedic.* t. III.

Cum quædam virgo Missam audiret, et Sacristanus post Evangelium recessisset, dicente Sacerdote : *Per omnia sæcula sæculorum :* audivit ipsam B. Virginis imaginem respondentem. CŒSAR. l. VII, *mir.* c. XXI.

De F. Joanne Parmensi sic scribit Chronicon Minorum : Factum est, ut diuturnioribus antelucanis precationibus fatigatus, ita somno oppressus jacuerit, ut hora etiam ministrandi Sacro proxima nihilominus consopiretur. Interea vir sanctus ministrum perquirit, nec reperit; Sacris se accingit peragendis, spe ministri proxime more suo venturi. Hora constituta aderat, nec comparebat Frater, adest Angelus, et fit minister, vultu ac veste referens Religiosum. Sacrificio ad finem perducto adhuc quiescens frater, in somnis se a Fratre Joanne accersitum percipit; excitatur, Sacerdotem adit, et ait : Placetne Pater Sacrum facere? Tunc vir Dei cognovit, Angelum, non Religiosum, Sacrum ministrasse. CHRON. *min.* t. II, l. I, XXXVII.

P. Franciscus Mastrilli, dum in urbe studiis vacaret, quodam vacantiarum die ad domum abiit Professam Societatis Jesu ingressusque sacristiam, Patrem Evangelistam de Gatti, ut jamjam celebraret, procinctum reperit, sed clerico ministro destitutum; quare ille suum obtulit servitium. At discretus Pater primitus repulsam dedit, dicendo, diem illum studentium recreationi destinatum esse, ideoque tardius eum ad villam venturum cum reliquis, maxime cum ipse celebrans in Missa admodum prolixus esset, nihilominus adolescens suæ insistens petitioni, contentionem vicit, ad altare ministraturus abiit. In Memento igitur ministrum remuneraturus celebrans, ipsum efficaciter recommendavit Deo, quatenus hujus actionis merita speciali aliquo præmiaret favore. Post multos vero annorum circulos dictus Mastrilli in Goa ante S. Francisci Xaverii sepulchrum orans causam petiit, quare tot inter alios, se longe capaciores, ad illam Japoniæ Missionem, tot S. Patris prodigiis comprobatam, electus fuisset a Deo; cui respondit Sanctus, id factum fuisse in remunerationem ministerii, et servitii illius, quod ante tot annos, tali die, Neapoli præstiterat, Missæ ministrando Patris Evangelistæ, in qua Pater ille magno cum fervore oraverat pro eo; quo audito, relationem subito per litteras Neapolim eidem misit Patri, immensas pro ejus intercessione gratias agens. Et sane qui martyrii illius coronam servitio dicto radicaliter adscriberet, nequaquam a vero aberraret, præsertim si sequentis orationis secretæ enucleatius considerentur verba. In tuorum, Domine, pretiosa morte justorum Sacrificium illud offerimus, de quo martyrium omne sumpsit principium. Mansi *disc.* x, n. 3.

Fuit in civitate Suvolensi meo tempore (inquit Thomas a Kemp.) civis quidam, Hermanus de Oever nomine, dives et honestus, pius et misericors super pauperes, atque in hospitali S. Spiritus fidelis infirmorum, et egenorum procurator. Hic quadam turbatione orta in civitate contra eum, et quosdam concives ejus, confugit ad Monasterium nostrum in monte S. Agnetis virginis, hospitandi gratia. Qui pro sua probitate, et mansuetudine susceptus est, et benigne tractatus cum multa charitate, et fraterna benevolentia. Modico autem tempore transacto, didicit *Confiteor* legere, et Sacerdoti ad Missam ministrare, licet jam senex esset, et litteras penitus ignoraret : quod cum tanta diligentia, et devotione fecit, ut aliis aliunde occupatis, sæpe bis vel ter uno die Sacerdotibus ad Missam libenter et alacriter ministraret. Siquidem venerabili Patri nostro Wilhelmo Vorm. Ker, tunc temporis Priori domus nostræ, speciali amatori S. Agnetis, frequenter infra summam Missam, choro canente, ipse retro in Ecclesia, superpelliceo indutus, magno cum affectu ministravit. Nondum enim sua resignaverat, sed sicut hospes et amicus fidelis inter fratres in ambitu claustri habitabat. Thomas Kemp. p. 3, *ser. ad Novit.* vii, n. 21.

Pœnæ indigne sacrificantium. — In Teutonicis partibus Presbyter quidam, dum religiosam vitam agere videretur, et pene quotidie sacra Missarum solemnia celebraret, dumque sibi minus caute provideret, hostis antiqui insidias incurrit, et in turpem sed occultam peccati foveam, carnis delectationem, delapsus est. Sanctimonialem namque quamdam, dum imprimis visitationis gratia adiret, ad postremum assiduitate colloquii, et incauta familiaritate allectus, miserabili casu in illam incurrit. Qui cum post lapsum ad cor redire, et quam citissime redire debuisset, propriis fæcibus delectatus diu converti distulit, et peccatum peccato adjungens, usum peccandi fecit, sicque longum funem, quo arctius stringeretur, assidue peccando contexuit. Cumque in luto scelerum volutaretur, non verebatur tamen ad altare Domini irreverenter accedere, et Sacramenta redemptionis nostræ, Missam frequentius celebrando, temerare. Quod cum longo tempore, abjecto Dei timore, agere non formidaret, iram pariter, et misericordiam Domini, ut subjecta declarant, erga se miserabiliter persensit. Nam cum, et scelus non desereret, et Sacra divina impuris manibus (ut sæpe dictum est) attrectaret, contigit quadam die, dum usque ad perceptionem sacri Corporis Christi, totam de more Missam explicasset jamque se ad Sacramenta ipsa sumenda pararet, repente Caro Christi cum Sanguine, tam immundum ultra non ferens habitaculum, ab ipsius jam pene tenentis manibus evanuit : admirans ille, et obstupescens, ab altari citissime, missa finita, recessit. Cumque indignationem Domini, tam evidentis signi ostentione, circa se commotam cognosceret, volens tamen hoc certius comprobare, secundo Missam aggressus est. Cui universa, ut prius, peragenti, cum ad Sacramenta sumenda ventum esset, simul omnia, ut prius, subtracta sunt. Jam vero, ut dignum erat, in metum et trepidationem non modicam perductus, ut de toties repetito miraculo jam absque ulla hæsitatione certissimus redderetur, tertio quoque, quod jam bis contigerat, attentare veritus non est : sed, cum omnibus, ut ante, peractis, jam solicitior, quæ apposita erant, oculis observaret, et manibus contrectaret osque ad sumendum aptaret, subito oculis, manibus, et ori, tertio invisibiliter sublata disparuerunt. Tandem igitur tam evidenti miraculo tremefactus Presbyter, se pessime egisse, seque terribilem Dei iram incurrisse, absque ulla dubitatione cognoscens, et qualiter evadere ex tanto periculo posset, solicitus cogitare cœpit. Ultimum ergo peccantibus remedium esse sciens pœnitentiam, id eam toto corde confugit, et proprium Episcopum adiens, ei cuncta, quæ fecerat, quæque contigerant, cum lacrymis multis patefecit, impositumque sibi ab eo laborem pœnitendi toto animi nisu, tam devote, quam constanter, exercuit. Jejuniis namque, et vigiliis, verberibusque et variis cruciatibus, jumentum lasciviens, hoc est, corpus suum, secundum Apostolum, castigans, qui concupiscentias suas sequendo reprobus factus fuerat, eas in se ipso damnando electorum numero adjungi elaborabat. In qua corporis et cordis contritione multo tempore emenso, cum ejus mentem de venia præsumere securior jam conscientia suaderet, adiit Episcopum, et quid egerit indicans, utrum, ut ante consueverat, ad Sacra accedere auderet, consulit. Qui nondum plene Deo reconciliatum metuens, ut adhuc pœnitentiæ insisteret, admonuit, quatenus dignis pœnitentiæ fructibus Deo exhibitis, purgatior et securior congruo tempore, altaris Sacramenta, non ad judicium, sed ad salutem percipere posset æternam. Acquievit ille salubri admonitioni, et ad propositum pœnitentiæ reversus, tota carnis et spiritus virtute ad fores divinæ pietatis pulsabat, et spiritu contribulato, lacrymisque indeficientibus, iram Domini in misericordiam converti cogebat. Quid multa? longo rursus temporis spatio in hac pœnitudine transacto, ad Episcopum rediit, eique ut patri secreto cuncta pandens ut Sacramentorum particeps esse meretur, suppliciter deprecatus est. Cujus conversionem jam Deo acceptam, tam ex his, quæ ab eo audiverat, quam ex his, quæ in eo videbat, confidens, ut Sacerdotale officium aggrederetur, assensit. Quod ille de Domini bonitate, et conscientiæ testimonio confisus, non jam præsumptione, sed devotione implere curavit. Accedens itaque ad altare, totumque se lacrymis et contritione cordis immorans Deo, usque ad perceptionem Sacramentorum universa rite peragens pervenit. Et ecce novo et inaudito nostris dumtaxat sæculis miraculo, trium ante dictarum Missarum panes, qui indigne sumere volenti sublati fuerant, cœlitus allati sunt, eoque jam divino judicio ad hæc sumenda digno facto, ante eum super altare positi apparuerunt. Cumque etiam oculos in calicem admovisset, conspexit pene usque ad summitatem sanguine repletum, et illarum Missarum detrimenta ad istius provenisse augmenta. Admiratus igitur, et toto hominis interioris jubilo Deo gratias agens, suamque pœnitentiam susceptam, ac Domini Majestatem placatam cognoscens, certus factus est de Domini misericordia, et qui unum apposuerat, quatuor panes, immo unum Christi Corpus et Sanguinem cum multa ut dignum erat, exultatione percepit. Breden, *bach.* l I, XLV.

In vita Hugonis Lincolniensis Episcopi, qui ante trecentos annos virtutibus pastoralibus ornatissimus apud Anglos floruit, sic Surius ex antiquo scriptore scribit : In villa, inquit, quadam Sacerdos erat vitæ valde dissolutæ; quem hoc ordine divina bonitas ad pœnitentiam vocavit. Celebrans ille Missarum solemnia, manibus cœpit indignis Regem tractare majestatis : cumque venisset ad illum locum, ubi hostia frangenda erat, sanguis protinus emanavit; territus ille, vitam mutavit in melius, cunctisque audire volentibus factum publicavit. Accidit autem B. Hugonem per eam villam iter facere, Sacerdotemque accersitum, non propter miraculum, sed ob vitæ sanctitatem, de quibusdam spiritualis vitæ studiis interrogare. Tanta enim pœnitentiæ austeritate pristinam vitam jam correxerat, ut sanctum eum fama cunctis proclamaret; cumque sancto Episcopo narrasset prodigium, quod ipsi acciderat, hortatus est eum ut cruorem ipsum tamquam veritatis testem inspiceret, sed penitus non acquievit. Quinimo famulis suis idem suggerentibus ita fertur respondisse : Habeant ipsi signa infidelitatis suæ; nobis autem, qui vere credimus, sub speciebus sacramentalibus verum Corpus, et Sanguinem Christi contineri, signa quid proderunt? Quosdam etiam abire volentes, ut viderent, durius objurgabat, quod non devotione, sed curiositate id facerent, siquidem scriptum noverat : *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* Surius, 17 *Nov.*

In Paraquaria, cum puer quidam decennis Missam die festo neglexisset, coætanei pueri in foro concilium congregantes, convitiis, pugnis ac verberibus, velut dæmonis mancipium, afficiebant, et ne contaminarentur, a suo cœtu proscribebant. *Annuæ Paraquar.* 1627.

Perusiæ, cuidam die festo Sacrum audire nolenti Dæmon cervicem frangens dixit : Quia noluisti audire Missam in Dei templo, audies lamentationes in inferno. Sfortia de Massa. l. II, c. xx, n. 4.

Regis Congensis socero christianis adscripto tanta erat Divini hujus Sacrificii reverentia, ut, cum Sacerdoti Sacris operam danti puer unus ex asseclis, ad sacelli fores licentiori joco inter sodales obstrepuisset, eum juberet e vestigio morte mulctari : nec evasisset, nisi adolescentis minime mali nondum satis maturam ætatem obtendentes intercessissent. *Idem anno* 1484.

Cum auriga impiæ Drahomiræ Boleslai Regis nutricis forte audiens pulsari in vicino templo ad elevationem, e curru descendisset ad videndum et adorandum Domini corpus, Drahomira eum execrans una cum curru et sociis absorpta est. SURIUS, *in vita S. Venceslai*, c. XVII.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius dicendo Missam adeo inflammabatur, ut tota ejus facies ruberet instar cancri cocti : tantoque ardore æstuabat, ut quandoque ab altari alienis manibus deportari in cubiculum debuerit, unde nisi validis esset viribus, sacrificare non poterat. Semel in die natali duo continua Sacra legens, in lethalem morbum incidit. LANEIN. *opusc.* XIII, n. 55.

S. Franciscus Xaverius, cum ad consecrandam, et sumendam Eucharistiam venisset, manantibus gaudio lacrymis ora complebat sinumque. Tantus porro Divinæ pietatis sensus in pronuntiatione, vultu, totoque corpore eminebat, ut in circumstantes redundaret, eosque pia quadam admiratione defigeret, rerum omnium oblitos. Nec defuerunt, qui dicerent, eum, cum rem divinam faceret, sublatum a terra visum. *Vita.* l. c. V.

S. Franciscus Borgia sacris operaturus, horas aliquot precationi impendere, seque probe excutere solebat. Quotidie item confessus rem divinam faciebat. In media liturgiæ parte, lacrymas illi ubertim fluere solitas observatum. Post Sacrum gratias diutius agere solebat, ut non nisi ægre ad prandium, et cum suspiriis duceretur. Iter faciens, quo Sacrificium Missæ facere liceret, vel ad duo milliaria a via decedere non dubitabat, et diversorii incommoda libenter ferre, ut Sacris operari postridie liceret. *Vit.* l. IV, c. IV, n. 11 et 14.

P. Petrus Faber liturgiam omnem distinguebat in tres partes, quæ tribus temporibus Christi responderent. Prima ab exordio usque ad consecrationem, tempore ante adventum : altera ad communionem, commorationi in terris : tertia ad finem ultimum, tempori ab ascensu. Atque in singulis partibus, hisce consentaneas temporibus exercebat petebatque virtutes. *Vit.* l. II.

P. Leonardus Lessius simul ac primo mane e strato abierat, meditando, orando, suspirando, eo usque se occupabat, dum a ministro sub horam septimam ad Sacrum evocaretur. Interea nec litteras ad se delatas reserare, nec colloquium nisi necessarium admittere, nec cubiculo, vel aspera etiam hyeme abire, ne forsan alienæ cogitationes obreperent. Is erat sacrificantis habitus, qui adstantes ad compositionem, devotionemque permoveret; vultus hilariter modestus, oculi pie demissi, incessus gravis, statura erectus, inclinatio profunda, pronuntiatio integra, distincta, clara, affectu plena. Animo sic præsens erat viresque omnes ita expendebat, ut oppido lassus, finito Sacrificio vix consisteret. A Sacrificio per horam integram cum sancto, quem receperat, Hospite, se occupare solebat. Vidisses illum in ipso Sacrificio præ doloris acrimonia, quem commoti calculi procreabant, dentibus infrendere, ingemiscere, lacrymari, contorquere membra; pergebat tamen generosus luctator, donec peracto Sacrificio non sine sudore, et interdum non sine sanguine victoriam referret. C. III, *Vit.* c. XI.

P. Ludovicus de Ponte tantum hujus cibi desiderium habuit, ut annis quadraginta quinque, una solum die, paulo ante mortem abstinuerit non absque dolore. Fassus est autem, sub Sacrificio animam suam tam copiosis deliciis fuisse perfusam, ut in ipsum corpus redundarint, alias vero repentinis motibus amoris, humilitatis, laudis, et aliis non sine teneritate cordis commoveri, ita ut exclamare cum Regina Sabæa posset : Beati servi tui, qui hic stant coram te semper. *Vit.* l. II, c. IX.

P. Balthasar Alvarez magna se diligentia ad Sacrificium Missæ præparabat, studendo maximam conscientiæ suæ puritatem habere : sæpius eam in die examinans, suosque defectus frequenter confitens, et aliquid temporis recollectioni tribuens, antequam ad celebrandum accederet. Numquam illud intermittebat, etsi multæ occupationes, et impedimenta, imo et incommoditates, ac magna pericula in itinere intervenirent. Faciebat autem diu, et cum tanta quiete, ac devotione ut etiam in auditoribus eam excitaret. Et quidam e nostra Societate fassus est, se, cum sæcularis esset, ad eam ingrediendam fuisse permotum, cum videret devotionem, modestiam, gravitatem, ac tantam totius hominis compositionem in officio Divino, quod in sacra hebdomade peregit. Et S. Theresia audiens quondam Sacrum illius, vidit eum toto tempore, quo Sacrum durabat, habuisse in capite diadema quoddam magni splendoris, indubitatum indi cium magnæ charitatis ac devotionis internæ, qua Sacrum faciebat. *Vit.* c. VI, § 1.

P. Jacobum Alvarez celebrantem visus est Christus suavissime amplecti, et fassus est ipse, affectus vehementia se jam prope fuisse confectum. *Biblioth. Script.*

P. Gonzalus Sylveriæ tanto affectu Missam celebrabat, ut quandoque in extasim raptus, quid, quove loco dicendum esset, a ministro quærere cogeretur; quandoque vero a se abstractus, relicto sacrario, sicut erat sacris vestibus indutus, ad cubiculum perrexerit. *Vit.* l. III, c. I et II.

P. Sebastianus Barradius ad Missæ celebrationem se plerumque duabus aut tribus horis, orando, examinando præparavit. Post Sacrum, longissimum tempus ad prandium usque protrahebat; in ipso Sacro horam ad minimum insumebat, cumque ad communionem veniret, tum vero sacram hostiam tremulus tenens, colloquio suspiriis interrupto, totum se lacrymis madefaciebat. *In narratione itinerario præfixa.*

P. Franciscus Suarez Sacris operabatur quotidie, etiam in itinere; neque illum aut viarum labor, aut hæreticorum loca amovere poterant. Dicenti alicui laboriosum esse quotidie Sacrum facere : Minime, respondit; quæ enim alia hora in vita plenior est solatii, et voluptatis? ea quoties carere cogor, exarescit animus, divina dulcedine destitutus. *Vita. to. de Angel. præfixa.*

Joannes Berckman jussus ministrare Sacerdoti incommoda studiis hora pluribus id mensibus egit, nihil umquam questus. Alias Patri ægro inservire jussus, qui Sacris incerta pro valetudine hora operabatur, cum æditius molestiam illius dolere diceret : At mihi, inquit, numquam molestum est Sacris ministrare. *Vit.* pag. 134, par. I.

Novi ego in Societate unum, inquit Nicolaus Lancizius, cui Sacrum devotissime dicenti, visi sunt duo Angeli ministrare instar diaconi et subdiaconi, et dum elevaret S. hostiam, manus ejus sustentare, dum attolleret. *Opusc.* XII, l. II, n. 210.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut scriptura, quam facit ludimagister ducens manum rudi puerulo, non est deterior ea, quam facit ducens manum alteri scribendi gnaro, nec eleemosyna domini dantis deterior est, si famulus, per quem eam distribuit, est improbus; ita nec Sacrificium Missæ minus efficaciæ habet, etsi per Sacerdotem improbum offeratur. FABR. *conc.* IV, *in Dom.* I, *Pent. C.*

Sicut Rex in suo palatio vult omnia se digna, famulos scilicet, vestes, et vasa; ita Christus quoque in sacrificio suo non nisi mundissima quæque, et nitidissima desiderat. *Ibid. litt. D.* n. 8.

Sicut posito corpore Christi in sepulchro adstitisse leguntur Angeli; ita etiam consecrationi Dominici corporis assistere sunt credendi. S. CHRYS. *hom.* III, *in* c. I, *Eph.*

UTILITAS. — Sicut Christus orando pro nobis in cœlo, et vulnera sua Patri ostendendo impetrat nobis gratiam ad omnia; ita cum ejusdem passio Patri repræsentatur in sacrificio, impetrat et alia quæcumque beneficia, FAB. *conc.* VII, *in Fer.* I:I, *Pentec.*

Sicut Job per singulos dies offerebat Deo holocausta, ut, si forte filii ejus peccaverint, eisdem propitiaretur; ita, et Ecclesia quotidie gratissimum Sacrificii Missæ holocaustum pro salute filiorum offert. *Anonym.*

DIGNITAS. — Sicut sole oriente stellæ se abscondunt, quia earum lumen a sole mutuatum in ipso eminenter continetur; ita sacrificio legis novæ incipiente, sacrificia veteris legis desierunt, quia horum omnium excellentia et virtus in illo eminenter continetur. *Concill. Trid. sess.* XXII, c. I.

Sicut is, qui cuprea, aut argentea moneta oblata est, facile illas spernit, si aurea illi offeratur; ita quia Sacrificium novæ legis continet omnes excellentias antiquorum, omnia illa fastidit Deus, et hoc solo delectatur. FABR. *conc.* IV, *in Do.* I, *post Pent.* c. I.

MOTIVA.

NECESSITAS. — Nam, teste S. Paulino, ubique prætenti latent laquei, ubique stricti sunt gladii; inter insidias et pugnas vita transigitur, et per ignes doloso cineri suppositos ambulamus; merito ergo Sacrificio indigemus, per quod a tantis periculis liberemur, et contra lapsum roboremur. *Epist. de gazoph.*

UTILITAS. — Nam 1. hujus oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedit, et crimina ac peccata ingentia dimittit, teste Tridentino. 2. Etiam pœnam temporalem peccatis debitam remittit; non enim, ut idem concilium ait, solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offertur. (*Sess.* XXI, c. II.) 3. Impetrat quascumque gratias, tum spirituales, tum temporales, tum quia Christus in hoc Sacrificio omnia sua merita Patri æterno offert, tum quia omnibus, qui Sacrificio assistunt aut cooperantur, intercedit, tum quia totius Ecclesiæ, et privatæ cujusque pecces, Christi meritis et precibus unitæ concurrunt. 4. Compensat, quatenus Eucharisticum, gratitudinem, quam Deo pro innumeris beneficiis debemus. *Ibid.*

DIGNITAS. — Quæ colligitur tum *ex re oblata*, scilicet Christo, quo nihil est excellentius, uti B. Virgo S. Birgittæ revelavit dicens : Humanitas Christi fuit in meo corpore, et suscepit de me carnem et sanguinem : ideo ipsa est res pretiosissima, quæ umquam fuit, et est. (L. I, *revel.* c. XIII.) Tum *ex persona offerente :* non enim, ut S. Chrysostomus ait, sunt humanæ virtutis opera hæc, quæ proponuntur; qui tunc ipsa fecit in illa cœna, idem et nunc quoque facit. Nos ministrorum tenemus locum; qui vero sanctificat ea et immutat, ipse est. Laice, cum Sacerdotem videris offerentem, ne ut Sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam. (*Ho.* LXXXIII, *in Matth.*) Tum *ex persona cui offertur :* qui est solus Deus : Quia per Sacrificium hoc testificamur, inquit S. Thomas, Deum esse primum creationis principium, et ultimum beatitudinis finem, atque supremum rerum omnium Dominum, cui in signum debitæ nostræ subjectionis et honoris, aliquod sensibile offerimus, ad significandum per rem sensibilem oblatam, interius spirituale Sacrificium, quo anima seipsam offert Deo in sacrificium, sicut principio suæ creationis, et sicut fini suæ beatificationis, quod nulli creaturæ convenire potest. (II, II, q. LXXXV, ar. 1 et 2.) Unde non constituimus, inquit concilium Tridentinum, Martyribus templa, sacerdotia, sacra, et sacrificia; quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. (*Sess,* XXI, c. II.) Tum *ex ipsa oblatione :* quia substantia tota destruitur, accidentia manent sine subjecto, Christi Corpus, et Sanguis, et Anima, et tres Personæ Divinæ constituuntur intimæ præsentes, et quidem in quavis minima particula aut guttula, et præter hæc omnia, a sumente non concisus, non confractus, non divisus, integer accipitur. Nulla rei fit scissura, signi tantum sit fractura, nec signatus minuitur, ut S. Thomas loquitur. (*In sequent. festi corp. Christi.*) Tum *ex ipsa repræsentatione :* nam, teste Tridentino, una eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa, quia in Divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur. *Sess.* XII, c. II.

MEDIA.

Altissimum sensum de sacrificii hujus præstantia concipere, eumque in finem sibi persuadere, quod per unius Sacrificii oblationem gratius præstetur Deo obsequium, quam si omnes possibiles virtutum actus eliceret, et omnia excogitabilia tormenta ex amore Dei quis sustineret. Hinc Urban. VIII, in quodam diplomate ait : Si quid est in rebus humanis plane Divinum, quod nobis superni cives (si in eos invidia caderet) invidere possent, id certe est sacrosanctum Missæ Sacrificium, cujus beneficio sit, ut homines quadam anticipatione in terris possideant cœlum, dum ante oculos habent, et manibus contrectant ipsum cœli terræque Conditorem. Quo magis est mortalibus laborandum, ut hoc tantum privilegium cultu, atque honore debite tueantur, caveantque Angelos negligentiæ osores, qui sunt æmuli venerationis. *In Missa novo anno* 1634, *recognitio.*

Firma fide credere, eum ipsum nunc decretis per consecrationem adduci, tangi, adorari, manducari quem ipsa B. Virgo in utero suscepit, peperit, lactavit, et educavit.

Imaginari sibi, quod tempore Sacrificii B. Virgo Filium suum, licet panis specierum Eucharisticarum involutum, perinde in manus offerat, ac olim S. Francisco, B. Stanislao, aliisque Sanctis obtulit.

Considerare se Angelis Sacrificio assistentibus circumdatum, et supra se Patrem æternum summo cum desiderio expectantem hujus Sacrificii gratissimi oblationem.

Ex una parte considerare, quot beneficiis a Deo acceptis ad grati animi officium obligetur : quot peccatis eumdem offenderit, quantisque necessitatibus tum spiritualibus, tum corporalibus prematur; ex altera vero parte ponderare, quod hoc sic Sacrificium Eucharisticum, Propitiatorium, et Pacificum perfectissimum, per quod omnes prædicti fines modo excellentissimo obtineantur.

Frequenter animo versare exempla Sanctorum Sacerdotum, summo cum fervore, ac devotione hoc Sacrificium offerentium, ut vel horum calore tepiditas animi in sacrificio hoc offerendo concepta inflammetur, et incalescat.

ASCETICA.

Novem præcipue specialiter circa Sacrificium Missæ bene cognoscere, aliisque inculcare debet Asceta. Primum est, ut bene cognoscat necessitatem sacrificiorum in quavis lege institutorum, quam quidem bene ostendit Sanct. Thomas dum ait : Naturalis ratio dictat homini, quod alicui superiori subdatur propter defectus, quos in se ipso sentit in quibus ab aliquo superiori eget adjuvari et dirigi, et quidquid illud sit, hoc est, quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem, ut ei, quod est supra homines, subjectionem, et honorem exhibeat secundum suum modum. Est autem modus conveniens homini, ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit, et ideo ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitæ subjectionis et honoris, secundum similitudinem eorum, qui Dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Qua supposita veritate, sequitur naturaliter, quod homo ad suam Deo exhibendam protestandamque subjectionem, sacrificium ei offerre debeat. Quale autem Deo gratius, efficacius, utiliusque, quam hoc incruentum, offerri poterit, quod omni momento (utpote juge sacrificium) Ecclesia sancta per suos offert filios? S. Thom. II, II, q. lxv, a. 1.

Secundum est, ut bene cognoscere studeat discrimen inter sacrificium Crucis, et Missæ; quod quidem Tannerus sequentibus verbis assignat : Sacrificium crucis erat meritorium, satisfactorium, et impetratorium, vere, et proprie : quia Christus tunc mortalis erat, et mereri, et satisfacere poterat. Sacrificium Missæ proprie solum est impetratorium, quia Christus nunc immortalis, nec mereri, nec satisfacere potest. Cum autem dicitur propitiatorium, vel satisfactorium, id intelligendum est ratione rei, quæ impetratur. Dicitur enim propitiatorium, quia impetrat remissionem culpæ ; satisfactorium, quia impetrat remissionem pœnæ; meritorium, quia impetrat gratiam benefaciendi, ac merita acquirendi. Tann. tr. IV, d. v, q. ix, dub. iv, n. 84.

Tertium est, ut dignam de hujus Sacramenti efficacia æstimationem concipiat: de qua Osorius sic loquitur : Statim ut placare possis Deum, placa eum munere dato ingenti, offer illi Christum, ejus merita, et satisfactionem. Plus ille Patri placuit, quam tu displicere potueris, et universus mundus. Dic ergo Patri : Indignus ego venia sum; peccavi super numerum arenæ maris : sed ecce, Filium tuum, quem mihi dedisti, tibi offero, qui plus tibi placuit, quam ego displicuerim, majora ejus sunt merita, quam peccata mea. Osor. *tom.* IV, *de Sacrificio.*

Quartum est, ut bene cognoscat, summam ad hoc Sacrificium digne offerendum puritatem requiri, cujus necessitatem S. Epiphanius sic ostendit : Serpens, cum venerit ad bibendam aquam; priusquam bibat, extra fontem evomit venenum suum, et postea bibit : ita et nos, quando ad altare Dei accedimus, seponamus venenum pessimum; venenum vero animarum nostrarum est odium, invidia, rapina, concupiscentia carnalis, et omnia alia peccata, quæ æternam nobis mortem conciliant. Omnes domestici ad Jacob Patriarchæ familiam spectantes, mox ut altare illud erigendum esse intellexerunt, promptissimam Jacob exhibuerunt obedientiam; dicit enim Textus : *Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, et inaures, quæ erant in auribus eorum; at ille infodit ea subter terebinthum.* Quo exemplo omnes merito incitari deberent Christiani, ut sacro altari cum fructu assistere possent, sepeliendo subter terebinthum, id est, sub arbore crucis, omnis inordinati affectus idolum ; Missa etenim nihil est aliud, quam viva quædam effigies, et representatio Sacrificii cruenti, et crucifixionis Christi (S. Epiph. *hær.* xxxvii.) Quod confirmans S. Augustinus apte declarat mysterium, cur sancta Mater Ecclesia fideles, omnibus diebus festivis et solemnibus, quibus ad Missam audiendam singuli obligantur, ab operibus servilibus abstinere, et feriari voluerit : nimirum ut ab omni negotio, et strepitu mundi expediti, tanto possent promptius vacare animarum saluti : Sciendum est, inquit, quod ideo a SS. Patribus constitutum est Christianis, et mandatum, ut in solemnitatibus Sanctorum, et in Dominicis diebus otium haberent, ut a terreno negotio vacarent, et paratiores ac promptiores essent ad divinum cultum, relinquerentque eo tempore terrenam solicitudinem.

Quintum est, ut bene cognoscat reverentiam, qua par est Sacrificium hoc administrari, quam optime insinuavit S. Franciscus Seraphicus, dum suos his verbis est allocutus : Videte, Fratres Sacerdotes, dignitatem vestram, et estote sancti, quia ipse sanctus est : et sicut super omnes propter hoc mysterium honoravit vos Dominus Deus, ita et vos propter hoc mysterium diligite eum, reveremini, et honorate. Magna miseria, et miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, et aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et totum cœlum exultet, quando super altare in manibus Sacerdotis est Christus Filius Dei vivi. O admiranda altitudo, o stupenda dignatio, o sublimitas humilis, quod Dominus universitatis Deus, et Dei Filius sic se humiliat, ut pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat! (*Opusc. S. Franc. Seraph. to.* I, *epist.* XII.) Cui adstipulans Cæsarius : Si Sacerdos legalis, inquit, oraturus pro salute populi, solus ingrediebatur in sancta sanctorum, et omnis populus, sicut de Zacharia legitur, erat foris expectans horam incensi, ne orantem impediret? quanto magis Sacerdos gratiæ, qui jam non corruptibile pro una gente Sacrificium, sed pro totius mundi salute, Patri offert Filium, summam in altari pacem requirit, et silentium? Unde B. Ambrosius post Evangelium monere solebat populnm, ut a tussi, et omni inquietudine se temperaret tempore canonis. Magna profecto miseria, inquit S. Anastasius, magna socordia nostra est; nam cum in omni orationis ac deprecationis genere intentos nos ardentesque esse oportet, tum vero, vel maxime in illa divinorum operatione mysteriorum, et hujusmodi synaxi cum timore ac tremore assistamus Domino. Nunc autem neque pura oratione, neque contritis mentibus sensibusque offerentes utimur, lites, causas, resque vanissimas his inconvenientibus agitamus. (S. Anast. *de sac. Synaxi.*) Unde recte concludit concilium Braccarense : Cum omne crimen, atque peccatum oblatis Deo Sacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa Sacrificii oblatione peccatur? *Consil. Braccar. sess.* III, c. 1.

Sextum est, ut bene cognoscat, quantum dematur de fructu Sacrificii hujus, si per malum Sacerdotem offeratur ; qua de re sic loquitur S. Bonaventura : Omnes Missæ sunt æque bonæ, quantum ad opus operatum, una tamen est melior altera, quantum ad opus operantis. Unde melius est audire Missam boni Sacerdotis, quam mali, sicut in mensa corporali eumdem cibum jucundius accipimus a mundo ministro, quam ab immundo. Unde Sanctus Ambrosius sic Deum allocutus est; Quoniam me peccatorem inter te, et eumdem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditæ non recuses, ne per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse redemptio. Ad quam veritatem confirmandam non parum conducet sequens exemplum, quod in vitis Patrum hunc in modum refertur : Solitarium quemdam statis temporibus convenire solebat certæ cujusdam Basilicæ Sacerdos, ut in Missa coram eo celebrata eumdem communicaret. Hic vero solitarius tandem audita ab alio quodam sinistra de hoc Sacerdote relatione, sinistrum quoque et ipse de eo formavit judicium : ac proinde cum idem Sacerdos pro sua consuetudine reverteretur ad dicendam Missam, et Eucharistiam Solitario ministrandam, bonus Eremita jam de hoc Sacerdote scandalizatus, eum a se repulit, nec ostium cellæ aperire voluit, quo viso Sacerdos recessit. Et ecce vox facta est ad Solitarium dicens : Tulerunt sibi homines judicium meum; et factus est velut in excessu mentis, et videbat quasi puteum aureum, et situlam auream, et funem aureum, et aquam bonam valde; videbat autem, et quemdam leprosum haurientem, et refundentem in vase, et cupiebat bibere, et non poterat, quia leprosus esset ille, qui hauriebat, et iterum vox ad eum dicens : Cur non bibis ex aqua hac? quam causam habet, qui implet? Implet enim solummodo, et effundit in vase. In se autem reversus Solitarius, considerans virtutem visionis, vocavit Presbyterum, et fecit eum, sicut et prius, sanctificare sibi oblationem. S. Ambr. *or. præp. ad Miss., ser.* IV.

Septimum est, ut bene cognoscat finem, et *scopum, ob quem hoc Sacrificium a Christo institutum est.* Pro quo melius cognoscendo sciendum ex S. Thoma, triplex olim sacrificiorum genus fuisse; 1. *Holocaustum,* quod totum comburebatur, ut significaretur, quod, sicut totum animal resolvebatur in vaporem, ita totus homo Dei dominio subjectus esse debet. 2. *Sacrificium pro peccato :* cujus una pars comburebatur, altera in usum Sacerdotum cedebat, ad significandum, quod hæc expiatio Sacerdotum ministerio fiat. 3. *Hostia pacifica :* quæ Deo, vel pro gratiarum actione, vel pro salute, et prosperitate offerentium, ex debito beneficii accepti, vel accipiendi, offerebatur, ideoque pars una Deo, altera Sacerdoti, tertia offerenti cedebat. His ergo tribus sacrificiorum generibus nunc Sacrificium Missæ respondet, holocausto quidem, quatenus *Latreuticum*; sacrificio pro peccato, quatenus *Propitiatorium;* hostiæ pacificæ; quatenus *Eucharisticum,* vel *pacificum* est : cui triplici fini ex institutione Christi quartus accedit, scilicet ut sit *memoriale* Passionis illius, juxta illud Christi mandatum : Hoc facite in meam commemorationem. Luc xxii, 19, t. II, qu. cii, 3, *ad* viii.

Octavum est, ut sciat solidum, et utilem modum, hoc sacrificium cum debita reverentia fructuque offerendi; qui quidem modus in tribus fere capitibus consistit : 1. *In digna præparatione :* quæ duplex est, remota, et proxima. Prior consistit tum in piissimo et sublimissimo sensu erga hoc divinissimum mysterium acquirendo : tum in assiduo conatu proficiendi in vitæ puritate, et sanctitate : tum in congruis gratiæ auxiliis ad hoc SS. Sacramentum sancte tractandum frequenter implorandis. Posterior consistit, tum in puritate conscientiæ per confessionem vel contritionem procuranda, et in propositi ac fervoris sancta sancte tractandi per pia suspiria instauratione. 2. *In digna celebratione :* quæ tria requirit, nimirum ut pronuntiatio, et quæcumque exterior actio non minus ædificationi aliorum, quam propriæ devotioni serviat; ut eæ, quæ libertati Sacerdotis relinquuntur, actiones (uti sunt commemoratio vivorum, et defunctorum, adoratio hostiæ, et calicis, meditatio post sumptionem hostiæ) ad finem ab Ecclesia institutum dirigantur : ut in orationibus, et reliquis verbis ab Ecclesia in missali præscriptis affectus inclusi, maxime profundæ demissionis, reverentiæ, amoris in adorando, et tangendo Christi corpore eliciantur. 3. *In digna gratiarum actione post Sacrificium peractum :* quæ consistit tum in ardentibus amoris, fidei, aliarumque similium virtutum actibus eliciendis : tum in oblatione corporis et sanguinis Christi et sui ipsius cum omnibus potentiis, uti Thomas Kempensis loc. cit. pulchre ostendit, (L. IV, c. viii et ix.) tum in suis, et aliorum necessitatibus commendandis, ut idem Auctor cit. c. ix, docet.

Nonum est, ut sciat etiam solidum modum applicandi hoc Sacrificium, pro quo quidem quatuor agenda suadet Gavantus : 1. Ut intendat omni meliori modo prodesse iis, quorum Ecclesia in canone meminit, videlicet totius Ecclesiæ, Papæ, Episcopi ordinarii, circumstantium etc. 2. Ut provideat sibi de portione quoque debita, quam Theologi specialem vocant, nisi malit eam, quatenus remissionem pœnæ temporalis involvit, alteri transcribere. 3. Ut suffragari intendat maximo, quo potest affectu iis, quibus vel titulo stipendii, vel obedientiæ, vel alio simili obligatur. 4. Ut aliis etiam, quantum sine præjudicio priorum fieri potest, prodesse studeat, eosque specialiter Deo commendet. P. 8, tit. viii, *litt. p.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine,* (I. *Cor.* xi, 25.)ostendi potest veritas Sacrificii, et cum testamento comparari. 1. Quia in vitæ fine a Christo ex amore suorum liberorum erectum est, ut testatur S. Joannes dicens : Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. (C. xii, 1.) 2. Quia habuit omnes solemnitates, et est coram duodecim Apostolis, velut testibus, factum, ut septem validis rationibus, ad illius veritatem demonstrandam aptissimis, velut septem sigillis roboratum est, nempe testimonio legis veteris, legis novæ, Ecclesiæ, SS. Patrum, miraculorum, diaboli, tanto conatu illud nequicquam evertere molientis, hæreticorum tum illud olim agnoscentium, tum frustra futilibus suis rationibus impugnantium, quæ vide apud Fabrum conc. iii, in Dom. ii, post Pentecost, fusius explicata. 3. Quia nullum ex hæredibus præterivit, sed omnes summa cum charitate inclusit, et, quantum erat ex se, æquales hæredes instituit. Unde facile patet, quanti faciendum sit hoc testamentum, quantoque affectu amoris et gratitudinis sibi applicandum.

Ex occasione thematis : *placebit Domino Sacrificium Judæ et Jerusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui* (MALACH. v, 3.) potest ostendi præstantia Sacrificii ex eo, quod omnes fines, et excellentias veterum sacrificiorum perfectissimo modo in se continet. Et 1. quidem sit *Sacrificium laudis* Deo gratissimum, utpote quo magis honoratur et delectatur, quam omnibus quorumcumque Angelorum aut hominum laudibus. 2. Sit Sacrificium *Eucharisticum :* quo nihil præstantius in grati animi signum offerri potest, unde S. David in spiritu hoc cognoscens dixit : Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam. (*Ps.* CXV, 13.) 3. Sit Sacrificium *Propitiatorium :* cujus oblatione placatus Dominus gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit; perinde ut olim Esau fratris sui Jacobi muneribus placatus est. *(Con. Tr. Sess.* XXII, c. II.) 4. Sit Sacrificium *Pacificum :* tanto majoris ad impetrandas quascumque gratias efficaciæ, quanto excellentior, Deoque gratior est hostiæ oblatæ titulus, per quem gratiæ tales petuntur. 5. Sit *Rememorativum* SS. Passionis juxta illud Ecclesiæ : O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus! quæ fusius explicata apud Fabrum conc. VII, in Fer. III, Pentec.

Ex occasione thematis : *Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedech (Ps.* CIX, 4), potest Sacrificium hoc cum Sacrificio Melchisedech comparari; 1. Propter offerentem, quia sicut Melchisedech fuit Rex Salem, id est, pacis, item Rex, et Sacerdos, sine patre, et matre, ac successore (ISAI. IX, 16), ita Christas est Princeps pacis universalis Rex, et Sacerdos, sine patre quoad humanitatem, sine matre quoad Divinitatem, sine successore quoad summum Sacerdotium. 2. Propter rem oblatam, quia uterque panem et vinum obtulit, licet Christus multo excellentius. 3. Propter finem institutionis, uterque enim Sacrificium obtulit in memoriam beneficii, quo victoria de hostibus reportata, et amici ab interitu liberati sunt. Ostendatur proin, quomodo seipsum quisque offerre debeat, videaturque eum in finem cit. supra c. VIII et IX, lib. IV, Thomæ Kemp.

Ex occasione thematis : *Hoc facite in meam commemorationem :* potest similitudo cruenti et incruenti sacrificii ostendi, tum ex vestitu Sacerdotis, tum ex calice aliisque instrumentis, quæ adhibentur in hoc Sacrificio; tum ex cæremoniis ab Ecclesia institutis. Ex quibus inferri potest decere, ut nos quoque nunc, quæ olim post cruentum Sacrificium contigerunt, præstemus, et per veram quidem fidem dicamus : Vere Filius Dei erat iste : Deinde Christum pannis mundæ conscientiæ involvamus, et in corde nostro velut sepulchro novo reponamus. Vide Fabrum conc. III, in Fer. III, Pent. cæremonias Missæ fusius explicantem.

Ex occasione thematis : *Eamus, et sacrificemus Domino (Exod.* v, 7, l. IV), explicari potest multiplex fructus Sacrificii, eumque in finem sententia Thomæ Kempensis assumi, dum ait : Quando Sacerdos devote celebrat, 1. *Deum honorat* (et quidem perfectissimo modo, ut supra dictum est). (*De Civit.* c. v, § 3.) 2. *Angelos*, imo et omnes Sanctos, *lætificat,* quia, ut S. Chrysostomus ait, magnus illis honor est, nominari Domino præsente, dum mors illa perficitur, et horrendum sacrificium, et ineffabilia sacramenta. Hinc de nulla re magis, quam de hoc Sacrificio lætantur. (*Ho.* XXI, *in acta.)* 3. *Ecclesiam ædificat,* augmentum et auxilium eidem impetrando. 4. *Vivos adjuvat,* offerendo illi occasionem multiplicem fructum Sacrificii participandi. 5. *Defunctis requiem præstat,* liberando eos per hoc Sacrificium a pœnis suis. 6. *Et sese omnium bonorum participem facit,* tam spiritualium scilicet, quam temporalium per hoc Sacrificium tum ex opere operato conferuntur, tum ex opere operantis obtinentur.

Ex occasione thematis : *Voluntarie sacrificabo tibi, Domine, quoniam bonus es (Ps.* LIII, 8), potest ostendi multiplex fructus auditionis Missæ. Et in priori quidem parte probari, quod etiam audientes offerant Sacrificium, uti clare indicat Sacerdos in Missa, dum ait : Orate fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat. In quibus verbis, inquit S. Petrus Damianus, patenter ostenditur, quod a cunctis fidelibus, non solum viris, sed etiam mulieribus, Sacrificium illud laudis offertur, licet ab uno specialiter Sacerdote offerri videatur, quia quæ ille offerendo manibus tractat, hæc multitudo fidelium intensa mentium devotione commendat. In posteriori parte ostendatur, quam bonum sit tali modo sacrificare, seu Sacrificio interesse; nam, 1. Bonum est Deo, cujus gloria miris modis amplificatur. 2. Bonum est Sanctis et Angelis, qui singulariter inde recreantur. 3. Bonum est audienti, qui innumeros fructus Sacrificii participat. 4. Bonum est adstantibus, qui inde ad pietatem se mutuo inflammant. 5. Bonum est animabus purgantibus, quæ maximum inde levamen percipiunt. Vide Fabr. conc. II, in Fer. III, Pasch. fusius fructus auditionis Missæ explicantem.

Ex occasione thematis : *In omni opere tuo præcellens esto* (Eccl. XXXIII, 23) : dicatur, olim apud Ethnicos consuetudinem fuisse, ut ante Sacrificium semper clamaret et præco : *Hoc age :* magis proinde hoc observandum tempore nostri Sacrificii, atque adeo omnem adhibendam diligentiam, ut rite intersimus, si 1. audiamus *integre* Missam; nam et in Veteri Testamento Deus noluit Sacrificium *sine cauda* offerri; hinc S. Gregorius : Ille bene immolat, inquit, qui Sacrificium boni operis ad finem debitæ perducit actionis. 2. *Reverenter :* tam interiori scilicet, quam exteriori reverentia (L. I, *mor.* VI, *ult.)*; nam Spiritus Sanctus, inquit S. Bernardus, illa hora gratum non recipit, quidquid aliud, quam debes, neglecto eo, quod debes, obtuleris. (S. XLVII, *in Cant.)* Sed et Chrysostomus suam in hoc genere Symbolam conferens : Considera quæso, inquit, mensa regalis est apposita. Angeli mensæ ministrantes, ipse Rex adest, et tu, adstas oscitans? (S. Chrys. *hom.* LXI, *ad popul.)* 3. *Devote*, sive passionem Christi considerando, sive actus varios virtutum cum Sacerdote eliciendo, sive orationes varias recitando; hoc enim est pingue Sacrificium, ad quod respicit Dominus, sicut olim ad Sacrificium Abel respexit. (Gen. IV, 4.) Videatur Alphonsus Rodriguez, part. II, tract. VIII, cap. XV, et XVI.

ALII CONCEPTUS.

S. Prophetæ Jeremiæ in plateis Jerosolymitanis ingens quædam virorum morientium in spiritu ostensa est strages, quæ ipsum commovit, ut in hæc verba lamentaretur : *Cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas.* At vero quamnam existimatis hujus mortalitatis fuisse causam? nimirum, quia deerat eis triticum, et vinum, et ideo Propheta statim subjungit; *Ubi est triticum et vinum?* Quæ verba ad propositum nostrum applicare possumus, quia, quando ab inimicis angustiamur, ad Missam nobis recurrendum est, dicendo : *Ubi est triticum et vinum?* Ubi est sacrificium illud cruentum, in quo panis et vinum in Corpus et Sanguinem Christi transubstantiata, omnes a nobis repellunt bellorum hostiliumque armorum angustias, omnemque a nobis metum auferunt? Ut proinde Ecclesia longe prosperioribus auspiciis dicere possit, quod olim dixit Numa Pompilius, cui cum annuntiatum fuisset, in propinquo adesse hostilem exercitum, respondit ille : Et ego sacrificabo. Mansi, d. VIII, n. 2.

Eo tempore, quo electus Dei populus a Gedeone tamquam Judice gubernabatur, a numeroso quodam hostili exercitu omnes præ timore consternati trepidabant; nam, ut sacer textus ait, *Omnes Orientales populi fusi jacebant in valle, ut locustarum multitudo;* et tamen certi cujusdam panis augurio innumerabilis hic exercitus dispersus, et dissipatus fuit; dicebat enim Gedeon : *Videbatur mihi quasi subcinericius panis volvi, et in castra Madian descendere, cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud atque subvertit, et terræ funditus coæquavit.* Quod utique in figura contingebat illis : nam panis ille Eucharisticum præfigurabat sacrificium, cujus est illa propria virtus, quod hostiles dissipare queat exercitus; panem vero illum a Gedeone visum Eucharistici Sacrificii fuisse figuram. Cajetanus ex sequenti observatione demonstrat, inquiens : Ex eo, quod scribitur volutus, insinuatur, quod hujusmodi panis erat orbicularis figuræ, hæc enim figura ad motum revolutionis valde est habilis; ac proinde hostiam sacram significat, quæ in Missa consecratur; hæc enim secundum usitatum Ecclesiæ ritum figuram præfert rotundam, adeoque habilis est, ut ad dissipandos hostiles exercitus in eosdem devolvatur. *Ibid.* n. 8.

Sanct. Patriarcha Jacob, ut videre est Gen. IV, in principio sequens a Domino accepit præceptum : *Surge, et ascende Betbel, et habite ibi, facque altare Deo.* Observandum vero est, quod priusquam in executionem hujus præcepti altare pro sacrificio offerendo erigeret, prius solicitus fuerit, ut domus suæ familiares Deo gratos redderet et acceptos, nam, ut Scriptura ait : *Jacob vero omni convocata domo sua ait : Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini ;* hac autem mundatione peracta, domesticis suis dixit : *Surgite, et ascendamus in Betbel, ut faciamus ibi altare.* Quia autem omnia in figura contingebant illis, ideo sine dubio divina sapientia Christianos docere voluit, quod priusquam pro Sacrificio Missæ celebrando vel audiendo, ad altare accedamus, si condignum inde fructum percipere volumus, necessum sit, ut prius e domo cordis et conscientiæ nostræ idola, idest, inordinatos affectus, appetitus, vitia, et peccata penitus eliminemus, et ita mundemur; quia, ut Oleaster ait : Qui summo Deo est litaturus, oportet eum mundari intus et extra. *Ibid.* d. XI, n. 1.

In Exodi libro, Aaroni et filiis ejus Deus præcepit : *Facies labrum æneum cum basi sua ad lavandum, ponesque illud inter tabernaculum testimonii, et altare.* Quo vero fine Deus lavacrum istud erigi præceperit, sacer textus manifeste declarat, dum inquit : *Missa aqua lavabunt in ea Aaron et filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt ad altare, ut offerant in eo.* Circa quæ verba persuadere mihi facile possem, solum in ministris sacerdotalibus hanc requiri munditiam, et puritatem interiorem, nisi Oleastro videretur, eamdem quoque requiri in omnibus aliis, qui ad altare accedunt etiam Missam dumtaxat auscultaturi, quod conveniens esse existimo, licet non sit necessarium, nec omissio ejus mortaliter culpabilis existat. Adumbrat, inquit Oleaster, locus isse examen, quod quisque facere tenetur, cum ingreditur domum Dei, ut non nisi lotus ingrediatur, sed timendum est valde, ut Augustinus notavit, ne maculas a corpore extergas et laves, non autem a mente. Ubi præcipue notanda sunt verba illa : Quisque facere tenetur. *Ibid.* n. 1.

S. Procul Missam olim longissimam fuisse, postea vere a S. Basilio abbreviatam, ac tandem S. Joann. Chrys., ob pigritiam et nauseam christianorum, in Ecclesia potius lenocinantium, quam Missam auscultantium, compendiosiorem factam fuisse tradit. Idem Baronius refert, quod inter alios abusus a S. Augustino sublatos unus fuerit, quod videlicet multi e Missa recederent, priusquam eidem finis impositus fuisset, alter vero, quod, quo tempore Missa celebratur, circumstantes fabulis vacare consueverint, quem utrumque abusum, præcipue vero Missarum prolixitatem fastidientium, idem Augustinus graviter reprehendit. Baron. *ad ann.* 446, n. 28.

Cum aliquando insigni illi Dei servo Angelo de Pazz annuntiaretur plurium querela, qui illum prolixam nimis Missam celebrare lamentabantur, is se excusavit, dicendo : Certus sum, quod Missa mea numquam ad illud usque tempus se extendat, quod Christus Missæ Sacrificii cruenti in monte Calvario celebrato impendit, hæc enim quatuor horarum spatio duravit. Mansi d. XIV, n. 1.

Considerent, obsecro, hi, qui de Missa prolixitate conqueruntur, damnum, quod sibi conciliant, quia, si subditus prolixam Principis sui desiderat et ambit audientiam, benignumque, et familiare illius colloquium, quantumvis diuturnum, ut hac ratione desideratos ab eo favores, et gratias implorare, aut ad beneficia aliis impetranda occasionem habere possit; quanto magis christianus gaudere deberet, se opportunitatem fuisse nactum, ut in Missa longo tempore, præsentia corporali Filii Dei, ibidem ad nos divina gratia sua cumulandos, bonorumque terrenorum prosperitate locupletandos, realiter existentis, frui possit? D. Chrysostomus se intelligere non posse profitetur, quomodo christianus comædiis profanis quantumcumque prolixis oculos et aures avidas sine ullo fastidio præbere possit, et postea verbum Dei auscultare fastidiat. Hic vero, inquit, ubi loquitur Deus, ne exigum quidem patientiæ tempus expectet. Quæ verba etiam illis, qui longas Missas impatienter audiunt, facile appellare possumus; in hac enim non solum Deus in propria persona loquitur, verum etiam ipsemet est Sacerdos, Victima, et Sacrificium. En ipsamet D. Chrysostomi verba : Centum et sexaginta horas habenti in hebdomada, unam et solam horam sibi segregavit Deus, et hanc in opera sæcularia, et ridicula, et conventicula insumis. *Ibid.*

MISCELLANEA.

Qualitas. — Recte Ovidius, non placere diis sacrificia, nisi et obedientia accedat, indicavit hoc disticho.

> Non bove mactato cœlestia numina gaudent,
> Sed quæ præstanda est, et sine teste fides.
> Epist. XIX.

Nec minus argute Persius :

> O curvæ in terras animæ, et cœlestium inanes.
> Quid juvat hoc, templis nostros immittere mores,
> Et bona diis ex hac scelerata ducere culpa.
> Persius, II.

Horatius quoque Deos animum, non sacrificium attendere, sequentibus verbis ostendit.

> . . . , Te nihil attinet.
> Tentare multa cæde bidentium,
> Parvos coronantem marino
> Rore deos, fragilique myrto :
> Immunis aram si tetigit manus,
> Non sumptuosa blandior hostia
> Mollibus everso Penates
> Farre pio, et saliente mica.
>
> L. I, Epod. xiii.

Socrates sacrificia volebat quam minimis impendiis constare, quod Dii, ut non egent rebus hominum, ita magis affectus immolantium spectent, quam divitias; alioqui cum improbissimi quique abundent divitiis, male prospectum esset bonis, ut qui non perinde ac illi, deos colere possent. Eras. l. III, *Apapht.*

Ovicula S. Francisci et S. Coletæ ingressa Ecclesiam Missæ assistebat magna cum modestia, et elevationis tempore in genua nixa, non ante finem surgebat. *Temp. in Sp. mag.* p. 2, fig. 13.

S. Eleutherius ab indomitis equis in asperum montem tractus, cum ibidem Sacri celebrandi occasionem nactus esset, leones, ursi aliæque bestiæ e silvis gregatim accurentes, sanctum virum circumsteterunt Sacris operantem, et tanta modestia gestuum, membrorumque compositione ac attentione interfuerunt, velut rem divinam exploratum venissent. Surius, 28 *April.*

Ephebus Alexandri Magni, cum Sacrificio adstaret, et excussa e foco flamma manum graviter adureret, dissimulato dolore, ne quidem movit se ut, ne sacrificantem motu suo turbaret. S. Ambr. lib. III, *de Virgin.*

In India Porcæ Rex, etsi primis adhuc juvenilis licentiæ annis, tam erat tamen in colendis idolis suis, quæ non pauciora quingentis in lazario asservabat, superstitiose religiosus, ut quotidie totum antemeridianum tempus, sex solidas horas, offerendis suis cuique donis impenderet, nec ad alia ulla negocia daret aditum. Petrus Jarticus, l. VI, *hist. In Or.* c. x.

Necessitas. — Ovidius necessitatem sacrificiorum, donorum diis offerendorum, sic ostendit :

> Nos quoque tangit honos, festis gaudemus, et aris
> Turbaque cœlestes ambitiosa sumus.
> Sæpe deos aliquis peccando facit iniquos,
> Et pro delictis hostia blanda fuit.
> Sæpe Jovem vidi, cum jam süa mittere vellet
> Fulmina, thure dato sustinuisse manum.
> At si negligitur, magnis injuria pœnis
> Solvitur, et justum præterit ira modum.
>
> L. V. Fast.

Utilitas. — S. Porphyrus Gazæ Episcopus Constantinopoli difficilem rem ab Arcadio Imperatore per libellum supplicem impetraturus, Theodosium Archadii filium suum recens natum a baptismali fonte referri vidit, et ingenioso commento libellum purpuræ, qua parvulus tegebatur, imposuit, quasi ipse Infans eum offerret, cessitque feliciter consilium; nam Arcadius petitionem implevit, et idola demolitus est. Surius, xxvi, *Febr.*

Emanuel Sosa in tempestate constitutus, filiolum suum innocentem manibus in cœlum sustulit, et propter illum, ut parceret, rogavit; quanto magis Deus propter suum Filium in Sacrificio Missæ oblatum parcet?

Dignitas. — Joannes de Angelis; Cogitanti mihi, inquit, de Missæ altissimis mysteriis semper ea gloria, et delectatio, quam Pater æternus in Filii sui oblatione sub velamine Sacramenti percipit, tam grandis, et eximia videri solet, ut Angelorum chori, Beatorumque turmæ, nullam fere præ hac conferant voluptatem; cum enim Sacerdos Deum Deo, illi vero creaturam tantum offerant necessario sequitur, ut horum oblatio præ illa quasi nihilum reputetur. *Ap. Nol. tr.* iv, *de Sacr. Mis.* c. ix, § 2.

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius opusc. xiii.

Lucas Pinellus de Missa.

Philippus D'Outreman in Pædagogo Christiano part. II, c. ix.

Alphonsus Rodrig, p. II, tr. viii, c. xiv, xv et xvi.

Joannes Nadasi in Anno Eucharistico hebd. xxxvi et xxxviii.

Jacobus Marchantius in Hort. Pastor. tr. IV, a lect. 13.

Item in Virga Aaronis tr. III, lect. 10 et seq.

Julius Nigronus in reg. II, communium.

Antonius Gaudier de Natura, et statibus perfectionis, part. I, sect. ii.

Franciscus Arrias in Thesauro inexhausto tom. I, tr, IV, a c. i, usque ad x.

Petrus Sanchez in regno Dei part. VII, c. iv.

Josephus Mansi in Biblioth. morali.

SANCTORUM CULTUS ET FESTA.

QUOAD ESSENTIAM, SEU INSTITUTIONEM.

Definitio. — Est actus Religionis, quo debitum Sanctis cœlitibus cultum exhibemus. Intelliguntur autem hic per sanctos, homines, et Angeli, ad fruendam beatitudinem, quæ in visione Dei consistit, admissi. Beirlinch. *in theatro vit. hom. V. Sanct.*

Divisio. — Dividitur in cultum *Interiorem*, et *Exteriorem*. Ille est, qui sola mente, absque ullo signo externo, peragitur; Iste, qui signis etiam, sive verbo, sive opere exhibitis, demonstratur.

Actus. — *Eos magnificare,* tum ob sanctitatem, propter quam inter amicos Dei numerari meruerunt, tum propter dignitatem, ad quam a Deo ob merita sua præclara sunt evecti. Canisius, c. x, q. 8.

Prædicare, et laudare, ut, dum ore, et lingua eorum laudes celebramus, cor nostrum concepta de illorum excellentia, æstimatione abundare demonstremus.

Amare : id est, de eorum felicitate perinde ac si nostra foret, gaudere ac gratulari, cum amicorum omnia sint communia.

Eos honorare, tum eorum reliquias et imagines venerando ; tum varia obsequia in honorem illorum præstando.

Illos in necessitatibus invocare, sibique de omnibus Sanctis dictum credere, quod S. Bernardus de Angelis dixit : Quoties gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca Custodem, Patronum tuum, Doctorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt; quid trepidamus. Tantum sequamur eos, adhæreamus eis, et in protectione Dei cœli commoremur. S. Bern. *in Ps. qui habit.*

Imitari illos pro viribus, juxta monitum S. Ildephonsi dicentis : Imitamini Matrem Virginem, et Sanctos omnes, quos laudatis : quoniam non tantum illis prodest nostra laudatio, quam nobis eorum imitatio. Unde sponso magis placet imitator devotus, quam laudatur otiosus, tamen vera laudatio cordis imitatio est operis. S. Ildeph. *S. lib. de Assumpt.*

Alios quoque ad eorum amorem et venerationem excitare : sic enim, et affectus erga illos noster amplius demonstratur, et eorum erga nos amor, favorque firmius confirmatur.

Origo Festorum. — Dierum festorum sanctificatio immediate, et sine dilatione post conditum mundum a Deo præcepta fuit, quando scilicet die septimo a creaturarum productione ulterius prosequenda cessavit, prout ex verbis *(benedixit diei septimo etc.)* clare deducitur : quid enim est *(et sanctificavit illum)* interrogat D. Chrysostomus? nihil profecto aliud, quam ab aliis illum segregavit, docente nos divina Scriptura, propter quod, postquam dixit : *Et sanctificavit illum,* adjicit : *eo quod in illo requieverat ab omnibus operibus suis, quæ cœperat Deus facere.* Jam hinc ab initio doctrinam hanc nobis insinuat Deus erudiens in circulo hebdomadis diem unum integrum segregandum, et reponendum in spiritualem operationem. S. Chrys, *ho.* x, *in Gen.*

Lippomanus quoque censet, Moysen per hoc verbum, *benedixit,* modum exprimere voluisse, qui in obsequio et cultu Deo exhibendo servandus est. Unde *benedixit* ita exponit : id est, in eo sibi benedictiones ad laudes fieri voluit, sibique consecravit; cœteros quidem operum exercitio deputans, illum vero suo cultui mancipans : sanctificatio enim idem est, quod ad divina obsequia applicatio. Lippon. *in* c. i, *Gen.*

Cur autem Deus diem septimum potius suo cultui destinarit, hujus sacer textus sequentem assignat rationem : *Quia requievit ab universo opere, quod patrarat;* quibus verbis modus festa sanctificandi innuitur, qui in eo consistit, ut in illis ab omni opere servili abstineatur. Doctor Angelicus inter multas rationes institutionis et sanctificationis hujus diei talem quoque adducit : Primo datum fuit ad destructionem erroris : prævidit enim Spiritus S. quod futuri erant aliqui, dicturi mundum semper fuisse, de quibus S. Petrus loquitur : voluit ergo Deus, ut custodiretur unus dies in memoriam, quod Deus omnia creaverat in sex diebus, et in septimo quievit a novis creaturis condendis. Porro hujus præcepti revocationem ex universa Sacræ Scripturæ serie nullibi factam fuisse colligitur, nisi postquam populus Israeliticus in deserto substitit : antea enim præceptum hoc eidem populo implicite quidem traditum fuit, quando nimirum Deus illis Manna suum liberaliter impertiens, disposuit, ut hoc illis quotidie deplueret, quotidie pariter ab illis colligendum, præterquam in die Sabbati : *Sex diebus colligetis, in die autem septimo Sabbatum est Domini, idcirco non invenietur.* At vero quia in servitute Ægyptiaca a Pharaone in luti laterisque operibus continuo occupati et oppressi, hanc Sabbati sanctificationem dudum neglexerant, non obstante, quod Deus illis eo die cœlestem hujus Manna annonam minime depluisse dixisset; ideo dixit Dominus ad Moysen : *Usquequo non vultis custodire mandata mea, et legem meam : videte, quod Dominus dederit vobis Sabbatum, et propter hoc die festo tribuit vobis cibos duplices ; et sabbatizavit populus die septimo.* Tandem vero in monte Sinai præceptum hoc, quod inter alia Decalogi tertium est, una cum aliis expressim his verbis eidem imposuit populo : *Memento, ut diem Sabbati sanctifices : sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua, septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est, non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena, qui est intra portas tuas : sex enim diebus fecit Dominus cœlum, et terram, et mare, et omnia, quæ in eis sunt, et requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, et sanctificavit eum.* Mansi pr. i, d. i, 3.

Præter Sabbati sanctificationem, Deus eidem populo alios per annum dies festos præscripsit : quales erant dies Paschæ, et Pentecostes, festum item, quod Tubarum dicebatur, festum propitiationis vel expiationis, festum Tabernaculorum, et Collectarum : præter quæ ipsimet Judæi alia quatuor festa instituerunt; nimirum liberationis, quæ Judæis per Esther Reginam obtigit : festum dedicationis templi, Encænia dictum : festum ignis Sacri, de quo II. Machab. i, 4, legitur; ac denique festum ob Nicanoris mortem institutum, *de quo primo ejusdem historiæ lib. c.* vii, scribitur. *Ibid.*

Tandem vero Sabbatum olim a populo Judaico sanctificatum, ab Ecclesia in Dominicam translatum fuit, ne populus christianus judaizare videretur; maxime vero quia hoc eodem die Salvator noster, e sepulcro redivivus surrexerat, id quod ex præhabito inter Apostolos concilio statim post Resurrectionem factum fuisse dicere oportet; clarum enim in Apocalypsi hujus argumentum habemus; nam cap. i, S. Joannes dicit : *Fui in spiritu in Dominica die :* præterquam quod S. Ign. Martyr, Apostolorum coætaneus, Dominicæ mentionem faciat, eamque specioso hoc titulo Reginam, et Principem omnium dierum condecoret. In antiquo etiam concilio sequentia verba expressa leguntur : Christianorum religiosæ devotionis (quæ, ut creditur, ex Apostolorum traditione, imo Ecclesiæ auctoritate descendit) mos inolevit, ut in memoriam Dominicæ Resurrectionis, diem Dominicum venerabiliter, atque honorabiliter colat, quoniam eo die Deus lucem condidit mundi; eo die Christus a mortuis resurrexit; eo die Spiritum S. Paracletum Apostolis misit de cœlo; eo die Manna pluit. Sed et in concilio quodam anno 1203. sub Innocentio III, in Scotia celebrato, dum in Dominicæ originem diligens institueretur indago, prout in annotationibus dicitur, celebris quidam prædicator sequentia asseruisse legitur. Hoc mandatum subscriptum de observatione diei Dominicæ venit de cœlo, mandatum sanctum diei Dominice, quod de cœlo venit in Jerusalem, et inventum est super altare S. Simeonis, quod est in Golgotha, ubi Christus crucifixus est pro peccatis mundi. Et mandavit Dominus hanc Epistolam, quæ apprehensa est super altare S. Simeonis, quam per tres dies, et tres noctes, homines aspicientes corruerunt in terram, orantes Dei misericordiam, et post horam tertiam erexit se Patriarcha, et Azarias Archiepiscopus, et expenderunt infulam, et sanctam acceperunt Epistolam Dei, quam cum accepissent, invenerunt superscriptum istud : *Ego Dominus, qui præcepi vobis, ut observaretis diem sanctum Dominicum, et non custodistis eum, et de peccatis vestris non pœnituistis, etc.* Ex qua historia quanto cum zelo Deus exactam Dominicæ observantiam urgeat, clare deducitur : cujus diei ab antiquis Patribus multa eximia conscripta encomia legimus. Eo die, inquit D. Chrysostomus, destructus est infernus, extinctum maledictum, disparuit peccatum, confractæ inferorum portæ, captivus factus est diabolus, diuturnum bellum diremptum, conciliati Deo homines, nostrumque genus ad pristinam, imo ad majorem rediit dignitatem, viditque sol inopinatum et admirabile illud spectaculum, quod homo factus est immortalis. *Ibid.*

Sanctus Bernardinus duodecim enumerat Dominicæ prærogativas : 1. Quia omnium dierum prima existit. 2. Quia omnium dierum ultimus erit. 3. Quia noctem præcedentem non habuit. 4. Quia noctem subsequentem non habebit. 5. In Dominica Deus cœlum, et terram creavit. 6. Quia in ea omnes Angeli fuere creati, ex quibus boni glorificari, mali vero puniri meruerunt. 7. Quia in hoc die lex data fuit populo Israelitico. 8. Quia in ea natus Christus, et Manna primitus e cœlo dilapsum, fuit. 9. Quia in ea Christus inferno devicto electisque animabus e sinu Abrahæ eductis, ad vitam resurrexit immortalem. 10. Quia in Dominica omnium mortuorum continget resurrectio, justaque singulis pro meritis præmia assignabuntur. 11. Quia hoc die super Apostolos Spiritus Sanctus descendit. 12. Quia eodem die in Paradiso initium erit æternitatis illius, quam omnes animæ electæ, perennes Deo laudes et gratias persolvendo, sine fine continuabunt. S. BERN. l. II, s. X, c. I et II.

S. Antoninus inter alias causas, ob quas sanctificandus est dies Dominicus, hanc quoque adducit; cum enim corpus nostrum de terra sumptum sit, natura sua bona hæc terrena appetit, iisdemque per affectus suos immersum vivit, quibus ne nimium insordescat, opus habet, ut ad bona cœlestia mentem suam nonnumquam elevet, eoque sine opportunum sibi tempus destinatum habeat; ideoque inquit, oportet habere certum tempus, in quo cum non liceat ei vacare operibus, detur ei materia vacandi spiritualibus. Sicut enim corpus indiget aliquo tempore ad refectionem sui, quæ fit per somnum, comestionem, et hujusmodi, alias deficeret in operando, et vivendo; ita et anima indiget refectione spirituali, ne deficiat, quæ fit per orationes et alia spiritualia. S. ANTON. *in summ. tit.* XIV, c. IV.

Quemadmodum vero præter hanc Sabbati sanctificationem, ut paulo ante diximus, aliæ quoque Hebræorum populo præscriptæ fuerunt solemnitates, ita etiam Ecclesia nobis christianis, præter diem Dominicam, multa alia festa in honorem Dei, et Filii ejus, ipsiusque Sanctissimæ Matris, et aliorum Sanctorum præscripsit. S. Bernardinus quærit, quare alia festa ultra diem Dominicam addita? respondetque id principaliter factum esse propter rememorationem beneficiorum, quæ nobis a Deo in talibus diebus collata sunt. Sic enim festum natalis celebratur in honorem nativitatis nostri Salvatoris, Pascha in memoriam resurrectionis ejus, Epiphania, ad recolenda tria illa tam insignia mysteria, etc. Sic pariter varias celebramus sanctissimæ Virginis solemnitates, ob multas perfectiones, quas in se habuit, inquit S. Bernardinus, et nobis divino Numine inspirante participat, et confert. Præterquam quod SS. Virginis festa ob aliud quoddam emolumentum nostrum celebremus, quia nimirum est divinarum opum thesauraria, quarum participatione tantopere indigemus. Quod vero ad alios Sanctos attinet, hi quidem, ut S. Bernardus ait, bonorum nostrorum non egent, nec quidquam eis per nostras devotiones præstatur, seu plane quod eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum; dum enim eorum solemnitates celebrando, nos pro beneficiis, quæ eorum suffragiis intervenientibus continuo recipimus, gratos exhibemus, eosdem ad patrocinii continuationem obligamus, simulque Dei nobis amicitiam comparamus, cui honor, servis et amicis ejus exhibitus mire placet : Unde David non dubitat spondere : *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet.* Quis, inquit S. Augustinus, magnitudini timentium Deum, æqualem se audebit dicere, qui paratum habet Deum voluntati eorum? Et S. Bernardinus in eodem sermone, eadem hæc utilissima motiva considerans, ait : Nec sane parum fructuosa invenitur memoria festiva sanctorum, languorem, teporem, erroremque depellens, cum eorum intercessione juvetur infirmitas nostra, consideratione beatitudinis excitetur negligentia nostra, ignorantia quoque nostra ipsorum erudiatur exemplis. S. Augustinus de profectu, quem christianus ex festis Martyrum colligere debet, disserens, quis finis in eorum celebratione iis præfigendus sit, his verbis docet : Ut ea celebritate, inquit, et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur. MANSI, l. V, n. 9.

EX S. SCRIPTURA DE SANCTIS.

QUALITAS. — Hic est fratrum amator, et populi Israel, hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Jeremias Propheta Dei. MACHAB. II, XV, 14.

Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. *Apoc.* v, 5.

Vos autem dixi amicos : quia omnia, quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Jo. xv, 16.

Voca ergo, si est, qui tibi respondeat et ad aliquem Sanctorum convertere. Job. v, 1.

Dominus Deus vester dedit vobis requiem, et omnem terram. Jos. i, 15.

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum, et clamabant voce magna dicentes : Salus Deo nostro, qui sedet supra thronum, et Agno. *Apoc.* vii, 5.

Audivi vocem magna de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse erit eorum Deus, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt, et dixit, qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia. *Apoc.* xxi, 3.

Et omne maledictum non erit amplius : et sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus servient illi, et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum. *Apoc.* xxi, 3.

Si quis mihi ministrat, me sequatur et ubi ego sum, illic et minister meus erit. Jo. xii, 26.

Utilitas. — Amen dico vobis, quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Matth. xxv, 10.

Qui recipit (saltem in corde) vos, me recipit : et qui me recipit, recipit eum, qui me misit, Matth. x, 40.

Necessitas. — Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei : quia ecce levo manum meam super eos. Zach. ii, 9.

Dignitas. — Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Ps.* lxxii, 18.

Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas in sanguine Agni, ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus; et qui sedet in throno, habitabit super illos. *Apoc.* vii, 33.

DE FESTIS.

Qualitas. — Benedixit Deus diei septimo, et sanctificavit illum. *Gen.* ii.

Memento, ut diem Sabbati sanctifices. *Exod.* xx.

Hæc dicit Dominus : Vade, et sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur Reges Juda, et egrediuntur, et in cunctis portis Jerusalem, et dices ad eos : audite verbum Domini, Reges Juda, cunctique habitatores Jerusalem; hæc dicit Dominus : Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die Sabbati, et nolite elicere onera de domibus vestris in die Sabbati, et omne opus non facietis. Jerem. xvii.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctas. Sex diebus facietis opus; dies septimus, quia Sabbati requies est, vocabitur sanctus, omne opus non facietis in eo; quod paulo post magis declarat, dum ait : Nullum servile opus facietis. Levit. xxiii.

Dies septimus celeberrimus, et sanctus erit vobis : omne opus servile non facietis in eo. N. 28.

Audite verbum Domini, Principes Sodomorum, populus Gomorrhæ : quo mihi multitudinem victimarum, vestrarum dicit Dominus : (Is. i, 10.) Plenus sum. Ne offeratis ultra Sacrificium frustra : incensum abominatio est mihi; Neomeniam, et Sabbatum, et festivitates alias non feram; iniqui sunt cætus vestri; calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea : facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis; et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. *Ibid.* lviii.

Utilitas. — Si averteris a Sabbato pedem tuum, ut facias voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris Sabbatum dedicatum, et sanctum Domini gloriosum, et glorificaveris eum, dum non facias vias tuas, et non invenitur voluntas tua, tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudine terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui, os enim Domini locutum est. *Ibid.* v, 8.

Si sanctificaveritis diem Sabbati, ne faciatis in eo omne opus, ingredientur per portas civitatis hujus Reges, et Principes, sedentes super solium David, et ascendentes in curribus, et equis, ipsi, et Principes eorum, viri

Juda, et habitatores Jerusalem, et habitabitur civitas hæc in sempiternum. Jerem. xv.

Custodite Sabbata mea, et dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur, apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem, et comedetis panem vestrum in saturitate, et absque pavore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris, dormietis, et non erit qui exterreat : auferam malas bestias, et gladius non transibit terminos vestros : persequimini inimicos vestros, et corruent coram vobis. Respiciam vos, et crescere faciam. Multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum. Ponam Tabernaculum meum in medio vestri. *Levit.* xxvi.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Tria sunt, quæ in festivitatibus Sanctorum vigilanter considerare debemus, auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem nostram. Auxilium ejus, quia qui potens est in terra, potentior est in cœlis ante faciem Domini sui. Si enim dum hic adhuc viveret, misertus est peccatoribus, et oravit pro eis, nunc quanto amplius, quanto verius agnoscit miserias nostras, et orat pro nobis Patrem? quia beata illa patria non mutavit charitatem ejus, sed augmentavit; imo potius movit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ assistit. Debemus etiam viam ejus attendere, quia quamdiu in terris visus, et cum hominibus conversatus est, non declinavit neque ad dexteram, neque ad sinistram, sed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum, qui dixit : Ego sum via, veritas, et vita. Item diligentiori intuitu confusionem nostram aspiciamus, qua homo ille similis nobis fuit, passibilis, ex eodem luto formatus, ex quo et nos. Quid ergo est, quod non solum difficile, sed impossibile credimus, ut faciamus opera, quæ fecit, ut sequamur vestigia ejus? S. Bern. *in serm.*

In Sanctorum festivitatibus, et gaudere, et confundi debemus : gaudere, quia patronos præmisimus : confundi, quia eos sequi non possumus. *Ibid.*

Qui Sanctorum merita religiosa charitate miratur : quicumque eorum gloriam frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos, atque justitiam imitetur; quoniam quem delectat alicujus Sancti meritum, delectare debet cultum Dei obsequium. Quare aut imitari debet, si laudat, aut laudare non debet, si imitari detrectat, ut qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. S. Chrys. *serm. de Confess.*

Nihil solicitius providendum est quam ut solemnem diem non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus; quia valde absurdum est, nimia saturitate velle honorare Martyrem, quem scimus Deo placuisse jejuniis. S. Hiero. *ad Eust.*

Quæ est ista justitia, Sanctos colere, et sanctitatem contemnere? Primus gradus pietatis est, sanctitatem diligere, postea Sanctos; quia non Sancti ante sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante eos. Sine causa ergo justos honorat, qui justitiam spernit. S. Euseb. *Emyss. in hom.*

Non mæremus, quod talem amisimus, sed gratias agimus, quod habuimus, imo habemus; Deo enim vivunt omnia, et quidquid revertitur ad Dominum, in familiæ numero computatur. S. Hier. *in Epitaph, Paulæ ep.* xxi.

Festivitates Apostolorum, seu in honore Martyrum solemnitates, antiqui Patres sanxerunt in venerationis mysterio celebrari, vel ad excitandam imitationem, vel ut meritis eorum consociemur, atque orationibus adjuvemur, ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum offeramus, quamvis in memoriis Martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit : Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit, quo ex ipsorum locorum amore major affectus exurgat ad augendam charitatem, et in illis, quos imitari possumus, et in illo, quo adjuvante possumus. *Isid.* l. I, *de Eccl. or.* c. xxiv.

Injuria est orare pro Martyre, cujus nos debemus orationibus commendari. Nam sanctorum Martyrum orationibus propitiatur Deus peccatis populi sui. Omnes Martyres, qui cum Deo sunt, interpellant pro nobis; nec transeunt eorum interpellationes, nisi cum transit gemitus noster. Gaudeant de nobis, qui orant pro nobis. S. Aug. *s.* i, *de S. Steph.*

Athanasium laudans virtutem laudabo, quoniam omnes virtutes complexu suo tenet. Virtutem autem laudans, Deum laudabo, a quo virtus ad homines promanat, cujusque beneficio nobis contingit, ut ad eum per cognatam illuminationem evehamur, vel potius revehamur. S. GREG. *de laub.*

Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, ut quos solemni veneratione prosequimur, etiam simili conversatione sequamur : quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus : quorum delectamur præconiis, eorum sublevemur patrociniis. S. ATHAN.

Si Sanctorum consortio gaudere velimus, imitemur eos : nam ut pro nobis absque ulla dubitatione intercedant, necesse est, ut aliquid in nobis de suis virtutibus agnoscant. S. BERN. s. II, *de festo Omnium SS.*

Quotiescumque, fratres carissimi, sanctorum Martyrum solemnia celebramus, ita ipsis intercedentibus expectemus a Domino consequi temporalia, ut ipsos Martyres imitando accipere mereamur æterna. Ab ipsis enim sanctorum Martyrum in veritate festivitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur. Solemnitates enim Martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat quod celebrare delectat. S. AUG. s. XXX, *de Martyr.*

Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam pignore corporis patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiamsi qua habuere peccata, laverunt. Isti enim sancti Dei Martyres, nostri Præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere. *Idem*, s. XLVII, *de Sanct.*

Omnes festivitates pro varietate Religionum, diversaque in honorem Martyrum tempora ideo a viris prudentibus instituta sunt, ne forte rara congregatio populi fidem minueret in Christo ; propterea ergo dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter convenirent, ut e conspectu mutuo, et fides crescat, et lætitia major oriatur. S. ISID. *de Off. Ec.* XXXV.

Judæi putant, sibi Sabbatum otii gratia fuisse datum ; verum non ista est causa sed potius, ut abducti a curis rerum temporalium, otium omne consumerent in spiritualibus ; quod enim Sabbatum non otii, sed spiritualis actionis materia sit, dilucidum est ex ipsis rebus. S. CHRYS., *con* I, *de Laz.*

Ille Sabbatum Domini veraciter celebrat, qui sic ab his, quæ mundi sunt, operibus vacat, ut a spiritualibus tamen actibus non quiescat : unde Veritas ait : Non legistis, quia Sacerdotes in templo Sabbatum violant, et sine crimine sunt ? S. PETR. *Damian.* s. IV, *ep.* XVI.

Si ergo desinas, inquit Origenes, et ab omnibus sæcularibus operibus vaces, ad Ecclesiam convenias, lectionibus divinis aurem præbeas, et de cœlestibus cogites, de futura spe solicitudinem geras, venturum judicium præ oculis habeas, non respicias ad præsentia et visibilia, sed ad invisibilia et futura ; hæc est observatio Sabbati christiani. ORIGENES. *ho.* XIII, *in Num.*

Conscientia, cum a vitiis purgata Deo inhabitatore gaudet, Jerusalem recte potest vocari ; quæ sunt hujus portæ Jerusalem, nisi sensus corporis nostri ; videlicet visus, auditus, gustus, olfactus, et tactus ? per quos illa, quæ foris aguntur, ad notitiam nostræ mentis, quasi intrando pertingunt, quos in die Sabbati claudere jubemus, ut cum Deo vacare, psalmis sive orationibus nos occupando, quæramus, et omne quod exterius agitur, ab animo procul ejiciatur. V. BREDA. l. IV, *alleg.*

Debemus in iis cavere culpam ; nam peccatum opus servile est ; quia, ut dicitur Joan. VIII. *Qui facit peccatum, servus est peccati ;* unde cum dicitur : *Omne opus servile non facietis in eo*, potest intelligi de peccato ; et ideo contra præceptum hoc facit quis, quando in Sabbato peccat, quia operando, et peccando Deus offenditur. Et ideo Deus apud Isaiam protestatur, inquiens *Sabbatum, et festivitates alias non feram :* et Quare ? *Quia iniqui sunt cœtus vestri.* S. THOM. *ap. Mansi disc.* III, n. 8.

Quocirca festa celebramus, non, ut mos est in publicis festis et solemnitatibus, per luxum, et lasciviam, atque hujusmodi oblectationem, sed spiritualiter, atque ut Deo gratum est, non mundi ritu, id est, voluptarie, et ut mundi princeps cupit, sed supra mundi ritum, id est angelice, non res nostras, id est, quæ ad cultum, et observantiam nostri, sed quæ ad cultum Christi spectent, curantes. *Nicetas orat.* XXXVIII, *Naz.*

Tanta est nequitia dæmonum, et nocendi cupiditas, quod, quidquid a Deo pro charitate generanda, et augmentanda, et conservanda institutum est, totum conentur avere re in opprobrium divinæ dilectionis, et de trimentum nostræ salutis. Statuerat Deus sacras solemnitates et dies festos, ut cessaremus a vitiis, vacaremus ab operibus mundanis, et insisteremus divinis, jamque corda nostra, prægustando suavitates et præludia æternorum, dedicata Sabbata celebrarent; sed insidiante humani generis inimico, quod statutum fuerat ad Dei gloriam, et nostram salvationem, jam utique conversum est ad Dei ignominiam, et nostram damnationem. S. Bern. t. II, s. x.

Christiano spirituale Sabbatum agere, est, a laboriosa rerum temporalium cupiditate quiescere, solis orationum ac lectionum studiis insudare, sæcularium negotiorum pondus de mentis cervice projicere, ad contemplanda cœlestia tota cordis intentione vacare, carnis oblectamenta contemnere, de sola ispe cœlestium spirituali jucunditate gaudere : de hoc enim dicit Apostolus; *relinquitur ergo sabbatismus populo Dei.* S. Petrus, *Domin.* l. IV, *ep.* xvi.

Sanctorum solemnitates celebrandas Patres censuerunt, ut vel eorum in animis nostris excitarent imitationem, vel ut eorumdem meritis consociati beatorum mentium precibus juvaremur : nam, ut ait Augustinus : solemnitates Martyrum exhortationes martyriorum sunt, ut eos imitari non pigeat, quos celebrare delectat. *Concil. Narbon.* 1609, ix.

Martyrum festa non ex dierum circuitu solum, sed etiam ex eorum animo, qui ea celebrant, æstimantur. Exempli causa : imitatus es Martyrem? virtutem ejus emulatus es? etiam cum festum non esset Martyris, celebrasti festivitatem Martyris. Honor Martyris imitatio est Martyris. S. Chrys. s. i, *fe.* lix.

Festa non multitudo convenientium facere solet, sed virtus : non sumptuosus vestitus, sed pietatis ornatus; non mensæ dapsilitas, sed cura animæ, maximum enim festum est conscientia bona. *Idem ho.* iii, de S. Anna.

Quemadmodum divinus ait Psaltes : Tempus faciendi, Domine, sanctam, videlicet, purissimamque celebritatem; usitatum est plerumque festos dies agentibus, vestibus egregie nitidis cultos, atque ornatos conspici, omnique labe sordium purgata indumenta gestare; ea namque tempori convenire aliquis dixerit. Verumtamen haudquaquam, ut externis tantummodo effulgeamus ornamentis, dandam a nobis operam esse arbitror, sed ut animæ sordes eluamus, omni a nobis studio laborandum puto. S. Cyrillus Alex. *ho.* xxix, *de Pasch.*

Ecce Paschalia solemnia agimus, sed ita vivendum est nobis, ut pervenire ad æterna festa mereamur. Transeunt cuncta, quæ temporaliter festiva celebrantur : curate, qui his solemnitatibus interestis, ne ab æterna solemnitate separemini. Quid prodest, interesse festis hominum, si deesse contingat festis Angelorum? umbra venturæ solemnitatis est solemnitas præsens; idcirco hanc annue agimus, ut ad illam, quæ non est annua, sed continua, perducamur. Frequentatione gaudii temporalis ad æterna gaudia mens incalescat et ferveat, ut ex veritate lætitiæ perfruatur in patria, quod de umbra gaudet mediator in via. S. Greg. *ap. Mansi disc.* xiii, n. 9.

Quid prodest qualescumque festivitates celebrare deforis, nisi festivitas contemplationis in mente fuerit? proinde celebra, Juda, festivitates tuas et redde vota tua. Psalmistam interroga, et ipse tibi dicet, quomodo facere debeas. *Quoniam*, inquit, *cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi ; vovete, et reddite Domino Deo vestro omnes, qui circum affertis munera.* Istæ sunt tuæ festivitates, ut cogitatio tua confiteatur, et si non omnis cogitatio festiva esse potest, et splendida, saltem reliquiæ cogitationis diem festum agant, id est, saltem post infestationes malarum cogitationum, locum mentis obtineant cogitationes bonæ, juxta illud : Peccasti quiesce. *Rup. Abb.* l. II, *in Nahum* ii.

An non absurdum, tantam habere curam rerum corporalium, ut appropinquante festo, multis ante diebus vestem e scrinio depromptam diligenter appares, emas calceamenta, mensa largior, splendidiorque paretur, denique variam undique rerum copiam excogites, omnibusque modis temetipsum ornes, animæ vero neglectæ, squalidæ, fame contabescentis nullum habeas respectum? S. Chrys. s. *de S. Phil.*

Habet Deus dies festos suos; est enim ei magna festivitas humana salus. Ego puto, quod per singulos quoque credentium, per singulos, qui convertuntur ad Deum, qui proficiunt in fide, festivitas Domini oritur. Quomodo putas, lætificat eum, cum is, qui fuerat impudicus, fit castus; qui fuerat injustus, justitiam colit, et qui fuerat impius, efficitur pius? Istæ omnes singulorum quorumque conversiones festivitates generant Deo. Nec dubium quin, et Dominus noster Jesus Christus, qui pro salute nostra etiam sanguinem suum fudit, agat festivitatem maximam, cum operæ pretium videt esse, quod se humiliavit, factus obediens usque ad mortem. Agit festa pariter, et Spiritus Sanctus, ubi plura sibi videt in iis, qui convertuntur ad Deum, templa præparata. De Angelis vero quid dicam, ad quorum festivitatem lætantium dicuntur accedere omnes, qui convertuntur ad Dominum? Aut non est illis magna festivitas, cum *lætantur in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, magis, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia?* agunt ergo etiam Angeli diem festum, lætantes super his, qui refugientes consortia dæmonum, per exercitia virtutum angelicis se festinant sociare consortiis. Mirum fortasse sit, quod dicere volo. Causas (ut videtur) festivitatis, et lætitiæ nos Deo, et Angelis damus, nos occasionem lætitiæ, et exultationis, in terris positi, cœlo præbemus, dum super terram ambulantes, conversationem habemus in cœlis, et per hoc sine dubio diem festivum cœlestibus virtutibus generamus. ORIG, *ho.* XXV, *in Num.*

Cui festivitas est celebranda sublimior, ipse quoque in ea reperiatur ornatior. Si enim rationabile, et quodammodo religiosum videtur, et per diem festum in vestitu nitidiore prodire, et habitu corporis hilaritatem mentis ostendere; si ipsam quoque orationis domum propensiore tunc cura, et ampliore cultu, quantum possumus, adornamus : nonne dignum est, ut anima Christiana, quæ verum, vivumque Dei templum est, speciem suam prudenter exornet, et omni circumspectione præcaveat, ne ulla eam macula iniquitatis obfuscet? quid prodest honestatis formam præferens cultus exterior, si interiora hominis aliquorum sordeant contaminatione vitiorum? omnia igitur, quæ animi puritatem, et speculum mentis obnubilant, abstergenda sedulo. S. LEO. s. III, *de quad.*

Ineptum, si sanctis, qui res orbis universas contempserunt, his esse opus commendationibus putamus; igitur nostri tantum causa profectus, sat fuerit illorum celebrare memoriam; non enim indigent laudibus nostris ornari, sed nos ipsorum vitæ historia, et commemoratione imitationis gratia indigemus; quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex unguento quoque præstanti diffunditur odor, sic e sanctorum commemoratione festorum ad omnes provenit utilitas. S. BASIL. *ho.* IX, *in Gord. M.*

In Sanctis suis laudari Deus desiderat, et honorari in terris, ut accidat, quod ait Psalmographus : *Laudate Dominum in sanctis ejus,* non quod honorum nostrorum aut laudum præconiis egere noscantur, sed ut per merita gloriosa Sanctorum, quos veneramur in terris, eorum intercessionibus adjuti propitiationem mereamur obtinere in cœlis. Divus quoque Chrysostomus aliam quamdam adfert rationem, dicens : Atque ex septem his diebus unum ad communis omnium Domini cultum, servitiumque collocandum merito arbitramur; nonne ridiculum est, ut famulos nostros in nostris semper negotiis occupatos velimus, nos vero nullum Deo exhibere servitium præsertim cum nostra omnis servitus nihil ei quicquam conferat? Deus enim nulla re indiget, sed ad nostram penitus redundat utilitatem. *Decretal. Eccl. Gal.* l. IV, XV.

Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, ad excitandam imitationem, ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur. S. AUG. c. XXI, *contra Faust.*

Quotiescumque Martyrum memorias celebramus, prætermissis omnibus sœculi actibus, sine aliqua dilatione concurrere debemus ad Dominium Dei, reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem effusione sui sanguinis peperunt, qui tam sacratam hostiam pro nostra propitiatione Domino se obtulerunt, præsertim cum dicat ad Sanctos suos Omnipotens Deus : *Qui vos honorat, me honorat; et qui vos spernit, me spernit. Idem* s. XXVI, *de Sanct.*

Tunc pro nobis Sanctus, quidquid petierimus, poterit obtinere, si nos festivitatem suam sobrios, castos, absque ullo turpiloquio, cognoverit celebrare. *Idem s. de S. Jo. Bapt.*

NECESSITAS. — Qui Sanctos Domini tetigerit, sic est, quasi vexare cupiat pupillam oculi ejus, et illum nitatur clara luce privare, de qua loquitur Matthæi quinto : Vos estis lux mundi. S. HIERON. *in illud Zachar.* II, *qui tetigerit.*

Summopere nobis desideranda sunt suffragia Sanctorum, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, eorum intercessione donetur. S. BERN. *in serm.*

Utilitas. — Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos, et copiosa illic turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita. Quis autem ambigat cum ratione de amplissima eorum potestate, gratiaque apud Deum, a quo, ut canit Vates regius constituti sunt Principes super omnem terram. S. Cypr. *l. de mortalit.*

Cum his nobis familiaritas est, semper nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, et in corpore nos viventes custodiunt, et de corpore recedentes excipiunt. S. Maximus *de mart. Tauricis.*

In manibus absecta capita gestantes, et in medium afferentes, quæque voluerint, apud Regem cœlorum impetrare possunt. Proinde magna fide, promptitudineque huc veniamus. S. Chrys. s. *in SS. Maxim. et Juventinum.*

Habent vim pro nobis, et quidem maximam, orationes supplicationesque Sanctorum; sed tunc profecto, cum nos quoque idipsum per pœnitentiam postulamus, et ad studia meliora confugimus. *Idem ho.* v, *in Matth.*

Paratum hic est Christianis auxilium, Ecclesia videlicet Martyrum, exercitus triumphantium, chorus laudantium Deum. Sæpe laborastis, sæpe operam dedistis, ut unum pro vobis orantem inveniretis, quadraginta sunt hi, unam orationis emittentes vocem. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine Domini, ibi Deus est. Ubi vero quadraginta fuerint, quis dubitet, Deum esse præsentem? S. Basilius, *ho.* xx, *in quadr Mart.*

Jucunditas. — Non enim portus sunt tam idonei ad refocillandos nautas, quam recreantur fideles Sanctorum memoriis. S. Chrys. *de Mart.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas — Noli inquirere, nec disputare, de meritis Sanctorum, quis alio sanctior sit, aut quis major fuerit in regno cœlorum. Talia velle scire et investigare, nullum fructum afferunt, sed magis Sanctis displiscent. L. III, lviii, § ii.

Quidam zelo dilectionis trahuntur ad hos, vel ad illos, ampliori affectu, sed humano potius, quam Divino. Ego laudandus sum in omnibus Sanctis meis; ego super omnia benedicendus sum, et honorandus in singulis, quos sic gloriose magnificavi, et prædestinavi, sine ullis præcedentibus propriis meritis, *Ib.* v, 4.

Circa principalia festa renovanda sunt bona exercitia, et Sanctorum suffragia ferventius imploranda. L. I, lix, § vi.

Necessitas. — Qui unum de minimis meis (Sanctis) contempserit, nec magnum honorat, quia pusillum et magnum ego feci. Et qui derogat alicui Sanctorum, derogat et mihi, et cæteris omnibus in regno cœlorum. Omnes unum sunt per charitatis vinculum : idem sentiunt, idem volunt, et omnes in unum se diligunt. L. III, lviii, § iv.

Utilitas. — Melius est Sanctos devotis precibus, et lacrymis exorare, et eorum gloriosa suffragia humili mente implorare, quam eorum secreta vana inquisitione perscrutari. *Ibid.* v, 7.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Cultus. — Constantinopoli cum orta inter quosdam disputatio esset, num S. Gregorius Theologus, an vero S. Basilius, aut S. Chrysost. gloria alterum superaret, tres illi Doctores Joanni Euchaitarum Antistiti se ostenderunt, jusseruntque, eumdem diem tribus festum simul celebrare, trigesimo videlicet Januarii. Quod ad nos, aiebant, tres sumus, in Christo tamen unum sumus : inter nos nulla contentio est, nemo inter nos primus, nemo secundus, qui unum e nobis appellat, cæteros quoque comprehendit. Paulus, *Barus in fœd. Hug.* i.

S. Gregorius Nazianzenus, S. Basilium pro stimulo carnis avertendo sic orabat : Tu, Basili, sacrum ac divinum caput, ex alto nos respice, et carnis stimulum, instructionem nostram nobis a Deo datam aut tuis siste precibus, aut fortiter nos ferre persuade. *Apud Beirl. in festo omn. SS. them.* c. vii.

S. Hieron. Paulam post mortem in cœlos assumptam credens, sic allocutus est : Vale, o Paula, et tui cultoris ultimam senectutem orationibus juva : fides et opera Christo te sociant præsens, quod postulas, facilius impetrabis. *Ibid.*

Origines de seipso ait : incipiam me genibus prosternere, et deprecari universos Sanctos. O Sancti Dei, vos lacrymis et fletibus pleno dolore deprecor, ut procidatis misericordiis ejus pro me misero. Heu Pater Abraham, deprecare pro me. O beate Job vivens in perpetuum apud Deum, et victor permanens in conspectu Regis Domini, ora pro nobis. Orig. l. II, *in Job.*

Quidam sodalis morti vicinus postulavit omnium Sanctorum menstruorum schedas e collo sibi instar monilis suspendi, ut fidentiori animo posset mortem excipere. *Annal. jod.* 1592.

Episcopus quidam religiosam vitam agens, beatum Andream inter cæteros, et supra Sanctos cæteros in veneratione habebat, ita quod in cunctis suis operibus hunc semper titulum præponebat : *Ad honorem Dei, et beati Andreæ.* Invidens igitur viro sancto hostis antiquus, ad eum decipiendum tota calliditate se contulit, seque in formam pulcherrimæ mulieris transformavit. Venit igitur ad palatium Episcopi, asserens, se velle confiteri eidem. Mandat Episcopus, ut suo Pœnitentiario confiteatur, cui plenitudinem tradiderat potestatis. Renunciat illa, quod nulli hominum, nisi sibi secreta suæ conscientiæ revelabit; sicque victus Episcopus eam ad se venire præcepit. Cui Illa : Obsecro, Domine, miserere mei. Ego enim in annis puellaribus, (ut cernitis) constituta, et a pueritia delicate enutrita, nec non et regia stirpe progenita, huc in peregrino habitu sola veni. Nam pater meus Rex, utique valde potens, cuidam magno Principi me volebat in conjugium sociare, cui respondi, quod omnem thorum abominarer maritalem, quia virginitatem meam Christo dedicavi in perpetuum, et ideo nunquam possem in carnalem copulam consentire. Denique sic arctata, quod oportebat me aut ejus voluntati durissimæ obedire, aut certe diversa subire supplicia, latenter fugam inii, magis eligens exulare, quam sponso meo fidem infringere. Audiens vero vestræ sanctitatis præconium, sub alas vestræ protectionis confugi, sperans, me apud vos reperire locum quietis, ubi possim contemplationis capere secreta silentia, præsentisque, vitæ vitare naufragia, et perturbationes mundi perstrepentis fugere. Admirans in ea Episcopus nobilitatem generis, pulchritudinem corporis, tam immensum fervorem, et tantæ eloquentiæ venustatem, placide et benigna voce respondit : Esto secura, o filia, nec formides : quia ille, ob cujus amorem te, et tuos, et tua, tam viriliter contempsisti, tibi ob hoc, et in præsenti cumulum gratiæ, et in futuro plenitudinem gloriæ largietur. Sed et ego servus me, et mea tibi offero, eligasque tibi, ut placuerit, mansionem; volo autem, ut mecum hodie prandere debeas. Cui illa : Noli, inquit, Pater, noli de hac re me rogare, ne forte ex hoc aliquam suspicionis causam proveniat et nitor famæ vestræ denigrationem aliquam patiatur. Ad quam Episcopus dixit : Plures erimus, et non soli, et ideo nullus malæ suspicionis scrupulus in aliquo poterit generari. Venientes itaque ad mensam, Episcopus et illa ex opposito consederunt, cæteris residentibus hinc et inde : intendit in eam Episcopus crebro, ejusque faciem intueri non desinit, et pulchritudinem admirari, sicque dum oculus figitur, animus sauciatur; et dum ejus faciem non desinit intueri, antiquus hostis cor ejus gravi jaculo vulneravit; perpendit ipse diabolus hoc, et pulchritudinem suam cœpit magis ac magis augere. Jamque Episcopus proximus erat consensui, ut eam de illicito opere attentaret, quando possibilitas se offerret. Tunc subito quidam peregrinus venit ad ostium, crebris ictibus, et magnis clamoribus sibi postulans aperiri. Cumque sibi aperire nollent, et ille clamoribus et ictibus nimis eis fieret importunus, interrogat Episcopus mulierem, si ingressum illius hominis acceptaret. Cui illa dixit : Proponatur sibi aliqua quæstio satis gravis, quam si enodare sciverit, admittatur : si autem nescierit, tanquam inscius, et indignus Episcopi præsentia, reppellatur. Favent omnes ejus sententiæ, et quis sufficiens esset hanc quæstionem proponere, sciscitantur. Cumque nullus sufficiens inveniretur, Episcopus dixit : Quis nostrum ad hoc sufficiens est, quam tu, o domina, quæ cæteros nos, et eloquentia præcedis, et sapientia plus nobis omnibus rutilas? tu ergo hanc propone quæstionem. Tunc illa dixit : Interrogetur, quod est majus miraculum, quod Deus unquam in parva re fecerit? interrogatus de hoc peregrinus per nuntium, dixit, diversitas et excellentia facierum. Inter tot enim homines, qui fuerunt ab initio mundi, et usque ad finem futuri sunt, duo reperiri non possunt, quorum facies per omnia similes essent. In ipsa quoque tam minima facie Deus Omnipotens omnes sensus corporis collocavit. Audientes omnes ejus responsionem, admirantes dixerunt : Vera, et optima est solutio quæstionis. Tunc mulier ait : Proponatur ei quæstio secunda gravior, in qua melius possimus ejus sapientiam experiri; quæratur ab eo, ubi terra sit altior omni cœlo? percontatus de hoc peregrinus, respondit : in cœlo empyreo, ubi residet Corpus Christi. Corpus enim Christi, quod est altius omni cœlo, est de nostra carne formatum, porro caro nostra quædam terrea substantia est : cum igitur Corpus Christi super omnes cœlos, sit, et de nostra carne originem duxerit, caro autem nostra de terra sit condita, constat, quod, ubi corpus Christi residet, ibi procul dubio terra altior cœlo manet. Refert nuntius, quid responderit peregrinus; ecce omnes responsionem ejus mirabiliter approbant, et magnifice ejus sapientiam laudant. Tunc iterum illa dixit : fiat ei tertia quæstio gravissima, et occulta, et ad solvendum difficilis, et obscura, ut sic ejus sapientia tertio comprobetur, et dignus sit, quod ad mensam Episcopi merito admittatur. Quæratur igitur sic ab eo, quantum spatii sit a terra usque ad cœlum. Requisitus de hoc peregrinus, nuntio dixit : Vade ad eum, qui te misit ad me, et de hoc eum diligentius percontare, ipse enim melius me novit hoc, et ideo tibi de hoc melius respondebit, nam ipse illud spatium mensuravit, quando de cœlo in abyssum cecidit, ego autem nunquam de cœlo cecidi, et ideo nunquam illud spatium mensuravi. Non est enim mulier, sed diabolus, qui se posuit in similitudinem mulieris. Audiens hoc nuntius vehementer expavit, et ea, quæ audierat, coram omnibus recitavit. Mirantibus itaque omnibus, et stupentibus, antiquus hostis de medio eorum evanuit. Episcopus autem rediens ad se, amare redarguit semetipsum, et de perpetrata culpa veniam lamentabiliter precabatur. Misitque unum, ut introduceretur, peregrinus, sed nequaquam amplius invenitur. Episcopus vero tunc populum convocavit, et ei evidenter exposuit ordinem gestæ rei, præcepitque, ut omnes jejuniis et orationibus insisterent, si forte Dominus alicui revelare dignaretur, quisnam ille peregrinus fuerit, qui eum a tanto periculo liberavit. Revelatum est illa nocte Episcopo, quod beatus Andreas fuerit, qui pro liberatione Episcopi apparuerit in habitu peregrini. Cœpit igitur Episcopus in devotione beati Andreæ magis crescere, et eum exinde in reverentia plus habere. Jacob. *de Voragine in Vit. S. Andreæ.*

Fuit quidam frater magnæ devotionis ad Deum, et sanctos ejus : hic tam devotus erat ad festa Christi, ut quodlibet ejus festum habebat sigillatum in charta depictum, et quamdiu quodlibet festum durabat, tamdiu chartam illius festi depictam (quam in inchoatione festi in pariete cellæ suæ pependerat) pendere fecit, ante illam sedendo, et devote inspiciendo orabat, gemebat, et plorabat. Tam devotus etiam erat ad festa B. Virginis, quod quodlibet ejus festum aliquibus diebus ante suscipiendo dicebat mille Ave Maria. Tam devotus præcipue ad festum omnium Sanctorum, quod antea per unam septimanam jejuniis, et castigationibus se ad suscipiendum festum ipsum præparabat, et per octo dies ad honorem omnium SS. festum devotione sedula peragebat. Tam devotus insuper extitit in suis Missis, quod multum gravabatur, si minister vel alia persona staret, ubi faciem ejus videre poterat, quia de oculis ejus fluebant lacrymæ, quæ genas suas ubertim irrigabant, quod hominibus celatum esse cupiebat. Iste vero tam devotus in Sanctos, in die omnium Sanctorum migravit ad Dominum. Qui post aliquas septimanas apparuit cuidam devoto fratri in somnis pulcher et jucundus, indicans, se Sanctorum collegiis feliciter sociatum. *Ex vitis FF. Ere. S. Aug.*

Clauserat pretiosissimis ex divite metallo affabre facto thecis, Philippus II. Philippi III, pater, undequaque quæsitas, et Pontificum bona venia ad Escuriale collatas Sanctorum reliquias, ingentem, et pio Rege dignum thesaurum. Illas ergo thecas, atque conditoria, si quid pulveris adhæsisset, penicelo a Philippo jam Principe tergi, atque in splendorem dari jubebat Princeps, ne paternæ concederet pietati, lubentissime, atque ut aliquid adderet de suo, præstabat de genu. O vere nimis honoratos Dei amicos, ut Davidis verbo utar, quorum honoribus famulares sunt Regum manus. Jo. Rho., l. II, c. v, n. 2.

Incredibile prope videtur, quod de Cæsaris Baronii in Principes Apostolorum observantia narratur : nulla enim illi dies abiit, qua Vaticanam Basilicam, animo supra tempestatum varietatem constanti, venerabundus non inviseret : neque unius anni ea fuit exercitatio : sex enim integra lustra occupavit : nec illi facilis, aut prompta via, quum et transeundus Ælius pons, æstivis caloribus infamis, et hyberno cœlo bona urbis pars lutosis usque viis esset lustranda. Tenuit tamen inceptum vir vere magnus : nam quæ domi nullo labore nascuntur, ea ævum non ferunt. *Ibid.*, n. 4.

Cum in die omnium Sanctorum Ecclesiæ S. Petri custos ex devotione omnia altaria circuisset, et omnium Sanctorum suffragia implorasset, et demum ad altare Sancti Petri rediisset, ibi paululum conquiescens extra se rapitur. Et ecce vidit Regem Regum in solio sublimi consistentem, et omnes Angelos in ejus circuitu commorantes. Tunc Virgo virginum in diademate præfulgenti advenit, quam innnumerabilis multitudo Virginum et continentium sequebatur. Huic Rex protinus assurrexit, et posito solio, juxta se sedere fecit. Post hoc advenit quidam vestitus pilis camelorum, quem sequebatur multitudo venerabilium seniorum : deinde advenit alius pontificali habitu decoratus, quem aliquorum cohors in habitu consimili sequebatur. Postea vero processit innumerabilis militiæ multitudo. Post quos advenit turba diversarum gentium infinita. Omnes igitur ante Regis solium advenerunt, et ipsum flexis genibus adoraverunt. Is autem, qui in pontificali habitu erat, Matutinas, cæteris prosequentibus, inchoavit : Angelus autem, qui prædictum custodem ducebat, eidem visionem exposuit, asserens, Virginem in prima acie Matrem Dei esse : vestitum de pilis camelorum Joannem Baptistam, cum Patriarchis pariter, et Prophetis. Pontificali ornatum habitu Petrum cum cæteris Apostolis, Milites, Martyres. Turbam reliquam, Confessores. Qui ideo omnes ante Regem venerunt, ut pro honore sibi hac die a mortalibus exhibito gratias agerent, et pro orbe universo orarent. Deinde ad locum alium ipsum duxit, et utriusque sexus homines alios in stratis aureis, alios in mensis gaudentes diversis deliciis, alios nudos et inopes auxilium mendicantes ostendit. Dixit autem hunc purgatorii locum esse, abundantes vero animas illas esse, quibus ab amicis per multa suffragia copiose subveniebatur. Egentes vero esse quorum cura nullatenus habebatur. Jussit ergo, ut omnia ista Summo Pontifici intimaret, ut post festum omnium Sanctorum diem statueret animarum, ut saltem generalia suffragia pro illis illa die fierent, qui specialia habere nequirent. Petrus de Natal., l. X, c. i.

Jacob benedicens nepotes suos filios Joseph, hac precandi formula utitur : Nomen patrum meorum Abraham, et Isaac invocetur super eos, et crescant in multitudinem super terram. *Gen.* xlviii.

Trium puerorum fornaci destinatorum, oratio hæc erat : Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum. Dan. iii.

Sanctus Eduardus Anglorum Rex nullo petenti in nomine Sancti Joannis Evangelistæ aliquid denegabat, hunc enim post Apostolorum Principem arctius diligebat. Unde contigit quod quidam peregrinus, absente camerario, in nomine Sancti Joannis Evangelistæ, importune a Rege eleemosynam postularet, cui Rex pretiosum annulum, cum nihil aliud in promptu haberet, dedit. Accidit post hæc, duos Anglicos ad adorandum Salvatoris sepulchrum Hierosolymam proficisci. Qui die quadam a publica strata declinantes devia quæque sectati sunt, et sole ruente nox obscura adducta est; et cum nescirent quid agerent, quo se verterent, apparuit eis senex quidam venerandus, qui eos ad civitatem reduxit. Susceptis autem hospitio mensa paratur, latissimeque refecti dant membra quieti. Mane autem facto, egressis illis de civitate, ait senex : Viri fratres, cum summa prosperitate vos repatriaturos non dubitatis, quoniam prosperum iter faciet vobis Deus, et ego ob amorem Regis vestri in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum Apostolus Christi Joannes, qui Regem vestrum ob meritum charitatis summa dilectione amplector. Hunc ergo annulum, quem mihi in habitu peregrino apparenti tribuit, reportate denuntiantes ei obitus sui instare diem : quem infra sex menses visitabo, ut mecum sequatur agnum quocumque ierit. His dictis disparuit, et illi ad patriam prospere redeuntes, quæ viderant, et audierant Regi seriatim retulerunt. Ealredy. *Abbas in vita ejus ap. Sur.* v. *Januar.*, p. 136.

Veritas. — Cum post obitum Beati Hieronymi hæresis quædam Græcorum pullulasset, asserens, animas Beatorum usque ad corporis resurrectionem gloria non frui, ideoque Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus triduanum jejunium indixisset, ut Deus Ecclesiæ suæ subveniret, Sanctus Hieronymus Eusebio Abbati oranti apparuit, atque ut corpora trium juvenum illa nocte in Bethlehem defunctorum ad sepulchrum suum deferrentur, præcepit; quod ubi factum, mox, ubi cadavera corpus Sancti Hieronymi contigerunt, juvenes quasi ex somno evigilantes surrexerunt. Petrus Equilinus, l. VII, *Catal. SS.*, c. lxiv.

Mortuo S. Malachia Episcopo, Sanctus Bernardus offerens salutarem pro eo hostiam, expleto jam sacrificio gloriam ejus agnovit, quare in collecta ad hanc formam orationis mutavit, et dixit : Deus qui beatum Malachiam Pontificem Sanctorum tuorum meritis coæquasti, tribue, quæsumus, ut, qui pretiosæ mortis ejus festa agimus, vitæ quoque imitemur exempla. Dein accedens sacra ejus vestigia reverenter exosculatus est.

S. Mechtildis, cum Feria quarta post diem Paschæ inchoaretur introitus : *Venite benedicti Patris mei :* ipsa, ingenti quadam, et insolita lætitia repleta dixit ad Dominum : O si una essem ex illis benedictis, qui hanc dulcissimam vocem tuam audituri sunt! Et Dominus ad eam : Certo scias, te unam ex illis esse. Et, ut nihil dubites, ecce ego do tibi cor meum in pignus amoris, et in domum refugii, ut semper, maximeque in hora mortis tuæ, consolationem et requiem in eo invenias. Quod et factum; nam, instante mortis hora, Christus lumine Divinitatis suæ illam illustrans, blandaque voce allocutus, dixit : Veni, benedicta Patris mei, posside paratum tibi regnum a constitutione mundi. L. IV, S. Bern. *ap*, *Sur.* xx. *Aug.*

Utilitas. — Laurentius Surius in agone suo omnes Sanctos, quorum vitas in tomis suis descripsit, spectabiles habuit, ab iisque auxilium et robur in illo periculo accepit. Blosius *in præfat. Fœd Sac.*

Cum S. Mechtildis in festo S. Agnetis ardorem illius meditata affligeretur, quod nondum perinde ut illa totis animis Deum amasset, Servator S. Agnetem jussit omnia sua bona opera illi dare. Unde illa intellexit, Deum Sanctis hanc gratiam et potestatem fecisse, ut, quæ ipsi pro Christo egere, aut passi sunt, possint cum iis dividere, quos caros et devotos sibi e mortalibus habent. *Ibid.*

Cum aliquando Veneti et Mediolanenses cruenta inter se dissidia ac bella gererent, S. Laurentius Justinianus precibus suis studuit Deum Venetorum causæ conciliare. Unde Deus viro cuidam Sancto revelavit, absque illis precibus Venetos fuisse penitus pessum ituros. Lipelous, t. II.

In Provincia Valeriæ, Longobardis in Monasterium S. Equitii irruentibus, Monachi ad sepulchrum S. Equitii confugientibus dixerunt : Heu, heu, S. Equiti, placet tibi, quod trahimur, et nos non defendis? quo dicto, protinus Longobardos sævientes spiritus immundus invasit. S. Greg., l. II, *Dial.*, c. iv.

Cum fæda lues Treviris grassaretur, S. Nicetius eorum Episcopus SS. Eucharium et Maximinum urbis patronos, ut malum ab urbe averterent, suppliciter rogavit. Post quas preces noctu aliquando terribilis fragor super pontem Mosellanum excitatus, simulque vox addita est jubentium socios ab urbe discedere, eo quod ad unam portam S. Eucharius, ad alteram S. Maximinus vigilarent, S. Nicetius vero in medio perambularet; ab his enim se impediri, quo minus urbi nocere possent. *Sur.* i, *ort. in vit. S. Nicet.*

Florentius Hipponensis, homo pauper et pius, quia vestem non habebat, ad viginti Martyres, quorum memoria Hippone celeberrima est, confugit, atque ut vestem impetrarent, oravit. Inde digressus piscem grandem in littore palpitantem vidit, et apprehensum coquo Christiano trecentis nummis vendidit, qui cum eum aperuisset, annulum aureum in ventriculo invenit, moxque hominis misertus, ipsi eum reddidit dicens : Ecce quomodo viginti Martyres te vestierunt. S. Aug., l. XXI, *de civ.*, c. viii.

Religiosus quidam ex ordine Eremitarum S. Augustini, cum per octo dies ad festivitatem omnium Sanctorum per orationem, et severam corporis castigationem sese præparare, et festum ipsum per totos octo dies maxima, qua poterat, devotione celebrare consuesset, tandem ipso omnium Sanctorum festo defunctus, post mortem cuidam per quietem pulcher et jucundus apparuit, dixitque, se felici omnium Sanctorum societate, ac collegio gaudere, gavisurumque in æternum. *In vita hujus ord.*

Tempore, quo S. Mechtildis agonizabat, visi sunt Sancti, dum Litaniæ recitabantur, singuli ad suum nomen incredibili gaudio assurgere, ac demissi coram Deo in genua, merita sua pro moriente offerre. Paulus Barrus, *fed.*, c. x.

Alteri cuidam moribundo B. Virgo inter SS. Apostolos Petrum et Joannem cum omnibus Apostolis aliis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus in suos choros distinctis, et cereos accensos manu ferentibus aderat eumque in cœlos deducebat, quod sibi et Sanctis omnibus unice devotus fuisset. Valerian., *prati*, p. ii, l. IV, c. viii, p. 471.

S. Silvanus Archiepiscopus in Nazareth S. Hieronymo tam devotus erat, ut, quidquid faceret, Dei nomen, et B. Hieronymi præmissum invocaret. Quare diabolus famam sanctitatis invidens, ejus formam assumens, fœminam nobilem in lecto dormientem ad scelus invitavit; illa vero renuente et clamante, sub lecto se abscondit, ubi, cum ab accurrentibus deprehensus, horrenda etiam verba effutiret, tandem cum violentia et rancore ex domo exturbatus, sparsa facinoris fama, S. Silvanum in summum apud omnes homines odium, hypocrisisque turpissimæ infamiam conjecit. Quæ tamen omnia ille summa cum patientia et lætitia tulit. Ut tamen subditorum scandalum paululum mitigaret, post annum deserta civitate Nazareth ad sepulchrum S. Hieronymi confugit, ubi cum aliquamdiu orasset, nefarius quidam in eum gladio irruens occidere parabat, sed quia ille more solito S. patronum suum Hieronymum invocarat, scelestus ille gladio erga se verso se ipsum interemit. Quod cum secundo etiam, ac tertio contigisset, quartus ad fores currens Ecclesiæ, homines clamore evocavit, et S. Silvanum trium illorum hominum occisorem proclamavit. Cum ergo ob hanc causam graviter verberatus, jam etiam ad supplicium raperetur, adfuit tandem S. Hieronymus multa luce coruscus, et iis quidem, qui eum tenebant, ut illum dimitterent, imperavit, diabolum vero in energumena, quæ tunc ad templum adducta fuerat, existentem coegit, ut publice commissum a se diffamationis admissæ, et injuriæ S. Viro illatæ, scelus profiteretur, quod et fecit non sine magno populi sensu. Cum vero S. Hieronymus Sanctum interrogasset, quid ulterius a se peteret, illeque, ut eum secum ducere, orasset, S. Hieronymus quidem voti compotem fore dixit, et disparuit, Silvanus vero post horam expirans eum secutus est. S. CYRILLUS, *ep. ad S. Aug. ex eo spec. Ex V. Diffamare.*

Temporibus sextæ Synodi universalis quæ Constantinopoli ab Agathone celebrata est, orta est gravissima pestis mensibus Julio, Augusto, Septembri, tantaque fuit multitudo morienium, ut etiam parentes cum filiis atque fratres cum sororibus bini per feretra positi apud urbem Romam ad Sepulchra ducerentur. Pari etiam modo hæc pestilentia Circinum depopulata est, ita ut cunctis civibus per juga montium, et per deserta loca fugientibus,in foro et plateis civitatis,herbæ, et frutices nascerentur. Tuncque visibiliter multis apparuit quod malus et bonus angelus, qui videbatur venabulum in manu ferre; quoties venabulo ostium cujuscumque domus percussisset, tot ea de domo, die sequenti homines interirent. Tunc cuidam per revelationem dictum est, quod pestis ista prius non quiesceret, quam in Basilica S. Petri quæ ad vincula dicitur, S. Sebastiani martyris altare poneretur. Factumque est ut delatis ad urbem Romam S. Martyris Sebastiani reliquiis, mox ut etiam in dicta Ecclesia Altare constitutum est, pestis ipsa quieverit.

PŒNA INHONORANTIUM. — Donatus Afer, presbyter Ecclesiæ Mediolanensis, quia in convivio constitutus S. Ambrosio jam Superis adscripto graviter detraheret, subito gravi vulnere percussus, aliorum manibus sublevatus et in lecto positus misere occubuit. BARON., t. V, an. 397.

Cum Blithgarius thesaurum Ecclesiæ cujusdam auferens, famulos S. Remigii flagellis ejecisset, iisque S. Remigium invocantibus dixisset : Modo patebit, qualiter vos S. Remigius adjuvabit : videte, quomodo in vestrum adjutorium veniat; subito vociferari, stupendum in modum intumescere cœpit, et tandem omnino medius crepuit. *Idem*, t. X, *an. Dom.* 243.

Frater quidam Ordinis S. Francisci, cum S. Barbaræ devotus, a multis per eam periculis defensus fuisset; tandem solita negligens obsequia, audivit ab illa in somno apparente; Tu me consuetis obsequiis dereliquisti, et ego solitis adjutoriis destituam te. Et ita evenit; nam Frater primum Apostata factus, tum Norimbergam profectus, brevi ad extrema ibi deductus est, et licet a P. Conrado ordinis socio ad resipiscentiam invitatus, vestem religiosam denuo oblatam abjecit, sicque misere in desperatione periit.

FESTORUM OBSERVATIO. — S. Ambrosius invenerat in Archiepiscopalis suæ curæ initio, in diœcesi sua diuturno usu receptum fuisse, quod dies festi hujusmodi mercatibus, tripudiis, hastiludiis, crapulis, ludis, aliisque similibus insolentiis, indifferenter contaminarentur : quibus proinde sensim et paulatim eliminandis abusibus toto pectore incubuit, suosque diœcesanos ad tantam demum observantiam reduxit, ut non solum Mediolani, sed et in universa illa vastissima diœcesi sua populus diebus festivis nulli alteri rei, quam missis, prædicationibus, exhortationibus spiritualibus, aliisque devotionis exercitiis deditus esse cerneretur. Inter alia vero quæ parochis præscripsit, ut animabus sibi subjectis omni cum solicitudine inculcarent, unum fuit, dierum sanctorum sanctificatio; voluit namque ut quilibet parochus eidemque subjecti fideles, suum agnoscerent debitum, sacrum illud tempus in exercitiis sanctis, Christianæque pietatis operibus fructuose impendendi, quantumque id ad vitam Christiano homine dignam, animarumque salutem conferat : in casu vero contraventionis, se contra hujusmodi transgressores per pœnas comminatas, imo et per excommunicationem processurum esse minabatur. Mansi, *dis.* III, 4.

In Germania miles quidam messores ad prata demetenda sub pacto stipendio conduxerat; quia vero in sequentem diem festum aliquod Sancti cujusdam incidebat ex præcepto in foro festivum, ideo Vesperarum tempore unus e messoribus a cæteris laboris consortibus paravit discessum, dicendo : Jam sequentis diei festum suum sumit exordium; quem hi deridentes, minime vero imitantes, cœptum suum prosequebantur laborem : ille vero postridie diei festi ad laborem suum complendum reversus, quia multa adhuc illi demetenda restabant ex iis, quæ alii pro parte sua decusserant, a cæteris tanto magis derisus fuit. Qui patienter ferens risus omnium et cachinnos, ubi falcem ad manum posuit, ante se pendentem in surculo graminis drachmam miræ et invisæ magnitudinis auream mox invenit, curvatus ergo genibus cum lacrymis Dominum benedixit. Ad quam messoris fortunam miles prati dominus aliique collaboratores, accurrentes vident divinum miraculum, scripturamque miles litteratus in nummo voce patria legens, hæc ut interpretari potuimus, continebat : *Manus Dei me compegit, et in donum me redigit pauperis, qui non infregit diem sancto celebrem.* Th. Cantip., lib. II, *apum.* c. LV, § 2.

Christophoro Columbo tantam fuisse sacrorum dierum religionem, ut festa luce numquam anchoras tolleret, numquam vela faceret, fortasse non omnes norunt. Nimirum inter assultantis oceani fremitus, stridorem rudentium nautarumque clamores, modica hæc interpellantis religionis quies minus animadvertitur. Semel creberrimis ac periculosissimis in navigationibus necessitati paruit, veritus, ne cum suprema jam fames alimentis consumptis immineret, religio temeritatis vicina in superstitionem migraret. Jo. Rho., l. III. c. VI, n. 1.

Invitaverat Dominicum Ansalonium puerulum novennem Antonius Pater, ut quoniam pro festis diebus scholarum molestissimis occupationibus impediretur, quominus auram liberiorem ad maris oram, ipso in portu Messanensi obambulans caperet; festo die conscenso secum curru, liberiore cœlo frui vellet, cui Dominicus ætatem pietate prævertens : Ego vero, Domine, inquit, festis diebus longe majoribus occupationibus detineor : hi enim divino cultui, ac magnæ Matris venerationi debentur : ob hanc rem bona tua venia ego templum adibo. O puerum jam cœlo dignum, ubi æternum festum agat felicitatis! *Ibid.*, n. 2.

S. Carolus Borromæus, ut lapsos in hac etiam parte Christianos mores ad veterem revocaret disciplinam, leges sanctissimas tulit. Annonam publice vendi, quamdiu matutina sacra solemni cæremonia fiunt, aut vespertinæ preces decantantur, interdixit. Circulatores per idem diei tempus circulos in foro cogere, personatum quemquam etiam in ipsis Bacchanalibus incedere, militares ludos sive hastis in annullum inserendis, sive in pectus ex adverso concurrentium adigendis, frangendisque exerceri, nulla virorum principum ostentione deterritus, constantissime vetuit. Contra vero, ne iners otium populi causari quisquam posset, exercitationes pietatis plurimas, quas solerter excogitavit, feliciter in mores induxit, quibus hodie quoque Mediolani plebs dies festos magna ex parte sanctissime transigit. *Ibid.* n. 4.

Stanislaus Hostius Cardinalis, ut Festorum devotioni tranquilliori animo serviret, quod contaminatis hæretica peste in pagis urbibusve minus commode fieri poterat, longissima itinera diu noctuque sine cibo ac somno continuare non dubitabat, ne sacras illas dies in terra tenebrarum agitare cogeretur. *Ibid.* n. 2.

Sanctorum dierum religionem studio litterarum minime violari, sapientium omnium suffragiis constare, non dubitabat, opinor, Petrus Pitæus, vir longe doctissimus : nec, si quid ex illo lucri capitur, ejus quasi sordibus infici eorumdem sanctitatem. Verumtamen ne, qualis ea cumque demum esset, ex salariis sportulisve, aut minervalibus crearetur injuria, et ne vel levissima querelæ daretur occasio, quæcumque sacris diebus suo ex munere (erat autem patronus celebris, qui causas ageret magnas, et de jure consulentibus respondet) lucra faceret, ea in mendicabulorum stipem sponte seposita, illis exinde summa fide distribuebat, ratus, pauperum bono atque commodis sacrati temporis otium honestissimas per artes optime transigi, ac minime sordido, sed illustri ac maxime decoro negotio implicari. Itaque ut religioni satisfaceret, misericordiam intendebat. *Ibid.* n. 1.

Pœna violantium festa. — Bollandus de S. Anchario refert, quod postquam in Frisia prædicando santificationem diei Dominico debitam inculcasset, iis, qui in eodem per opera servilia prævaricabantur, gravia supplicia comminando, nonnulli auditorum suorum parum timorati, quia cœlum serenum affulgebat, vix ab ausculato viri Dei sermone, templo egressi, arrepta falce ad prata se receperint, ut fœnum demeterent, demessumque fœnum in cumulos adegerint; sed quisnam inde subsecutus est eventus? Advesperante die omnes illi acervi, qni eadem die facti fuerant divinitus igne consumpti sunt, illæsis illis permanentibus, qui in anterioribus diebus in medio præparati constabant; quo facto populi in circuitu manentes, fumum a longe cernentes, hostes adesse putantes, timuerunt valde. Bollan. *in vit.* c. xvi, n. 65.

In vita pariter S. Rabani Mauri scribitur, quod, quia ocurrente SS. Martyrum Januarii et Magni festo, omnibus, qui jurisdictioni Monasterii Fuldensis subjecti erant, tam viris, quam mulieribus opera servilia exercere prohibitum erat, quidam ex iis Christianis, qui in illo quodam servitutis jugo adstricti erant, cultum et venerationem prædictis Sanctis debitam contemnens in campum ad metendum egressus fuerat, jamque multos segetum manipulos collegerat, crimen hoc gravi pœna luere debuerit. Nam aer densissimus crevit in nubes, et tempestas sæva exorta est, fulgura, ventique vehementes undique ferebantur, coruscationes quoque valde terribiles, et fulgura discurrentia horrorem nimium mortalibus ingerebant; factumque est grande miraculum, Domino discernente inter venerantes, et festa sanctorum ejus contemnentes; omnes enim acervi frugum, quos miser ille ea die messos congesserat, cœlesti igne consumpti sunt, cæteris, quos vel ipse, vel concives ejus pridie messuerant, illæsis permanentibus. *Idem in vita S. Rabani*, c. vii, n. 43,

In vita Camilli de Lellis, magni servi Dei et Religionis, ministrantium infirmis institutoris, eum in observantia sanctificationis dierum festivorum adeo exactum et punctuale fuisse scribunt, ut ne quidem Ecclesiam scopis emundari, aut altaria in illis diebus accommodari permiserit, sed ejusmodi opera pridiano die fieri præceperit; quia vero in Bachianico, Patrio videlicet solo, nonnullos pauperes a divitibus in diebus festis ad laborandum cogi advertit, iisdem imminentem Dei vindictam prædixit, prædicando, quod nisi ab ejusmodi sacrilega temeritate abstinerent, agri eorum penitus devastandi essent; id quod postea reipsa, prout prædixerat, evenit; nam paulo post regio illa per tredecim dies continuos tanta nivium copia oppressa fuit, ut multæ inde arbores olivarum, aliorumque fructuum feraces, ruptæ, irreparabilia incolis damna attulerint. *Vita* l. II, c. xvi.

S. Greg. Turonensis de quodam refert, quod cum festum diem S. Mariani, exemplo aliorum concivium concelebrare et sanctificare abnuisset, ignis quidam cœlitus super domum ejus delapsus fuerit, qui omnem ejus suppellectilem; omnesque illius greges et armenta, sine ulla vicinorum vel minima læsione absumpsit. S. Greg. *de glor. conf.* c. lxxxi.

Beatus Petrus Damianus in sermone quodam de S. Ruffino nonnullorum refert lamenta, qui festa in honorem hujus S. Martyris instituta, ab operibus servilibus abstinendo celebrare abnuebant. Tumultuabantur enim, onerosum esse dicentes, populum geminatis unius Sancti solemnitatibus feriari; unde contumaciter cœperunt cum suis mulieribus non modo textrinis operibus audacter insistere, verum etiam ruralibus exercitiis liberius insudare. Sed protinus in eos sententia Divinæ animadversionis ulciscitur; casas eorum repente flamma corripuit, et non solum domestica quæque, sed quæ in agris erant, omnia globis inextinguibilibus conflagravit. Cumque ad extinguendum hunc ignem omnes ad vicinum flumen accurrerent, in illudque multa, quæ jam ab igne correpta ardebant, injecissent, elementum illud ignis sibi activitatem vindicavit, ut perspicue probaretur, hoc non casum, sed divini furoris esse indicium; quicquid mergebatur, extingui non poterat. Miro igitur modo elementum illud vires ipsius quoque ignis tenebat, et ex parte prodiderat, nam, et liquida erat aqua, ut immersa quæque fluctu dehiscente reciperet, et quodammodo humida non erat, ut ardentia extinguere posset. Sed quid minimis immoror, cum et ipsa hominum membra flamma prosiliens occupaverit, extinctionis remedium invenire, quocumque se verterent, non valerent? Tandem ustulati, fumigati, et in modum thuris combusti, ad altare B. Ruffini cum magnis ululatuum stridoribus confugiunt, indulgentiam petunt, et commissi piaculi emendationem de cætero per pœnitentiam pollicentur, et incolumes ad propria sunt reversi. S. Petr. Dam. *S. de S. Ruffino.*

Duobus calceamenta facientibus, et juxta se laborantibus, unus quidem habebat filios multos, et uxorem, et patrem, et matrem; vacabat vero Ecclesiæ sine intermissione, et omnes propter Deum alebat de arte sua. Alter autem, quamvis doctior illo esset, eo quod non permaneret in Ecclesia, sed etiam Dominicis diebus laboraret, seipsum tantum nutrire valebat. Invidebat ergo isto vicino suo, et una vice non sufferens invidiam, dicit ei cum ira : Unde tu sic dives factus es; ego vero vacans, plus quam tu, arti meæ, in paupertatem deveni? Dicit ergo ei volens facere eum vacare Ecclesiæ : Inveni pretium in terra, et inde paulatim dives factus sum, sed si vis, semper voco te, veni mecum, et quidquid invenerimus, accipies dimidium. Cum ergo ille acquiesceret et sequeretur eum euntem ad Ecclesiam, sine intermissione benedixit ei Deus, et divitem fecit; propter hoc ergo sanctus Patriarcha fecit illum bonum consiliarium presbyterum, tamquam dignum; erat enim Lector. *Ex vita S. Jean. Eleem.* § 48. *Spec. ex.* VII, *Eccles. ex.* V.

Legitur in vita S. Hugonis Lincolniensis, quomodo pistor quidam semper die Dominica farinam consperserit, atque fermentaverit, de qua nocte sequenti panes decoqueret, ut eos die sequenti venderet recentes : quos dum semel mane secundæ feriæ extraheret de clibano, unus panis calidus frangitur, unde mox rivus sanguinis, qui panem circumquaque infecerat, effluxit. Expavit ille et panem istum cruentatum frustatim comminuit, et per singulas fracturas cruorem stillare vidit. Alios etiam omnes panes similiter cruentatos invenit, quos panes per octo dies apud se occultavit, sed mercenarii hoc ad publicam notitiam perduxerunt Episcopi, et ad ejus præsentiam unus panis fuit allatus, qui sic esse conspexit. Erant etiam alii panes in clibano positi, qui post crepusculum diei Dominicæ erant fermentati et impositi, qui cum extraherentur et frangerentur, nil prodigiosum habentes in sua naturali qualitate ad usum hominum vendebantur. Primi autem per monasteria, et Ecclesias in monumentum facinoris de transgressione Sabbati ad terrorem hominum diligenter conservabantur. *Ibid. v. Festum ex* VII.

Cum quidam devotus pastor in partibus Westphaliæ nonnullos laniones videret spe vendendarum carnium, temporalibus mercaturis sub summa Missa occupatos, nonnullos etiam otiositatis causa confabulationibus, et levitatibus ante lanionum domus tempus expendentes, et diem Sabbati violantes, zelo Domini tactus in fervore spiritus, ut verus pastor, errantes oves ad viam veritatis reducere prædicationibus, et admonitionibus laboravit, minitans vindictam Dei ipsis affuturam, nisi a tam enormi mandatorum ipsius transgressione resipiscerent. Et quoniam populum duræ cervicis subito a tam prava consuetudine omnino revocare non potuit, laboravit ad hoc, quatenus, etsi omni Sabbato deberent merito, maxime tamen in quatuor principalioribus festis anni, circa visitationes Ecclesiarum occupati, ab hac pessima consuetudine animum revocarent. Aderat ergo non longa post tempora festum Pentecostes, et quidam Sacerdotis sui præceptis, atque imprecatione conterriti, timore vindictæ ipsius mandatis, imo non ipsius, sed Domini, obediebant. Unus vero filius Belial animo pertinaci macellum ipsum carnes suas venditurus ingreditur, quosdam de sua sorte contra sacerdotis imperium animando : et ecce virga Domini super eum. Nam secunda aut tertia die Pentecostes tantam aeris inclementiam Dominus excitavit, coruscationes atque tonitrua, ut porta civitatis ipsius ictu fulmineo scinderetur, descendensque fulmen, et vaccas suas, inter quamplures alias vaccas sub eadem porta quiescentes inveniens, extinxit continuo, ut scilicet palam daretur intelligi, quoniam hæc vindicta esset inobedientiæ comtemptoris illius. Domus quoque istius lanionis eodem fulgure ita quassata est, ut scutellis, ollis, atque cacabis tinnitum dantibus, ipsa casum subitum minaretur. Factus est post hoc vir ille infamis in tota illa civitate, omnibus clamantibus contra eum, quoniam digna eum plaga propter Sabbati irreverentiam Dominus tetigisset. *Ibid. ex* VIII.

EXEMPLA DOMESTICA.

Sanctus Ignatius peculiari semper affectu et honore S. Petrum Apostolorum Principem prosequebatur; hinc ab eodem apparente, morbi depulsi, simulque, conversionis religiosæ beneficium accepit. Sed et alios Sanctos studiose venerari, et invocare consueverat; hinc non semel illi eidem apparuerunt, maxime dum Constitutiones scribebat, quo tempore sic eos aspexit, ut ipse modum, quo eos viderat, explicare se posse negaret. *Gloria S. Ign.* c. IV.

S. Franciscus Xaverius peculiari devotione in S. Hieronymum ferebatur; hinc ab eodem visibiliter in gravi morbo liberatus est. *Hist. Soc.* p. 1, l. II, n. 22.

S. Franciscus Borgia Divorum cultum ut excitaret, augeretque, Romæ in æs graphice incisas, et affabre sculptas imagines, in omnes provincias misit. Quin, et archetypa donavit Sociis, et distribuit. Ipse vero Sanctorum reliquias et imagines religiose venerabatur, splendideque adornari curabat, nusquam affirmans gemmas, aurum, argentumque dignius impendi, vertique, quam in Auctoris Dei, Divorumque cultum. Cum manibus eas tractaret, summa animi voluptate in has voces erumpebat : salvete pignora nobis in hoc exilio, lacrymarumque valle degentibus a Deo relicta, atque deposita : salvete salutis nostræ spes, atque solatium. Erit, erit dies illa, cum decorem induti cineres, hospites nunc beati, æterna illa luce perfruemini, et animæ sole candidiores, thronusque vester supra firmamentum clarescet. Ex hoc ipso fonte manavit pia solemnisque Societatis consuetudo, ut singulis mensibus Sanctorum nomina forte et situla educantur, distribuanturque singulatim : quo die votis conceptis, religioseque persolutis opem sui quique Divi implorant. Ipse multa hoc die Sociis indulgere, et precationi etiam plus temporis impendere solitus erat. *Vita* l. IV, c. IV, n. 19.

B. Aloysius Gonzaga, ut suum erga Cœlites affectum copiosius posset demonstrare, dum triclinii curam gerebat, singulas mensas peculiaribus Sanctis assignare consueverat : nec minori devotione, ac diligentia apparabat, quam si ipsi Cœlites in eadem pransuri essent. *Vita.*

S. Stanislaus Kostka, ne sine sacro viatico ex hac vita decederet, et constantem erga SS. Eucharistiam devotionem, atque amorem retineret, peculiari honore cultuque S. Barbaram venerebatur, unde factum, ut, cum in gravi morbo constitutus ab hominibus sacrum illud epulum accipiendi occasionem non haberet, ipsa ei apparens per SS. Angelos eam comitantes id præberi jusserit. *Vita compend.*

P. Petrus Faber inter alios Sanctos præcipue colebat SS. Petrum et Paulum, et Joannem Baptistam, quorum in festis semel ingentem divinitus flammam, et jucunditatem senserat. S. item Appolloniam, cujus invocatione puer adhuc a dentium dolore liberatus in veneratione habuit. Item reliquos Apostolos, iisque similes, qui Evangelium in diversas mundi partes intulissent, eo quod Societas nostra illos imitetur. Quos vero Sanctos semel colendos susceperat, numquam amplius dimisit. Hinc in Breviario longum habebat cathalogum eorum Sanctorum, quos tamquam locorum tutelares inter peregrinandum, sibi asciverat. (*Vita*, l. II, c. I.) Idem tanti faciebat Sanctorum invocationem, ut diceret, unius Sancti consilium, et patrocinium plus habere efficacitatis ad corrigendos hominum mores, quam cunctorum edicta Regum, industriique conatus. Aiebat item, pietatis Christianæ esse, certos sibi præ cæteris Sanctos deligere, et ad certos fines : Divina enim providentia factum, ut non omnes Sancti iisdem rebus gestis, virtutum sanctitate florerent. Hinc ab unoquoque Sancto auxilium petebat contra eos spiritus, quos quisque adversarios præcipue habuisset. Divino instinctu didicit memoriam cujusque Sancti cum pietate coli, si quis 1. gratias ageret Deo, quod eum ab æterno prædestinasset, et vocasset ad gloriam, et per suas gratias perduxisset. 2. Si easdem gratias B. Virgini, S. Angelo custodi, aliisque Cœlitibus persolveret, quod ad ejus salutem, et gloriam fuissent cooperati. 3. Si ad Deum, et Sanctum illum pro iis sive vivis, sive mortuis, qui præcipuo eum colerent, aut coluissent honore, preces sterneret. 4. Si Deum studiose rogaret, ut ejus litterarum monimenta, si quæ forent, rerumque ab eo gestarum memoriam custoditam, et conservatam vellet. Denique si pares ejus ossibus, ubi essent, tribueret venerationis honores, et ex iis aliquid, unde se muniret et tueretur, exquireret. Valde præterea pium censebat, optare ac precari, ut, quæ Sancti, dum mortalem vitam agerent, habuissent de honore Dei, et proximorum salute vota, ea omnia complerentur, ut posset hac quoque ratione de singulis dici : Desiderium animæ ejus tribuisti ei; gratias etiam agendas Deo de donis universis, quæ ullo unquam tempore per Sanctos aliquo modo Ecclesiæ tribuisset. Super hæc animadvertit, ad Sanctorum auxilia emerenda commodissimum esse, Angelos venerari et allegare, qui eorum in terris custodiæ præfuissent. Ac proinde quotquot in cœlum e terris evecti sunt Sancti Viri, et fœminæ, eorum ipse custodes Angelos appellabat, perque hos ab illis, et a Deo alia, atque alia, ut conveniens erat, munera precabatur. Optabat, ut quod sibi deforet, præsertim in honorandis eorum sacris reliquis, ii conferrent, explerentque, quibus daretur adesse præsentibus. L. II, c. VI.

P. Marcellus Mastrillus præcipuo affectu Sanctum Franciscum Xaverium colebat, ad quem proinde cum in ultimo jam prope mortis articulo constitutus confugisset, memorabili prodigio ac favore sanitati restitutus est. *Vita* c. VII.

P. Cosmus Alammanius supputato Sanctorum numero, quotquot unquam invenire potuit, ne quem insalutatum relinqueret, semel minimum unicuique orationem Dominicam, et salutationem Angelicam recitabat. *Bibl. Scr. Soc. Jesu.*

Quidam e Societate nostra singulorum Divorum, quos per menstruam sortitionem acceperat, honorem ac laudes versibus celebravit, ut quot Sanctos acciperet, tot eos distichis ornaret. PAULUS BARUS, *in feder. Sanc.* c. II.

Joannes Berchman præter alios singulari studio S. Josephum colebat, fatebaturque se numquam ab eo in re ulla repulsam fuisse passum. *Vit. f.* 163.

Bernardi Colnagi nomen, cum virtutum multis admirabilitatibus, tum singulari in Antonium Patavinum, et Franciscum Paulanum pietate, in Italia tota celebratum est, quod familiariter cum illis quasi præsentibus ageret, quod fidens ab illis, quæ vellet cum peteret, atque auferret; quantis celebraret laudibus, vix possit explicari. De illorum laudibus miro animi sensu dicere, festos dies celeberrimos agere, hymnis, et plurimo carmine, quod illi facili, ac nitidissima vena fluebat, in eorum gratiam ludere; demum quum ipse humi cubaret, illorum sigilla in lectulo mollissime collocare, ut, quantum illis tribuerit, vel sic palam faceret, voluntariæ homo simplicitatis, quum alioquin divina, humanaque Philosophia, quam plures per annos explicaverat, longe esset illustrissimus. Sed ludente cum hominibus in hoc terrarum orbe Dei sapientia, quid adeo mirum sit, viros sapientia ac pietate insignes, cum superis ludendi quasi licentiam usurpare? cœli dignatio terræ audaciæ reprehensionem adimit, fiduciæ laudem relinquit. RHO. n. 4, *ex nostris.*

Quos Joannes Ledesma delegisset sibi patronos, eos quæsitissimis modis colebat, atque reliquos omnes ante, Josephum Dei parentis sponsum, mortalium omnium hac sua sorte felicissimum. Composuerat ipse horarias preces ad sacerdotalium imitationem, quibus patronos suos anniversariis ipsorum coleret celebritatibus. Eos porro dies ita transigebat, ut aut de Sanctorum felicitate, et quibus illam actibus invasissent, meditando cogitaret; aut in illis virtutibus, quarum ope ad tantam evaserant amplitudinem, se studiosissime exerceret, quod et amor similitudinem, et hæc amorem pariat. *Ibid.* n. 6.

Francisco Hortulano Coadjutori ex eadem Societate debet Sardinia tot Sanctorum pignora, quæ alte olim defossa, ne barbaris insulam invadentibus ludibrio essent, per oblivionem neglecta jacebant pariter, atque ignorabantur. Itaque haud dubio Divinitatis instinctu ad ea refodienda, atque in lucem, honoremque eruenda Episcopos, ac Magistratus adhortari Hortulanus, ac loca monstrare, avia sæpe, et nulla suspicione notabilia, ut mirarentur, qui scire potuisset. *Ibid.* n. 10.

Quam liberaliter Sancti etiam minima obsequia compensent, patet ex sequenti exemplo. Volebat quidam frater ex societate Jesu post omnia superiorum dissuadentium consilia, Christi castra deserere; unus aliquis e patribus hominis misertus rogavit, ut vel unum *Pater et Ave* paucis diebus in honorem S. P. Ignatii recitaret; importunis præcibus victus, promisit se facturum : et fecit, sed tam negligenter et tepide, ut puniendus potius ob socordiam et contemptum, quam juvandus, videretur : et hujus tamen tam projectæ orationis fructum aliquem sensit : cœpit enim angi animo, ut nullam quietis partem caperet; hinc noctu consurgens, et levandi animi gratia hortum suspiciosus inambulans, continuo splendido lumine circum omnia prope se coruscare videt, atque in medio lumine adesse S. Ignatium, cujus aspectu perculsus, animoque totus immutatus, ad pedes ejus procidens : O Pater, inquit, tantumne mihi confers gratiæ pro uno *Pater, et Ave?* Fili mi, respondit S. Pater, paucis ego contentus sum; oculoque benignissimo illum intuitus disparuit : ille tum humi procumbens, ac præ gaudio lacrimis madens et inconstantiæ pœnitens, reliquum noctis prostratus exegit : ubi diluxit, Superiorem convenit, veniam petit et impetrat; et sancte deinde vitam ad usque mortem in Religione, severus in se ipsum, et ubi aspectus et verborum S, Ignatii subibat recordatio, ubertim plorans, cum aliorum edificatione transegit. Ecce hoc unum *Pater et Ave,* amorem sanctum non modo imminutum, sed plane deperditum, misero homini invocatus S. Ignatius restituit, quid non impetrabunt in hoc genere, die natalitiis alicujus Sancti consecrato, ferventes preces, et obsequia cum ardore præstita? PENNEQ. p. 3, *Isag.* c. XXI.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut Pharao Rex Ægypti fecit Josephum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo flecterent; ita Deus quoque non modo ipse Sanctos suos honorat, sed etiam, ut ab aliis honorentur præcipit. GEN. XLI.

Sicut Rex Assuerus Mardochæum vestibus regiis indui, regio diademate coronari, super equum regium imponi, per plateam duci, et a primo de regis ministris proclamari jubebat : Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare; ita Deus quoque Sanctos stola suæ gloriæ vestiri, ab Angelis per plateam cœlestem duci, imo et ab hominibus universis honorari cupit. ESTH. VI.

Sicut injuriam Principi non facit, qui per familiarem ipsius quidquam ab eo postulat, ut tanto facilius ejus commendatione fretus accipiat; ita nec Christo injuriam facit, qui per Sanctum aliquem varia a Deo dona impetrare desiderat, et conatur. BEIRL. th. XI. *In festo com. SS.*

Sicut qui alterum honorat, aut amat, etiam amicos ejus, et famulos, et imagines in pretio habet, et amat; ita qui Deum sincere diligit, etiam Sanctos velut intimos ipsius amicos, fidelissimos servos, atque imagines perfectissimas, magni æstimat, et veneratur. *Anonym.*

Sicut ii, qui principis alicujus favore et beneficiis opus habent, ante omnia eorum, quos illi intima familiaritate conjunctos esse norunt, gratiam et intercessionem aucupantur; ita cum quivis homo Divina gratia et favore summe indigeat, ipse autem ob suam vilitatem iis indignus sit, Sanctorum patrociniis ea obtinere conatur. *Idem.*

ÆQUITAS. — Sicut Josephum adorarunt fratres, quia eum Principem in Ægypto constitutum, et in manu ejus omnia tradita esse advertebant; ita multo æquius veneramur Sanctos, qui amici Dei sunt, et principatum in regno ejus obtinuerunt. FAB. *conc.* V, *in festo SS. com.*

Sicut modica aquæ gutta multo vino infusa saporem et colorem vini induit, ideoque plurimum amatur ac appetitur; ita cum Sancti Deo per charitatem intime sint uniti, merito etiam propter Deum singulariter honorantur, et amantur. S. CYPRIA. *de Sing. Cleric.*

UTILITAS. — Sicut viri fortes, cum murus hostium tormentis et machinis dejectus est, ibi se maxime hosti sistunt, et opponunt; ita Sancti, cum sciant humanum genus in terris existens quotidie magis debilitari, iramque Dei promereri, huic maxime parti subvenire conantur (GRAN. *in loc. com.* s. LXIII), unde S. David dicebat : Dixit, ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus. *Psal.* CIX, 23.

Sicut luce adveniente ægritudines alleviantur, homines a somno excitantur, aves canunt, et bestiæ ad latibula fugiunt; ita Apostolis, aliisque Sanctis, de quibus Christus dixit : Vos estis lux mundi, advenientibus, fuit ædificatus in credendis, fœcundatus in bonis operibus, alleviatus a peccatis, excitatus a negligentiis, animatus ad contemplationem cœlestium, ereptus e potestate dæmonum, et quotidie hoc iterum a Cœlitibus experitur. *Ibid.*

Sicut pauperes, cum thesauros regios aspiciunt, suam paupertatem amplius agnoscunt; ita et anima magnificas Sanctorum virtutes contemplans, mentem suam amplius humiliat. S. CLIM. *gr.* l. XI.

Sicut milites vehementer animantur, cum vident aliquos ex commilitonibus jam muros conscendisse, et vexilla manibus tenere; ita cum victorias Sanctorum festive celebramus non parum excitamur ad eas pro viribus æmulandas. Fab. *conc. s. festo Mar.* n. 4.

Sicut milites vulnera in præliis inflicta Regi monstrantes, fidenter loquuntur; ita et Sancti absecta capita gestantes, et in medium afferentes, quæcumque voluerunt, apud Regem cœlorum impetrare possunt. S. Chrys. *S. de SS. Inv. et Max.*

Sicut ex igne naturaliter emicat splendor, et ex unguento odor diffunditur; sic ex Sanctorum memoria ad omnes provenit utilitas. Hinc S. Chrysostomus : Si virtutis cultores sæpius tecum recenseas, in humilitatem et compunctionem, in virtutum studia facile teipsum perduces. *Hom.* lxv, *in Matth.*

Sicut Noe et filii in arca salvi, periculum vitæ ex diluvio amittendæ evaserunt; ita homines diluvium æternæ damnationis declinant, si mature ad arcam spiritualem, id est, Sanctorum (quos arca illa significatos putat Sanctus Ambrosius) intercessionem confugiant. S. Ambr. *l. de arc Noe,* vii.

Sicut cervi nullo veneno serpentis lædi possunt, ipsi autem oris halitu serpentes ad se trahunt; ita Sancti virtutis odore omne venenum peccati consumunt, ac peccatores verbo prædicationis ad se trahunt. Beyelinck *them.* iii, *in festo Visit.*

Dignitas. — Sicut pilos Regis, quamdiu mento illius adhærent, nemo audet contingere, at ubi a tonsore resecti sunt, in sterquilinium mittuntur, et pedibus conculcantur; ita qui Sancti per gratiam Christo uniti sunt, ab omnibus honorantur; peccatores vero qui ab eodem separati sunt, merito contemnuntur, et in figmentum inferni projiciuntur. *Gran. in l. comm. Sanct.*

Sicut stellæ cœli, quia in firmamento positæ fulgore suo mundum illustrant ac recreant, omnium ad se oculos trahunt, et suspiciuntur; ita beati, quia exemplorum suorum radios in nos vibrarunt, jure merentur, ut a nobis suspiciantur, invocentur, et honorentur, *Anonym.*

MOTIVA

Quia sic honor Dei exigit : nam honoramur reliquias Martyrum, ait S. Hieronymus, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus : honoramus servos, ut honor servorum redundet in Dominum, qui ait : Qui vos suscipit, me suscipit. *Epist* xxxv.

Quia ipse Deus exemplo invitat : dum nimis honorificat servos suos, teste David, (*Ps.* cxxxviii, 17.) quis ergo non ut Deo se conformet, et placeat, totis viribus Sanctos colat, sibique illud Assueri dictum applicet : Hoc honore condignus est, quemcumque Rex voluerit honorare. Esth vi, 11.

Quia sic ipsorum Sanctorum dignitas, dotesques merentur : sic enim, teste S. Bernardo, virtus mater gloriæ est, et illa sola est, cui gloria jure debetur, et secure impenditur; quidni Sanctos, qui ob virtutem suam a Deo tantopere sunt exaltati et beatificati, omni honore dignissimos judicemus? *In serm.*

Quia ipsa gratitudo duplici titulo ad omnem honorem et amorem Sanctis impendendum obligat. 1. Ob amorem, et laudem, quo beati indesinenter, et ardentissime Deum prosequuntur, quem proinde pluris facere debemus, quam si nos ipsos simili amore prosequerentur. 2. Ob beneficia nobis exhibita, et deinceps quoque exhibenda, cum illi omnes felicitatem summe desiderent, et vehementer cupiant, quidquid ad salutem nostram potest conferre. Si ergo nobis incumbit, ne unius quidem vilissimi hominis erga nos benefici memoriam ponere, quanto magis tantos, et nostræ salutis tantopere studiosos Cœlites æstimare, atque in memoria, et pectore habere conveniet? Barry *in Fœd. Sanct. præfat.*

Quia necessitas nostra ad similem cultum nos compellit; cum enim nihil a Deo, nisi per preces, obtinere possimus, nostræ autem preces imperfectæ admodum et inefficaces sint, merito potentiores nobis advocatos quærimus, quorum intercessionibus id, quod possibilitas nostra non obtinet, impetremus.

Quia utilitas nostra eumdem cultum suadet : tum quia per familiarem cum ipsis conversationem eorum mores imbibimus, et sanctitatem participamus : tum quia, quo majorem hic familiaritatem cum illis contraxerimus, tanto digniores nos eorum patrocinio, favoribusque efficiemus.

Quia ad gaudium nostrum in hac et altera vita augendum non modice conducit hic cultus : si enim unius fidi amici recordatio amantem exhilarat; si sola hominis bene de nobis meriti, aut magnatis bene nobis affecti memoria, omnia fastidia expellit, animumque serenat; quid memoria, affectus, et colloquia cum tot millenis fidissimorum, qui unquam fuerunt, amicorum, cum his aulæ cœlestis proceribus efficient? quantum gaudium olim percipiet ejusmodi cultor in cœlo, si subito in sua gloria aspexerit eos, quos tantopere in hac vita diligebat et obsequiis suis demeri tam solicite studuerat? BARRY, l. II.

Quia proximi etiam amor ad talem cultum nos excitat : cum enim tantum intersit (inquiebat recte P. Petrus Faber) pietatis publicæ summorum principum ad eam propensos habere animos, rectissime sane concluditur, cœlestium omnium tanti esse suffragia, ut vel unius præsidium plus efficacitatis habeat ad corrigendos hominum mores, quam cunctorum edicta Regum, industriique conatus, ut supra etiam, et § 6, n. 6, insinuatum est. L. II, *Vit.* VI.

MEDIA.

Frequenter Sanctorum modo beatitudine fruentium sanctitatem, sapientiam, et dignitatem ponderare; inde enim crescet non modice æstimatio, cupiditasque, tantos Dei amicos, cœlique Principes omni studio demerendi.

Pariter eorum erga nos homines charitatem; et solicitudinem ponderare; nam, ut recte observavit S. Bernardus, latitudo cœli dilatat corda, non arctat : exhilarat mentem, non alienat : affectiones non contrahit, sed extendit. In lumine Dei discitur, quod nescitur : non dediscitur, quod scitur. In lumine Dei serenatur memoria, non obscuratur. *Ser.* II, *de S. Victor.*

Beneficia et favores hactenus ab iis acceptos memoriæ frequenter animoque objicere; hi enim totidem sunt carbones, quibus noster erga sanctos Cœlites amor, et devotio inflammatur.

Frequenter cum iisdem per preces et suspiria conversari ; neque enim quidquam aliud tam efficax est ad hunc amorem augendum et firmandum, quam ejusmodi crebra conversatio, ut ipsa experientia docet.

Eorum egregias virtutes, et facinora præclara animo frequenter volvere; sic enim ad æmulationem laudabilem, et piam venerationem excitabimur.

Singularem ad eos in omnibus necessitatibus fiduciam constanter tenere ; sic enim fructuum ex eorum familiaritate haustorum suavissimus gustus ad eamdem omni studio conservandam et augendam incitabit.

Sanctitati et unioni cum Deo insigniter studere ; sic enim quo arctius conjuncti uni tertio fuerimus, tanto etiam inter nos conjunctiores, familiarioresque evademus.

ASCETICA.

Tria sunt, quæ de hac virtute noscenda, aliisque inculcanda sunt ab Asceta. Primum est, *ut bene cognoscat fundamenta, quibus totus hic Sanctorum cultus et amor innititur*, quæ quidem alia non sunt, quam motiva ad dictum cultum impellentia, et supra quidem fusius sunt explicata, brevius tamen ad tria genera reduci possunt, nempe 1. ad motiva ex *parte Dei :* nempe ad voluntatem, voluptatem, et gloriam, quam ipse percipit ex eo, quod sui intimi amici, et ipse in eis tantopere honoretur. 2. *Ex parte ipsorum Sanctorum;* nempe ad sapientiam, pulchritudinem, potentiam et sanctitatem, præcipue vero ardentissimam charitatem, qua Deum et nos prosequuntur. 3. *Ex parte nostra ;* quia scilicet tot *spectatores* nobilissimos nostrorum operum : tot facundissimos *advocatos* in necessitatibus : tot potentissimos *protectores* in periculis habebimus, quot Sanctos nobis nostris obsequiis demereri studuerimus.

Alterum est, *ut sciat, quos præcipue Sanctos, et quo ordine, venerari debeat.* Qua quidem in re optimus videtur ordo, quem ipsa S. Mater Ecclesia observat, dum Sanctos in varias classes distinguit, et aliquos quidem in prima, alios in secunda, alios sub duplici, alios sub semiduplici, vel simplici ritu coli præcipit, non quod non omnes magnifaciat, aut coli desideret, sed ut majora unius præ altero erga fideles esse merita ostendat, atque adeo ad majora etiam grati animi signa demonstranda excitet. Unde licet particularibus Sanctis sua certa festa assignet, aut eorum sub sacrificio, aut officio Divino suffragia imploret, non tamen omittit, suum etiam omnibus Sanctis festum attribuere, aut eorum suffragia conjunctim implorare. Simili ergo modo suadeat Asceta, ut et privatæ personæ patronos suos in certas classes distribuant, et in prima quidem B. Virginem, in secunda S. Joseph, S. Angelum Custodem, Sanctum, cujus nomen in Baptismo acceperunt, et si Religiosi sunt, fundatorem sui Ordinis, aut alios, si quibus, vel specialiter obstrictos, vel alio quovis titulo magis addictos se profitentur : in tertia patronos minus principales, quos propter varios fines sibi colendos elegerunt, in quarta Sanctos Menstruos, et Sanctos illius diei; in quinta omnes reliquos Sanctos collocent, itaque secum decernant, ut cogitationes, verba, et opera sua omnia primario quidem ad Dei, Christi, B. Virginis aliorumque Sanctorum honorem ordinet, postea vero etiam ad omnium Sanctorum honorem et gloriam cedere velit; sic enim eos omnes tum pro spectatoribus suorum operum, tum pro advocatis et patronis habere merebitur. Nec timeat, ne, dum omnes colere statuit, singulorum honorem minuat; nam cum omnes summa inter se, et cum Deo charitate conjuncti sint, gaudebunt potius optabuntque, ut alii omnes et etiam secum honorentur et Deus in singulis amplius magnificentiusque glorificetur.

Tertium est, *ut solitum sciat modum eosdem honorandi*, qui quidem in talibus potissimum capitibus consistere videtur. 1. Ut certis quibusdam obsequiis annuis, hebdomariis, aut quotidianis suum erga illos affectum, et amorem contestetur, qualia v. g. sunt, eorum festa præmisso jejunio, aut abstinentia, flagellatione, aut cilicio, confessione item, et communione, et si fieri potest, etiam eleemosyna pauperi collata, celebrare; quotidie litanias, vel omnium Sanctorum, vel specialiter hunc in finem compositas recitare; eorum reliquias, et imagines pio, et religioso cultu venerari etc. 2. Ut in omnibus necessitatibus ad eosdem cum tenero fiduciæ sensu confugiat. 3. Ut eos in omnibus quidem virtutibus, præcipue tamen in optimæ et perfectæ vitæ studio, imitari studeat, certoque sibi persuadeat, hunc cultum fore gratissimum Sanctis, tum quia *purissimus* est, tum quia *amplissimus*, utpote universa vitæ totius opera complectens, tum quia *constantissimus*, utpote ad finem usque vitæ perseverans, nec per ipsam etiam noctem aut quietem interruptus. Unde merito quivis horum Sanctorum devotus cliens verissimam illam S. Augustini sententiam in mente, et memoria habere debet : Vis semper laudare Deum? quidquid agis, bene facito, et laudasti Deum : aut notum illud distichon :

> Sanctorum est cultus gratissimus optima vita.
> Hunc si reddideris, quæ petis, accipies.
>
> *In Psal.* CL.

F. Pennequin paulo aliter de hac materia, et quidem sic discurrit : *Sancti tripliciter considerari possunt* 1. *Prout simul constituunt cælum, et Ecclesiam triumphantem in cælis, ac simul omnes coli, et honorari possunt.* 2. *Prout quisque eorum natali et festo die ab Ecclesia militante celebratur in terris.* 3. *In quantum aliquot eorum in patronos elegimus aut forte accepimus, ad mensem, vel etiam omnem vitæ decursum.* Quantum ad primum attinet, non est dubium, quin amor sanctus in suorum animis magnam imprimat cœlestis illius Jerusalem æstiatimonem, in qua cœlestes cives laureati triumphant, et amicti paludamentis gloriæ, in supremi Numinis laudibus, et amore sine satietate perennant. Collige animo, quidquid unquam splendidum, et magnificum oculos spectantium admiratione sui tenuit defixos, et lutum reputabis, si cum unico gradu gratiæ, multoque magis gloriæ, conferatur : quid jam erit, si cum illa sanctorum multitudine luminibus gloriæ undique coruscante conferatur? Jam vero, si ut quidam volunt, charitas patriæ specie a charitate viæ differt, atque ubi id contingit, inferioris speciei eminentissima perfectio ad minimum superioris speciei gradum pertingere, ut dicunt, non potest; adeoque minima patriæ charitas, quidquid unquam in mortalium pectoribus flammarum arsit in via, purissimo sui ignis splendore antecellit; quam optabile est alis amoris et fidei ad illam cœlestem curiam evehi, atque ibi non transcursim, sed aliquo tempore inter ista charitatis immensa incendia Sanctos contemplari, et eorum flammis incalescere. Ita agebat Paulus, et ut alii imitarentur, optabat, cum diceret : *Nostra conversatio in cœlis est.* Quam dulce est, Jesum Christum inter millia millium, auro gemmisque cœlestibus fulgentium, eumque unice amantium, et immensis laudibus extollentium, splendidissimo super cæteros gloriæ amictu radiantem intueri! quis ex tali conspectu totus flammis sanctissimi amoris non inardescat? Quis Christo de tanta gloria, tot spoliis, quis Sanctis de Christi consortio, de tanta in illos munificentia, de amicitiæ gloriosæ æternitate, non congratuletur? Apparuit aliquando Sanct. Pater noster Ignatius cum nomine Jesu in corde litteris aureis descripto, ut, quanto ejus amore arserit in terris, et nunc in cœlis ardescat, ostenderet : non dubito, quin beatorum quisque hoc sanctissimum Nomen stylo amoris pectori habeat insculptum. O gloriosa amantium spectacula, et ad inflammandos mortalium frigidos animos opportuna! Itaque si cœtum illum Beatorum honorare volumus eisque gratificari, gratulemur illis, et una exultemus quod Deus illos æternæ suæ gloriæ non tantum consortes, sed velut præcones, fecerit : agamus cum illis Sanctissimæ Trinitati pro tantis in illos collatis beneficiis prolixas gratias : congratulemur Christo de tam excellenti laborum suorum messe, et tot voluntariis amoris sancti in æternum captivis : hoc enim maxime a nobis exigunt Sancti, ut scilicet omnium corda in amorem Christi, laudationemque continuam rapiantur; et quid illis a nobis votum offerri potest acceptissimum, hoc est, ut cum illis ad amorem Christi purissimum et intensissimum, Dei gratia opitulante, aspirare, et occurrere aliquando possimus. *Penneq. in Isag.* p. 2, XXI, n. 1.

Ut vero intelligatur, quomodo quilibet Sanctorum die suis honoribus singulariter dedicato colendus sit, considerandi veniunt quatuor amores. Unus, quo Deus illum ab æternitate gratuito amore e multis millibus elegit ad gloriam, ac seriem gratiarum toto vitæ decursu et liberaliter suis temporibus dandam cum sancta usque in finem perseverantia, ac deinde gloriæ sempiternæ corona, decrevit; qua jam ipse inter Dei amabiles amplexus, et gratiarum actiones immortales fruitur in cœlis. *Ibid.*

Alter est amor Jesu Christi, quo sanctum illum prosecutus est in terris, et cum isto jam conglutinatur in cœlis; dum viveret inter hujus vitiæ discrimina, eum protexit, ejus vulnera Sanguine suo abluit, et in meritorum suorum communionem sæpius admisit, et tandem felicitate perenni cumulavit. Si singula arenæ grana toto mundo dispersa in tot Seraphinorum myriades commutarentur, imo si omnes res creatæ, quæ de facto sunt, et quæ creari possunt, in tot cœlos tot Seraphinorum myriadibus plenos verterentur, qui, quantum vires ferrent, supremum Numen amarent : numquam tamen æquarent amorem, quo vel minimum Sanctum Christus tota æternitate prosequetur : O incomprehensibile amoris incendium!

Tertius amor est ipsius Sancti erga Deum, et Dominum nostrum Jesum Christum : cum enim æternam illam supremæ Majestatis pulchritudinem, et bonitatem proprius divino lumine adjuti contuentur, atque infinito, si dari posset, amore dignum vident, in flammas amoris toti obeunt, et interminabili illo pulchritudinis et charitatis oceano penitus absorbentur. Cum vero in Christi humanitatem oculos convertunt, et illam propter immensæ gloriæ, donorumque prærogativam summe amabilem aspiciunt, et insuper coronam immortalitatis, quam gestant, ejus meritis contextam, et paludamentum gloriæ, quo respendent, ejus cruore, velut gemmis, respersum tinctumque cognoscunt, et insuper ab illo se amari intentisissime, et in æternum amandos, ac ejus amabili societate fruituros, clare contemplantur, quibus, quæso, putamus amoris ignibus illos accendi? S. Birgittæ inter orandum Sanctorum in cœlo regnantium unus aliquis apparens, hæc dixit : Si qualibet hora, qua in mundo vixi, mortem pro Deo sustinuissem, et semper iterum revixissem, numquam tamen his repetitis suppliciis et mortibus, grates beneficiis pares referre possem; numquam a gaudiorum ejus participatione, numquam ab ejus gloriæ conspectu, numquam in ejus societate exultantium cantu, et harmonia percipienda, vel momento desistere possem.

Ex his deducitur, 1. *Sanctos, qui in cœlis regnant, eos omnes honores, qui diebus eorum natalitiis ab Ecclesia deferuntur, supremo Numini, a quo gratiam conferente, et merita coronante, proficiscuntur, in grati animi argumentum offerre.* Si enim Joannes in Apocalypsi vidit seniores ante thronum Dei procumbentes, et coronas gloriæ capitibus detractas ad pedes ejus deponentes : quorsum, quæso, id etiam non facerent de omnibus honoribus, ab Ecclesia militante collatis : 2. Deducitur, *hoc etiam habere in votis, ut quidquid singuli vel jejunando in pervigilio, vel Sacramenta pœnitentiæ et Eucharistiæ ipso eorum natali die usurpando, aut divinis officiis assistendo, quidquid, inquam, obsequiorum, honorum, laudum congerimus, hoc ad gratias Deo pro ipsis agendas, et in honoris divini amplificationem, quam maximo affectu a nobis referatur :* neque enim sibi vivunt, aut triumphant, sed Deo soli, cujus bonis affluunt, et absorbentur.

Quartus amor est Sancti erga cultores suos, ad quos juvandos, et amore divino inflammandos, toto fertur affectu. Si enim Sanctus ille, dum viveret, tanto salutis alienæ ardebat desiderio, si omnes ad amoris sancti signa sequenda excitabat; quid nunc aget in cœlis, ubi æternis charitatis flagrat incendiis? quæ spes tam optatæ flammæ obtinendæ se offert, cum tot ad illam mihi procurandam, et dandam vota concurrunt? Si centum e Sanctis illustrioribus, quorum ingentem in Deum charitatem flammei radii circa eorum capita coruscantes ostenderunt, in unum simul conspirarent, ut junctis precibus pro amore sancto mihi impetrando apud Deum ardenter agerent, rem ego tum confectam, et me votorum meorum compotem continuo futurum esse crederem, cur non etiam modo?

Circa festorum Observationem. — Hanc specialiter Ecclesiasticis convenire, sequenti discursu probat Joseph Mansi : Apud S. Lucam Salvator noster a malignis Scribis et Pharisæis cinctus, mirabilem iis quæstionem proposuisse legitur : *Cum intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum : et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum : et respondens Jesus dixit ad legis peritos : si licet Sabbato curare?* Supervacanea hæc quæstio fuisse videtur; quis enim eo melius scire poterat, licitumne, an vero illicitum esset, in die festo sanare infirmum, quando is idem ipse erat, qui hoc præceptum Sabbati colendi condiderat? cur ergo hanc iis interrogationem fecit? nimirum, quia omnis Christi actio nostra est instructio, ideo tametsi hoc licitum esse sciret, Doctorum tamen Legis, Sacerdotum, et Capitum Synagogæ opinionem desuper exquirere voluit, ut in hoc tam anxio sanctificationis festorum puncto nos instrueret, quod quando in iis quid operandum est, quod apparenter juxta exilem vulgi capacitatem dubium est, an sit servile, an non, prius a peritis, et maxime a superioribus poscendum sit consilium, eorumque requirenda sententia, non vero juxta proprium cujusque cerebrum procedendum. Mansi *disc.* ii, n. 7.

Modum vero convenientissimum talia festa celebrandi sequens historia indicabit : In libro, *Summa Prædicantium* intitulato, de quodam, qui certo cuidam Sancto valde se ferventer commendabat, refertur, quod idem Sanctus diu vocatus affuit, quærens, quid tantum ad eum clamaret? cui alius : Inter omnes Sanctos, post Deum, et Matrem ejus, tu es specialiter amicus meus, et in te plus confideo, ideo ad te in necessitate mea clamo. Sed quale hunc hominem a dicto Sancto responsum retulisse, putatis? num forte in præbendo ei auxilio repulsam dedit? at minime, quin potius eidem dixit : Quomodo amicus ero inimico Domini mei? si vis, quod sim amicus tuus, vel te audiam, fac prius quod tu sis amicus Dei; quis enim apud mundum istum auderet amicitias ostendere inimico, et proditori Regis? tandem dictus scriptor his terminat verbis : Ad hoc ergo, ut in diebus festivis Deus, et Sancti tibi propitientur, *memento, ut diem Sabbati sanctifices :* id est, sic teipsum dispone, ut tu sanctus sis in die festo. Hinc inter alia a Sanct. Francisco Seraphico suis relicta monita, hoc quoque recensetur : Festivitates Domini, et aliorum Sanctorum magis honorantur inopia et paupertate, per quam ipsi cœlum ingressi sunt, quam curiositate et superfluitate, per quam omnia elongantur a cœlo.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Laudate Dominum in Sanctis ejus :* explicari potest modus, quo sancti Cœlites colendi sunt, nimirum corde, ore, re. Quem in finem narrari potest, quod Philippus Diez, et alii de eremita narrant, qui cum scire desideraret, quodnam Deo gratissimum munus foret, per diabolum in speciem Angeli boni transformatum intellexit, nihil Deo gratius offerre eum posse, quam si medietatem lunæ, rotunditatem solis, et quartam partem rotæ offerret : quod cum is non intellexisset, ideoque explicationem a Deo petiisset, verum Angelum apparuisse, dixisseque, per medietatem lunæ litteram C, per rotunditatem solis litteram O, per quartam rotæ partem vero litteram R significare, atque adeo per omnes tres litteras conjunctas cor indicari, quod ex omnibus donis, quæ Deo dari possunt, gratissimum est : hinc istud solum per Salomonem petiit dicens : Præbe, fili mi, cor tuum mihi. (*Prov.* xxiii, 26.) Simili ergo modo dicatur, Sanctos nihil aliud petere, quam cor, id est ut obsequia tribus litteris hoc vocabulo contentis præstemus. Et 1. quidem *corde* colamus, virtutes et gesta illorum frequenter recolendo, et magnam de illis æstimationem concipiendo. 2. *Ore* prædicemus, tum eadem illorum gesta frequenter commemorando et laudando, aliosque ad eorum venerationem, et imitationem incitando, tum in necessitatibus eosdem cum magna fiducia invocando. 3. *Re,* id est, opere, varia in eorum honorem obsequia præstando virtutes illorum imitando, et quod gratissimum esse priori paragrapho in finem insinuatum est, optimæ vitæ purissimum, amplissimum, et perpetuum cultum exhibendo. Vide Fabrum conc. VI, in Festo omnium Sanctorum.

Ex occasione thematis. *Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare* (*Esth.* VI, 9.) ostendatur, quomodo Deus Sanctos suos honorarit, scilicet ad morem, quo olim Rex Assuerus Mardochæum honoravit. Nam 1. et ipse eos induit vestibus regiis, seu stola gloriæ immortalis, quæ plus eos exornat, quam ullum hominem vestes quantumcumque pretiosæ. 2. Super equum Regis positi sunt, quatenus per gratiam Dei (de qua dixit Thomas Kempensis : Suaviter equitat, quem gratia Dei portat) (L. II, IX, § 1.) ita roborati sunt, ut ab omni peccato et perturbatione liberi, suavissime in Deo requiescant. 3. Coronavit eos diademate, juxta illud Davidis testimonium; Gloria, et honore coronasti eum, Domine, et constituisti eum super opera manuum tuarum. (*Ps.* VIII, 6.) Et iterum : Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. (*Ps.* XX, 4.) 4. Per ministros quoque suos primarios in cœlum deduci jussit, scilicet per Angelos, sicut olim Lazarus eodem est deportatus. Dic ergo, nihil aliud superesse, quam ut nos quoque eos honoremus, et genua flectamus, id est, varia submissionis, fiduciæ, reverentiæ, et laudis obsequia exhibeamus.

Ex occasione thematis : *Omnes honorate :* (I. *Pet.* II) explicentur causæ, cur Sancti omnes a nobis specialiter honorandi sint, scilicet 1. propter Deum, qui honorem illum ut suum reputat, et perinde ut Assuerus Mardochæum, ita ipse Sanctos a nobis honorari cupit. 2. Propter ipsos, quia sunt intimi Dei amici, et Principes cœli, et summa sapientia, ac sanctitate præditi, qui tituli soli vere honorem merentur. 3. Propter nos, quia in iis spectatores dignissimos et sapientissimos, advocatos fidelissimos et facundissimos et protectores potentissimos habemus, quod merito magno nobis solatio esse, atque ad favorem tantorum patronorum omni studio demerendum non leves stimulos addere debet. Vide Fabrum conc. 5 in festo Omnium Sanctorum.

Ex occasione thematis : *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum ; stella enim differt a stella in claritate, sic, et resurrectio mortuorum.* (I. *Cor.* XV, 41.) potest ostendi diversitas gloriæ Sanctorum, et salutares inde doctrinæ hauriri. In priori ergo parte ostendatur ipsa diversitas, nempe quod Christus merito solis splendorem obtineat ut qui sit splendor, et figura substantiæ Patris sui. B. Virgo vero, cum inter Sanctos velut inter ignes luna minores resplendeat, merito lunæ præconium obtineat ; reliqui vero Sancti stellis merito comparentur, quos proinde in claritate diversos esse, patet ex triplici capite, nempe ex *diversitate temporis,* quia aliqui serius, alii citius, Deo servire, meritaque congregare cœperunt ; alii ante, post alii rationis usum ex hoc mundo translati sunt : ex diversitate *statuum,* et *officiorum :* ut enim etiam in aulis, quo dignius quis habet officium, tanto majus etiam habet salarium, si eo munere bene fungatur ; ita in cœlesti quoque aula majus utique præmium erit illius, qui Deo in salute animarum cooperatus, officio omnium officiorum divinissimo, ut S. Dionysius vocavit, functus est, quam qui suæ tantum saluti invigilavit, et ex diversitate *fervoris,* quam ob causam Christus in parabola de operariis vineæ dixit, etiam eos, qui ultima hora in vineam vocati sunt, par præmium accepisse, quia scilicet defectum temporis fervore actionis compensarunt. In secunda parte ex hac doctrina tria corollaria eruantur. 1. Quod nemo de Sanctorum meritis et præcellentia multum altercari debeat, quia, ut Thomas Kempensis loquitur, talia velle scire (cum Deo soli nota sint) nullum fructum afferunt, sed magis Sanctis displicent. Sed neque de hominibus in terra adhuc existentibus hujusmodi judicia ferenda sunt, quia, ut idem auctor ait, merita non sunt ex hoc æstimanda, si quis in altiori ponatur gradu, sed si vera fuerit humilitate fundatus, si Dei honorem integre semper quærat etc. 2. Quod nemo alteri invidere debeat talenta et fortunam suam, cum et ipsi Sancti sua sorte contentissimi sint, nec alteri majorem felicitatem invideat, sed omnes in justissima Dei voluntate, et distributione aquiescant. 3. Quod nemo tristari debeat, vel ob humilitatem status, vel ob tenuitatem talentorum, vel virium impotentiam, cum non ille, qui plus accepit, sed qui melius impendit, in gloria major sit futurus; hinc Christus etiam illi, qui non nisi duo talenta acceperat, dixit : Quia super *pauca* fuisti fidelis, supra multa te constituam. Vide Henr. Engelgrav. in Dom. 4, quad. § 2. l. III, c. LVIII, § 2. l. III, c. VII.

Ex occasione thematis : *species cœli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis.* (*Ec.* xliii, 10.) potest dici per has stellas recte Sanctos intelligi, utpote qui sunt pulcherrima cœli empirei species, et decor; præcipue tamen ob tres causas stellis recte comparentur. *Ob multitudinem :* de his enim recte dicitur, quod Deus Abrahamo dixit : Suspice cœlum, et numera stellas, si potes. Certe non desunt, qui dicant, in solo Martyrum ordine tot Sanctos in cœlis reperiri, ut si in singulis anni diebus distribuerentur, quovis die ultra triginta millia proponi posset. 2. Ob *perfectionem* : quam indicat rotunditas stellarum, quæ tanta est, ut minima stella decies octies mundum superare magnitudine dicatur, licet nobis vix pila major esse videatur; sed major longe est Sanctorum perfectio, utpote qui in Deum perfecte absorpti, nihil nisi de Deo cogitare, loqui, et agere possunt, et nunc vere implent, quod Christus olim discipulis dixit : Estote perfecti, sicut Pater vester in cœlis perfectus est (*Matt.* xii, 48). 3. Ob *effectus* : illuminant enim, recreant, et ad vitam animæ pariter ac corporis conservandam conducunt, ut facile per varia exempla ostendi potest.

Ex occasione thematis : *Et Palmæ in manibus eorum :* (*Apoc.* vii, 9.) dici potest, non immerito Christum, quando Jerusalem olim ingressus est, a turba palmas in manibus ferente exceptum (Matth. xi, 12); voluisse enim per hoc indicare, quod, cum regnum cœlorum vim patiatur et violenti rapiant illud, nemo in cœlestem Jerusalem sine palma, id est, sine victoria sui admittendus sit. Ostendatur ergo. 1. in quo consistat victoria sui, nempe in subjiciendo voluntatem nostram Divinæ; nam ut recte quidam ex antiquis Patribus quæsitus, quæ arcta esset via ad cœlum? respondit : arcta via est, ut quis cogitationibus suis violentiam faciat, et abscindat propter Deum voluntates suas, hoc enim est scriptum de Apostolis : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te (*Vit. PP.* l. V, *lib.* xii). 2. Quam nobilis sit hæc victoria, tum propter hostis magnitudinem (quis enim habet fortius certamen, quam qui nititur vincere seipsum? ut recte Thomas Kempensis dixit(tum propter temporis diuturnitatem (non enim una tantum, aut altera hora, vel die, sed per totam vitam durat hæc lucta) tum propter prælii difficultatem; non enim procul, aut sub muro, sed cominus cum hoste pugnandum est. (L. I, iii, § 3.) 3. Quantopere ad hanc victoriam conducant Sancti, tum aspectu suo, quatenus agonem nostrum spectant, et animos præsentia addunt sua? tum exemplo, quatenus victoriæ consequendæ spem excitant : tum adjutorio, ob quod jure animæ nostræ illud Elisæi dicere possumus : Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. IV. *Reg.* vi, 16.

Ex occasione thematis : *Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes sub honore SS. omnium :* (*Ec. in introi. Miss.*) doceri potest, quomodo pie et fructuose sanctorum festivitates celebrare debeamus, eumque in finem usui esse potest sequens Sanct. Bernardi sententia : Tria sunt, quæ in Sanctorum festivitatibus vigilanter considerare debemus, auxilium Sancti, exemplum ejus, et confusionem nostram; quæ tria fusius explicata vide supra § 3, num. 1. Possunt etiam pro singulis punctis servire sequentes historiolæ. Et pro primo quidem historia Abbatis Moysis discipulo suo, qui consilium pro tentationibus, quas gravissimas pati se querebatur, vincendi petebat, nunc ad occidentem, ubi ingens infernalium hostium exercitus cernebatur : nunc ad orientem, ubi major cœlestium spirituum numerus apparebat, atque ad spem in ipsis ponendam excitavit, respicere jussus est. Pro secundo puncto servire potest historia, quæ de Sanct. Augustino narratur, quod scilicet, cum continentiam servare se posse desperaret, castitas multis pueris et puellis comitata eidem apparuerit, et subridens dixerit : Numquid tu non poteris, quod isti et istæ potuerunt? Pro tertio servire poterit historia Monachi, qui cellæ suæ inscripsit : altissima paupertas, angelica castitas, perfectissima obedientia, summa humilitas, ut quoties insurgeret superbiæ tentatio, virtutum harum lectione tandem reprimeret. *Serm. in Vig. Apo. Petri, et Pauli.*

Ex occasione thematis : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei :* (*Actor.* xiv, 12) excitare potest auditores ad viam crucis post Sanctos alacriter, fortiterque currendam, eo quod omnes conditiones ad viam optabilem requisitas contineat. Est enim 1. via *certissima :* nam juxta pium Ascetam, non est salus animæ, nec spes æternæ vitæ, nisi in cruce. (L. II, xii, § 2) 2. Est via *rectissima, seu brevissima :* quia non sinit homines in viis aberrantibus et flexuosis vanarum delectationum morari. 3. Est via *tris-*

tissima : quia omnes Sancti eam calcarunt Christi vestigia secuti. 4. Est *via jucundissima :* quia secundum multitudinem dolorum, consolationes Divinæ lætificant ambulantes in ea, teste Sanct. David (*Ps.* XXXIX, 19); hinc S. Paulus de seipso fassus est : Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra (II. *Cor.* II, 4). 5. Est *securissima :* quia hostes ab eo longissime fugiunt, ut Ecclesia in officio canit : Ecce signum Crucis, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda. Hinc eadem alibi psallit : Omnes Sancti, quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam martyrii. Quid ergo times tollere crucem, per quam itur ad regnum? Certe si melior fuisset via ad cœlum, Christus verbo et exemplo docuisset.

Ex occasione ejusdem thematis, possunt explicari causæ cur Deus voluerit, ut omnes per multas tribulationes introirent in regnum Dei, nimirum 1. Ne patriam in hoc exilio quæramus; si enim nunc præsens vita, cum amaritudinibus abundat, tantopere amatur, quid fieret, si deliciis scateret, ut recte S. Gregorius argumentatur. (*In moral.*) 2. Ut cœlo digni fiamus; nam dulcia non meruit, qui non gustavit amara. 3. Ut dulcior nobis evadat gloria tot laboribus et sudoribus parta, plerumque enim magis amamus et æstimamus, quod caro concupiscit. Vide hæc omnia fusius apud Fabrum in auctario the. 4. in Dom. 6. post Epiph.

Ex occasione supra citati thematis : *Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes in honore Sanctorum omnium ;* explicari possunt rationes, cur hoc festum præcipua lætitia ac devotione celebrandum sit. 1. Quia est festum totius Ecclesiæ triumphantis : si ergo particularium Sanctorum festa cum tanta sæpe festivitate celebrantur, quid in tot Sanctorum solemni die facere par erit? 2. Quia hoc festum est dies natalis nostrorum parentum, avorum, fratrum, aliorumque cognatorum, benefactorum, et amicorum : si ergo natalem similium personarum in hac vita tam festive celebramus, licet natalis tristitiæ potius fuerit, quam lætitiæ qua lætitia oportebit celebrare eum Natalem, quo ad æternam felicitatem sunt nati? 3. Quod hoc festum singulis annis crescit innumerorum Sanctorum, quos hoc die colere oportet, accessione, cum dubitari non debeat, quin quotidie non pauci moriantur, et ad cœlum perveniant, Si ergo objectum cultus et lætitiæ crescit, causæque, ob quas celebritas hæc instituta est, augentur, cur non et in nobis devotio et lætitia crescat? Gaudeamus ergo in primis de ipsa Sanctorum gloria, eisque suam felicitatem ex animo congratulemur. Gaudeamus et nos de tanto advocatorum, et protectorum, imo et sociorum aliquando futurorum numero; et, ut cum iisdem æternum gaudere, sociique gloriæ esse possimus, prius passionum et tribulationum socii esse studeamus.

Ex occasione thematis : *Benedicite Sancti et humiles corde Domino :* (DAN. III, 87.) potest explicari potissima, sed subtilior causa cur omnes Sanctos summo amore cultuque prosequi debeamus, quia videlicet ipsi Deum summe amant, landant, et colunt; unde sequens discursus formari potest. Deum, si veri Christiani sumus, plus quam nos ipsos diligere debemus, ergo, et officia, quæcumque ipsi ab aliis exhibentur, pluris æstimare et compensare debemus, quam si nobis ipsis hæc omnia exhibita forent; atqui si nos tantopere diligerent, laudarent, et colerent, prout nunc Deum amant, et laudant, iniquissimum censeremus, si non omnem ipsis vicissim amorem cultumque ostenderemus, ergo multo magis nunc æquissime id a nobis fieri censebimus, atque adeo omnem dabimus operam, ut vel hoc solo titulo, utpote honestissimo, et efficacissimo, Sanctos totis viribus amemus, laudemus, et colamus, id quod in particulari magis demonstrandum est.

Ex occasione thematis : *Omnes Sancti, et sanctæ Dei intercedite pro nobis :* (*Ex Litan. com. SS.*) resolvi utiliter possunt tres fundamentales quæstiones, sine quarum resolutione stare non potest invocatio Sanctorum. 1. ergo quæratur, an sciant Sancti nostras preces, et miserias? et resolvatur affirmative, juxta verissimam S. Gregorii sententiam, qua dixit : quid illi non vident, qui omnia videntem vident? 2. an possint nos juvare? iterumque respondeatur affirmando; si enim, cum vivebant, hoc potuerunt, cur jam non possint? (*l. mor.* III.) 3. an velint succurrere? et resolvatur, dubitari non posse; non enim, ut recte S. Bernardus, cum putredine carnis simul se exuunt visceribus pietatis : nec sibi sic induerunt stolam gloriæ, ut nostræ pariter miseriæ, suæque misericordiæ oblivionem induerent. Non est terra oblivionis, quam animæ Sanctorum inhabitant : non terra laboris, ut occupentur in ea : non denique terra, sed cœlum est. Numquid cœlestis habitatio animas quas admittit, indurat, aut memoria privat, aut spoliat pietate? Si Apostoli, et Martyres, inquit Sanctus Hieronymus, in terris constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti, quanto magis post coronas, victorias, et triumphos? *Adversus Vigilant.*

ALII CONCEPTUS.

Circa festorum observationem.—Sanctus Bernardinus ingeniose observat, quod Deus decem Decalogi præcepta condens, nulli alteri mysticum hoc verbum, *memento*, præmiserit, nisi huic tertio, in quo Sabbati sanctificationem hominibus solicite præcipit. Consideremus, inquit, recordationem, quia ait, *memento.* In nullo aliorum præceptorum Dominus hoc verbum *memento* usurpans, præviderat humanæ fragilitatis conditionem, et quantum in aliis diebus totius hebdomadæ mundanorum solicitudines memorias hominum occuparent, intelligentias excederent, et voluntates delectabiliter insisterent ; ideo ut animarum provideret ruinæ, tutasque redderet ante casum, memento, ait, ut diem Sabbati sanctifices : dicit enim in fronte hujus præcepti, memento. *S. Bern.* T. II, s. x, n. 1.

Adrichomius in descriptione Terræ Sanctæ circa vocem Engaddi refert, in Ægypto quemdam scaturire fontem, in quo Sanctissima Virgo, Herodis fugiens persecutionem, divinum suum lavit infantem, qui proinde Jesu fons communi nomine appellatur; cujus aquis hortus quidam balsami, eidem fonti contiguus, irrigatur; quia vero aqua hæc horto illi irrigando non sufficit, ex vicino quodam puteo, media rota a 4. bobus gyrata, hauritur aqua, quanta pro horto sufficit; idem vero auctor ad intentum nostrum subdit; Mirum dictu, verumtamen, a meridie Sabbati usque ad auroram diei Lunæ, boves nullo verbere impelli possunt, ut in protrahenda aqua laborent : quod est fidei nostræ testimonium celebre. *Adricho. Voc. Eng.*

S. Bernardinus verba illa, quæ Christus paulo ante Apostolis suis dixerat, scilicet : *Vos ascendite, ego enim non ascendam ad diem festum istum*, considerans quærit : Quid est, quod Salvator noster dicat; *non ascendam*, cum tamen paulo post ipse ascenderit? moxque ex ore ipsiusmet Salvatoris respondet : *Ego non ascendam ad diem festum istum*, scilicet ad ista festa mundana, vana, et temporalia. Alia sunt spiritualia festa, et ad illa ivit Christus in occulto ; festa spiritualia sunt displicentia peccati, dolendo de peccato facto ; similiter, gaudere de bono et Deo. S. Bern. to. IV, s. xxv.

Olim Manna in deserto quotidie Hebræorum populo depluebat, solo die Sabbati excepto, et quidem, ut hoc die perfectius feriari possent, voluit Deus, ut præcedenti die duplicem sibi colligerent annonam. Die sexto collegerunt cibos duplices, quos si aliis diebus congregassent, subito inde vermes scaturiissent, hujus autem Divinæ providentiæ ratio hæc unica fuit, *quia requies Domini sanctificata est Domino :* pari quoque modo, si nos festa debite sanctificaremus, justumque Dei cultum in iis exhiberemus Domino, Manna gaudiorum et consolationum spiritualium nobis utique defuturum non esset : quia vero illa transgredimur, vermes, id est, malæ conscientiæ remorsus experimur, corda nostra corrodentes. Mansi, *disc.* iv, n. 8.

Sanctus Paulus in 1. Ep. ad Corinth. his verbis exhortatus fuerat : *Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* (*Ibid.* n. 9.) Ex quo textu D. Chrysostomus deducit, quamvis animam fidelem quovis tempore suum posse celebrare Pascha : nam, ut idem Doctor observat, quando Apostolus hæc scripsit, nec Pentecostes, nec Pascha erat, ac proinde indicat, non tempus, sed conscientiam mundam festum efficere, nihil enim aliud gignit, quam bonorum operum conscientia.

Salomon, ut Deus olim Davidi Patri ejus prædixerat, sumptuosissimum Jerosolymis templum erexit, ut ad illud ex omni parte concurrerent, quotquot veri Dei fidem et notitiam habebant, ibidemque per oblationes, sacrificia, et alios sacros ritus debitum Deo cultum in solemnitatibus, in ejus honorem institutis, exhiberent : at vero Jeroboam mox, ut decem tribuum Rex creatus fuit, in Samaria, nimirum in Dan et Bethel duo idola erexit, suosque subditos ad ea adoranda constringendo, populum a templo sancto Jerosolymitano divertit. Omnia in figura contingebant; hoc enim est ipsummet satanæ artificium, quod, ut Christianos in dierum festorum sanctificatione ab obsequio

Deo debito seducat, iisdem varia lascivorum objectorum, lucrorum sæcularium, spectaculorum profanorum, aliarumque vanitatum idola proponere soleat, ne Ecclesias adeant, neve ex stationibus, indulgentiis aliisque lucris spiritualibus, quæ per horum dierum sanctificationem consequi possent, in animabus proficiant. *Ibid. disc.* VII, n. 5.

Deus olim per Malachiam Prophetam comminabatur, dicens : *Dispergam super cultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum :* sed quo fine Spiritus Sanctus vili adeo loquendi phrasi hic utitur, ut festa non observata, sed profanata, turpis stercoris nomine appellet? scitisne causam? ideo nempe id facit, quia sicut ex omnibus sordibus, quæ ex quibusvis domus alicujus locis, vel ex plateis vicinis colliguntur, quidam fit sterquilinii cumulus, ita et dæmon in magnam nostram perniciem, et probrum ex omnibus gulæ, lasciviæ, avaritiæ, vanitatum, luxuum, inimicitiarum, aliorumque vitiorum immunditiebus turpe quoddam congregat sterquilinium, quo festorum observantiam defædat et coinquinat; vix enim ullus est vitii excessus, qui in sanctis illis diebus a dæmone colligi non possit *Ibid.* n. 6.

At dicet aliquis : nonne Deus idem ipse erat, qui in Exodo, Levitico, et alibi, sacrificia, holocausta, victimas, oblationes, incensa, thymiamata, festa, cunctasque alias solemnitates et ritus sacros, in honorem sui exhiberi præceperat? cum igitur Deus de seipso dicat : *Ego Dominus, et non mutor;* qua ratione nunc rejicit, repellit, et abhorret, quidquid in divini cultus sui honorem antea præceperat? quo pacto dicere potuit : *Calendas vestras, solemnitates vestras odivit anima mea,* quando hæc festa ejus erant, quæ in suum obsequium celebrari jusserat? sed facilis est ad hæc responsio; etenim verum quidem est, quod hæc omnia festa ab eo ordinata fuerint, quodque populus ejus illa adimpleverit : at vero in honorem ejus idipsum non fecit; unde S. Hieronymus notat, quod non suas nominet festivitates; sed eorum, qui male his abutuntur : ideoque Deus in illis solemnitatibus nihil suum cernebat : illa quidem solum quoad externam apparentiam ad se ordinata esse videbat; cæterum vero eadem ob fines et lucra sua temporalia celebrari non ignorabat. *Ibid. dis.* VIII, n, 1.

CIRCA CULTUM SANCTORUM.— Jobi c. XXXIII, 20, describit Eliu hominem ad extrema redactum, cui nec panis sapiat, nec quidquam desiderabile hujus vitæ. *Abominabilis ei fit in vita sua panis, et animæ illius cibus ante desiderabilis : tabescet caro ejus, et ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.* Si ad extrema redigantur omnia, jamque desperent medici, adhuc est spes quædam v. 23. *Si fuerit pro eo Angelus loquens.* Per hominem, cui abominabilis fit panis et cibus desiderabilis, intelligitur Catholicus, cui non amplius sapit panis animæ, verbum Dei; non vult amplius audire conciones, nisi tales, ubi sit humanum illicium, doctæ fabulæ, copia verborum, acumen conceptuum; non autem, ubi veritates æternæ proponuntur simpliciter et apostolice; item si desipiat lectio librorum spiritualium, oratio, templi frequentatio, imo et cibus desiderabilis; Eucharistia. Cum ejusmodi homine sine dubio periculosum est; nulla medicina per os, per aures, per oculos, per cor potest intromitti. Nihilominus *si fuerit Angelus loquens unus de millibus* (sunt tot millia Angelorum ut pene superent omnes arenas, et guttas maris, et atomos aeris) *Miserebitur ejus* (Angelorum, et misericordiarum Pater) *et dicet* (ad advocatum) *libera eum, ut non descendat in corruptionem.* Quasi dicat : dono tibi talem miserabilem creaturam, erue ex manibus mortis, ex faucibus orci. Si unus Angelus tantum potest, quid facient novem, quid duodecim legiones? quid millia millium? omnes invocantur his diebus : Omnes Angeli, et Archangeli! omnes Sancti beatorum Spirituum Ordines! Intelliguntur quoque nomine Angelorum, omnes animæ Sanctorum, quia iis dicitur : *Erunt sicut Angeli Dei,* Matth. XXII, 30. Præsertim viri apostolici : *Ite Angeli veloces,* Isa. XVIII, 2. *Sacerdotes omnes* Malach. III, 1. Si unus de millibus exorari se sinat, o quam bene tibi erit, ne pereas. PHIL. HARTUM. *Con. civ. Do.* V, *post Pasc.*

S. Gennadium Episcopum a Sixto II, Pontifice in Gallias missum, pro unius moribundi protectione, cum aliis cœlitibus disputantem audiamus; ita scilicet Sancti miserorum patrocinia affectant. Jacebat quidam adolescens Prito moribundus in villa, Monasterio S. Salvatoris, in quo S. Gennadii coluntur reliquiæ, propinqua : ac propterea a dicti Monasterii Religioso omnibus Sacramentis ad mortem munitus fuerat; cum ecce audiuntur cum dæmonibus pugnantium voces, dicentiumque : quid, maligni spiritus, hic expectatis? noster hic est per Dei clementiam : nam de nostris regionibus huc peregrinus advenit, dignumque est, ut, quorum servus fuit corpore, ab ipsis sublevetur in æterna requie : dæmonibus vero contradicentibus, homines, qui aderant, voces quidem audiebant, cum ecce adfuit continuo ad caput infirmi S. Gennadius, fugatisque dæmonibus, conversusque ad tres Episcopos, qui aderant, et inter quos cum dæmonibus fuerat altercatio, dixit : Quid hic, Domini, expectatis? responderunt, se esse dominos ipsius infirmi, Episcoposque Britanniæ, venisseque, ut eum in æternam requiam perducant. Tum Gennadius : Bene fecistis, inquit, quod vestrorum curam habetis : hunc vero a meis Monachis Sacramentis munitum, mihique commissum meæ tutelæ relinquite; dignum enim est, ut quem hactenus custodivi, ego ipse Domino Jesu offeram : atque his auditis recesserunt tres illi Præsules; moxque infirmus apertis oculis, quorum fuerunt, quas audierunt voces, et Episcoporum nomina astantibus manifestavit, moxque iterum iis clausis expiravit. Erant autem Episcopi, Paulus Præsul Lernensis, de quo 12 Martii. Machulus Alethensis, de quo 15 Novembr. et Sampson Dolensis : 28 Julii. Beata anima, quæ patronos suos ita obstrinxit obsequiis, ut pro illa in articulo mortis juvanda fuerit inter patronos amica concertatio. *Ibid.*

Periisset Lot cum Sodomitis, nisi pro eo intercessisset Abraham; cum enim Dei decretum percepisset, his se verbis interposuit : *Absit a te, ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio.* Quasi dicat : Domine, decetne hoc misericordiam tuam, ut filius fratris mei, pro quo intercedo, pari calamitate involvatur? et fuit tam efficax oratio, ut dicat Scriptura *Gen.* XIX, 29. *Cum subverteret Dominus civitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberavit Lot de subversione urbium.* Periisset Aaron propter vitulum fabrefactum, nisi intervenisset Moyses. Periisset populus Israel a superbo Nicanore oppressus, qui urbem cinxerat, templo ruinam minatus fuerat, sacerdotibus necem, populoque vastationem intentarat, nisi Sancti intervenissent. Cum enim fortissimus Judas Machabæus solicitus mœrore collaberetur, vidit in spiritu Oniam Sacerdotem, qui ante paucos dies vita excesserat, sibi alioquin amicissimum, supplices Deo manus tendentem pro populo. Post hunc vidit virum ætate et gloria mirabilem, et magni decoris habitudine : quem cum nosse cuperet, audiit : Hic est fratrum amator, et populi Israel, hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Hieremias Propheta Dei. *Ib.*, § 3.

Sunt Sancti stellis similes, majores et minores, uti S. Paulus I. *Cor.* XV, disputat. Sicut stellæ influunt in corpora, ita Sancti, et in corpus, et in animam. Planetæ certis membris communicant speciales operationes, quod ex Calendariis novimus; certi Sancti etiam præsunt certis affectionibus : capiti B. Virgo Lauretana, vel S. Cæsarea, oculis S. Lucia, dentibus Sanct. Apollonia; gutturi S. Blasius; manibus S. Gerebrenus, pectori S. Martyr Ignatius, pedibus S. Julianus, intestinis S. Erasmus. Non vult Deus operari in mundo, nisi mediis stellis; ita et gratias suas non vult concedere, nisi media Sanctorum intercessione. Meliori jure dicere possumus de Sanctis, quod Absalon dixit ad animos evincendos Israelis : *Si non est aliquis constitutus a Rege in palatio, quem interponas, nullum bonum recipiendum a rege speres.* II. *Reg.* XV, 3, addo, nullum malum avertendum. *Ibid.*

Isaias cap. II. Deum describens : *Erit justitia cinctorium lumborum ejus, et fides cingulum renum ejus.* Septuaginta, quorum versionem sequebantur Apostoli, legunt : *Erunt justi cinctorium lumborum ejus, fides cingulum renum ejus.* Quasi dicat : Cingent renes et lumbos Dei. Et quæ ista loquendi forma? an lumbos Deus habet, et cingi se patietur? Mysterium! Justi Deum cingunt et continent, ne contra nos justo in furore procedat. Ligavit illum Moyses adhuc in terra constitutus, cinctorio precum, ita ut Deus ligatum se agnosceret : *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos. Exodi* XXXII, 10. Dissolve mihi vincula, quibus me ligas, et non permittis, ut vindicem. Non dicit Deus : Dimitte me, ut arripiam fulmina, ut extraham gladium, ut jaculer sagittas; sed, ut irascatur furor meus; quia oratio justi non tantum Deo ligat manus, sed voluntatem, ut ne quidem exurgat ira, nisi Dei amicus non intercedat. Sunt lumbi, locus voluptatum, juxta Philosophum : voluptas justitiæ est, ulcisci, hanc oratio justi ligat. *Cant.* IV, 3. Sponsus cœlestis labia sponsæ comparat vittæ coccineæ : *Sicut vita coccinea labia tua.* Ad quid coccinea vitta? ut liget Deum, et ligatum ducat, quo vult. Labia justi Dei manum ligant, ut non punire queat, quod vidimus in Moyse. *Ibib.*, § 4.

Exodi xxv, 30. Præcepit Deus : *Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* Duodecim panes illi, juxta Originem *Homil.* xiii, in Levit. adumbrant duodecim Patriarchas, quorum memoriam Deus semper vult in sacris esse adytis, ut Deum propitium reddant. Multum enim valet eorum recordatio, qui jam e vivis excessere, et sunt quodammodo panis Dei. Et cur sub pane repræsentantur? commune hominis nutrimentum panis est, sine quo vivere non possumus. Nutriunt quidem alia, sed sine illis vivere possumus. Collige, quam non utilis modo, sed necessaria sit Sanctorum intercessio, quorum sola memoria repræsentata est instar precum ad Deum fusarum. *Ibid.*, § 6.

Matth. ii. Laudans Dominus S. Joannem Baptismam, inquit : *A diebus autem Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Quis cœlo vim inferre ausit; an fabula hæc est, an parabola? veritatis ipsius est oraculum, et apertissima veritas. S. Joannes Chrysostomus *homil.* xxxviii, in Matth. quem refert S. Thom. Aquin. in Catena, vim istam precibus Joannis Baptistæ attribuit, postquam is carcere mortalitatis excessit. Preces enim Sanctorum, dum vivunt, Deum mulcent, moventque : at vero, dum animam egerunt, trahunt, impellunt, et vim faciunt, vel invito : ergo a diebus Joannis regnum cœlorum vim patitur, et rapiunt illud violenti, ii videlicet, qui precibus utuntur S. Joannis Baptistæ, vel cujuscumque alterius, et per illius ossa ac cineres Deum obtestantur; nam juxta phrasim Doctoris melliflui, per Sanctorum cineres et ossa orare, est, cœlum violente pulsare. Et hæc causa est ossium sacrorum relictorum, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut ait S. Paulus *Hebr.* ii, 29. Distulit corporibus beatitatem, ut Beati studio majori in nostrum bonum intenderent, cum adhuc cives nostri sint, et dimidiam sui partem hic habeant. *Ib.*, § 7.

Distinguit Paulus inter Sanctos, et differentiam ait esse eamdem, quæ inter stellas est; has scimus in quatuor magnitudines distinctas, stella differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum. At vero Christus Dominus indiscriminatim omnes beatos futuros asserit instar solis. Tunc *justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Matth. xiii, 43. Si omnes, ut sol, ergo stellæ non erunt. Origenes *hom.* in cap. xiii. Matth. ait, Paulum locutum de Sanctis, dum adhuc in terris sunt, in ordine ad efficaciam precum, ita ut unus magis prosit, quam alter; at vero in regno Patris, etsi pari gloria præditi non sint, quilibet tamen eorum solem refert, quia unusquisque omnia hominibus bona procurare sufficit. *Ibid.*

Dicebat Dominus ad Abimelech de Abrahamo : *Orabit pro te, et vives, Gen.* XX. *Audit hæc Rex, et tulit oves, et boves, et servos, et ancillas, et dedit Abraham,* ibid., v. 14, qui ex rebus valde locupletatus fuit. Sed quamobrem illa dedit? Respondet Abulensis : ut inclinaret Abraham ad rogandum pro se, dedit et munera. Cogitavit nimirum, quantum preces justorum apud Deum valeant, et quam facile iram illius mitigare queant. Pulchre, et apte in rem istam dixit Philo Judæus in lib. de migratione Abrahæ : revera fulcrum generis humani justus est, suas dotes communicans, et in publicum usum conferens. Idem quidquid apud seipsum non invenit, a Deo solo ditissimo postulat, at ille, aperto cœli promptuario, nivis imbrisque in morem bona depluit assatim, ut inde omnes terrenæ lacunæ restagnent. Quid amplius dici, vel expectari potuit? Profecto quisquis justus est, idem basis est, et columna mundi, et Atlas, qui, subjectis suarum virtutum ac sanctitatis humeris, orbem terrarum excipit, ac sustentat, suorumque meritorum opulentia homines reliquos locupletat. Quod si ei desint, quæ in alios dispertiat, mox ad Deum confugit, atque ex illius copiosissimo ærario suis precibus tantum exobsecrat, quantum mundo beneficiis opprimendo sat esse posset. O potentiam justorum! O gratiam amicorum Dei. *Didacus Nyssen.*, l. IX, *de Abrah.*, c. vii.

Judicum c. iii, post commemoratas verbis bene paucis virtutes Othonielis, Judicis Hebræorum, sic finit narrationem Scriptor Sacer : *Quievit terra quadraginta annis, et mortuus est Othoniel filius Cenez.* Jud. iii, 11. Origenes *homil.* iii, in lib. Jud. ait : Vides, quam larga est divina clementia. Octo annis servierant filii Israel pro multorum delictis, quadraginta annis per unius justitiam in pace perdurant. Immensitatem bonitatis Dei inficiari nemo potest, qui vel hoc secum reputet, quod pro unius Justi merito, quadraginta annorum tranquillitate felicitavit Israelitas, quos pro magnis plurimorum sceleribus octenni tantum servitute plexerat.

Revertamur ad id, quod superior historia narrat : neque enim Origenes nos omnino dimisit. Mortuus est Othoniel, inquit Scriptura, ille, qui Salvatorem sui populi audire meruerat. De quo ibid. vers. 9, ista : *Clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis Salvatorem, et liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez.* Cum in ea legendo indicisset Origenes, aiebat : Itane vir sanctus, et Judex rectus, e vivis decessit? itane fax illa tam flagrans et splendida extincta fuit? rem video periculosam, ingens populo discrimen imminet, incidetque rursum in manum suorum hostium, eritque relapsio deterior, quam omnis anterior casus fuit. Defunctus est Othoniel, quia jam indignus erat populus, qui haberet talem judicem, inquit magnus Adamantius. Volebat Deus cædere populum, sed preces, et patrocinia Sancti Othonielis obstrictas illi tenebant manus. Ut ergo libere castigare male meritos Israelitas posset, sustulit e medio Othonielem, facemque illam exsufflavit, et hoc primo supplicio ingratitudinem illius populi est ultus. Et satis experti sunt periculum, quod illis Origenes timuit, et quam gravis fuerit relapsus. Nam qui antea Chusan Regi Mesopotamiæ servierant octo annis : *Servierunt post hæc Eglon Regi Moab decem, et octo annis* ibid. v. 14. Hinc arbitrari potestis, quam merito dixerit Philo : Revera fulcrum generis humani justus est, Atlas mundi est, eumque suis orationibus sustentat. *Ibid.*

Petrus Berchorius ex sententia Rabani et astrologorum, affirmat tantam esse velocitatem motus, quo cœlum rotatur, ut nisi ei moras contrarius planetarum motus adferret, jam pridem mundi machinam totam solvisset. Cœlum movetur velocissime, inquit ille lib. V. Reductorii moral. cap. II, nu. 7, et ideo ne motus ejus velocitas mundi machinam dissiparet, voluit eum natura motu planetarum retardare. Quid tam velox, tam rapidum, tam incitatum, quam ira et furor Dei? *Deus noster ignis consumens est, Hebr.* XII, 2, 29, ignis celerrimus, fulmen, quo nihil magis volvere, quod momento ferire simul, et conficere, in quæcumque incidit, potest? quis iræ illius impetum retardabit? Quis furoris celeritatem morabitur? Quis motum tam rapidi cœli moderabitur? Planetæ, viri sancti, amici Dei suis lacrymis, orationibus, patrociniis. Nisi ii sese irato Deo humiles, ac suplices, et lacrymis tantum, precibusque armati objecissent, dudum forte mundus universus eversus dissipatusque fuisset. *Ibid.*

Res est omnibus cognita. quam sapiens fuerit inter Abderitas celeberrimus ille Philosophus Democritus. Vixit ille, quo tempore princeps medicinæ Hippocrates. Ex morbo ad insaniam quamdam, et vitæ extrema adductus Democritus, magnum attulit popularibus suis mœrorem, qui pro oraculo, tantumque non pro deo quodam etiam illum habebant, ideo ad Hippocratem de medicinæ experientia notissimum currebant, obsecrabantque, ut tantum ejus municipem artis suæ industria sospitaret, servaretque. Ut vero ille se exorari pateretur, his verbis conveniendum putarunt : Adsis, optime vir, curaturus virum insignem, non medicus, sed conditor; sacratiorem tota Ionia nobis murum circumdabis. Sic in epist. Abderitarum ad Hippocratem in ejus operibus. Ubi verba horum postrema premite, qui propugnaculo fortissimo se obmunitos putabant, dum unum Democritum modo sospitem concivem penes se haberent. Et vere quisquis vir justus est, ac probus, idem pro mœnibus est his, cum quibus degit, facitque, ut nulla penetrare ad eos mala queant. *Idem ser.* V, *post Cin.*, § 4.

A Divo Chrysostomo homines sancti dicuntur leones, qui talem metum afferant dæmonibus, ut illorum præsentiam tolerare non possint. Assuesce, ait, proinde, ut pavimenta domus a sanctis calcentur pedibus, et non calcabit dæmon illic; nam ubi sanctum est unguentum, ibi suffocatur dæmon. Reverentur diaboli Sanctorum vestigia, sicut leonum vulpes. Introducamus hos leones in domum, et omnes abigentur bestiæ, non clamantibus, sed simpliciter loquentibus illis; si enim solum loquantur, devolant. Felix, qui horum leonum opera uti novit; felix, qui illos sub tectum suum admittit, tutos scilicet ab hostium pessimorum insidiis futurus, donec talibus comitatur. *Ibid.* S. CHRYS. *ho.* LIII, *in act.*

Cum hostes nominis Dei minarentur Ezechiæ, velle se unam toti regno ipsius adferre vastitatem, et omnia diripere, quæcumque ad illum pertinerent, misit is Eliacim, et Sobnam scribam, et seniores de sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam Prophetam etc. Isai. XXXVII, 2. Quo consilio hos sic indutos ablegavit ad Isaiam? Respondet eruditissimus Forerius : Deum propitium optabat, et eum, quem mediatorem, atque intercessorem inter Deum et populum noverat, ad misericordiam movere volebat. Hoc amicorum Dei munus est proprium, ut Deum ad reponendum in vagina gladium adducant, ut flagellum illi e manibus eximant, ut irati, et in vindictam parati impetum sistant. At nonne sufficiebat Deus, inquit porro Forerius? Dicerent idem magnis vocibus Lutheri, et Calvini, malorum ovorum mali pulli, si quem hodie sacco indutum ad aliquem sanctorum converti viderent, et idolomaniam, et insignem Dei injuriam; sed injuria clamarent. Sufficiebat utique Deus, sed vult nobis innotescere, quantum gratia apud illum, quos habet amicos, valeant; propterea disponit, facitque, ut primo illos adeamus, submittamusque sequestres, qui vultum ejus nubilum serenent, et mitigent iram. *Idem*, § 2. *Dom.* II, *post. Pent.*

Peracuta est Cajetani observatio, quod Scriptura simul narrat, et Samuelis mortem, et Philisthæorum congregationem adversus Saulem; cum quibus cum infeliciter signa contulisset, miseram et probrosam mortem cum ipse oppetiit, tum filiis suis adduxit. *Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israel*, inquit Sacer Scriptor I. *Reg.* XXVIII, 3, et mox v. 4, *congregati sunt Philisthïim :* ubi Cajetani Commentarius sic habet : Commemoratur prius scripta mors Samuelis, ad manifestandum, tempore, quo Saul desertus fuit a Deo, fuisse etiam destitutum ope Samuelis, utpote mortui. Fuit ea commemoratione significatum, quantum possint justi : cum enim illi obsecrant Deum, et suas apud illum preces pro aliis interponunt, detinent iram Dei, ut ne effundatur in peccatores, qui, cum tali præsidio nudantur, tunc reliquitur Deo locus, ut justitiam suam adversus eos exerat. De quo hæc Hieronymus Oleaster in c. XXII. *Exodi :* Ligatum habent Sancti Deum, ut non puniat, nisi permiserint ipsi. Expectat Dominus in cœlo Petri ligamina, et solutionem, neque eum in cœlis ligat, aut solvit, nisi quem Petrus in terra solverit, vel ligaverit. O insignem et grandem Sanctorum potestatem! O quantum valent justi, qui Deum pedes, manusque velut obligatum habentes, videtur Deus nec persequi posse peccatorem, nec gladium adversus eum educere, pro quo se illi sanctorum quispiam objectat. *Ibid.*

Hujus rei quidpiam assecuti sunt etiam veteres Ethnici, qui laurum appingebant ei, quem diis charum significare volebant, cujus rationem Richardus Brixianus talem tradit : quia loci, ubi lauri consitæ sunt, vel affixæ, incolumitatem præbere crediti sunt, vel quod, ubi lauri sunt, fulmina non jaculentur. Quod extra ictum fulminis sint loca, quæ laurus inumbrat, experientia testis est, cum in eam arborem recipere se aves soleant; quoties cœlum fulmina, aut tempestates minatur, quas pertimescunt. Prudenter ergo ab antiquis per lauros designati sunt divorum gratiosi, viri justi, apud quos paratum invenire possis semper patrocinii subsidium. Quæ enim tales lauri contra furoris Dei fulgura, quales Sancti. *Ibid. Richardus Brixian. commeat. symb.*, t. I, *V. Laurus.*

Simoniæ vitio pariter se obstrinxerunt Giezi, et Simon, a quo vitium hoc turpem suam nomenclaturam traxit, et ille quidem pro sceleris sui merito egressus est leprosus, quasi nix 4, *Reg.* V, 27, eamdemque pœnam omnes illius posteri luerunt; hic vero nullas pœnas dedit. Certe Simonis erat in nova Lege deterius, quam Giezi in vetere, peccatum. Quid factum ergo, ut impunis evaderet, qui gravius deliquerat? Resp. Abulensis illud 4. *Reg.* IX, 47. Non fuit aliquis, qui oraret pro Giezi, ideo punivit illum, tamquam non habentem auxiliatorem. Simon autem Magus oravit Apostolos, ut deprecarentur pro eo, *Act.* VIII, 24, et sic ad eorum preces remissum est, et doluit de peccato suo. Ita bonum est, habere bonos, qui causas nostras apud tribunal Dei boni Patroni agant. *Ibid.*

SORTITIO, ET CULTUS MENSTRUUS SANCTORUM. — Neapoli septuagenarius senex postremos vitæ annos Sodalitio consecraverat, atque hos tantum se vixisse dictitabat, amisisse reliquos nullo fructu. Hic moriens mandavit suis, ut Schedulas menstruas filo collectas, colloque suspensas, sepulturæ secum inferrent, testimonium pietatis. *Sodalis Parthenius*, l. I, c. VI, n. 5.

Alter Aletii easdem in speciem monilis contextas, sibi jussit collo circumdari, ut eo, seu ornatu, seu patrocinio :

> Mortem contra audentior iret. *Ibid.*

In ea Brasilorum Sodalitate, quæ a Patribus Collegii Fluminis Januarii regitur, Sodalis quidam a vicinis hostibus occupatus, confracto vulneribus capite, et corpore conscisso, pro mortuo fuerat relictus. Is, cum primum corpus sentiendi vires recepit, cruce frontem muniens, S. Barnabæ Apostoli, menstrui Patroni opem imploravit. Tum vasto flumini se commisit, sensitque auxilium, quod postularat. Nam, et vitam polliceri, et animum addere, et quasi præsente manu natantem adjuvare visus est Sanctus : ita incolumis evasit, et præter omnium expectationem, sanitatem quoque recuperavit. *Ib.*, n. 5.

Quidam, quamvis omni vitiorum genere immersus, ad Patres Societatis accessit, atque ab iis patronum aliquem in tali Schedula scriptum sibi dari petiit : datus est S. Hieronymus sorte eductus : sequenti nocte, cum se quieti dedisset, vidit sanctum senem illum truci vultu, ardentibus oculis, accensam digito sibi fornacem monstrare, atque horribili voce dicere : in hos, quam primum conjicieris ignes, nisi aliam vivendi rationem instituas. Alius accepta Schedula, somno se dedit, sed a dæmone excitari se sensit, et per vim e lecto extrahi, et cum contra tam fœdum hostem nulla aptiora arma infelici juveni suppeterent, quanta maxima poterat vocis contentione, tutelarem sanctum appellabat; ecce ibi illico niveis inducta vestibus mulier, et dæmonem contuens : An nescis, quibus juvenis hic hodie præsidiis sese firmaverit? non tulit longiorem orationem fœdissimum mancipium, et in suas se tenebras conjecit : mulier ex oculis abiit. Vita emendate postea instituta est. *Ibid.*, n. 6.

MICELLANEA.

Qualitas. — Duplicis generis stellæ sunt; aliæ enim datæ sunt, ut præessent diei, et aliæ nocti. Sic ergo, et Sanctorum alii præsunt suis suffragiis, et auxiliis diei, id est, justis; alii nocti, id est, pœnitentibus, quibus pœnitentiæ exemplum, et firmamentum præbent. *Granat. in loc. com. tit. Sanctus.*

Orta olim seditione populi Israelitici, dixit Deus ad Moysen, et Aaron : Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos : quasi hoc facere prius non posset, quandiu illi duo viri Justi in medio rebellis Populi erant. *Idem.* Nu. XVI, 45.

Alexander Magnus, cum Darii uxor captiva salutasset honore exhibito Hephæstionem, et cognito errore pudefieret : Non errasti, inquit, et ipse Alexander est. *Plut. in Alex.*

Prudentius Romanum Antiochenum alloquens sic canit :

Romane, Christi fortis assertor Dei,
Elinguis oris organum fautor move :
Largito comptum carmen infantissimo :
Fac ut tuarum mira laudum concinam :
Nam scis et ipse posse mutos eloqui.

Et post medium :

Puerum poposcit carnifex, mater dedit,
Nec immorata est fletibus; tantum osculum
Impressit unum : Vale, ait, dulcissime,
Et cum beatus regna Christi intraveris,
Memento matris jam patrone ex filio.
In libro Perstephanon.

SS. Cosmas et Diamanus medici, cum gratis omnes curarent, aliquando S. Damianus coactus, et per Deum adjuratus a quodam quem curaverat, paululum aliquid accepit quod alias nunquam solebat; S. Cosmas, ubi id rescivit, tristis præcepit, ne corpus ejus una cum suo post amborum mortem sepeliretur. Eadem vero nocte apparuit Cosmæ Dominus, et Damianum purgavit : eum scil. non mercedis gratia, sed per Dei nomen adjuratum, munusculum suscepisse; post gloriosam vero utriusque mortem, fideles gnari, quid in vivis Cosmas præcepisset, sed ignari cœlestis revelationis, dubitabant, quo loco eos sepelirent; cum esset camelus humana voce locutus ait : *Homines Dei, quam multa signa, et mirabilia per Sanctos Martyres Dei percepistis, non solum vos, sed et nos jumenta vestra! idcirco cum omnibus, et ego gratias agens adveni nuntiare vobis, ut non separentur corpora Sanctorum, sed in uno loco recondantur.* Tunc voci cameli obsecuti, ambos eodem tumulo sepelierunt. Jo. Bapt. *Signius de SS. Reliq.*, c. VIII.

Corpus S. Thomæ ex India in civitatem Syriæ dictam Dissam, translatum est, in qua urbe ab ejus festo die per dies triginta nundinæ sunt : Ubi (sunt verba S. Martini) scandalum surgit in plebe, non musca apparet, non aqua sitienti deest : nam cum aliis diebus plus quam centum pedum altitudine aqua ex puteis hauriatur, tunc paululum fodienti aqua erumpit. Post illos triginta dies iterum telonium datur, muscæ adsunt, aqua recedit; dehinc emissa divinitus pluvia ita omne atrium templi a sordibus mundat, ut putes eum locum nec fuisse calcatum. (S. Greg., *de glor. Mart.*, l. I, c. XXXII.) Plures Scriptores referunt tempore Calixti II, anno 1120. Patriarcham Indiarum, Joannem nomine, devotionis ergo Romam venisse, et in pleno Consistorio coram Pontifice, et Cardinalibus aliisque Prælatis asseruisse, S. Apostolum Thomam visibiliter annis singulis apparere, et manu propria populum communicare, præsentando SS. Hostiam dignis, indignos prætereundo. MARCHAND. *Hort. Paſt.* *se.* IV, *lect.* VIII, *prop.* II.

Mirum est, quod e pervetustis Hispaniæ, et Germaniæ codicibus manu exaratis Ludovicus de Angelis l. VI, de vita S. Augustini c. v, de Corde S. Augustini ad Sigebertum Lugdunensem Episcopum ab Angelo quondam delato, ac cœlitus eidem summis precibus supplicanti donato, in hunc modum exscripsit. Cum, jubente piissimo Præsule Clerici pro gratiarum actione, *Te Deum laudamus*, inciperent, mira res! cum versiculum : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth* canerent, cor in crystallo se movere cœpit, et quasi os ad laudem Dei aperuit; tamquam diceret : O SS. Trinitas, te dictando, prædicando, scribendo, canendo laudarem, si in corpore meo viverem. Quo viso Clerus, et populus Dei laudem clamarunt, et B. Augustinum dignis præconiis extulerunt, dicentes : *S. Augustine, lumen Ecclesiæ, ora pro nobis.* Singulis quoque annis in festo SS. Trinitatis cum Missa canitur, et cor supra altare ponitur, mox omnibus intuentibus, se cor movere incipit, quasi piscis in aqua, et sic inolevit ex institutis Romanorum Pontificum, quod semper in festo ejus canitur Præfatio de SS. Trinitate. Idem confirmat Jordanus de Saxonia vir sanctitate, et doctrina insignis ser. CCXLIX. Secundum probatissimorum virorum, ait, auctoritatem, in tota Ecclesia fide digna famatum est, quod cor istius Doctoris inclyti in uno crystallo inclusum, quoties SS. Trinitas coram eo nominabatur, vel liber de SS. Trinitate expandebatur, cor ipsius quasi vitaliter, et intellectualiter exultabat, cujus simile de nullo alio Sancto dicitur. Romæus addit rem prorsus singularem. Notandum, inquit, ex historiis illustrioribus, ac veris, nunquam in Ecclesiam, ubi cor S. P. N. Augustini erat, ingressum fuisse hominem hæreticum, vel enim intus moriebatur, vel in limine cadebat; hac de causa pingi solet Augustini cor in vase pulchro super altare, ante quod multi jacent hæretici consternati, et emortui. JO. FER., d. VII. *Reliq.*, l. II, p. 1, c. II, a. 1.

Idem Sanctus cœlesti voce Petri instar rogatus, num amaret Deum, in hunc modum : *Augustine amas me?* respondit : *Domine, tu nosti, quia amo te : Age igitur, dic, quantopere me ames.* Subjecit Augustinus : *Siquidem, Domine, omnia corporis mei ossa ferrent lampades aureæ, et sanguis omnis meus in balsamum verteretur, utraque profunderem, atque in tui solius honorem velut holocaustum integre sinerem conflagrare.*

S. Hieronymi corpus, cum Cyrillus Jerosolymitamus effoderet, repertum est illud in medio foveæ, tamquam in aere, pendulum, a nulla parte terram tangens, integrum, et incorruptum. JOAN. BAPT. *signius de SS. Rel.* c. XII.

P. Felix Reineccius inter alias prærogativas S. Francisci recenset : Primo, quod ad eam vitæ sanctitatem pervenerit, ut secundum multorum Doctorum opinionem, ad statum pervenerit, a quo ceciderat primus Parens Adam, et imperium obtinuerit omnium creaturarum. Secundo, quod viderit humanitatem Christi gloriosam, atque divinam essentiam. Tertio, quod possideat in cœlo primam. ac supremam Luciferi sedem, a qua ille cecidit, et ejectus est; ac per consequens gloriam illam, ac prærogativas, quas habiturus esset apostata ille Angelus, si stetisset in gratia. Quarto, quod quotannis statuto die sui natalis, ad purgatorium descendens, animas Fratrum suorum Ordinum, videlicet trium, Minorum, Monialium, et Tertiariorum, et secundum aliquos etiam suorum devotorum illic repertas secum ad gloriam beatorum deducit. Quinto, quod ejus sacrum corpus stet in sepulchro jam a quadringentis annis, ac pluribus, erectum absque ullo sustentaculo, vividis oculis, et in cœlos elevatis, ejusque vulnera sanguinem vivum et recentem perenniter stillent. Sexto, quod signum crucis, quod erit in cœlo, quando Dominus ad judicandum venerit, adducet, et portabit vexillifer Christi S. Franciscus. Septimo, quod nunquam deficiet fratribus congrua sustentatio corporalis, ita ut si solum duo panes essent in mundo, unus esset Fratrum Minorum. *Bib. Paup. lit. H. de gratia.*

UTILITAS. — Festo S. Andreæ die, ut habet Gregorius Tur. manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectareo, e tumulo ejus exundat; per id tempus, quæ sit fertilitas anni futura, conjiciunt; si exiguum profluxerit, exiguum fructum proventurum sperant; si copiosum, fertilem ominantur. Ferunt aliquot annis ita e tumulo oleum exundare, ut usque ad medium Basilicæ rivus olei profluerit. S. Greg. *de glor. Mart.* l. I, c. 21.

Ingens terræ motus, et insecutæ ædificiorum inde frequentes ruinæ, mortesque plurimorum Antiochiam universam, locaque circumjacentia metu compleverant. Vivebat tunc ad instar Angeli carne vestiti Simeon Stylites : ad illum, ut miseriarum lumen unicum omnis conditionis homines tam ex Ecclesiasticis, quam ex laicis convolant et columnam corona cingunt, eumque, ut Numen iratum precibus suis placare dignetur, supplices rogant. Ille primo illos accusat, ut calamitatis auctores, quam peccatis suis in caput suum accersierant : monet deinde, ut unanimi conspiratione ad precandum se prosternant, aspersique lacrymis simul inclament : Kyrie eleison. Ipsemet in preces se dat, et aliquo spatio temporis elapso, vox e cœlo ad illum delabitur : de tot millibus hominum unius dumtaxat rusticani hominis, et ipsius Simeonis precationem flexisse Numinis iram, et exaudiri meruisse; jubet ergo quæri rusticum illum, eumque in conspectu adductum in proprio nomine compellans, coram omnibus vitæ institutum et rationem aperiret, serio mandat, Ille primo pudore coopertus, cœpit se excusare, ignorantiam suam obtendere, sese peccatis inquinatissimum profiteri : sed a S. Stylita compulsus, coactusque eloqui, dixit, se dies totos terram colere, et inde collectum lucellum in tres partes dividere, unam pauperibus erogare, alteram solvendis vestigalibus impendere, tertiam in victu quotidiano consumere; nulli umquam malum se imprecatum, sed singulis tantum boni desiderasse, quantum sibi. Excepta sunt hæc magno populi clamore et plausu, omnibus illum proprius intueri cupientibus, et aliis mediatorem suum appellantibus, aliis cum lacrymis in ejus amplexum ruentibus, aliis denique illum tamquam cœlesti calculo Sanctis annumeratum venerantibus : solus ipse pudore perfusus expedire se ex illo gratulantium cœtu, et tenebras quærere, ubi in abscondito cum Deo ageret, et amoris cœlestis sanctis affectionibus habenas laxaret impensius, et securius. *Pædagog. Christian.* p. I, c. VI, n. 10.

Civitas Segorha Sodomæ incendio propter orationem Loth liberata est, quod in eam ad perfugium elegerit : Ecce enim, ait Angelus, in hoc suscepi preces tuas. *Gen.* XIX, 21.

Sed et Sodomis, deprecante pro ea Abrahamo, condonaturum se Dominus spopondit, si decem in ea justi invenirentur. *Gen.* XVIII, 31.

Filii Israel armati ascenderunt de Ægypto, et ossa Joseph secum portarunt, ut intelligeremus eos, qui ad promissam Patriam regni cœlestis pergunt, armari contra mundum, et dæmones debere; sed et ossa Joseph, id est, Sanctorum memoriam, et exempla secum portare, ut eorum virtute ad constantiam et patientiam duri itineris animentur, *Exod.* XIII, 19.

De Ecclesia dictum est a Salomone : Mille clypei pendent ex ea, et omnis armatura fortium. (*Cant* IV, 4.) Quid autem isti clypei sunt aliud, quam exempla et virtutes Sanctorum, quibus nos in adversis munimus? recte enim dictum est ab antiquis : Facta præcedentium pensemus, et gravia non sunt, quæ toleramus.

S. Gertrudis quondam a Christo intellexit, quod ii, qui se aliorum orationibus humiliter commendant, quasi quibusdam manibus ducentium subvecti, ac ex utraque parte vallati, sine omni errore ad Dominum recto tramite properabant, alii interdum deviabant. *Insign. Divin.* l. IV, c. I.

Eadem divinitus cognovit, quod, dum aliquis finem vitæ suæ cujusvis Sanctorum specialibus orationibus commendat, statim orationes illæ deferuntur ante tribunal Judicis, et ille Sanctus, cui committuntur, constituitur a Deo advocatus super eas, ut ex ipsis bona provideat sibi devotis tempore opportuno. *Ibid.* c. LXIII.

S. Antonius cum quadam vice Paulum Eremitam visitasset, ejusque admirandam sanctitatem contemplatus esset, ad Monasterium rediens dixit : Væ mihi peccatori, quia falsi Monachi nomen fero. Vidi Eliam, vidi Joannem in deserto, et vere vidi Paulum in Paradiso. Idem magis dicere possumus, si Sanctorum vitam contemplemur : vidi Sanctos, sed ego non sum sanctus; ut olim S. Macarius Monachorum quorumdam vita inspecta, dicebat : Vidi Monachos et ego non sum Monachus. S. Hieron. *in vit. Paul.*

Quod Jacobus Socero suo Laban dixit, hoc merito cuivis suo Clienti Sancti dicere queunt : Modicum habuisti ante, quam venirem ad te, et nunc dives effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum. *Gen.* XXX, 30.

Dubitant nonnulli, meliorne sit modus

Deum per seipsum, an vero per Sanctos orandi; et resolvitur bene hæc quæstio a Jo. Andrea Coppensteinio dicente, optimum quidem esse, si uterque jungatur; si tamen quivis seorsum spectetur, priorem quidem secundum se præstantiorem esse, cum sit Latriæ actus, posteriorem tamen ob plures rationes sæpe utiliorem esse posse. 1. Quia in eo major Dei veneratio reperitur, quo enim plures se coram Deo prosternunt, tanto major illi honor exurgit. 2. Etiam major in illo demissio exercetur, dum homo orans indignum se agnoscit, qui sine mediatore Deum interpellet. 3. Major intervenit charitatis, tum erga Deum (quatenus plures ad ejus obsequium solicitantur) tum erga proximum (dum causa ea datur bene agendi, et charitatem exercendi) significatio. 4. Articuli de communione Sanctorum, quam in Apostolico Symbolo profitemur, repetita professio exercetur, quæ utilitas hoc maxime tempore, quo Hæretici dictam commnnionem tantopere impugnant, merito non parvi facienda est. *In appen. de cultu SS. p.* 8.

Cum ductus est in Ægyptum Joseph, benedixit Deus domui Ægyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in ædibus, quam in agris, cunctam ejus substantiam. Gen. xix, 5.

AUCTORES.

Hieremias Drexelius in Trismegisto l. II.

Ludovicus Granatensis in Sylva locorum communium. Verb. Sanctus.

Theophylus Bernardinus de præsidiis religiosæ perseverantiæ l. VII.

Laurentius Beyerlink in Promptuario morali them. xi, in Festo omnium Sanctorum.

Petrus Sanchez in regno Dei part. VI, c. iii.

Mathias Faber part. I, con. iv, v, vi, in Festo omnium Sanctorum. Et conc, v, in Festo S. Martini. Item Fr. Rogat. conc. v.

Nicolaus Lancizius opusc. xi, c. xxvii.

Antonius Dauroultius in Catechismo historiali c. iii, tit. xliv,

SCANDALUM

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — *Scandalum* (de quo hic sermo est) *est dictum, vel factum minus rectum, quod ex se occasionem ruinæ prebet alteri.* Unde Tertullianus ait : Scandalum non bonæ rei, sed malæ exemplum est, ædificandi ad delictum; nam bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem, ex se enim, quod rectum est, potius instruit, et ducit proximum ad tutum viæ progrestum. S. Hieron. *apud Beyerlink. V. eodem.*

Divisio. — Dividitur 1. *In Scandalum datum et acceptum, seu activum et passivum. Illud est dictum, vel factum occasionem ruinæ alteri præbens,* ut supradictum. Et hoc, juxta Theologos, semper est peccatum in eo, qui scandalizat, cum ipsum opus sit peccatum, vel speciem habens peccati; unde vitandum est, ne proximus ad idem pedem impingat, et labatur. *Istud, seu passivum est, quod provenit ex bono alterius opere, aut saltem ex dicto, factove speciem boni habente,* et hoc proprie in eo, qui scandalizatur, locum habet, estque pariter peccatum, si quis sine rationabili causa occasionem suæ ruinæ accipiat. Beyerlink. *ibidem.*

Dividitur. 2. *In scandalum per se, et per accidens. Illud comittitur, quando directe intenditur ruina alterius,* ut si adulter alienam solicitet ad adulterium. *Istud est, quando non quidem directe intenditur talis ruina, prævidetur tamen probabiliter secutura,* ut si coram pusillis, quis peccet, vel die vetito carnes comedat, dicendo, quod habeat veniam.

S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem. *Ps.* cxl.

Funes extenderunt in laqueum : juxta iter scandalum posuerunt mihi. *Ps.* cxxx.

Fuga. — Via justorum absque offendiculo. *Prov.* xv.

Vade post me Satana; scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Matth. c. xxvi.

Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, et homines semper. *Actuum, Ap.* c. xxiv.

Damnum. — Homo de Israel, quicumque

scandalum iniquitatis statuerit, contra faciem suam, ponam faciem meam super hominem illum, et faciam eum in exemplum, et proverbium, et disperdam eum de medio populi mei. EZECH. c. XIV.

Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de Regno ejus omnia scandala, et eos, qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis. MATTH. XIII, 41.

Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. MATTH. XIII, 6.

Impossibile est, ut non veniant scandala; væ autem illi, per quem veniunt scandala. LUC. XVII.

Scandalizastis plurimos, propter quod, et ego dedi vos contemptibiles omnibus populis. MALACH. II, 8.

Peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. I. *Cor.* VIII, 12.

EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Calumniatores dicere possumus omnes iniquos, non solum, qui exteriora bona rapiunt, sed etiam qui malis suis moribus, et vitæ reprobæ exemplo interna nostra dissipare contendunt; illi namque ea, quæ nobis extra sunt, invadere ambiunt; isti vero nos prædare quærunt. Et tandem paulo post subjungit, inquiens : Quantum morum vita a rerum distat substantià, tanto gravior calumniator est, qui male vivendo vim infert nostris moribus, quam qui violenter opprimendo damna ingerit rebus; nihil iste de nostra sustentatione subtraxit, sed exempla nobis perditionis apposuit. S. GREG. l. XXVI, *mor.* c. X.

Non omnium scandala æqua sunt lance pensanda, aliter namque accipienda sunt scandala pusillorum, et aliter Pharisæorum, illorum quippe scandalum de ignorantia, istorum de malitia descendit; illi scandalizantur, quia veritatem nesciunt, isti quia oderunt. BERNARD. *de præcept. et disput.*

In quantum possumus sine peccato, vitare de proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum oritur, utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. GREG. *in Ezech.*

Constat, ubi veritas necessaria in causa non est, nec licite scandalum quodlibet posse committi; nec juste præcipi, nec innoxie consentiri. BERNARD. *in Epist.*

NECESSITAS. — Sunt homines, qui putant, sibi in bene vivendo sufficere conscientiam, et non valde curant, quid de illis aliter existimetur, ignorantes, quia cum homo viderit hominem bonæ conscientiæ negligentius viventem, ædificatur non ad ea, quæ perscrutatur, sed ad ea, quæ suspicatur : neque enim potest intrare in conscientiam tuam, quam videt Deus. Conscientia tua coram Deo est; conversatio tua coram fratre tuo, si de te ille aliquid mali suspicans, perturbatus ædificatur ad aliquid faciendum, quod te putat facere, dum sic vivis; quid prosit, quia venter conscientiæ tuæ hausit aquam puram, et ille de tua negligentia conversationem bibit turbatam? S. AUG. t. IX, c. IX.

Si etiam per se ipsas graves sunt delictorum nostrorum pœnæ, ubi et istæ accedent, scilicet exemplorum malorum, quando salvabimur? non enim putemus, nos excusationem habituros, si quando delictorum socios invenerimus; nam istud supplicium magis augebit. S. CHRYS. *hom.* XXV, *ad Rom.*

DAMNUM. — Peccata majorum, id est, Principum sæcularium, et Prælatorum Ecclesiæ, præcipue faciunt nomen Dei blasphemari, unde minores excusant se a peccatis suis propter peccata majorum. BELLOV. *apud Mansi* tr. XXVII, dis. X, n. 9.

Scire Prælati debent, quod, si perversa umquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla mittunt. S. GREG. p. III, *post. cap.* I, *admon.* IX.

Qui alios scandalizant, et impie conversantur, Deum, quantum in ipsis est, vilificare, et maculare feruntur; propter quod Deus per Ezechielem ait Judæis : *Commaculastis Nomen sanctum meum.* Et iterum : *Polluistis Nomen meum in gentibus.* DIO. CAR. *in* c. I, *Petr.* II.

Si Dominus pretium sanguinis dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviorem sustinere ab eo persecutionem, qui suggestione mala, exemplo pernicioso, scandali occasione avertit ab eo animas, quas redemit, quam ab illo, qui sanguinem suum fudit. S. BERN. *apud Mansi dis.* XIII, n. 3.

Si eripere pallium vel tunicam alicujus, malum est, uxorem vero pejus, et vitam deterius; quanto omnium horum pessimum est, ejus animam interficere, eam æternis ignibus perpetuo torrendam adigere? *Væ qui devorat plebem Domini, sicut escam panis.* S. Thom. *Villa. ser. de S. Mic.*

Igitur, et tu quoque, si reliquis perditionis causa fueris, graviora patieris, quam qui per te subversi fuerint, neque enim peccare tantum in se perditionis habet quantum quod reliqui ad peccandum inducuntur. S. Chrys. *hom.* xxi, *ad Rom.*

Nemini blanditur veritas, neminem palpat, nullum seducit, aperte denunciat : quoniam væ homini illi, per quem scandalum venit. Bern. *sup. cant. serm.* ix.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas. — Origo primaria, seu primus scandali inventor Lucifer fuit; qui pessimum hoc lolium primo in Paradiso cœlestis seminavit, et postea in terrestri, prius in natura Angelica, et postea in humana, qui tertiam stellarum partem seduxit, præcipitavit, et ex firmamento æterno extraxit, easque in lethales fecit degenerare cometas; quibus transactis ad Evam se contulit, eamque seduxit, eamque mediante, Adamum. Atque hanc ob causam Verbum incarnatum, quando Petrum redarguit, ab humanæ Redemptionis calice bibendo eum retrahere volentem, Satanam nuncupavit dicens, *Vade post me Satana;* cujus hanc immediate subjunxit rationem; *Scandalum es mihi;* volens per hoc demonstrare, eos dæmones potius, quam homines appellandos esse, qui aliis præbent scandalum. Mansi *disc.* vii, n. 2.

Fuga.—Christus Matrem suam S. Josepho desponsari voluit, ne lapidaretur a Judæis, ut adultera; sive ut omne arceret scandalum, quod alias Judæi ex ipsius nativitate concipere potuissent. Idem quoque Redemptor noster ab omni erat tributi debito immunis, utpote in cujus femore scriptum erat : *Rex Regum, et Dominus Dominantium,* et tamen S. Petrum solicite ad mare dimisit, ut ex ore piscis monetam erueret, qua pro se, et Petro tributum exolvere posset, idque, ut sapiens Magister noster ait : *Ut non scandalizemus eos;* ob eamdem quoque rationem circumcidi, et infami filiorum Adæ signo notari voluit. S. Hier. *in cap.* ii *Matth.*

S. Theodorus Studita videns, quod per pessimum Constantini VI, Imperatoris obscænitatis exemplum, quod legitimam conjugem suam a se repellendo edebat, multi quoque etiam in remotis provinciis similes excessus committeernt, repudiando a se uxores suas, aliasque juxta libidinem superinducendo, ne hoc venenum serperet ulterius, postquam illum acriter reprehendisset, contra ipsum in ejus præsentia, et in conspectu omnium, excommunicationis fulminavit sententiam. Baro. *anno* 795, n. 57.

S. Bernardus de semetipso ait : Mori timeo, quoniam non sum paratus; malo tamen mori, et misericordiæ Dei me committere, quia benignus et misericors est. At vero quamobrem Doctor hic mellifluus mori cupiebat magis quam vivere? num forte Ecclesiæ aliqua hæresum, schismatis, vel persecutionis imminebat gravis tempestas? aut vero mortem desiderabat, ob habitualis, et penosæ cujusdam infirmitatis, qua tenebatur, violentiam? aut vero, quam fieri poterat, citissime Deo uniri anhelabat? nihil horum. Sed audite verum hujus desiderii motivum, ipsiusmet mellifui Doctoris ore expressum : Malo mori, inquit, quam de mala mea conversatione alicui scandalum dare; et tamen non jam dico, anima ejus, sed corpus ipsius, vehementer extenuatum, utpote verum Spiritus Sancti sacrarium, ad integrum quemdam mundum ædificandum sufficiebat. S. Bern. c. xxxv, *de int. dom.*

Eleazarus senex, ab amicis multisque aliis suasus, ut ad dandam Antiocho satisfactionem saltem simularet se vetitas in lege carnes manducare, intrepide respondit : *præmitti se velle in infernum.* Cujus hanc subjunxit rationem : *Non enim ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentium arbitrantes, Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur.* Radicemne fructiferorum horum germinum dignoscere cupitis? a puero optimæ conversationis actus, per nonaginta solidos annos vitam duxerat exemplarem, virtutemque solam colere didicerat; hic unius impulsus erat, qui eum ab omni etiam scandali umbra avellebat, et absterrebat. (L. II. *Mac.* c. vi.) Cujus constantiam S. Cyprianus etiam veneratur discursu sequenti : Non juvenibus tantum, sed et senibus congruit, fratrum imbecillitati consulere, ne senectus perire provocet juventutem, ex qua debent omnia salutaria documenta procedere. Maluit vitam suam tormentis objicere, quam cuiquam causa perditionis existere; et nos ubi nulla tormenta sunt, fluxibus solis nolumus salvandos fratres anteponere, nec contenti sumus sine ullis cruciatibus tam nobis prodesse, quam cæteris, cum ille noluit vivere moriturus. S. Cypr. *in Gloss.*

Surius de S. Procopio Martyre refert, quod in persecutione Diocletiani manibus illius a Judice igniti carbones impositi fuerint, ut ab eorumdem ardore victus eosdem super aram projiceret, atque hoc signo circumstantibus, se Diis sacrificare, declararet; at vero invictus Martyr manus potius sibi comburi permisit, quam ut tale circumstantibus præberet scandalum. (Surius, 8 *jul.*) Similiter de S. Barlaam, qui utpote rusticus, vilibus quidem erat natalibus oriundus, sed per Martyrium valde illustris factus, referunt Annales Ecclesiastici, quod Pagani, posito super altare igne, manum dexteram prunis incensis repletam violenter coegerint in altare excutere ; ille vero manum in mediis carbonibus tenuit immobilem illamque potius conflagrari permisit, quam ut scandalum daret. Unde S. Basilius illum merito Deo dicere potuisse ait : *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti, et cum gloria suscepisti me.* Bar. *anno* 304, n. 63.

Damnum. — Supplicium, quo divina Justitia in Regem Achab animadvertit, severum quidem, et rigidum fuit, multo tamen atrocius fuit illud, quod de Jezabel conjuge ejus sumpsit; ille enim in bello infeliciter mortuus est, et modicam sanguinis sui partem canes linxerunt : septuaginta quoque capita totidem filiorum suorum, a Jehu, qui ei in Regno successit, præcisa post mortem ejus in aliquot cophinis missa fuerunt; Jezabel autem e fenestra præcipitata, et totaliter, excepto cranio, pedibusque ac summis manibus, a canibus devorata fuit. (L. III. *Regum. c.* xxii *et* iv *Reg. c.* ix *et* xx.) Abulensis causam examinans, cur hæc majori cum rigore punita fuerit, inquit : Quanto peccata sunt majora, tanto gravior eis pœna correspondet, et tamen cæteri de progenie Achab occidendi erant, et Jezabel peccaverat plus, quam omnes illi, ergo illi debebatur pena major, quam mors, et istud erat, quod proculcaretur ab equis, et laceraretur a canibus. In alia vero questione difficultatem totaliter solvit, dicens : *Ipsa incitabat Achab ad omne malum ;* erat enim calix aureus Babyloniæ, qui illum inebriavit; qui nihil fere istorum fecisset, nisi Jezabel movisset eum. Abul. *q.* xxxiv, *in* 4. *Reg.*

De Heli, et filiis ejus prædixit Deus : *Facio verbum, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus.* At vero cur, obsecro, divina Justitia indignata tot in hanc domum iræ suæ fulmina vibravit? Sacer Textus ait : *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* At vero in quonam illud peccatum consistebat? num forte in eo, quod carnes sacrificatas sibi rapuerint? si ita est, peccatum hoc adeo grave esse non videtur, cum Deus per os Psalmistæ dicat : *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Respondeo igitur : malitia peccati ipsorum non consistebat in eo, sed execrandus excessus, quem Deus in illis execrabatur, scandalum publicum erat, quia retrahebant homines a Sacrificio Dei. Et ideo S. Gregorius ait : Grande nimis peccatum esse cognoscitur, quod pœnitentiæ lacrymis non deletur. Et paulo post ait : Grande nimis peccatum erat coram Domino, quia ad peccandum alios pertrahebat. S. Greg. *in lib.* I. *Reg.* c. ii.

Simeon inter fratres suos solus a Josepho in carcere fuit retentus; quia, ut Dionysius Carthusianus ait, magis peccavit in Joseph sua crudelitate, et alios incitavit contra eumdem. Dignum autem erat, ut plus castigaretur, qui reliquos animarat fratres ad tribulationes contra Joseph, quando eum occidere meditabantur; et tandem, morte in servitutem commutata, ipsum ut mancipium vendiderunt. Dion. Carth. *in* c. xlii, *Gen.*

Quisquis libros Regum evolvet, inveniet, nullum inter omnes Reges Israel atrocius fuisse a Deo castigatum, quam Jeroboam; sæpe autem, dum fulminum, a divina Justitia in ipsum emissorum fit mentio, ratio illorum his verbis insinuatur : *Quia peccare fecit Israel,* duos enim vitulos aureos a subditis suis adorandos erexit, unum in Bethel, in Dan vero alterum : duo autem vituli, ut Bellovacensis ait, duo exemplorum malorum genera significant, in Principibus, Magistratibus sæcularibus etc. alterum in Prælatis, et personis Ecclesiasticis; hic est vitulus, quem posuit in Bethel, id est, in domo Dei, ad ruinam populi : vitulus in Dan, qui judicium interpretatur, significat exemplum malum terrenorum Principum. Bello. p. 3. *spec. mor.* l. III. *disc.* xvii.

Regina Vasthi, quia invitata a Rege ad convivium venire recusavit, hanc transgressionem tam gravem Concilium Regale judicavit, ut decernere non dubitarit : *Non so-*

lum Regem læsit, sed et omnes populos et principes, qui sunt in cunctis provincis Assueri; egreditur enim sermo Reginæ ad omnes mulieres, ut contemnant viros suos, et dicant : Rex Assuerus jussit, ut Regina Vasthi intraret ad eum, et illa noluit; atque hoc exemplo omnes Principum conjuges Persarum, atque Medorum parvi pendent imperia maritorum; unde Regis justa est indignatio. Cujus historiæ textus nostro in primis favet proposito, siquidem docet, quod vel unica anima, quantumvis Regis gloriæ sit sponsa, multisque cumulata meritis, si tamen forte malum aliquod præbuerit exemplum, principaliter autem, quando aliis tamquam exemplar prælucere debuisset, meretur ut repudietur, et æterno exuatur Regno. ESTHER, I, 17.

Bellovacensis narrat, quod Episcopi quidam itineri se accinxerint, ut Hæreticis Albigensibus prædicando, eosdem ab erroribus et hæresibus suis dimoverent : adibant vero illos in fastu et pompa equorum, comitatuum, aliarumque similium vanitatum, unde hæretici scandalizati dicebant : Ecce quomodo isti prædicant nobis Christum Dominum suum, equites peditem, divites pauperem, pomposi humilem. Et sic sine fructu de terra confusi recedere debuerunt. Supervenit igitur S. Dominicus, qui omnia ab Episcopis et Abbatibus data scandala restauravit, dum ad illos discalceatus venit, et nudis pedibus spinas calcavit, pauper, humilis, et cilicio vestitus, quo habitu illos compunxit, convicit, omnesque Deo lucratus fuit. BELLOVAN. *l. c.*

Florentius Presbyter, dum felicia instituti S. Benedicti auspicia, cujus tunc prima jacebantur semina, tolerare non posset, furiis stimulatus infernalibus, septem induxit mulieres, quæ nudæ in horto saltarent, monachorum illorum incolatui vicino; quare et Sanctus dictum subito deseruit locum, cui veluti triumphans illætatus impius, solario domus suæ ex improviso oppressus fuit, atque ita in verticem ipsius iniquitas ejus descendit. S. GREG. *lib.* II, 2. *Dial.* c. VIII.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut majorem universaliter admirationem stuporemque causant eclipses lunæ et solis, quam aliorum inferiorum planetarum defectus; ita quoque si quis privatus mala vita sua proximos suos scandalizet, minus damnum causat, quam alius in dignitate constitutus. SALMERON, *apud Mansi,* d. XII, n. 7.

Sicut in exercitu omni, ut experientia docet, oculus et cura in desolationem, et contritionem intenditur principalium; ita quoque inimicus communis in bello isto, de quo scriptum est : *Militia est vita hominis super terram.* Ipse enim inimicus infernalis ad hoc præcipue conatur, ut illos vel maxime prævaricari faciat, qui auctoritate et sanctitate sunt eminentiores. *Ibid.* n. 8.

Sicut magna crudelitas est, affligere ægrotantes; sic magna perversitas, seducere simplices; nam de pusillis dicitur : Ne coram cæco ponas offendiculum. S. BONAV. *ibid. disc.* XXV, n. 8.

DAMNUM.— Sicut in navigatione exilis putatur error quem quis admiserit e communi viatorum turba; gravissimus autem, et periculosissimus, qui perpetratur a nauclero; ita quoque in Reipublicæ gubernio, quando aliqua persona privata peccat, sibi ipsi præjudicat : qui autem gubernium tenet, habenasque dirigit imperii, nocet omnibus delicto suo, siquidem ad omnes transfuditur; et quandoque omnibus malum ejus imprimitur exemplum. MANSI d. XII. n. 7.

Sicut sol, quantumvis splendeat, non tamen consideratur singulariter; bene tamen, quando patitur; et iterum, sicut horologium, non quando fluens horas indicat, sed quando sistit, transeuntium in se oculos rapit; ita quoque, si quis superior malum dederit exemplum, omnes ipsum observant, murmurant, quodque pejus est, major subditorum pars idem sibi licitum esse, et imitari posse, arbitratur. *Ibid.*

Sicut si quod ædificium atteritur, se ipso plerumque corruere facit muros vicinos, divellit, rumpitque pavimenta, æs, domosque contiguas; ita quoque scandalosus unicus non solus cadit et ruit, sed etiam alios cadere facit amicos, cognatos, socios, omnesque alios, ad quos malum ejus transmittitur exemplum : ideoque S. Thomas de Villanova nos adhortatur, dicens : Caveamus scandalum præbere pusillis, et dare illis occasionem ruinæ : sufficiunt nobis peccata nostra, non simus apud Deum etiam alienorum peccatorum rei. S. THOM. *Villa ser. de S. Mic.*

Sicut Pharao in extremam ruinam et desolationem populum Dei præcipitare decreverat, ideoque voluit, ut se occuparent in operibus luti, et lateris; ast laboribus illis homines auctoritate pollentes præesse jussit; præposuit eis magistros operum; ita quoque Pharao infernalis populum electum luxuriæ luto immergere volens, ordinat et disponit, ut malum iis obtingat superiorum exemplum, dicente Origene; Ideo præfecit eis Magistros operum, qui eos cogant discere opera carnis. MANSI, d. X, n. 7.

Sicut is, qui integram civitatem toxico molitur inficere, venenum suum fontibus injicit, qui postea aquam intoxicatam in omnes civitatis partes derivent : scit enim, quod hoc pacto cum facilitate ad unumquemque insensibiliter dilatandum sit venenum. Eadem quoque astutia dæmon utitur, quando integrum quemdam populum, provinciam, vel regnum inficere intendit, tunc enim fontem principalem venenato toxico imbuit, id est, efficit, ut Princeps, vel Rex publicum scandalum continuò præbeat, quo foveantur impii : similiter volens familiæ alicujus ruinam, caput domus invadit, illudque pessimis moribus vivere facit. Denique integræ alicujus Diæcesis perditionem meditans, Episcopum depravat : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Ibid.* n. 1.

Sicut, dum in cœlo funestus aliquis cometa, vel alia infausta aeris impressio exoritur, universa terra exinde patitur : talia enim errantia sidera famem, strages, pestilentias, seditiones, terræ motus, et quævis alia ærumnarum genera comminantur; eodem modo, quando, qui imperio præsunt, subditis scandalum præbent, Reipublicæ varia supplicia, et flagella, et damna imminent. *Ibid. disc.* IX, n. 6.

Sicut infæcunda arbor, si fuerit in vinea, dum fundit mortiferam subjectis vitibus umbram, inimica non sibi soli, sed etiam palmitibus fit fæcundis; ita homo deses, ignavus, si præsit populis, non sibi soli fit noxius, sed multis, dum sequentes se suo vitiat et perdit exemplo. S. CHRYS. *serm.* CXXIX.

SCANDALUM PASSIVUM VITANDUM. — Sicut fontes in hyeme calidiores propter circumstans frigus redduntur, idem vero in æstate propter circumstantem æstum frigus suum intendunt; ita nos virtutem et devotionem intendemus, quoties in medio malorum nos deprehenderimus. PHILIP. *Hartuck in Dom.* VI, *post Pas. in Conc. Civ.* § 15.

Sicut rosæ prope allium olent suavius, et lilia inter spinas speciosius albicant; ita nos medias inter tentationes et scandala, amœnius florebimus, et germinabimus. *Ibid.*

Sicut nives in monte Ætna non absumuntur a flammis, sed integræ perdurant; ita nos in maligno hujus mundi igne positi niveam servare puritatem, illibatamque procurare innocentiam satagemus. *Ibid.*

Sicut ex boum cadaveribus apes enascuntur; ita ex visis aliorum sceleribus cœlestes enascentur cogitationes, et melleæ ad Deum aspirationes evolabunt. *Ibid.*

Sicut amara ex thymo dulcissimos legunt favos apiculæ; ita et nos ex aliorum impietate suavissimum devotionis mel sugemus. *Ibid*

MOTIVA.

Gravitas; quam bene ostendit Abulensis observans in Palæstina molendina non per vim aquæ, ut usitatum est nobis, sed ab asino quodam, circumagitari consuevisse. Et ideo S. Matthæus, et S. Marcus saxum istud molam asinariam appellant; vel etiam ad denotandum saxi magnitudinem, quia nonnullæ molæ parvæ sunt, quæ manibus circumaguntur; quæ trahuntur ab asinis, inquit Abulensis, molæ magnæ sunt, et hanc magnitudinem exprimere voluerunt; quia vero dicitur, *quod suspendatur mola in collo, et demergatur in mare,* voluit Christus tangere magnitudinem pœnæ; in terra enim Chanaan sive Palæstina, in qua Christus erat, consuetudo vigebat, pro maximis criminibus reos sic demergi; ideo per hoc significavit, quod pœna, quæ datur scandalizantibus proximos, major est, quam maxima pœnarum, quæ dantur hic pro criminibus, et ita eos terret.. *Abulens. q.* XXXIV, *in* XVIII, *Matth.*

Fœditas; ob quam etiam Angeli detestantur hoc vitium, uti Salvator noster indicavit, dum, ubi comminatus est scandalum præbentibus commeritum supplicium, immediate post Angelorum facit mentionem, quod utique sine mysterio factum non est; quia quando malum exemplum proximis nostris præbemus, sumusque causa ruinæ animarum illorum, eodem tempore pariter Angelos offendimus, qui illarum custodiæ invigilant, qui proinde zelo exstimulati, Divinæ Justitiæ gladium contra nos apprehendent; ac proinde Christus ait : *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis meis; dico enim vobis, quia Angeli illorum in cœlis semper vident fa-*

ciem Patris mei, qui in cœlis est; venit enim Filius hominis salvare, quod perierat; quibus verbis rationem assignat, cur nulli hominum præbendum sit scandalum, quisquis demum sit, ne quidem parvulis, quia ipse nimirum de cœlo descendit ad salvandas animas, quas scandalosus malo suo exemplo perdere studet, ac proinde vult dicere : Angeli zelantes honorem meum, et sibi commissorum salutem, suo tempore rigorosum de illis supplicium sumere non intermittent. Nam, ut S. Bernardus in quodam sermone ait, nil æque offendit, et ad indignationem provocat eos, quomodo scandala, si forte inveniantur in nobis.

Insanabilitas; nam quando in Scriptura de aliis peccatis sermo est, ex modo, quo de illis loquitur, satis colligitur, quod eorum speret emendationem; unde et pro illis pietas cœlestis imploratur. At vero de scandalosis loquitur tamquam de hominibus a Deo separatis, vel tamquam de membris a corpore præcisis, unde hisce nulla spes vitæ reliqua esse poterit. S. Bern. ser. I, *de S. Mich. Mansi di.* VIII, n. 1.

Proclivitas; nam, ut S. Hieronymus ait, proclivis est malorum imitatio, et quorum virtutes assequi nequeas, certe imitaris vitia. Id quod etiam in naturalibus patet, siquidem mala herba, et lolium naturaliter crescit; bonam vero cum industria, et cultura producere necessum est. Quæ proinde veritas nec ipsos etiam gentiles latere potuit, reliquos inter ita discurrente Seneca : Unum exemplum, aut luxuriæ, aut avaritiæ, multum mali facit; convictor delicatus paulatim enervat et emollit; vicinus dives cupiditatem irritat; malignus comes quamvis candido et simplici rubiginem suam affricat. Ita quicumque se a cursu, qui faciliter, et naturaliter præcipitat, deorsumque trahit, in quo vitium denotatur, se abripi sinit. S. Hieron. *ep.* VII, *ad Læsan.*

Difficultas in reparando damno; non enim sic erit in nostra potestate corrigere, quos læsimus; qui enim scandalo obedivit, forte non obtemperabit consilio, et videbis fratrem in tuo exemplo labentem, nec succurrere poteris pereunti. Unde in hoc quodammodo ab alienis peccatis magis formidandum est, quam a propriis, quia minus nostræ potestati subest eorum remedium et medela. S. Thom. *Villan. in Fest. S. Mich.*

MEDIA.

Christi Amor, uti S. Ambrosius suasit dicens : quantum valeat salus fratris, ex morte Christi cognoscitur. Itaque qui scit, quantum constet, confirmare illum debet, non scandalizare. Qui enim scandalizant proximum, in Christum peccant, quia Christi fabricam, puto proximorum probitatem et salutem, quam Christus suo sanguine construxit, malo suo exemplo destruunt et evertunt. S. Ambr. *apud Mansi di.* XIII, 3.

Sua propria peccata considerare, uti Joan. Major sequenti exemplo docet : Factus est aliquando conventus in Scythis, et loquebantur Patres de quodam fratre culpabili, Abbas autem Prior tacebat. Postea vero surgens egressus est, et tollens saccum implevit eum arena, et portabat eum in humeris suis, et mittens in sportella modica de eadem arena, portabat etiam ipsam ante se. Interrogatus autem a Patribus, quid hoc esset? Ille respondit : Saccus iste, qui multum habet arenæ, mea peccata sunt, quoniam multa sunt, posui ea super dorsum meum, ne doleam pro ipsis, et plorem. Ista autem arena modica peccata sunt istius fratris, et sunt ante faciem meam, et in ipsis exerceor judicans fratrem : quod non oportet ita fieri, sed mea magis peccata ante me debent esse, et de ipsis cogitare, et rogare Deum, ut ignoscat mihi. Audientes autem Patres dixerunt : Vere hæc est via salutis. Cornel. *a Lapid. in Vit. PP. de verbis Se. libell.* IX, n. 9.

Malitiam hujus vitii ponderare; quam S. Augustinus sequentibus verbis depingit : Videte genus homicidii, fratres : homicida dicitur diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit, verbum seminavit, et occidit. Noli ergo putare, te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades; si fratri tuo mala persuades, occidis : quis enim nescit magis persuasiva esse exempla, quam verba? si quidem infallibilis est S. Leonis sententia dicentis : Validiora sunt exempla, quam verba. Quisquis scandalizat, mortem infert animæ proximi, sanguini injuriatur Redemptoris, quo anima illa tincta, et abluta erat. S. Aug. *tr.* XLII, *in Jo.*

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, quomodo intelligenda sint verba illa Christi : *Si oculus tuus scandalizaverit te, erue eum, et projice abs te :* id quod S. Thomas Villan. explicat dicens : Non ad litteram suffodiendum oculum, aut præscindendam manum, vel pedem, intelligas; sed spiritualem oculum, aut manum, aut pedem, id est, amicum, qui tibi pro oculo est in consilio, aut pro manu in auxilio, aut pro pede in lucro, etsi dexter sit, et ad bonum te inducit, si alias te in peccatum trahit, projice abs te, declina ab eo, fuge illius societatem. S. Thoma. *Villa. ser. de S. Mic.*

Nosse debet, quod scandali malitia tanto gravior sit, quanto major est viri, qui scandalizat, auctoritatas; si enim tam gravis est pœna illius, qui pusillum unum scandalizaverit, quid erit de illis, quos Deus tamquam mundi lucem posuit super candelabra, ut omnibus lucerent? qui jam Episcopatus, dignitates et principatus obtinent, non ut populum ædificent exemplo et verbo, sed in scandalum sunt multorum, et in ruinam populi totius, videntis eorum potentiam, delicias, avaritiam, superbiam, qui ovibus sunt in scandalum. (*Did. Stella in* XIII, *Luc.*) Quod confirmans S. Isidorus : Reges, inquit, vitam subditorum facile exemplis suis vel ædificant, vel subvertunt, ideoque Principem non oportet delinquere, ne formam peccandi faciat peccati ejus impunita licentia; nam Rex, qui ruit in vitia, cito viam ostendit erroris, sicut legitur de Jeroboam : *Qui peccavit, et peccare fecit Israel;* illi namque adscribitur, quidquid exemplo ejus a subditis perpetratur. (S. Isidor. l. III, *sent.* L.) Hinc etiam Innocentius III, in epistola quadam ait : Quanto Antiochena Ecclesia majori, Domino disponente, præeminet dignitate, tanto vobis est solicitius providendum, ne fieri contingat aliquid in eadem, quod alicujus pravitatis exemplo mentes posset corrumpere subditorum; quia ea, quæ vident fieri a majoribus, facile solent trahere in exemplum. (Innoc. III, l. III, *Regis* XV, *ep.* XX.) Et merito, nam nemo, teste S. Gregorio, in Ecclesia magis nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet; delinquentem enim hunc redarguere nullus præsumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando reverentia Ordinis peccator honoratur. S. Greg. *past. part.* III, c. I.

Nosse debet fraudem dæmonis quoad hanc materiam; quam quidem optime detexit idem S. Gregorius dicens : Callidus serpens cum a bonorum cordibus repelli se conspicit, per eos, qui ab illis valde diliguntur, et per eorumdem verba blandius loquitur, qui plus cæteris amantur, ut, dum vis amoris cor perforat, facile persuasionis ejus gladius ad intimæ rectitudinis munimina irrumpat. *Ibidem*, l. III, *mor.* VII.

Nosse debet quomodo passivum scandalum vitare debeat; id quod Philippus Hartungo hunc in modum explicat : Babylonii, teste Andrea Tiraquello tom. IV, de Nobilitate c. XXXI, nullo utebantur in urbe medico, sed infirmos in foro deponebant, ut de origine malorum pro cautela sua sani consulerent; neque fas erat cuiquam infirmum præterire silentio, quin diligenter exploraret, quo quisque laboraret ex morbo : itaque consulebat sanus ægroto, quanam ipse ratione similem morbum aliquando effugisset, aut alium effugisse sciret. Ecce præclaram medendi methodum, non a medicis, sed infirmis exquisitam! Morbi animæ vitia sunt : qui superbia laborat, Luciferum consulat; qui iracundia furit, Cainum quærat; qui luxuria tabescit, filium adeat prodigum; qui avaritia corripitur, Judam interroget. Ex præcipiti Luciferi casu, ex mortifero Caini terrore, ex prodigi sordibus, ex suspensi crepantisque Judæ spectaculo plus proficiet, quam ab humilis Lazaris, patientissimi Abelis, mundissimi Josephi, etc. exemplis. *Philipp. Hartung. in Dom.* VI, *post pasch. conc. civ.* § 11.

MISCELLANEA, ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Damnum. — S. Bruno Cartusianorum Patriarcha textum illum Apostoli, in quo Corinthiis persuadet, ut scandalosum illum incestuosum e medio societatis suæ auferant, et amoveant : *Ut tollatur e medio vestrum, qui hoc opus fecit;* hunc, inquam, textum exponens, subjungit : Hunc, et omne malum tollite de medio vestrum; quasi dicere vellet, scandalum centrum esse, et omnis malitiæ nidum. S. Bruno, *in* I, *Cor.* n. 9. v. 1.

Apostolus in c. V, epist. 1, ad Corint. de scandalo tractans, ipsum fermento assimilat dicens : *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* et paulo post, eidem allusioni insistens, quale venenum annexum habeat, subnectit inquiens : *fermentum malitiæ, et nequitiæ.* Quam pariter ob causam olim Deum severissime inhibuisse arbitror, ne Israelitæ quidquam fermenti in ædibus suis asservarent : *Non erit fermentum in domibus vestris, quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel,* Sed quorsum, obsecro, cum tanto rigore mortis pœna illi intentabatur, qui massam hanc domi suæ asservaret? scilicet ut in eo disceremus, quod vel unius duntaxat scandalum, in fermento figuratum, sufficiens pestis sit, quæ inficiat, morteque mulctet omnes in tali familla degentes. Unde S. Thomas inquit : Sicut per modicum fermentum tota massa corrumpitur, ita per unum peccatorem tota societas inquinatur : in cujus confirmationem illum adducit Ecclesiastici textum : *Ab una scintilla augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis ;* et hoc quidem contingit, dum per peccatum unius alii provocantur æqualiter ad peccandum. Quem pariter textum Dionysius Carthusianus exponens, sub titulo fermenti ad homines alludit scandalosos, dum ait : Sic unum peccatum, seu unus pestilens et perversus, totam massam, id est, vestram congregationem contaminat, inficit, et seducit, nisi auferatur. S. Thom. *et Dion. Cor. in cit. loc.*

Consideratione dignus est modus, quo incarnata, et increata Sapientia in prædicta zizaniorum parabola loquitur, dicit enim, quod supremus Judex Angelos suos in fine sæculorum velut totidem messores in Ecclesiam suam militantem missurus sit, ut in cœleste granarium frumentum congregent, zizania autem in ignem infernalem conjiciant : quærendum enim hic venit, cur, ex quo per hanc malam herbam vel zizania, quævis culpa, omnisque perversitas intelligitur, nulla fiat specialis peccati mentio, præterquam scandali? Dicit enim sacer Textus : *Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi; mittet filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala;* cur nullam facit mentionem de sacrilegiis,de apostasiis de hæresibus, de atheismo, de paganismo, de incestibus, de blasphemiis, de simoniis, de homicidiis, de usuris etc. Cur sola scandala memorat? scitisne, quodnam hujus sit mysterium? hoc nimirum, quia, cum ibi de igne infernali agatur, nullum est peccatum, quod majorem cum illo igne relationem habeat, quam scandalum; hoc enim unica causa existit, cui Deus abyssi illius voraginem aperuerit, etenim a principio quidem Creator totum universum produxit : *In principio creavit Deus cœlum et terram,* sed sine inferno. Quando igitur justitia vindicativa ignem illum centro terræ inviseeravit, ibidemque tenebricosum illum dilatavit carcerem? tunc videlicet, ut diximus, quando Draco infernalis tertiam naturæ Angelicæ partem scandalo suo in abyssum protraxit : *Michael et Angeli ejus præliabantur cum Dracone, et Draco pugnabat, et Angeli ejus, et non valuerunt, neque locus eorum amplius inventus est in cœlo, et projectus est Draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas.* Causa igitur, cur ipsi, et sequacibus ejus barathrum apertum fuerit inferni, est hæc, quia seduxit universum orbem, postquam seduxisset magnam cœlestis curiæ partem. *Mansi di.* VII, n. 7.

Quæri non immerito potest, cur Adam, et Eva a Deo interrogati fuerint, serpens vero non item, et tamen hic instrumentum, et auctor omnis mali fuerat; quod dubium Procopius his verbis resolvit : Mirabile vide judicium! deceptos interrogat, deceptorem non interrogat, sed quasi malum, et mali auctorem, et penitus incorrigibilem, veniaque indignum, affatur. Voluit nimirum Divina Sapientia, quæ omnia alto cum mysterio disponit, ab ipsis mundi crepundiis nos docere, illos, qui offendiculum sunt, et ruina animarum, ut plurimum incorrigibiles, veniæ incapaces, et perditæ salutis homines esse. Non enim fuit examinatus serpens, nec vocatus ad se defendendum, aut rationem de se reddendam, sicuti primi parentes, sed ex abrupto maledictus, et condemnatus fuit : *quia fecisti, hoc, maledictus eris.* Non enim opus est examine, aut processu ad condemnandum illos, qui scandalum præbent, nimis potens, et detestabile est scelus illorum, et quia in flagranti crimine deprehenduntur, tamquam atrocium delictorum rei, inauditi condemnantur. *Ibid.* n. 8.

D.Chrysologus de malitia scandali scribens, alia hujus comminatæ pœnæ mysteria in medium adducit; quare, inquit, non lapis, sed lapis molaris? quia lapis molariis dum triticum terit, dum farinam fundit, a polline furfurem dum secernit, panem pie laborantibus subministrat. Bene ergo illi, qui eligit minister scandali magis esse, quam pacis, ad collum lapis alligatur molaris, ut hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam, quia sensus ad vitam datos, mortis convertit in scandalum, suadendo aliud videre, aliud audire, aliud sentire, aliud sapere, quam in Christo erat, quam erat in scientia salutari. Hinc angularem lapidem, hinc adjutorii lapidem, hinc lapidem sine manibus abscissum, quod est Christus, sic pusillorum circuit, et traxit ad scandalum, ut non panem vitæ, sed panem lacrymarum conficeret et doloris, sicut Propheta testatur dicens : *Qui manducatis panem doloris.* S. Chrys. *ser.* xxvii.

Considerandum est, quod reus, qui saxo ad collum alligato in mari submergitur, penitus ab oculis nostris subducatur, non vero item qui in publico foro justitiæ supplicio afficiuntur, hi enim, quia omnibus expositi sunt, in spectatoribus excitant compassionem, atque ad porrigendum pro anima illorum precum subsidium populum commovent, e contra vero qui in mare demergitur et profundatur, exosus declaratur omnibus, et indignus qui videatur, nedum adjuvetur. Hanc autem detestationem et abominationem scandalosi pœnæ loco sustinebunt, quia exosi sunt Deo, hominibus, et multo magis Angelis. *Mansi di.* iii, n. 4.

Per experientiam videmus, quod si pes v. g. in offendiculum aliquod impingens, graviter lædatur, non ob id subito præscinditur, aut separatur a corpore, imo ad pedem curandum manus confestim accurrit, oculus similiter ad qualitatem mali discernendam quaquaversum vertitur; denique stomachus haud invitus est ad sustinendam pro cura pedis diætam; uno verbo invicem sollicita sunt membra; cur igitur tam Christus, quam Sanct. Paulus ad Galatas, nociva membra præscendi suadent, et a corpore projici, quod idem est, ac si dicerent, totaliter separetur scandalosus a communione, et consortio nostro, tamquam excommunicatus, et præcisus? cur non potius ad correctionem admittitur, et per exhortationes ad sui emendationem promovetur et inducitur? Resp. prosequendo eamdem similitudinem membri putridi corporis nostri, quamdiu enim spes est, ut sanari possit pars aliqua corporis infirma, toleratur in corpore, et ad illud curandum omnis generis remedia adhibentur; at vero quando evidens est periculum, ne ex eo totum corpus inficiatur, tunc a corpore præscinditur, et in terra sepelitur : eodem modo de aliis peccatoribus, et vitiosis dici potest, quod ad faciendam pœnitentiam magis sint dispositi, magisque emendationis capaces, et ideo sine perversionis periculo cum illis, utpote spem salutis suæ promittentibus, tute, et secure agere, et conversari possumus; at vero scandalosi sunt veluti membra putrida, quæ sana corporis membra inficiunt et destruunt, nec aliud superest pro illorum salute remedium, quam sectio; ac proinde bene S. Paulus ait : *Utinam abscindantur;* et Salvaltor : *Abscinde, et projice. Ibid.* n. 5.

Manassi gravissimum cœlitus inflictum supplicium Scripturæ sacræ commemorant, qui ut l. II. Paralip. asserit, vitam suam in prædam dederat, abominationibus horrendis, ita ut non modo carnis desideriis fræna laxasset, sed insuper veri Dei cultum conculcaret, dicente Scriptura sacra : *Fecit malum coram Domino, juxta abominationes gentium.* Et paulò post idem sacer Textus astruit, quod populum seduxerit, ut eorumdem gentilium sectaretur abominationes; igitur Manasses seduxit populum. Et nihilominus si totam percurretis Scripturam sacram, nusquam invenietis eum actu aliquo posito Israelem ad idololatriam instigasse; qualiter igitur eum seduxit? suffecisset equidem Spiritum S. dixisse, quod Rex idolalotra erat; hoc enim sufficiebat ad inferendam hanc aliam consequentiam, scilicet quod populum seduxisset; quia, ut Sanct. Bernardus ait : Principis error multos involvit, et tantis obest, quantis præest; damnum quidem exile est, quando is, qui scandalum præbet, homo privatus est quia si quis de populo deviat, solus pert ; Princeps iter faciens, numerosum post se comitatum trahit, et ideo, si extra vitæ limites egrediatur, per ejus sequelam omnes a recta semita deviant, et in præcipitia labuntur. Unde verissima est illa Magni Gregorii omnibus manifesta propositio dicentis : Cum pastor per abrupta graditur, consequens est, ut grex in præcipium feratur. *Idem dis.* ii, n. 3.

In Exodo incredibilis illa strages refertur, in qua Moyses ex instinctu divino aliquot Hebraici populi millia, quæ sua ante vitulum aureum genua flexerant, peremit : cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum; et tamen numerus idololatrarum ad ejusdem vituli adorationem concurrentium utique longe major erat, qui salvus remanerat. Unde merito quærendum venit, cur injuria divino cultui facta in minori injuriantium numero vindictam suam luat? Sed facilis est ad hoc responsio : quia Deus præcipue illos punire voluit, qui idololatriam promoverant, illiusque auctores et capita fuerant, quia hi non solum propriarum culparum rei existunt, sed etiam omnium illorum exemplum ad alios transfunditur. Et ideo S. Isidorus Pelusiota ait : Cum omnes pene in deserto vitulum effecissent, quidam pœnas dederunt, (hoc est fortasse, qui scelus auspicati erant) : quidam autem veniam consecuti sunt ii nempe, qui per fraudem et imposturam illorum vestigiis institerant. Etenim illi aliqua ex parte excusabiles censeri debent, qui malo Principum et Prælatorum exemplo provocati erant, quia hoc illos incantat, illorumque scelus certo quodam modo canonizat. S. Isidor, *Pelus.* 1, III, *ep.* CLII.

Quæstio est, quæ fuerit origo idololatriæ, quæ insatiabile inferni barathrum, dæmones pro diis adorati faciendo, per tot sæcula implevit? nimirum antiquus serpens, considerans, homines ad delicias, voluptates, gulam, avaritiam, vindictas, et similia scelera vehementer esse propensos, deos adinvenit; hisce illorum appetitibus valde proportionatos, ut peccata prædicta per exemplum deitatis, quam venerabantur, non solum impunitate gauderent, verum juxta falsam illorum fidem, per imitationem meritum conciliarent; sic enim pro impudicis adinvenit impudicam deam Venerem; pro avaris Mercurium? pro vindicativis Martem, denique Bacchum pro epulonibus. *Mansi disc.* x, 1.

Considerabilis est quædam S. Hieronymi super Dianielem scribentis ponderatio; ut enim statua illa antea adorationis cultum reciperet, sequens emanavit edictum, ut scilicet Satrapæ et Principes primi essent, qui coram illa genua sua flecterent; ait enim Sacer Textus : *Tunc congregati sunt Satrapæ, Magistratus, et Judices, Duces, et Tyranni, ac Optimates, qui erant in potestatibus constituti, et universi Principes gentium, ut convenirent ad adorationem statuæ ;* tametsi enim per quotidianam experientiam videamus, quod infima plebs, et fex hominum prima esse soleat, quæ matutino tempore surgens, ad satisfaciendum devotioni propriæ Ecclesiam adeat; e contra vero Nobiles, et Principes ultimi esse consueverint : nihilominus Rex ille sapienti consilio statuit, ut Principes primi essent, qui statuam illam adorarent; cujus rationem Sanctus Hieronymus indicat, dum ait : Principes congregantur ad adorandum, ut per Principes seducantur et gentes. *Ibid.* n. 3.

Apud Jeremiam Deus introducitur, in hæc verba loquens : *Ecce ad te, mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram, et extendam manum meam super te, et dabo te in mortem combustionis.* Enim vero nullus est morbus, qui communiter in universum populum magis dilatetur, quam pestis, nulli enim parcit sexui, conditioni, aut professioni personarum; at vero quando ipsos quoque Principes inficit, signum est, quod stragem quamdam faciet irreparabilem; utique oraculum Propheticum non sine misterio hanc adducit similitudinem, quia quando in Superioribus, et Magnatibus scandalum reperitur, subito omnes inde inficiuntur.(Jerem. 51.)Montes pestiferi, inquit Bellovacensis, sunt Majores, quorum corruptio derivatur in inferiores. Unde Principis alicujus scandalosi regimen, per Cathedram, e qua docetur, et leges promulgantur, denotatum, cathedram pestilentiæ appellatur, de qua Psalmista ait : *Beatus vir, qui non abiït in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit.* (*Psal.* I.) Tunc autem, Hugo de S. Victore ait; recte cathedra pestilentiæ fit, quando pravum opus in exemplum veniens plures corrumpit. *Bell.* p. 3, *spec.* l. III, *dist.* VII, *Ps.* I.

SOCIETAS.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est duorum, pluriumque conjunctio, contracta ob commodiorem usum, et quæstum uberiorem. Sive est adunatio hominum ad aliquid perficiendum, ut S. Thomas definivit. (S. Tho. *in opus. cum. Reli. impugn.* v.) Unde Aristoteles ait : Sunt Societates omnes quædam velut partes civilis societatis. Conveniunt enim homines emolumenti alicujus causa, et ut suppeditent aliquod, quod ad vitæ usum, cultumque pertinet. Putant aliqui Socium a Sodali in hoc differre, quod socius proprie dicatur, qui in re seria, ac laboriosa juvat alterum; sodalis autem, qui in rebus levioribus, alteri societatem præstat. *Arist.* l. VIII, *Eth.* c. IX.

Divisio. — Dividitur in *bonam* et *malam*; illa est, quæ inter bonos et virtuti deditos reperitur; ista, quæ a malis et sceleratis hominibus mala intentione contrahitur.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Omne animal diligit simile sibi : sic et omnis homo proximum sibi, omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo simili sui sociabitur. *Eccl.* xviii, 19.

Societatis utilitas. — Melius est, duos esse simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ : si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Et si dormierint duo, fovebunt se mutuo, unus quomodo calefiet? et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt. Funiculus triplex difficile rumpitur. *Ec.* iv, 9.

Societas bona. — Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. *Ps.* lxxxiii.

Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? II. *Cor.* vi.

Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Christi Domini nostri. I. *Cor.* i.

Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris. *Ps.* xviii, 26.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit : amicus stultorum similis efficitur. Prov. xiii, 20.

Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei. *Ec.* xxxvii, 15.

Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum. *Ps.* cxxxii, 1.

Ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Matth. xviii, 20.

Si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus. *Ec.* vi, xxxvi.

Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum : ambulans in via immaculata mihi ministrabat. *Ps.* c, 6.

Ferrum ferro acuitur, et homo exacuit faciem amici sui. Prov. xxvii, 17.

Societas mala, ejus fuga etc. — Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea : et qui communicaverit superbo, induet superbiam. *Ecc.* xiii, 1.

Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis, ne ambules cum eis : prohibe pedem tuum a semitis eorum; pedes enim illorum ad malum currunt. Prov. i, 18, et 15.

Discede ab iniquo, et deficient mala abs te. Ec. vii, 2.

Exit de illa populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis. *Apoc.* xviii, 4.

Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus. Isaiæ, lii, 11.

Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. *Nu.* xvi, 26.

Cum fatuis consilium non habeas; non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent. *Ecc.* viii, 20.

Cave, ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam. *Exo.* xxxiv, 18.

Quis miserebitur incantatori a serpente percusso, et omnibus, qui appropiant bestiis? et sic qui comitatur cum viro iniquo, et obvolutus est in peccatis. *Eccl.* xii, 13.

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. *Psal.* i.

Denunciamus autem vobis, Fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut substrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate. II. *Thes.* iii.

Non habitaveris cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus, et sumas laqueos animæ tuæ. Prov. xii.

Societatis male damnum. — Commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum. *Ps.* cv.

Filii abominationum fiunt filii peccatorum, et qui conversantur secus domos impiorum. *Ec.* xli. 8.

EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Inter bonos bonum esse, salutem habet, inter malos vero, etiam laudem : illud tantæ felicitatis est, quantæ etiam securitatis; hoc tantæ virtutis, quantæ difficultatis. Quale nempe est illud, tangere picem, et non inquinari ab illa, in igne sine læsione versari. S. Ber. *in epist.*

Hoc unicuique proprium est, ut, qualis

ipse fuerit, tales sibi conjungi et alios velit, ut diversitatem vitæ refugiet, atque hoc imitandum imprimat, quod amat. Nihilominus ab hac regula lubricam sanctus Bernardinus excipit juventutem, severa disciplina, et magna indignam custodia : proindeque ait : sequatur conversationis electio, ut adjungantur probatissimis quibusque senioribus. In iis, qui cum juvenibus conversaturi sunt, eamdem minime requirit ætatem et professionem, quin potius annos plures, auctoritatem, et prudentiam eminentiorem, cujus hanc assignat rationem : nam ut æqualium usus dulcior, ita senum tutior est, qui magisterio quodam edocti vitæ colorant mores adolescentium, et velut murice probitatis inficiunt. Non nego equidem, juvenibus gravem, quandoque esse maturiorum conversationem ; ast oculus in id, non quod oblectat, sed quod utilitatem animarum affert, bonosques mores promovet, convertendus est. S. Bonav. l. IV, *Pharet.* xxii.

Inter profanos sanctus, inter obscœnos mundus, pius inter impios, bonus inter malos, tamquam smaragdus in luto, tamquam margarita in arena est. *Orig. in* xxx, *ibid.*

Qui cum pejoribus conversari appetit, satis se depravatum ostendit. Hug. Vict. *de instit. novi.* v.

Conversari sic debet Christi minister, ut ex moribus exterioribus compositiones interiores existimentur. Petrus *Blessens. opusc.* ix.

Pauca est societas, in qua non sint pravi homines inter bonos. Bern. t. I, *Jud.*

Necessitas. — Qui prius fueras Canonicus Regularis, factus es Canonicus Insularis. Solitudinem Congregationi prætulisti, et Insulam Claustro, fecisti te anathema fratribus tuis, terram promissionis pro Ægypto, pro Babylone Jerusalem, et cœlum deseris pro inferno. Quid tibi, et solitudini? Multos in discrimen animi solitudo dejecit. Erraverunt in solitudine quidam, et a serpentibus perierunt. Greg. *in Regist.*

Quam vera sit hæc sententia (væ soli etc.) ego novi, qui triginta annis, et eo amplius vices Episcopi in diversis provinciis, et diœcesibus habui. Qui in hoc articulo, quo Religiosi vel soli vadunt in viis, vel soli manent in curiis, horrenda mala, horrenda scandala, horrendaque pericula frequenter audivi, quæ numquam sustinuissent adjuncto socio, vel fecissent. Thomas *Cantip.* l. II, *apu.* i, § 2.

Volenti perperam agere, et desertum abundantiam habet, et nemus umbram, et silentium solitudo. Malum quippe, quod in me videt, nemo arguit. Ubi autem non timetur reprehensor, securius accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In conventu vero bona, si quæ facis, nemo prohibet; mala autem si facere vis, non licet, mox enim a pluribus comperitur, arguitur, emendatur. S. Bern. *apud Nissen. Phænic.* l. IV, i.

Dicam, quod sentio, etsi invite ab improbis audiatur. Credo, solis, et sine socio foris ambulantibus, mille infortunia, et plura, quam credi potest, sæpius occurisse, in quibus nec opere, nec saltem animo offendissent, si justus fratris socius affuisset. *Cantip. l. cit.*

Æquitas. — Tu autem, si in civitate aliqua sis habitaturus, de aere curiose inquiris, an sit salubris, num temperatus, num siccus? de anima autem rationem initurus, non es solicitus de eorum consuetudine, qui cum ea sunt congressuri, sed temere, et inconsiderate eam omnibus permittis? Dic tu mihi, quomodo veniam assequeris, si eam sic negligis? Chrys. *in Ps.* iv.

Utilitas. — Ubi multi unus, et unus non solus, sed in pluribus, huic vitæ instituto quid est, quod jure æquiparari possit? quid beatius dici? Quid hac conjunctione, et unitate aptius excogitari? Quid elegantius fingi mutua inter se morum animorumque contemperatione? Hic infirmo parata medicina, hic tristis sua habet solatia, hic rerum necessariarum ignarus magistros, hic debilis confortationem, hic tepidus calorem; et si quis cadat, plurimos, qui manum offerant, et erigant; et si stet, innumeros, qui confirment vel sustentent, ne ruat. Hæ sunt Cœnobiticæ utilitates; solitariæ autem conversationis incommoda illa, quæ toto hoc capite carptim perstrinximus. Hinc accipimus, quantum Patri Basilio Magno debeamus propterea, quod Monachos solitarios ad communem in sanctis Conventibus vitam adduxit, quos proinde a procellosis periculorum tempestatibus ereptos, in tranquillo tutissimoque portu constituit. S. Basil. *in Consti.* xix.

Undenam existimas eos, qui deserta incoluerunt, admirabiles et claros evadere? nonne quod strepitus, et fora fugiant? nonne quod longe a fumo negotiorum, quæ sunt in medio, se collocarint? eos ipse quoque imitare, in media civitate solitudine persequens. Quomodo hoc autem erit; si fugias improbos, si bonos sequaris; ita enim majorem percipies securitatem, quam qui in desertis habitant, non solum in iis, qui prosunt. Si enim malos quidem fugias, bonos autem sequaris, utrinque et virtus augescet, et decrescet vitium. S. CHRYS *in Psal.* IV.

Duplex affert lucrum, inquit S. Bernardinus, societas bonorum : primum est, cognitio malorum ad evitandum ; nam ubi plures virtuosi simul congregati sunt, habentes plures spirituales oculos, plura vident, perspicacioresque sunt, atque amplius oculati ad evitandum mala ; nam quod unus non cognoscit, alius intellexit, et cautius unus per alium incedere noscit. Virtuosa utens societate, diversa sibi potest promittere subsidia. Juvatur, inquit idem Sanctus, a sociis contra insurgentes tentationes, consiliis, et exhortationibus sancti. S. BERN. *Sen. apud Mansi di.* XIV, n. 8.

Ubique inter admiranda opera, et reverenda secreta, Sancto Moysi individuus adhærebat Jesus ; unde factum est, ut, qui fuerat socius conversationis, fieret successor potestatis S. AMBR. l. II, *offic.* c. XX.

Qui sancto viro adhæret, ex ejus assiduitate visionis, usu locutionis, exemplo operis, accipit, ut accendatur in amorem veritatis, peccatorum suorum tenebras fuget, in desiderio lucis exardescat. S. GREG. *ho.* V. *in hom.*

SOCIETAS BONA. — Ad instructionem jungi bonis plurimum proficit, et ad probitatis testimonium. Ostendunt enim adolescentes, se imitatores esse, quibus adhæserint, et ea convalescit opinio, quod ab his vivendi acceperint similitudinem, cum quibus conversandi hauserint cupiditatem. S. AMBR. l. I, *offic.* c. XLV.

Bonus sic malo connectitur, ut aut pares reddantur, aut cito ab invicem separentur ; amicitiæ enim pares aut quærunt, aut faciunt. S. CHRYS. *sup. Mat.*

Amabilis socius est omnibus officiosus, et nulli onerosus, quia devotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum ; Domini servus, proximi socius, mundi dominus, superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium.

Melior est societas simplicis inter sapientes nutriti, quam prudentis cum peccatoribus educati. Dulcior est vita sapientis aspera inter sapientes, quam dulcis inter insipientes S. PETRUS CHRYSOL.

Sancta conversatio confundit inimicum, ædificat proximum, glorificat Deum. ISID. II, *sol.*

Conversationis bonæ vir cœlestia amat, terrena despicit. S. GREG. *in* I. *Reg.*

SOCIETAS MALA. — Rerum natura est, ut, quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur; diversitas enim rerum numquam potest habere concordiam, et multos sollicitat felicitas nefanda. S. CHRYS. *sup. Mat.*

Ante ignem consistens, etsi ferreus sis, aliquando dissolveris : proximus periculo diu tutus non eris. Per assiduitatem cito peccat homo. Sæpe familiaritas implicavit, sæpe occasionem peccandi dedit, sæpe, quod voluntas non potuit, assiduitas superavit. ISID. l. II, *soliloq.*

Melius est habere malorum odium, quam consortium. Sicut bona multa habet communis vita Sanctorum ; sic plurima mala affert societas malorum. *Ibid.*

Agnoscite, dilectissimi, et expavescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod et ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injecerunt. S. BERN. S. I.

Gratulandum est, cum mali de Ecclesia separantur, ne columbas, ne oves Christi sæva sua et venenata contagione prædentur. Cohærere, et conjungi non potest amaritudo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fæcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. S. CYPR. *de simpl. Prælat.*

Deplorandus ille status est, ubi jam non vitiis excusatio, sed auctoritas datur : nullum enim malum difficilius extinguitur, quam quod multitudinis consensu asseritur, et excusatione blanditur. S. CYPR. *in Ps.* XLVIII.

Nec mirum est, si fragilis perversi socius perversus efficitur, cum in terra, et in cœlo perversa societas perversi satanæ perversam fecerit tertiam partem stellarum, id est, Angelorum cœli, et misit eas in terram. Prima pars fuit, quæ divinæ voluntati adhæsit ; secunda, quæ vacillavit, sed tandem Deo conjuncta est ; tertia vero, quæ ex seductione Luciferi perversi socii a Deo perversa fuit, et misit eas in terram. S. BERN. *Sen.* V, *in Domin.* 3, *Pent.* n. 2.

Mala societas corruptionem seminat, ruinas ædificat, perditione gaudet, interitum fovet, confusionem mercatur, criminationes exaggerat, et per infinita dedecora, simplices mentes invehit in perditionem. S. Cyp. *de singul. Cler.*

Mira res! tanta est malitia, quam docente diabolo quidam perversi discunt, ut multas nequitias per eos in mundo dæmones operentur, quas operari quodammodo nequirent per se ipsos, majoremque potestatem habent sancti viri super dæmones, quam super hos perversos homines. In hujus mysterium Dominus, convocatis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos : et non dedit eis potestatem super homines malos. S. Bern. *Sen. l. c.*

Versari inter spinas, et minime lædi, divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. S. Bern. *s.* 48. *in Cant.*

Vitæ usum cum improbis hominibus plane suillum agnoscens sapientissimus per Moysen pædagogus, seniori populo porcis vesci prohibuit, significans non oportere eos, qui Deum invocant, cum impuris versari hominibus. S. Clerm. *Alex.* l. III, c. xi, *ped.*

Societas mala res contagiosa August. l. II, *Conf.*

Corrumpunt bonos mores confabulationes pessimæ. Hier. *ad. Nep.*

Societas malorum incorrigibilium fugienda est. Greg. *in Ezech.*

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Fuga Societatis malæ. — Noe, cæteris omnibus dissolutam vitam agentibus, solus ipse arcam parabat, et in diluvio intrabat. Gen. vii.

Tobias Senior, cum irent omnes ad vitulos aureos, quos fecerat Jeroboam Rex Israel, solus ipse fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum Deum Israel. Tob. i.

Mathatias ab Antiocho ad gentilissimum compulsus, dicebat : Etsi omnes Gentes Regi Antiocho obediant, ut discedat unusquisque a servitute legis patrum suorum, et consentiat mandatis ejus, ego, et filii mei, et fratres mei obediemus legi patrum nostrorum. I. *Mac.* ii, 59.

Joseph Patriarcha tantopere exosus est malam societatem, ut ne mortuus quidem inter Ægyptios morari voluerit, sed reliquias suas asportari jusserit. Gen. l, 24.

De Job scribit Origenes, quod fuerit tamquam columba inter raptrices aquilas, tamquam agnus in medio luporum diripientium, tamquam stella in medio nubium teterrimarum. Item justus inter injustos, inter profanos sanctus, inter obcœnos mundus, pius inter impios, bonus inter malos, tamquam smaragdus in luto, tamquam margarita in arena. Cum ergo inter tales esset, non fuit talis, quales illi : cum inter impios esset, non declinavit ad impietatem : cum esset inter injustos, non est commistus eorum injustitiis, sed permansit in medio impiorum tamquam adamas immobilis, tamquam lucerna inextinguibilis, tamquam lumen, quod immutatur, tamquam radius, qui non occidit. Sic etiam nos oportet esse, o amici, ut fulgeamus tamquam luminaria cœli in mundo, verbum vitæ continentes in diem Christi. Origen. *in lib. Job.*

De S. Joanne Baptista canit Ecclesia :

Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petisti,
Ne levi posses maculare vitam
Crimine linguæ.
In offic. diei.

Arsenius interrogatus, cur tantopere hominum consortium fugeret, non posse se cum Deo simul, et hominibus vivere, respondit. *Vita PP.*

De Christo Isaias Abbas dixit : Nec Dominus Jesus prius ascendit in Crucem, quam Judam expulisset e medio discipulorum. In Collegio Apostolico Christus suam fundaverat Ecclesiam sponsam, quam acquisivit Sanguine suo, nolebat itaque Redemptor Judam post mortem suam reliquos inter demorari discipulos, prævidens, illos ex hujusmodi commercio, contaminationis incursuros periculum, siquidem modicum fermentum totam massam corrumpit. (Isai, *Ab. cr.* xxii.) Hinc et S. Leo, postquam, inquit, Judas persuasus a diabolo, discessit a Christo, seque a corpore Apostolicæ unitatis abscidit, nullo Dominus pavore turbatus, sed de sola redimendorum salute solicitus, omne temporis spatium quod a persequentium vacabat incursu, mysticis sermonibus, sacratæque doctrinæ, sicut Joannis Evangelio declaratur, impendit, elevans ad cœlum oculos, et pro universa Ecclesia supplicans Patri. Notat autem Sanctus, Christum non ante pro sua Patrem exorasse Ecclesia, nisi separato prius traditore. Quia nimirum, sicuti (juxta tritum proverbium) unicus peccator pessundat navigium, ita prævidebat Christus, unico scelerato et traditore Juda inter Apostolos reliquos permanente, mysticam suam posse periclitari navim. Noverat perfectissime Verbum incarnatum, quantum Ecclesiæ triumphanti damnum solus intulerat Lucifer, tertiam ex firmamento secum in abyssum trahens stellarum partem, quo exterminato, inquit S. Joannes, *audivi vocem magnam de cælo dicentem, nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum.* Paulo ante præmiserat, dicens : *Angeli ejus, præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et Angeli ejus, et non prævaluerunt, neque locus inventus est eorum amplius, et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas.* S. Leo *s.* vii, *de Pass.*

S. Joannes Apostolus, teste D. Irenæo domum quamdam ingressus, ubi ex improviso Cerinthum reperit hæreticum, sine mora inde prosilivit, clamans, et vociferans : Recedite, profugite, timeo namque loci hujus exterminium, vel ob unius impii istius præsentiam. S. Iren. l. III, *adv. Hær.* c. viii.

S. David de seipso fatetur : *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua : ideo non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo : odivi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo. Psal.* xxv.

B. Ægidius interrogatus, an quis in sæculo Dei gratiam, et salutem assequi posset, respondit : Potest utique, ego tamen malo vel unicum gratiæ gradum in Religione, quam decem in mundo; illa namque gratia faciliter crescit et conservatur, siquidem Religio a malis divinæ gratiæ oppositis conversationibus et exemplis sequestrat, plurimamque in spiritualibus subministrat opem, sæculum autem bene operantibus mille infert præjudicia. Mansi d. xiii, n. 7.

Polycarpus discipulus Joannis Apostoli Martioni hæretico forte occurrens, cum ab eo, an se agnosceret, interrogaretur, respondisse dicitur; Agnosco, agnosco diaboli primogenitum. Itaque docet haud molliter cum hujusmodi hominibus loquendum esse, si quando loqui, necesse fuerit. Cur enim dissimulemus eosdem nos habere inimicos, quos Dei esse noverimus, tanto majore odio dignos, quanto dolosius catholicæ insidiantur veritati. Marull. l. III.

Antonium Abbatem Alexandrinum dicere solitum ferunt, non expedire Christi servis, eorum qui sæculo serviunt domos frequentare, aut consuetudine uti; sicuti enim pisces de aqua eductos continuo languescere et emori solere, sic Monachum extra cœnobii septa vagantem, si quicquam confabulationi vacaverit alienorum, ad cordis tepiditatem redigi, et circa spiritualia exercenda effici tardiorem. *Idem ib.*

Damna malæ Societatis. — Refert Petrus Alphonsus, quod duo Clerici euntes per quamdam civitatem, in quadam taberna audierunt dulcissimos cantus, et accedentes invitati per residentes, ita dixit unus alteri : Dixit sapiens, quod non est transeundum per sedes gentis iniquæ, sed fugiendæ sunt, et ideo nullo modo intrabo. Alter vero lætus ex dulcedine cantus et aviditate potus, intravit ad eos, altero recedente. Dum ergo ibi fruerentur lætitia, subito venit Rector civitatis, et cepit eos omnes eo quod alibi fecissent homicidium. Et cum omnes fuissent adjudicati suspendio, et Clericus una cum eis, dum esset in morte, cœpit dicere intra se : Nunc cognosco, et experimento percipio, quod malum est cum malis se associare; vestem suam, quando potest, non lavare; pannum pretiosissimum in manibus mali sartoris ponere; vos balsamo plenum in latrinam projicere; sed quia tarde dolui, justum est, ut sim damnatus. Spec. Ex. *S. V. Soc. ex.* iii.

D. Petrus, quando gloriosissimam emisit Divinitatis Christi confessionem, quando ferventissimi amoris adactus incendiis, ad mortem, et quæcumque alia pro Magistro toleranda sese obtulit supplicia, in Christi, et Apostolorum degebat societate : Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris. At perjurus inter reprobos et sacrilegos Caiphæ ministros, *sedebat cum ministris.* Ecce vobis infallibilem regulam : *Cum perverso perverteris.* Fac, elice, repete quæcumque volueris proposita bona; in virtutibus profeceris, nequaquam sufficit; si namque temerarius malorum te consortiis ingesseris, certus esto, quod cum perverso perverteris. Mansi, d. iii, n. 6.

Missus ad Jeroboam Propheta, qui imminentia ei supplicia denuntiaret, ad probandum missionis suæ veritatem, altare divisit, brachium Regis exsiccavit, quod et postea rogatus pristino restituit vigori, et tandem omnia Regis Jeroboam, quantumvis pretiosa, repudiavit munera : *Si dederit mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam in loco isto ; sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis.* Eumdem nihilominus thaumaturgum tantæque sanctitatis virum, ipso eodem in die reperimus miserabiliter interemptum. Invenit eum leo in via, et occidit, et erat cadaver ejus projectum in itinere, in pœnam scilicet transgressionis legis divinæ, dum contra Dei præceptum falso se adjunxit Prophetæ ; qui multo cum artificio et stratagemate miserum pervertit, inquiens : *Et ego Propheta sum similis tui, et Angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens : reduc eum totum in domum tuam, ut comedat panem, et bibat aquam : fefellit eum, et reduxit secum.* III. *Reg.* c. XIII.

Alipius Romæ, cum ab amicis ad amphitheatrum invitus fuisset perductus, repente insano ludorum gladiatoriorum amore fuit correptus : spectavit, clamavit, exarsit. S. AUG. l. VI, *Conf.* c. VIII.

Zwollis, oppido insigni Trajectensis Diœcesis, quidam scholares sua concessione uti volentes, eo pacto lusuri campos intraverunt, ut hi, qui ludentes amitterent, bibendam illo vespere cerevisiam soli solverent, suosque victores ab expositione tutarent. Cumque hujusmodi lusibus diem duxissent in vesperum, ac sufficiente symbolo facto remeandum viderent, unus ex illis, qui eorum signifer atque dux ad insolentiam videbatur, quoniam, inquit, sufficiens symbolum lusuum judicio factum est, abundatque pecunia hoc vespere in potibus consumenda, nunc quia urgentibus tenebris est oppidum repetendum, vel semel adhuc ea lege ludamus, ut, quisquis nostrum victor extiterit, quodcumque libuerit, eo pacto aliis imperet, ut, qui imperantis jussa implere contempserit, unus et solus futuræ cœnæ solvat impendia, atque sic lucrata hactenus pecunia in aliud tempus reservetur. Placet omnibus concepta propositaque inventio, et reparato ludo, quisque, ut sic præcipere cæteris liceat, arte atque industria, qua potest, elaborat. Verum quia frequenter feliciora fata pravis arrident, soleatque improbos comitari fortuna secundior, is, qui omnibus nequior erat, juvante victoria, præceptor effectus est, unde solemni celebrique cœna completa, cunctis imperat, se sequantur. Quo imperato surgit nequam a cœna, exit, præcedit : cæteri ignari et nescii quo, iterum sceleris ducem subsequuntur. Heu res nefanda ! ingreditur lupanar infaustus lupus, et postquam completa libidine exiisset, ut similiter vicissim omnes facerent, sub pœnalis pacti evasione turpis bellua imperavit. Parent omnes nefando præcepto libenti animo ; nam libidine æstuabant ; quod agere jussi sunt, adimplent. Unus tamen ex eis, quem non solum forma corporea, quæ in eo elegantissima erat, decorum effecit, verum etiam probitas, et honestas, necnon et virgineus quidam rubor pulchris reddiderat pulchriorem, ad exitiale præceptum exhorrens, pallentibus genis intremuit, petit sodales, ut liber sibi præberetur egressus, maxime quia hactenus servasset inviolata castra pudoris, firmassetque animo, se vitam potius, quam virginitatem, perditurum. His adolescentis verbis non compuncti, sed provocati sodales, vi abstractum e collo palliolum tenent, nec se illud reddituros affirmant, nisi expectantis se fœminæ amplexibus jungeretur. Num tu, inquiunt, servata castimonia unus et solus nostram omnium luxuriam irridebis? Tum juvenis, ut obstinatam sodalium malitiam vidit, non ignarus consilii, lætos atque festivos reinduit vultus, et lacerum doloribus animum serena fronte dissimulans si omnino, inquit, libet, me vestris complexibus habere consortem, valeat nunc felix virginitas, et cum id tempus exegerit, memorem se faciat, quod hactenus cum summa veneratione in meis sit laribus hospitata. Et cum hæc dixisset, rapido cursu se ad cubile meretricis, quasi concubiturus, ingessit. In cujus limine cum introiturus consisteret, versa in tergum fronte, ut minus notaretur, sodalibus inclamavit : Num solis Virginibus cœli patebunt ? et non etiam post adulteria David, et plures alii regna meruere mansura ? Ad hæc sodales in risum concitati, plausum fecerunt. Ipse tamen anxie satis in intimis cordis sui penetralibus Dominum nostrum Jesum Christum precabatur, ne caveam scorti, naufragum videlicet pelagum virginei pudoris ingressus, castitatis dispendia pateretur. Atque sic introiens, firmatis sollicitius forium seris, ne, quid cum fœmina loqueretur, expectantes præ januis sodales rescirent, et gestientem in suos amplexus fœminam paululum declinans, hujusmodi verbis affatur : Quoniam non ignoro, infelix soror, quod te in hanc miseram, infamemque vitam non tam pudicitiæ odium, quam capiendæ pecuniæ amor transmiserit, ausus sum introire ad te, et nunc amotis arbitris colloqui tibi, cum tamen longe sit anima mea, ut tecum (in pudicitiæ vastum periculum) velim quicquam perverse agere, vel virginitatem meam, quam gratia Dei usque ad mortem inviolatam tuebor, tuis, aliarumve fœminarum amplexibus constuprare; quia igitur me ad te non tam lascivia invexit, quam compulit temerata malis prava societas, redimere malo, quam violare pudorem. Interim apertis marsupiis non contemnendi valoris argenteum nummum protulit, quem fæminæ tribuens, ait : Sume hunc nummum, et secretum habe, nullique pandas, quod salvis virginitatis sigillis, abs te hac hora secesserim; alioquin si sodalibus res hæc innotesceret, se in mea damna armarent. Accepit nummum prostituta fœmina, et videns pudicitiam juvenis, verecundamque effigiem, admirata est vehementer adolescentem tenerum annis, tanta morum honestate, et verborum gravitate stare conspicuum, ut nec in eam, nec in quamlibet polluti cubilis partem pudicum lumen dejecerit. Unde adhortata est eum, ne a propositi sui puritate decideret, se rem secretam retenturam spopondit, et in pace abire præcepit. At juvenis cum ad socios expectantes rediisset, et post insolentes discursus, et varios platearum circuitus, tempus profundæ noctis quiescendum præciperet, ab eis divisus, ad propria commeavit. Verum quia indecens fuerat tantæ probitati, tam improbis sodalibus sui præbere consortium, non est passus piissimus Deus, qui semper, quos diligit, arguit, et castigat, hanc offensam impune prætergredi, sed tamquam benignissimus Pastor balantis oviculæ suæ hoc modo emendavit errorem : gradiebatur solus per viam, ut iret domum, haut parum in semetipso admirans quod potuisset illam metuendæ leænæ caveam illæsus, intactusque evadere. Cumque talia memorans, gyrato in obliquum gradu, in alium vicum divertisset, qui recto itinere ad suum hospitium dirigebat, subito vidit ante se perhorrendæ noctis caliginem personam quamdam, cujus virilis facies (nam vir videbatur) micantium astrorum lumen revincens invisa plateam luce perfudit. Qui appropinquans, dextera manu tanto ictus impetu in maxillam juvenis palmam fixit, ut vi verberis in terram elisus palpitaret, dicens : Vel hoc verbere doctus pravæ sodalitatis virulenta contagia vereare. At juvenis cum post brevissimam moram casus sui resurgeret, visurus, quisnam ipsum tam violenta alapa consternasset, nullum præter se circa se vidit. Qua ex re Angelum suum fuisse, qui divino imperio ipsum de errore commisso corrigeret, non ambigua æstimatione arbitratus, ad hospitium alacer repedavit non minus de prodigiosa et profutura sibi correctione gavisus, quam de verberis acerbitate sollicitus. Cæterum ne phantasticum aliquid circa se contigisse juvenis crederet, et somnio se magis deceptum, quam re gesta instructum esse putaret, divina dispensatione factum est, quod per plures dies cæsa maxilla in tantum distensa pelle tumuerit, ut ad aliquot dies in publicum procedere, tanta genarum disparilitate, vereretur. O felix justi rigoris, et e celsissimis cœlis missa censura, quæ, dum unius errorem digno verbere cecidisti, evidens dedisti documentum posteris, quantum Deo Angelisque displiceat, insontem adolescentum ætatem insolentibus sodalibus commisceri. SPEC. EX. ANGEL. *ex.* XX.

Josaphat ob societatem cum Achabo initam, prope interemptus esset, sed et a Jehu audire debuit : Impio præbes auxilium, et his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris, et idcirco quidem iram Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te. II. PARAB. XIX, 2.

Petrus, licet animosissimus, ubi in domo Caiphæ impiis militibus se miscuit, Dominum negavit. MATT. XXVI, 70.

Adolescens, quem S. Joannes Evangelista Episcopo cuidam commendarat tamquam depositum suum, consuetudine malorum sodalium non latro modo, sed princeps latronum factus est. EUSEB. l. III, c. XXXIII.

Gordiana S. Gregor. Magni amita, licet sanctissimo sororum suarum Tharsillæ, et Æmilianæ exemplo frueretur, tamen, quia plus æquo consuetudine laicarum puellarum gaudebat, post mortem sororum misere seducta est. S. GREG. l. IV, *Dial.* c. XVI.

S. Augustin. de seipso scribit : Præceps ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos me puderet minoris dedecoris, quam audiebam eos jactantes flagitia sua, et tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent : licebat malum facere non solum libidine facti, verum etiam laudis. Quid dignum est vituperatione, nisi vitium? ego, ne vituperarer, vitiosior me fingebam fecisse, quod non feceram, ne viderer abjectior, quo innocentior eram; et ne vilior haberer, quo eram castior. Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, et volutabar in cœno tanquam in cinnamomo, et unguentis pretiosis. S. Aug. l. II. *con.* c. IX.

Societatis bonæ fructus, et utilitas. — De Jacobo Patriarcha ait Scriptura, quod ad Laban socerum dixit : Modicum habuisti, antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es; benedixit tibi Deus ad introitum meum. Gen. XII, 30.

Sed et Putipharis domui benedixit Dominus propter Joseph, tam in ædibus, quam in agris, cunctam ejus substantiam. Gen. XIX, 5.

Sodoma servata fuisset ab incendio precibus Abrahæ Patriarchæ, si vel decem justi reperti in ea fuissent. Gen. XVIII, 32.

Cum aliquando sancto cuidam Eremitæ revelatum fuisset, eum brevi moriturum, Monasterium ille accessit, et suscipi petit; mirantibus vero Monachis, quod in senectute primum recipi peteret, respondit, sibi mortis horam, et transitum suum revelatum esse, qui cum periculosus sit, malle se inter fratres, quam solitarium peragere. Itaque receptus, et paulo post mortuus est. *Dısc. ser.* LVI. *lit.*

Tossorius S. Paulæ filius, quæ sanctitatem ex S. Hieronymi imbibit conversatione, conjugem duxit Lætam, filiam pagani, et antiquæ superstitionis Pontificis Albini, qui idololatra et implacabilis Christiani nominis hostis, in ultimis vitæ suæ annis, hujus generis sui societatem frequentans, tota obstupescente Roma, in devotum mutatus est catholicum. Bern. *an.* 482, n. 40.

Sicuti sæcularium et potentum consortium iis, qui sæculo renuntiarunt, fugiendum est, ita omnibus sanctorum quærenda familiaritas, quos vel vidisse incitamentum virtutis est. Hilarion visendi Antonii cupiditate ardens, eremum adiit, ac statim ut illum vidit, habitum mutavit, religionis propositum suscepit, duobus fere mensibus juxta eum mansit contemplans ordinem vitæ ejus, morumque gravitatem, quam creber in oratione, quam humilis in suscipiendis fratribus, severus in corripiendis, alacer in exhortandis et ut continentiam ciliciique ejus asperitatem nulla unquam infirmitas frangeret. His imbutus exemplis in solitudinem secessit, tantaque præstitit sanctitate, ut ubique latebras quæritans nusquam latere potuerit, miraculis eum semper prodentibus. Usque adeo quidem adiisse aliquando Antonium, et cum Antonio fuisse juvit. Hoc ita nonnumquam usu venire et Propheta disertissime testatur dicens : Cum sancto sanctus erit, et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris. *Ibid.*

EXEMPLA DOMESTICA.

Tempore S. Ignatii Loyolæ, prout in vita ejus traditur, Romam venit juvenis quidam Lutheranus, præclarissima ex æquo præfulgens origine, ingenio atque indole, qui suæ infrenis per urbem disseminare hæresis venenum, ecclesiasticos extreme calumniari, aliaque similia impietatis adoriri molimina ausus est, nihil suppliciorum minis, nihil theologicis (quantumvis convincentibus) obstantibus disputationibus; præhabito itaque maturo consilio, expediens judicarunt omnes, ut S. Ignatio consignaretur, cujus ad aliquod tempus usus consortio, hæreticalia sua detestatus est dogmata, omnimodam suam mutationem et conversionem, sanctorum illorum Religiosorum exemplarissimæ conversationi ascribens. Mansi, l. II, c. XIII.

P. Ludovicus Gonsalvus Minister S. Ignatii scriptis ad Joannem III Regem. Lusitaniæ litteris (a quo jussus erat, omnia dicta, factaque S. Ignatii accurate observare), sancte affirmavit, se nullo tempore lectioni, vel orationi ad pietatem tantopere commoveri, et ad amorem Dei accendi, quam eo tempore, quo ut minimum semel de die justa regulam Ministri, sanctum Patrem visitaret, ejusque conspectu et consuetudine frueretur. Lanciz. *opusc.* II, *s.* 178.

Haud facile fuerit inexpertis credere, quanta sit mutuæ conversationis vis, et quam admirabiles cieat animorum motus; quamquam enim tacendo, persuadet amoris eloquentia. Exorientis Romæ Societatis homines, non gentis, non morum, non ætatum similitudo, sed mutua ita invicem colligaverat charitas, ut et domi lætissima pax, et foris ingens hominum admiratio consequeretur. Itaque homo Germanus, cui rectam rerum æstimationem, quamvis magno suo malo hausta hæresis nondum excusserat, admiratus, quam a suis sectarum magistris exulantem frustra reposcebat concordiam, suavissimamque in tam dissimilibus ingeniis charitatem, errores ultro abdicavit, illorumque se fidei permisit, quam discipulorum Christi esse, Evangelica amoris tessera comprobavit. Rh. l. I, c. iii, n. 12, *e nostris*.

EXEMPLA PROFANA.

Claudius Imperator Neronem in suum adoptans filium, eum disciplinæ, atque instructioni commisit Senecæ Moralis, in cujus virtuosissimi Philosophi directione per duos annos dimorans, tantos in mansuetudine fecit progressus, ut non modo nullum persequeretur Christianum, sed nec ulli, quantumvis justæ, præsumeret subscribere mortis sententiæ; ast vix cum vitiosis conversari cœpit, ut primum adulatores se ejus potuerunt insinuare amicitiæ, novimus omnes, in quam execrabile sese præcipitarit omnium iniquitatum barathrum. Mansi c. xi, n. 2.

Symmachus de quodam eximiæ virtutis, scientiæque Philosopho, cui nomen Horus, refert, eum dicere solitum principalioribus fortunæ bonis annumerandos esse socios bonos. Inter prima numerat bona fortunæ, si optimis quibusque jungatur. Simmac. l. II, *ep.* xxxix.

Diogenes adolescenti formoso ad convivium eunti dixit : Noli ire, deterior redibis; reversus vero e convivio adolescens cum dixisset Diogeni : Ivi nec deterior redii; respondit Diogenes : Deterior igitur; significans fieri non posse, ut adolescens ex convictu impiorum non fiat deterior. Laertius. l. VI.

Hippocrates, cum ei aliquando adolescens obvius fuisset, quem amator sequebatur, erubescenti adolescenti dixit : Cum his oportet ambulare, cum quibus conspectus colorem non mutes. Plutarch. *in Locem*.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut natura tendit ad hoc, sicut vult Philosophus, ut separet nobile ab ignobili; similiter, et gratia ad hoc tendit, ut pretiosum a vili segregetur, et hoc ostendit Dominus in principio scripturæ : *Vidit*, inquit, *Deus lucem quod esset bona, et separavit lucem a tenebris;* per lucem boni intelliguntur, juxta illud Apostoli assertum : *Ut filii lucis ambulate;* illa a tenebris, id est, a malis sequestranda est, quia ut S. Bernardinus ex Seneca probat : Convictor delicatus paulatim enervat et emollit; necesse est, aut imiteris, aut oderis; utrumque autem devitandum est; ne autem similis malus fias, cum his conversare, qui meliorem te facturi sint; illos admitte, quos tu potes facere meliores. B. Alb. M. *in Ps.* cv.

Sicut aqua elementum est fluidum et insipidum, ita pariter multi delinquunt, non quia ad id a proprio incitantur genio, aut gustu, sed ut torrentem sequantur suorum sodalium. Hinc Job de quodam improbo disserens inquit : *Abominabilis et inutilis homo, bibit quasi aquam iniquitatem.* Job. c. xiii.

Sicut sol sine pollutione effundit radios suos super loca et corpora non tantum immunda, ac fœtentia, ac sordibus plena, ex quorum contactu, et homines, et plura alia inficiuntur, et tamen radii solis, ea contingentes, remanent impolluti; sic profecto solaris homo, et justus, juxta gratiam a Domino sibi datam, impartitur peccatoribus inquinatis, sine pollutione sui, radios solares, vel salutares, ad gloriam summi Dei. S. Bern. Sen., *in Dom.* iii, *Pent.* art. 2, c. i.

Sicut facilius est morbo alieno infici, quam sanitatem largiri; ita facilius est vitium contrahere, quam virtutem impertiri. S. Greg. Naz. *in or. de S. Bas.*

Sicut terra a semetipsa, et sine ulla agricolæ industria, lolia, vepres, urticas, aliasque inutiles, ac noxias herbas, non vero triticum, vel alia utilis frumenti genera, quæ aratrum, ligonem, hominumque laborem industriamque exposcunt, progerminat; ita quoque natura nostra ad vitium proclivis, malum facillime addiscit et operatur, etiam deficientibus malis aliorum exemplis; bonum vero minime, utpote quod magistrorum regulam, et disciplinam requirit. Unde sic arguere possumus; quod si a nobismetipsis absque ullo impulsu alieno ad malum adeo proclives sumus, quanto ad id faciliores erimus, si aliorum imitatio, si stimulus, si exhortationes, si mala contubernalium nostrorum exempla accedant, quibus pervertamur, inque communem perversorum rapiamur torrentem? Mansi, d. v, n. 9.

Sicut aer hic ejus, quod forte attraxit, vel fragrantiam, vel fœtorem acquirit; sic nos etiam quam celerrime tales evadimus, quales sunt proximi nostri. S. Greg. Naz. *de Epist.*

Sicut proprium est ovibus imitari id, quod ab aliis fieri vident, una saltante, omnes saliunt, errante una, deviant omnes; ita et potissima pars animarum fidelium dictis et malis aliorum seducitur exemplis. MANSI d, II, n. 7.

SOCIETAS MALA, EJUS FUGA, ETC. — Sicut multa bona habet communis vita sanctorum; sic plurima mala societas affert malorum; proinde sequendum est consilium Cassiodori, qui exponens illud Psalmi, *declinate a me maligni,* ait : Remedium enim est, quem converti velle non videris, vitare, si possis. S. BERN. SENENS. *in Domin.* III, *post Pent.* art. 2, c. I.

Sicut mellis plurimo parum absynthii injectum velocem amaritudinem inducit, mellis vero etiamsi duplum absynthio injiciatur, non poterit ejus obtineri dulcedo; ita facilius est, ut boni a malis pervertantur, quam ut hi per bona justorum exempla et communicationem, ad bonam frugem proficiant. S. AUG. *lib. contra Donat.*

Sicut nigredo picis hæret eam contrectanti; ita superbia ei, qui communicaverit superbo. MANSI, d. IX, n. 2.

Sicut qui contagiosa inficiuntur peste, non eam contrahunt voluntarie, sed ex commercio, et praxi cum personis infectis; ita plurimi, dum malorum frequentarunt consortia, eorum imbiberunt culpas, et vitia; longe licet invitissimi, eorumdem incurrunt pariter pœnas, et dispendia. *Idem* d. IX, n. 4.

Sicut is, qui est scabie refertus, iis etiam, qui sani sunt, eam impertit; ita etiam sæpe contingit in consuetudine improborum hominum : et ideo etiam suasit Christus, non solum eos, qui sunt tales, fugere, sed etiam exscindere, sic dicens : *Si oculus tuus dexter te scandalizat, erue eum, Ibid.*

Sicut vel unicum filum infectum potest transfundere pestem; ita vel unicum verbum, gestus, vel malum exemplum unicum, quæcumque res mala, quantumvis minima, sufficiens est, ut nos contaminet. *Ibid.* n. 5.

Sicut speculum quantumvis clarum et mundum, vel unico obducitur flatu; ita et anima quantumcumque pura et immaculata, per blanda amicorum colloquia et conversationes conspurcatur : Cum viro innocente innocens eris; ecce vobis speculum limpidum; Cum perverso perverteris; ecce vobis idem, vel unius perversi communicatione et consortio obtectum. *Ibid.* n. 9.

Sicut venenum artificialiter factum conficitur ex commixtione plurium frigidorum, et dum res frigida frigidis copulatur, frigiditas augetur, et sic naturali calori fortius adversatur; proinde contingit sæpe, quod id, quod non est per se nocivum, fit venenum ex nocivorum commixtione : sic contingit plerisque non perversis, qui cum impiis copulantur perversissimi fiunt. S, BERN, SEN. l. c. V.

Sicut muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti; sic malus homo mixtus bonis plurimos contaminat? S. HIERON, *in* c. X, *Eccl.*

Sicut auceps ponit columbam, quæ confictos oculos habet in decipula sua, ad quam aliæ accedentes non intelligunt eam captam, et quod mirum est, cum illa, quæ non videt, capiuntur aliæ, quæ oculos habent; sic diabolus per unum excæcatum capit alios oculatos. S. BERN. SEN. l. c. ar. 1.

Sicut perfecti viri perversos proximos non debent fugere, quia illos sæpe ad rectitudinem trahunt, et ipsi ad perversitatem numquam trahuntur; ita infirmi quique societatem debent declinare pravorum, ne mala, quæ frequenter aspiciunt, et corrigere non valent, etiam delectet imitari. RABENUS l. III, *in* c. VIII, *Eccl.*

Sicut, qui farinam vitare cupit, et vestium pullarum candidos nævos, molam vitet, necesse est; et qui atrorem metuit cyclopum et fabrorum ferrariorum officinas ac fornaces delinare debet : ita qui a malis sociis denigrari non vult, eorum societatem declinare omni studio debet. DREXEL. *in Nicet.* c. IX, l. I, § 1.

Sicut piscis de aqua eductus continuo languescit et emoritur : ita, qui a bona societate ad malam transit, brevi languescere, et spiritualiter mori incipiet. ATHAN. *in vit. S. Anton.*

Sicut vinum dilutum colorem perdit, etsi non omnem vini virtutem perdit; ita boni nominis, ac famæ colorem amittit, qui socios tam dilutæ probitatis admittit. DREX. *l. c.*

Sicut tersum speculum, vel halitu solo inficitur; ita probus homo sola improbi vicinia inquinatur. *Idem in Nœmo* c. II, § 2.

Sicut qui picem tangit, inquinatur ab ea; ita qui communicaverit superbo (aut alteri malo socio) induet superbiam (aut alios mores malos). ISALÆ, LII, 11.

Sicut animalcula quædam parva sic mordent, ut morsus quidem non sentiatur, sed tamen graviter noceat, partemque læsam intumescere faciat; sic pravi socii occulto blandoque lædunt vulnere, et quod de Basilisco scribitur, solo aspectu, vel halitu pravi exempli inficiunt. DREX. *l. c.*

Sicut modicum fermentum totam massam corrumpit; ita unicus malus socius totam communitatem corrumpere potest. I. *Cor.* v, 6.

Sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit corpus; ita perversa locutio assidue infirmantium inficit animum, ut tabescat delectatione pravi operis, assiduitate pravi sermonis. S. GREG. *sup. Ezech.*

Sicut in suavissima multarum vocum consonantia, si vel una vox dissonans accedat, totam harmoniam dissolvit : ita vel unus improbus in conventu et societate bonorum moribus inter se similium, totam plane societatis concordiam turbare solet. GRANAT. *in cum. loc. s.* CCXLII.

Sicut potentior est exigua aceti portio ad vini pretiosi dolium corrumpendum, quam totum illud dolium ad exiguam aceti portionem in vinum permutandam : ita unicus malus socios potentior est ad plures pervertendos, quam multi boni ad unum malum emendandum. *Ibid.*

Sicut annulus annulo magnetis vim, ita socius socio vim affricat. ENGEL. *in cœl. fest. Epiph.* § 3.

Sicut imperitus natator jamjam submergendus socium adnatantem secum in profundum trahit; ita malus socius bonum, ipsum emendare volentem, secum in exitium sæpe rapit. *Ibid.*

UTILITAS, BONÆ SOCIETATIS. — Sicut suavia aromatum odoramenta proprium quiddam per aerem continentem spirant, quibus præsentes recreantur; ita vir bonus toti sibi commorantium contubernio salutaris, et jucundus est. S. BASIL. *ho. in Cor. Matth.*

Sicut currentes equi cursu invicem certant: ita, et optima quoque societas se invicem excitat. S. CLIM. *in comp.*

Sicut carbo frigidus accenditur ex conjunctione cum ferventibus; ita et tepidi ex adjunctione ferventium calefiunt. *Discipl. ser.* LVI, *lit. A.*

Sicut lux sive ignis non melius accenditur, quam aliam lucem, vel ignem applicando; ita servi Dei non facilius inflammantur, quam simul habitando. *Ibid.*

Sicut in civitate unus murus, aut turris corroboratur ex alio; sic in corpore Congregationis unus per alium in bono solidatur. *Ibid.*

MOTIVA.

NECESSITAS. — Quia se unus solitarie vivens ceciderit, non habet sublevantem, aut consolantem se. Id quod fusius etiam S. Bernardinus sequentibus verbis ostendit : Hoc docet Deus, scilicet sociabiles esse per naturam, quam ipse creavit; nam omnes quinque corporis sensus, videlicet oculos, aures, nares, et quasi omnia ejus membra, et venas, et ossa, et nervos multiplicavit; ut, quod unum non posset, aliud suppleret, ac per hoc virtus singulorum fortior in omnibus redderetur, dum unum alteri junctum esset. Nullum profecto in humano corpore membrum est, quod non egeat altero : patet de corde, quod cum nobilissimum membrum sit, minime vivere posset, nisi pulmo de aere subveniret : nec etiam ipse pulmo aerem contrahere posset, nisi ei cor vitam et motum administraret : et sic de cæteris membris considerandum est; nullum sibi satis est, nisi altero adjuvetur; hanc omnino ob causam reciproca inter homines exigitur communicatio : sic profecto in hominibus manifeste contingit, quia unus alteri necessarius est, ne deviet a via virtutum. S. BERN. *sent. in Do. Pent.* ar. 1, c. I.

UTILITAS. — Nam, teste Seneca, non magis utilis est ager cum reditibus amplis, quam vicinus æqualis cum moribus bonis. Quia per societatem, si bona sit, magis quis accenditur, roboratur in bono, protegitur ab hostibus, et facilius a Deo exauditur, eique parcitur; cum Christus ipse dixerit : Si duo consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo. Et Deus Sodomæ propter decem justos parcere voluit. SENEC. *ep.* XI.

JUCUNDITAS. — Cum, teste Davide, bonum, jucundum sit habitare fratres in unum; tum propter jucunditatem pacis, et concordiæ; tum propter præsentiam Christi, quam promisit illis, qui in nomine suo congregati fuerint. (MATTH. XVIII, 19.) Quod ipsum etiam confirmans S. Bonav. ait : Cum in itinere comes jungitur, via quidem non detrahitur, sed tamen de Societate comitis labor itineris leviatur. (S. BON. l. IV, *phar.* c. XXII.) Sed, et S. Ambr. Amicus fidelis, ait, solatium vitæ hujus est, ut habeas cui pectus aperias tuum, qui tibi in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur. Facilis vox est, et communis : Tuus sum totus, sed paucioris est effectus. S. AMBR. l. III, *de ossit.* c. XVI.

ÆQUITAS. — Cum, ut idem Seneca ait, Feras quoque videas convictu nostro mansuescere, si hominis contubernio diu pasta est. SENECA, l. III, *de ira.*

MEDIA

Consideratio infirmitatis alienæ : sic enim cum sciamus, S. Scriptura teste, sensum hominis in malum pronum esse ab adolescentia sua, ultro incitabimur ad malam societatem studiose vitandam, ne per exemplum malum sociorum vehementius ad lapsum impellamur. GEN. VIII, 23.

Consideratio infirmitatis propriæ : sic enim, ut per alios fulciamur et adjuvemur, bonorum nobis sociorum consortium providebimus, memores sententiæ a Salomone prolatæ : Frater qui adjuratur a fratre, quasi civitas firma. *Prov.* XVIII, 19.

Consideratio conditionis humanæ : cum enim homo ex natura sua sit animal sociabile, atque adeo difficulter sine socio vivere possit, ratio dictabit, bonorum potius, quam malorum societatem esse quærendam, cum, teste Siracide, omne animal diligat simile sibi et omnis homo simili sui sociari desideret.

Consideratio corporis mystici : id est, Ecclesiæ; sic enim, ut nullum in corpore nostro putridum, et noxium membrum patimur, sed mox abscindimus; ita socios quoque malos, velut putrida et noxia membra ultro detestabimur, et a nobis, aliisque abcindemus. *Eccl.* XIII, 19.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, cur homini tum jucunda accidat societas : nimirum quoniam, quod secundum naturam est, jucundum est, ut homo homini, equus equo : hinc, et proverbia celebrata sunt, quod æqualis æqualem delectat, quodque semper a simili simile amatur. ARIST. l. I, *Ebet.* c. XI.

Nosse debet commoda, et fructus, qui ex societate hauriuntur : eumque in finem sententiam S. Gregorii ob oculos habeat dicentis : Pensate, quæso, ubi erit patientia, si deest quod toleretur? Ego Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit. Boni enim si sine malis fuerint, perfecti esse boni non possunt, quia minime purgantur. Ipsa autem malorum societas purgatio bonorum est. S. GREG. l. IX, ep. XXXIX.

Nosse debet, quomodo societas bona ab adulatione distinguatur ; id quod Plutarchus indicat, dicens : Principium amicitiæ, ac stabilitas in similitudine studiorum, ac morum maxime consistit, earumdemque rerum omnino appetitio, aut aversatio, ob affectuum animi similitudinem, primo homines conjungit, at continet; adulatio autem in vitio potius, et proprio commodo fundatur. PLUTARC. *ad Mansi,* d. I, n. 4.

Nosse debet, quomodo socii mali a bonis discernendi; quod sapienter Plutarchus assignat, dum ait : Una cavendi insidias occulte malorum ratio est, quod in promptu semper habenda sit memoria : Cum animi nostri pars una veritati et honestati dedita, rationi rectæ obtemperet, altera bruta sit, falsi appetens, incertisque obnoxia motibus, amicum semper meliori parti se accommodare, consiliarium, ac monitorem, instar medici sanitatem augentis, et conservantis : adulatorem (is est perniciosus sodalis) brutæ, et cupiditatibus addictæ parti se applicare, eamque pravis voluptatibus submittendis scabere, ac titillare, et a rectæ rationis obsequio avertere. PLUTARC. *de diser. adul. et amici.*

Nosse debet, cum quibus præcipue societas ineunda sit ; nimirum ut jungatur quis probatissimis quibusque senioribus. Hinc Seneca monuit, ante circumspiciendum, cum quibus edas, et bibas, quid edas, et bibas. (SENECA, *ep.* XI.) Melius vero id ipsum S. Ambrosius sequentibus verbis ostendit : Sequatur conversationis electio, ut adjungamur probatissimis quibusque senioribus : namque ut æqualium usus dulcior, ita senum tutior est, qui magisterio quodam, et ductu vitæ colorat mores adolescentium, et velut murice probitatis inficit. Namque si hi, qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt, quanto magis adolescentes cum senibus debent novum sibi iter viæ aggredi, quo minus errare possint, et a vero tramite virtutis deflectere? nihil enim pulchrius, quam eosdem, et magistros vitæ, et testes habere. S. AMAR. *tom.* I, *offic.* c. XLV.

Nosse debet, cur facilius malorum, quam bo-

norum exempla sequantur homines : nimirum quia licet firma et stabilia nobis faciamus proposita cavendi, ne a malorum torrente, in illorum rapiamur sequelam, vel mala ipsorum imitemur exempla, attamen, quia natura nostra ad vitium prona est, magna cum facilitate ab eodem attrahitur, et imbuitur. Idipsum Diodorus Siculus confirmat dicens : Declivis ad pejora callis est, descensum habens perquam facilem, quo factum, ut multi non exigua morum integritate præditi, occultis voluptatum blanditiis inescati, in deterrima sæpe flagitia lapsi sint. Hinc Theodora meretrix coram præclarissimo Philosopho Socrate, quondam jactitasse legitur, se omnibus eum facili negotio destituturam discipulis, perversuram cunctos, inque suum attracturam consortium, sine ulla spe, a suis eos unquam avellendi amoribus; cui sapienter Philosophus : Bene quidem dicis, quia tu ad declivem tramitem omnes rapis; ego vero ad virtutem cogo, ad quam arduus, et plerisque insolitus est ascensus. DIOD. *sic. lib.* XII, *Biblioth. cap.* XII.) Ut adeo recte dixerit S. Bernardinus : Rerum natura sic est, ut, quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur. S. BERN. SE. l. I, c, I.

Nosse debet modum, quo mali bonos pervertunt; quem S. Gregorius his verbis indicavit : Unde bene per Salomonem dicitur : *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis ;* peccatores enim lactant, dum vel perpetranda mala blandimentis inserunt, vel perpetrata favoribus extollunt; an non lactatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit, benedicitur? difficile enim emendatur peccatum, quod linguis pravorum nutritur. (S. GREG. l. IV, *mor.* c. XXI.) Hinc alibi monet : Vigilanter debemus respicere, quod antiquus adversarius non solum per semetipsum, sed per eos etiam, qui nobis adhærent, statum satagit nostræ mentis inclinare; ut enim cor nostrum sua persuasione non subruit, ad hoc nimirum per linguas adhærentium rapit. Duobus autem modis antiquus hostis tentare consuevit, ut videlicet corda stantium aut tribulationibus frangat, aut persuasionibus molliat. *Idem* l. III, *mor.* I, c. VI.

Nosse debet, cur fugienda sint oculorum consortia ; nempe quia, ut S. Bernardinus sapientes advertit, per assiduitatem cito peccatur : sæpe familiaritas implicavit; sæpe occasionem peccandi dedit : sæpe quos voluntas non potuit assiduitas superavit. (S. BERN. *sent. in Dom.* III, *Pent.* ar. 2, n. 2.) Et licet malorum sermo non statim officiat, semina tamen in animo relinquit, sequiturque nos etiam, cum discesserimus ab illis, resurrecturum postea malum, ut recte Seneca dixit.

Nosse debet, cur spiritualibus præcipue viris consortia humana vitanda sint : id quod Mansi his verbis indicavit : Non sine mysterio Levitis distincta a reliquis tribubus non obtigit habitatio : Nec acceperunt Levitæ aliam in terra partem, nisi urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta, et pecora sua. (MANSI, d. XIII, n. 10.) Cur tribus hæc locum non eligit sibi beneplacitum? cur ad unum specialem restricta fuit? sequentem pro intento nostro quidam interpres rationem assignat, inquiens : Expeditissima responsio est : sic enim vitæ commoditatem facile secuti, se omnes in amœnissimas regiones contulissent : ad hæc, nisi seorsum habitassent, qui peculiariter divino cultui dicati erant, verendum fuisset, ne vulgi vitiis assuescerent; eorum enim moribus facile informamur, quorum assiduo utimur contubernio, atque convictu. Jos. XIV.

Nosse debet præcipua mala, quæ ex mala societate sequuntur; et S. Bernardinus sequentibus verbis enumerat : Propterea septem a nobis vitandi sunt mali; 1. *Ne comprimamur ab eis.* 2. *Ne ab eis impediamur.* 3. *Ne demus eis malignandi occasionem.* 4. *Ne irritemus eos.* 5. *Ne involvamur cum eis.* 6. *Ne bonorum auctoritas minuatur.* 7. *Ut confundantur de malis.* Sed, proh dolor! his plurimisque aliis efficacissimis non obstantibus rationibus, innumerabiles nihilominus se ab improbis decipi sinunt amicis. Unde Dionysius Carthusianus ait : Idcirco Deus frequenter, ac districte prohibuit filiis Israel consortia Chananæorum, quæ quia non vitaverant, in idololatriam inciderunt, sic nunc innumerabiles ad diversa peccata mortalia ex pravorum societate labuntur. (S. BERN. *Sen.*, l. VI.) Id ipsum Drexelius sic confirmat. Nemo vitiosus non aliquod nobis vitium commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit : sunt vitia, quæ commendantur exemplo : alia imprimuntur sermone, plurima aluntur conversatione. Tutissimum est, omnes suspectæ vitæ amicos sodales cavere, et discessionem ab iis mature facere. Et iterum paulo post : Viva vox et convictus ad docenda vitia, et suavis et potens est persuasio; habet enim vim præcepti frequenter aspici, audiri frequenter. Socium ergo improbum aut imiteris necesse est, aut infecteris; utrumque vitandum est, ne aut malis similis, aut multis inimicus fias. Malorum enim ubique plurimos invenies. DREX. *in Nic.*, l. I, c. IX.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones.* (LUC. X, 30.) Possunt mali socii latronibus comparari, uti olim S. Bernardus eos vocavit, cum adhuc juvenis a malis sociis ad scelus incitatus exclamavit : Latrones, Latrones. Et merito; 1. quia, sicut latrones plerumque in silvis et desertis locis se detinent, ita et mali, socii habitant in iis locis, quæ Deus, Angeli, et Sancti sua custodia et auxilio deseruerunt, et in quibus non nisi bestiales homines habitant, nullus autem fructus bonorum operum reperitur. 2. Quia, sicut latrones clamoribus fallacibus, vel fistulis decipiunt homines, et in manus suas perducunt; ita mali socii fallacibus, et blandis sermonibus illaqueant, et in insidias suas præcipitant. 3. Quia, sicut latrones spoliant vestibus et divitiis; ita mali socii auferunt gratiam, una cum virtutibus et meritis. 4. Quia, sicut latrones sæpe vulnerant et omnino occidunt, ita et mali socii plerumque exitum et interitum animæ afferunt. Quæ omnia facile fusius explicari possunt.

Ex occasione thematis : *Prohibe pedem tuum a semitis eorum; pedes enim illorum ad malum currunt :* (*Prov.* I, 15.) potest ostendi, quomodo mali socii devitari possint, iis scilicet mediis, quibus latrones effugere solemus; nempe 1. vitando loca, in quibus habitant, id est, consortium eorum declinando, ne alioqui amando priculum in illo omnino pereamus. 2. Adsciscendo socios, ut, dum frater adjuvatur a fratre, sit quasi civitas firma, atque adeo accessus latronibus non pateat. 3. *Contemptus rerum terrenarum :* cum cantet vacuus coram latrone viator, et omnes lites ac tentationes etiam a malis sociis provenientes ex concupiscentiis, quæ militant in membris vestris, oriantur. 4. *Præsidium militare procurando* id est, Cœlitum opem implorando. Quæ omnia qua ratione in praxi usurpanda sint, fusius erit ostendendum.

Ex occasione thematis : *Surge, et fuge in Ægyptum,* (MATTH. II.) potest ostendi, quod mali socii sint Herodianis militibus crudeliores. 1. Quia illi tantum vitam corporalem ademerunt; hi autem spiritualem eripiunt. 2. Quia illi vi aperta, hi vero fraudulentis insidiis circumveniunt. 3. Quia illi ad imperium Herodis, isti ad imperium dæmonis, mundi, carnis, interimunt innocentes. 4. Quia illi semel tantum hi toties occidunt, quoties ad actus turpes, et vitiosos invitant. Unde merito tanto magis sunt vitandi, quanto graviora damna inferunt.

Ex occasione thematis : *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis : nec ambules cum eis :* (*Prov.* I, 10.) ostendi potest quomodo mali socii dignosci queant, videlicet ex diversis cuculis. Et 1. quidem ex *nigra :* per quam intelliguntur, qui ad nocturnas grassationes invitant, ideoque oderunt lucem, ut non arguantur opera eorum. 2. *Ex ruffa* per quam indicantur ii, qui per turpia colloquia, aut facta alios seducere conantur; quos ad exemplum S. Thomæ Aquinatis, et Josephi Patriarchæ, fugere oportet. 3. *Ex viridi, cum straminea corona :* per quam significantur potatores ad hospitiorum frequentationem, et immoderatum haustum invitantes, qui proin solicite etiam vitandi; quia ex uno gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur, teste S. Gregorio. 4. *Ex variegata :* per quam innuuntur, qui stultis et falsis axiomatibus seducunt : qualia sunt, venialia peccata non magni facienda : oportere se tempori, et hominibus accommodare : interponenda interdum curis gaudia : mendaciis et negationibus honorem et famam defendendam : vulpinandum cum vulpibus; devotionem Monachis et Monialibus relinquendam. Quæ proin, quam falsa sint, breviter ostendendum erit.

ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — Zizaniorum mentionem ingerenti, zelosi si illi occurrunt operarii, qui multa cum instantia Patrem familias inducere attentarunt, ut consentiret in zizaniorum eradicationem : *Vis, imus, et colligimus ea?* Quibus ille : *nequaquam : Ne forte colligentes zizania, eradicetis cum eis simul et triticum.* Sed quomodo? servis fortasse defecerant oculi, aut certe inter bonam malamque herbam discernere nesciebant? ita sane, siquidem granum bonum, semenque malum, dum crescere et pullulare incipiunt, adeo sibi invicem assimilantur, ut perquam difficile sit ea discernere; ast mysterium contemplaturi per zizania malos intelligamus sodales, qui externam multæ virtutis bonitatisque speciem præferentes, difficulter dignoscuntur, difficilius devitantur, id quod tamen facilius nobis factu fuerit, si S. Cypriano paruerimus, dicenti : Profecto implanator animam suam decipit, qui non cavendo contraria noxiis rebus semetipsum commiserit; ille autem tutius sibi consulit, qui circa malos semper infidus, species quascumque noxias extimescit. S. CYPR. *de sin. Cl.*

UTILITAS.— Merito observandum est, quanam donam cœcus Evangelicus Christo propter illuminationis beneficium gratias egerit, quando suum recognoverit benefactorem, quando in terram sese prosternens, Salvatorem latriæ cultu honoravit? Postquam e Synagoga exterminatus fuit : *Ejecerunt eum foras, et cum invenisset eum, dicit ei : Tu credis in Filium Dei?* cui indilate illuminatus cœcus; *Credo Domine, et procidens adoravit eum.* (JOAN. IX). Ecce vobis expressum S. Cyrilli Alexandrini conceptum, inquientis : Pharisæi quidem illum prius cœcum ejiciebant, sed Christus eum suscipiebat. Tunc magis meruit cognoscere Christum, cum ejectus est de consortio inimicorum Christi. CYRILL. ALEX., *l. in* c. X. *Jo.*

DAMNUM SOCIETATIS MALÆ. — Seriam meretur ponderationem quoddam S. Cyrilli Alexandrini assertum inquientis : Modus peccandi nondum apparuerat, cum homo unus tantummodo esset. Quandiu solus degebat Adam, nesciebatur in terris, quid esset peccatum; sed ut primum sociæ, et consortis suæ, seu conjugis mentionem fecit, in eodem pariter tempore sese divinæ transgressionis confessus est reum et culpabilem : Dixitque Adam : *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.* Adeoque peccatum, quod innumerabilibus aliis, usque ad sæculorum finem committendis, barathrum patefecit, a malæ societatis culpa originem traxit : *Mulier, quam dedisti mihi sociam.* S. CYRILL., l. I, *in Gen.*

Cornelius a Lapide (ex *Joannis Mauburni Abbatis Liuriacensis Roseto* I, c. III.) refert, cur variæ Religiones, a primævo, vel antiquo Fundatorum suorum spiritu degenerarint; id namque in Cluniacensibus per otium; in Cisterciensibus per negotia, seu (ut melius dicam) in nimia agrorum colendorum occupatione; in Præmonstratensibus ob nimia Missarum et Chori onera; in Mendicantibus ex nimia cum sæcularibus familiaritate et conversatione accidisse asserit; juxta illud Psalmistæ : *Commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum.* (*Ps.* CV, 35.) Carthusiani præ cæteris in antiqua sua semper et constanter perseverarunt observantia ob solitudinem, adeoque rigidam et austeram a sæcularibus sequestrationem. CORNEL. A LAP. *in* c. II. *Osen. f.* LXXXI.

Patriarcha Jacob ad Joseph dicebat : *Dormiam cum patribus meis;* instanter urgens, ut ossa sua postmodum in terram Chanaan in Hebron transportarentur, ubi requiescebant Abraham et Isaac. Ex quibus Oleaster hanc ad intentum nostrum infert doctrinam : Non solum in vita, sed etiam in morte, fugienda sunt malorum consortia. Poteritne efficacius quid in malæ societatis detestationem adduci. Porro idem auctor ad simile Josephi præceptum (*asportate ossa mea vobiscum*) sese reflectens, postea subdit : Audis hic, quam mala sit conjunctio malorum, ut non solum vivi, sed etiam defuncti justi cum eis commorari nolint. Neque his contentus idemmet auctor, ad Exodum digressus, dum translationem ossium Joseph a Moyse factam (*tulit quoque Moyses ossa Joseph secum*) considerat, sequens exinde elicit documentum, inquiens : Non æquo animo ferebant Sancti, inter impios requiescere : neque cadavera sua permittebant inter impios haberi. *Oleast. in* c. XLVII. *Gen.*

Ex variis S. Scripturæ locis colligimus, judicia olim ad urbium portas solita fuisse celebrari, cujus cæremoniæ diversas interpretes sacri adduxere rationes. S. Greg. ait : Ut urbem, in qua concorditer oporteret vivere, discordes minime intrarent. (S. GREG., l. II, *mors* I.) S. Hieronymus non dissimilem his verbis causam adducit : In porta fuisse legimus judicia, ne agricola ad causam veniens, frequentia civitatis, et novitate terreretur aspectu : quasi diceret, inconveniens erat, ut rustici in simplicitate gradientes, civium plerumque malitiose viventium turmis se immiscentes, sinceritatis, et naturalis ingenuitatis suæ incurrerent discrimen.

Genesis c. I, dicitur Creator in quinto die volatilibus et piscibus benedictionem suam impertiisse : *Benedixit dicens : crescite, et multiplicamini.* Cur, obsecro, animalia terrestria, die sexto producta, benedictione caruere? Doctus quidam respondet interpres : An ideo forte animalibus sextæ diei non benedixit Deus, quia inter omnia erat et serpens, cui post paululum erat ipse maledicturus? vere itaque *modicum fermentum totam massam corrumpit.* Innumerabiles animalium erant productæ species et individua, et nihilominus unicus paulo post maledicendus, qui cum reliquis animalibus degebat, serpens, omni benedictione destituit Creatoris. Terrena privata sunt benedictione, inquit Anastasius Synaita, quoniam in eis erat serpens Evæ hostis, et contrarius, et futurus erat obnoxius execrationi. Voluit namque Dominus, vel ab ipso mundi principio docere, quantum præjudium et damnum integræ bonorum communitati afferat unicus impius et perversus. MANSI, d. X, n. 10.

Variæ a viriis assignantur rationes, cur Salvator transfigurationi suæ in monte Thabor tres tantum voluerit adesse discipulorum suorum : cum enim per gloriosum hoc spectaculum eos in divinitatis fideique constantia inter cruciatus, et tormenta confirmare voluerit, æquum omnino videri posset, omnes inibi debuisse esse præsentes. S. Joannes Damascenus ad nostrum peraccommode respondet intentum, inquiens : Omnes Christi amore præditi, sed unus pecuniæ studio flagrans Judas, unus hic dumtaxat indignus erat, qui Divinitatem spectaret. Ne autem Christus hanc Judæ publicaret improbitatem, ne eum coram omnibus diffamaret, expediens judicavit tres tantummodo eligere ex omnibus, licet cum præjudicio aliquo cæterorum octo. S. Jo. *Damasc. de Transfi.*

S. Petrus, cum Christus de Passione sua loqueretur dixit : *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc.* At omniscius dæmonis subito fraudes technasque detegens, magna cum indignatione consultorem pessimum a se repulit : *Qui conversus, dixit Petro; Vade post me, satana; scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt.* Ast qualiter eum proboso satanæ afficit titulo, qui non modo a dæmone obsessus non erat, sed et super infernum potestatem acceperat? Resp. Christum optime cognovisse inimici astutias, Petrum (quantumvis nihil hujusmodi advertentem), veluti suum adhibentis instrumentum, ea spe pleni, fore, ut per familiarissimum Christi discipulum, tamquam per omnipotens medium, Christus ab imminenti retraheretur morte. Eamdem versipellis adhibuit machinam in ipsa nocte mortis Christi, antiquæ artis insidias repetens, qui ut Christi mortem præpediret, Pilatum a ferenda mortis sententia dimovere conatus est per uxorem : *Multa passa sum per visum hodie etc.* At differentiam notate in verbis Christi; dæmoni namque ipsi se ad idololatriam provocanti in monte respondit : *Vade Satana :* ad Petrum autem ait : *Vade post me Satana :* moxque subdit : *Scandalum es mihi, non sapis ea, quæ Dei sunt :* incomparabiliter enim quocumque dæmone pejor est, vel unicus socius malus. Nulla pestis est perniciosior ad nocendum, inquit Boetius, quam familiaris inimicus. MANSI, *dis.* X, n. 9.

Suppliciorum Passionis Christi gravissimum fuit, quod intulerunt spinæ, utpote caput, partem corporis præ reliquis magis sensitivam lædentes; cum itaque juxta infallibilem veritatem nostra Christum transfixerint peccata (*siquidem propter scelus populi mei percussi eum*) concludere possumus, gravissima omnium scelera esse, maximumque Salvatori inferre tormentum, illa, quæ in pravis societatibus ad perversorum sodalium impulsum admittuntur; quia, teste Nahum, *sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium. Ibid. dis.* XII, n. 8.

Jacobus Patriarcha Mesopotamiam petens, quadam vice nocturnis præventus tenebris, in nuda terra quietem cœpit. Quærunt interpretes sacri, cur non intrarit Luzam, proxime ad eum locum situatam civitatem, ubi indubie commodum reperisset hospitium, maxime cum opulenti patris esset filius, et verisimile videatur, ipsum quoque sufficientes secum pro itinere contulisse expensas? Respondit Josue Hebræus apud Lyranum : *Nocte hospitabatur in campis, suspectos habens habitatores civitatum propter eorum malitiam.* Ne igitur admiremini, quod cœlum ipse fuerit contemplatus apertum, quod scalam cælestem, perque eam gradientes conspexerit Angelos, quod cœlestes habuerit apparitiones et revelationes; qui enim a consortio creato alieni degunt, maxime inter omnes divinorum participes facti sunt favorum. *Ibid.*, n. 6.

Surdo, simulque muto sanitatem impertiturus Salvator, *apprehens eum de turba seorsim, misit digitos suos in auriculas ejus.* Digiti illa denotabant, quæ Christus misero infundebat Spiritus S. dona : *Dexteræ Dei tu digitus.* Notate Mysterium : quando Deus suas ab aliqua anima vult exaudiri inspirationes, linguamque in divinas resolvi laudes, ante omnia ipsam a turba, a conversatione, a malorum separat sodalium commerciis. Væ surditati illi, inquit S. Augustinus, quando non audiebam te. S. Aug., c. III, *solit.*

Petrus Berchorius inter cætera ait : Vox unius si sit dissona, multorum bene canentium turbat harmoniam. Audias musicorum chorum tam suave canentem, ut cum odei cœlestis symphoniam referat, tum eorum, qui coram adsunt in terris, totos animos abripiat, et suspendat; fit, ut unus quidam a tono cadat, et a justa mensura deerret, illius absurdo cantu tota musices symphonia solvitur, tota suavitas vitiatur! vox unius dissona multorum bene canentium turbat harmoniam. Sic in choro communitatis unus malus pacem plurimorum solvit, facitque non solum domorum privata, sed et regnorum publica dissidia, atque ut non Conventuum modo, verum etiam Ordinum amplissimorum disciplina religiosa corruat. Berchorius, l. II, c. XX, n. 8.

Exodi cap. XXX, 10, dicitur : *Et deprecabitur Aaron super cornua altaris semel per annum, in sanguine quod oblatum est pro peccato, et placabit super eo in generationibus vestris.* Pagninus prima verba sic reddit ex Hebræo : *Et expiabit Aaron super cornua ejus*, hoc est, *altaris;* Ubi sacro ritu latera aræ mundare summus Sacerdos jussus fuit. Oleastro novus accidit hic ritus, quærit adeo, cur mundari debuerint cornua, sive extrema latera altaris Deo consecrati, dicens : Quid, quæso, altare peccavit, ut sanguinis expiatione indigeat? Respondet : Contagiosa valde sunt peccata nostra, ut non solum nos contaminent, sed etiam sancta Dei; nam quæcumque peccator tangit, etiamsi sacerdos sit, immunda reddidit. Illa ergo vetus ara, quoniam tangebatur a sacerdote, qui, quod homo esset, non semper absque omni peccato erat sanguine expiari, et mundari debuit. Tam virulentum est malæ vicinitatis contagium, ut in ipsas Dei sacras aras se diffundat corruptorum morum pestis. *Oleast. apud Nys.* § 2, *in D.* XIII, *Pent.*

Societas bona. — Fertur paucis abhinc annis inter viros vere Religiosos, spiritu ferventes, hæc controversia ventilata, qua via, medio, modo, aut methodo quis citissime et certissime ad apicem perfectionis, et sanctitatis pervenire posset? varii in varias abiere sententias. Primus nihil efficacius ad perfectionem conducere affirmavit, quam jugi orationi inhærere; hanc esse elevationem mentis in Deum, qua homo velut cœli civis cum Deo consuescat, et familiarissime sermocinetur; atque huic ferventer, et constanter insistendo plurimos ad sublimem sanctitatis gradum conscendisse : nam, ut aureo ore S. Chrysostomus dixit; is novit recte vivere, qui novit recte orare. Alter brevissimam, ac certissimam, viam crucis assignavit, mortificationem Christi in corpore nostro circumferendo; atque hac nos ducere sanguinolenta Christi vestigia. Tertius his longe sublimius et sanctius duxit, in conversionem animarum incumbere, quia, juxta S. Dionysium, divinorum omnium divinissimum est, cooperari Deo in salutem animarum, pro iis se totum, vitam, et sanguinem profundere; hinc divino fretus oraculo adjunxit : *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat.* Quartus se rem acu tetigisse arbitratus, omnem perfectionem in contemptu rerum terrenarum, et voluntaria paupertate collocatam esse dictitabat, juxta illud Salvatoris consilium adolescenti Evangelico datum : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes etc.* Post hæc tam varia, tam dissita, tam diversa Patrum suffragia, senior quidam spiritu Dei plenus assurrexit, qui, ubi prædictas omnes aliorum sententias solide refutasset, hanc suam edixit : nullum medium potentius ad perfectionem, nullum remedium præsentius ad omnes defectus et imperfectiones extirpandas, ad omnem sanctitatem quam citissime et certissime consequendam, quam viris perfectionis consuescere, cum iis commorari, colloqui, conversari, secundum illud Regii Vatis : *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris.* Engelgr. *in festo B. Visit.*

MISCELLANEA.

Societas bona. — Omnium societatum nulla præstantior, nulla firmior est, quam viri boni, moribus similes sunt familiaritate conjuncti. *Se. epist.* II.

Nulla res magis animos inhonestos, et in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, et vim præceptorum obtinet, frequenter aspici, frequenter audiri. *Ibid.*

Appollonius Tyanæus hoc unum a diis

petiisse fertur : Nosse bonos, malos vitare. Alex. *ab Alex.*, l. IV, c. vii.

Aristippus interrogatus, quid in vita maxime admirandum esset respondit ? Vir bonus inter improbos. Stob. *s.* xxxv.

Themistocles Dux Atheniensis prædium venale proponens jussit a præcone addi : Et vicinum habet bonum. Plutar. *in polit.*

Dentices pisces societatis tam amantes sunt, ut non ferant a gregalibus suis se separari, atque hac mutua societate se contra piscatores tuentur : nam ubi hi cibum demiserint, congregati, et in orbem consistentes circumspiciunt, et quasi signo dato admonent, ne propius accedant. Accidit autem, ut interdum solivagus quispiam hamum devoret, ac proin solitudinis suæ pœnam morte luat. Fab. *conc.* viii, *in Dom.* i, *post. Pas. h. lit. C.*

Societas mala. — Sturnus cum didicisset hæc verba ; Cave tibi a mala : eaque frequenter cecinisset, tandem aliis sturnis se adjungens in aucupis retia incidit ; ubi advertit, se monitum suum suo damno non servassse. Majol. *coll.* i. *Can.*

Versat nos, inquit Seneca, et præcipitat, traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Nemo sibi tantum errat, sed aliis erroris causa, et auctor est. Seneca *apud Drex. in Nicet.*, l. I, c. ix.

Unicus socius plures interdum corrumpere potest ;

> Sicut Grex totus in agris,
> Unius scabie cadit, et porrigine porci.
> Uvaque conspecta livorem ducit ab una.
> Juv. Sat. ii.

Sumuntur a conversantibus mores, ait Seneca, et ut quædam in contactos vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Senec., l. III, *de in* c. viii.

Ergo viæ cum quidam pater stemmate nobilis et senex, duos filios in lacu se natando exercentes aspiceret, subito eorum alter in voraginem incidit, cumque frater ei succurere vellet, etiam ipsum secum in profundum traxit. Idem sæpe malis sociis evenit. Engelgr. *in cœl. sest. Epiph.*, § 3.

Necessitas. — Nullius rei sine socio jucunda possessio est. Seneca, *ep.* ii.

Si quis est, qui congressus, et societates hominum ferre non potest, aut nullo egeat, quod seipso contentus sit, is profecto in parte civitatis non est habendus. Ita vel bellua, vel Deus putandus est. Arist., l. I, *de repub.*

Fac nos singulos, inquit Seneca, quid sumus ? prædæ animalium, et victima, ac vilissimus, et facillimus sanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam sui satis virium datum est. Quæcumque vaga nascuntur, et actura vitam segregem, armata sunt ; hominem imbecillitas cingit, non unguium vis, non dentium terribilem cæteris fecit. Nudum, et infirmum societas munit. Seneca, l. IV, *de benef.*, c. xviii.

AXIOMATA.

Qui tangit picem, inquinabitur ab illa. *Eccl.* xiii, 1.

Homo homini lupus. Homo homini dæmon. Granat, *s.* ccxliii, *loco com.*

Comes facundus pro vehiculo est in via. *Se. in prov.*

Scabiosa ovis totum inficit gregem. *Se. ep.* ii.

Nulla sine socio jucunda possessio.

Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma. *Prov.* xviii, 19.

AUCTORES.

Hieremias Drexelius in Niceta, l. I, c. xix.

Henricus Engelgrave in cœlo Empyreo in festo Epiph.

Joannes Busæus in Panario V. Societas mala.

Discipulus concion. lvi.

Matthias Faber, p. 3, operis tripartiti variis in concion.

Ludovicus Granatensis in locis com. f. 243.

Laurentius Beyerlink in theatro vitæ hum. V. eodem.

Josephus Langius in Polyanth. V. eodem.

SOLATIA SPIRITUALIA.

PRŒMIUM.

Quantopere hujus etiam Tituli tractatio sit necessaria, ex eo facile colligitur, quod, cum, teste S. Scriptura, omnes homines oporteat per multas tribulationes introire in regnum Dei, merito solatio roboreque indigere credantur, ad ejusmodi tribulationes æquo patientique animo sufferendas. Etsi vero spiritualibus ejusmodi solatiis passim scateant libri utilissimi Asceta-

rum, quia tamen iidem, vel ad manus non habentur, vel ob fusiorem tractationem legere non cuique vacat, visum est operæ pretium me facturum, si in compendium similia solatia redigantur, quod cum ab antiquo aliquo Auctore impresso quidem, sed sine nomine, percommode præstitum repererim, ea ipsa solatia, eisdem pene verbis, licet mutato ordine, Lectori communicanda censui. Fateor quidem, ea satis succincte fuisse proposita, sed quia hæc non cuivis, sed sapienti Lectori suggero, facile is eorum sensum et energiam capiet, aliisque simplicioribus fusius explicare et suggerere poterit. Dividetur autem hic Titulus in tria capita, quorum primum solatia Religiosis præcipue convenientia; alterum sæcularibus potissimum accomodata; tertium utrisque servientia continebit.

CAPUT I.

SOLATIA PRO RELIGIOSIS.

Circa difficultatem in virtutibus acquirendis.

Quia virtus secundum naturam vitia vero inimica et infesta, teste Seneca, quid autem facilius relinquere, quam inimicum?

Quia vitia faciunt contemptibilem; quis non ultro deserit deprimentem se?

Quia ut anima justi est cœlum, teste Bernardo, ita anima peccatoris infernus ob vitia; velut diabolus, ob tenebras ignorantiæ, ob ignem pravæ concupiscentiæ; quis infernum non ultro fugit, et libenter, ac facile?

Quia angusta est via, quæ ducit ad vitam, eo quod angusto initio incipitur, sed processu temporis ineffabili delectationis dulcedine dilatatur. Hinc Salomon : Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.

Quia quemadmodum minuta lumina claritas solis obscurat, sic dolores, molestias, injurias, virtus magnitudine sua elidit, et primit.

Circa carentiam prælationis Ecclesiasticæ.

Quia, teste Gregorio, si perversa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos, perditionis exempla trasmittuntur.

Quia, si sanguinem Christi in vase fictili commendatum haberes, an non in discrimine tanto solicitus esses, si sæpe illud vas tecum portare deberes? quanto magis, quando animæ pretioso sanguine emptæ commendatæ sunt.

Quia Benedictus XII. Papa dixisse fertur : Creditur Papatus aliquid magni esse, cum sit nihil; nam postquam fuimus in isto statu, numquam habuimus unam horam jucundam, nec habere intendimus usque ad mortem nostram; quid erit ergo minor dignitas?

Circa paupertatem voluntariam.

Quia, sicut arbor tempore hyemis denudata vestitur floribus in vere : ita anima in hoc mundo, et hac vitæ hyeme spoliata rebus terrenis, induetur in altera vita veste gloriæ.

Quia Regnum cœli promissum est pauperibus, cur ergo tristis es, tanto promisso cum sis dives?

Quia, si miraris divitias illius, qui castra emit et arces, cur non magis paupertatem, quæ majora operatur? Hinc S. Augustinus : Non displiceat paupertas tua, nihil ea potes ditius invenire; vis noscere, quam locuples sit? cœlum emit. Et alibi : In charitate pauper est dives; sine charitate omnis dives est pauper. Charitas est divitiæ pauperum in temporalibus ditissima. Et S. Leo : Semper inquit, dives est Christiana paupertas, nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est, in omnium rerum Domino omnia possidere.

Quia si gauderes, quod pro uno obolo centum aureos reciperes, cur non magis, quod pro rebus temporalibus centuplum sit promissum?

Quia, sicut calix aureus, si ab omni corpore, quod sub cœlo est, evacuaretur, etiam ab aere naturaliter sursum ascenderet; ita multo magis anima, si a creaturis sit libera.

Quia, si gauderes, te ad subsellia Imperatoris Senatus evectum esse, cur non magis gaudebis, te per paupertatem cum Apostolis judicem mundi constitutum?

Quia paupertas sola proprie quietem animo præstat; hinc Seneca : Quietissime viverent homines si hæc duo tollerentur, meum ac tuum. Redige te ad pauca, ex quibus carere non possis; inest paupertati, sine qua nihil est jucundum, securitas. Et S. Gregorius : Magna, inquit, est securitas cordis, nihil concupiscentiæ habere sæcularis; qui nihil habet in mundo, quod diligat, nihil est in mundo, quod pertimescat.

Circa difficultatem jugi Dominici.

Quia, si caput habens scabiosum, et faciem admodum deformem, libenter cum sano et pulchro capite mutares; cur non et voluntatem propriam scabiosam et vitiis deformem, cum voluntate divina, quæ omnem animæ decorem conciliat?

Quia, si id, quod præcipit Deus, facimus, d quod petimus, sine dubio impetramus, teste S. Isidoro.

Quia, teste S. Aug. nullo modo onerosi sunt labores amantium, sicut piscantium, venantium, aucupantium, in eo enim, quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. Hinc Psal. dicit : Fingis laborem in præcepto. Quemadmodum scilicet imago sub columna lapidea sculpta, vel depicta, quæ stat incurviata, ac si portet grave aliquid, cum vel nihil portet, aut minime sibi grave; unde merito S. Bernardus : An non labor fictus jugum suave, crux inuncta?

Quia, si in tenebroso et periculoso itinere constitutus, nihil magis optas, quam lumen, etiamsi non sine labore et impensis illud custodire possis; cur non, et in itinere periculoso ad cœlum versans amas præcepta Domini, de quibus David ait : Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Et : Lucerna pedibus est.

Quia, si jucundum tibi est, citharam tractare, ut tœdium leves laborum; cur non magis adhibes citharam mandatorum Dei, de qua iterum David dixit : In decachordo, et psalterio psallam tibi? Hinc S. Aug. Decachordum et psalterium signat decem præcepta legis.

Quia, si amantes optarent arctissimis vinculis sibi mutuo connecti, cur tu refugias per vincula præceptorum arctius Deo alligari? an nescis, quod in Threnis dixit : In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis?

Quia, si gauderes ad mensam principis admitti, et eodem cum ipso cibo vesci, an non potius gratulari tibi debes, quod ad mensam Christi admissus, eodem cum ipso cibo fruaris, juxta illud : Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me.

Circa superiores malos.

Quia, teste S. Augustino, si bonus fuerit, qui tibi præest, nutritor tuus est; malus si fuerit, tentator tuus est. Et nutrimenta libenter accipe, et in tentatione probare.

Quia, qui custodierit præceptum (non attendens, a quo ponatur) non experietur malum, teste Ecclesiastico. Hinc et Petrus : Quis vobis nocebit, si boni æmulatores fueritis? scilicet superiores mali sunt pugiles et argumenta dantes, occasionem artis et scientiæ ostendendæ prebentes.

Quia obediens talis loquitur victorias. 1. Contra elementa, ut ostenditur in aqua ascendente ad os putei, quando Monachus dixit : O putee, Abbas meus præcepit, ut hauriam aquam. 2. Contra vegetantia, uti apparet in arbore sterili Joannis ex obedientia quotidie eam rigantis fructus proferente. 3. Contra sensitiva, uti apparet in leone capto, et crocodilis ab alio obediente mansuefactis. 4. Contra rationalia, uti testatur quotidiana experientia, et Dominus in Levit. Si in præceptis meis ambulaveritis, persequemini inimicos vestros, et corruent coram vobis. 5. Contra Deum, uti testatur sol ad Josue vocem consistens.

Quia, sicut si arbori abscindantur proprii rami, et inferantur ramusculi nobilioris arboris, illa hujus fructus producere incipit; ita, si propria voluntas homini adimatur, et divina inferatur, istius etiam fructus producit.

Quia Dominus in domo Bethaniæ, (quæ significat domum obedientiæ) et Simonis (qui significat obedientem) sæpius divertere voluit.

Quia obedientia est navis celerrime ad portum salutis vehens; quid ergo curas, si navarchus sit homo malus, modo te bene ad portum dirigat?

Quia obediens velut eques tendit ad patriam cum non propriis pedibus judicii et voluntatis, sed alienis, scilicet superioris, feratur.

Quia obedientia est scala a Jacob visa. 1. Quia per illam in altum ascenditur, dicente Domino per Isaiam : Dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua, tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudinem terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui. 2. Quia, sicut scala habet septem gradus, scilicet obedire libenter, simpliciter, hilariter, velociter, utiliter, humiliter, constanter. 3. Quia, sicut scala duo habet latera, ita, et obedientia abrenunciationem duplicem, judicii, et voluntatis. 4. Quia, sicut scala Jacob erecta stabat, ita et obedientia per suam intentionem non nisi sursum tendit, et per culmen suum attingit Deum, dum non nisi ejus beneplacitum quærit. 5. Quia sicut scalæ Jacob innixus est Deus, ita et obedientiæ. Hinc S. David : Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.

Circa votorum difficultatem.

Quia dicit S. Augustinus : Non te vovisse pœniteat, imo gaude jam non tibi licere, quod cum detrimento tuo licuisset. Felix necessitas, quæ te ad meliora compellit.

Quia, si liber esses, magis forte constrictus esses, juxta illud Salomnis : Iniquitates suæ capiunt imperium, et funibus peccatorum suorum quisque constringitur. Hinc, et S. Augustinus : Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate; velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me; quippe ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidini, facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Et alibi : Vincula hujus mundi habent asperitatem veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.

Circa Religiosorum molestias.

Quia mundus clamat : Ego deficiam; caro clamat : ego inficiam; diabolus clamat : ego decipiam; Christus dicit : ego reficiam. Quem modo sequendum putas?

Quia, teste S. Bernardo, mundus plenus est spinis; in terra sunt; in tua carne sunt; versari in his, et minime lædi, divinæ potentiæ est, non virtutis nostræ.

Quia, teste S. Hieronymo, quod Angeli faciunt in cœlis, hoc Monachi faciunt in terris. Cur ergo tristaris de commisso Angelorum officio?

Quis in Paradiso habitare non desideret? Atqui Petrus Ravennas ait : Si Paradisus in hac vita est, vel in claustro, vel in scholis est. Quod enim extra hæc duo est, plenum est anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, solicitudine, et dolore. Et S. Bernardus : Claustralis Paradisus ad suavem spirantis austri clementiam, quasi tot floribus austri vernat, quot virtutibus abundat.

Circa abdicationem propriæ voluntatis.

Quia, teste S. Bernardo, grande malum propriæ voluntatis; cur ergo hoc malo liberatum te doles?

Quia propria voluntas infernum aperit, juxta id S. Bernardi : Cesset voluntas propria, et infernus non erit, cur ergo clavem ad infernum non libenter abjicis?

Quia, si Deus tibi omnipotentiam suam communicare vellet, an non odio haberes illum, qui ab hoc munere te impediret? Atqui hoc facit voluntas propria, dum te a voluntate divina impedit, per quam omnipotens efficeris, juxta illud S. Hieronymi : Voluntas perfecta faciendi pro opere reputatur facti. Et S. Augustinus : Quidquid vis, et non potes, factum Deus reputat. Et iterum S. Hieronymus : In lege opera requiruntur, in Evangelio voluntas quæritur, quæ etiamsi effectum non habuerit, tamen præmium non amittit. Et S. Gregorius : Non est manus vacua a munere, si arca cordis plena fuerit bona voluntate.

Quia, teste S. Leone, nihil arduum humilibus, vel asperum mitibus, et facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando, et gratia prætendit auxilium, et obedientia mollit imperium; nec dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur quod jubetur.

Circa distractiones pro salute proximi.

Quia, teste S. Bernardo, is puritatis interioris gloria non fraudatur, qui dicere potest cum Propheta : Oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde : bona oblivio, si te ipsum nescias, ut proximo prosis. Bene autem mortuus es a corde, si jam tibi vivere non studeas, sed ei, qui pro te mortuus est : sane in tanta oblivione sui necesse est cor bene esse conscium sibi, quo se in lucra securius foris extendat, cum securam intus reliquerit conscientiam.

Quia S. Bernardus ait : Noli, noli nimis insistere osculis contemplationis, quia meliora sunt ubera prædicationis. Nam etsi Rachel formosior, Lia tamen fœcundior est.

Quia communis utilitas speciali, et ideo etiam doctrina silentio, solicitudo contemplationi, et labor quieti, præferenda sunt; ad quod designandum unigenitus Dei Filius non de Rachele secundum carnem, sed de Lia progenitrice, natus est. Nec legitur, eum in domum suam Maria, sed Martha, excepisse.

Quia, si mille pondera auri darentur, libenter contemplationem omitteres, ut pauperibus subvenires, cur eam omittere non vis, ut animas lucreris.

Circa defectum virtutis.

Quia hæc ipsa opinio defectus est via ad virtutem, nam, teste Seneca; Nulli præclusa est virtus, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, non eligit Dominum, non censum, nudo homine contenta est.

Quia hoc ipso quod doles de virtutum carentia, ostendis te amare virtutes, ergo vel proprias amas (et sic utique habes eas) vel alienas, et hoc iterum signum est eas te habere; quia Seneca ait : Scias eum multis virtutibus abundare, qui alienas amat. Nimirum quia jam olim etiam Augustinus asseruit. Ille habet virginitatem, ama illam, et tua est etc.

CAPUT II.

SOLATIA PRO SÆCULARIBUS.

Circa carentiam mundanæ prosperitatis.

Quia sic Christo, et Sanctis assimilaris.

Quia prospera seducunt, adversa perducunt ad patientiam.

Quia prosperitas animam suspectam facit, adversitas probat.

Quia ut segetem nimia sternit ubertas, et rami onere franguntur, ita animus prosperitate corrumpitur.

Quia adversitas est signum medici divini nondum de salute nostra desperantis. Vitulus mactandus liber ad pascua admittitur.

Quia vexatio dat intellectum; quicumque stultus est in culpa, sapiens erit in pœna, teste Gregorio.

Quia tribulationes sunt via aspera ducens ad cœlum, prosperitas via jucunda ducens ad infernum.

Circa carentiam fortunæ.

Quia fortuna est rota, in qua post elevationem semper depressio timenda est.

Quia fortuna nihil aliud est, quam insidiæ.

Quia fortuna est mari similis, ubi repente tempestas exurgit navigia absorbens.

Quia dolor de infortunio convincit te non esse bonum, nam bona omnia cooperantur in bonum, et sapiens omnia sua secum portat.

Quia ille bonus est artifex, qui de omni materia potest optimum facere. Hinc Seneca : Sapiens si licebit, virtutem in divitiis explicabit, non minus in paupertate quamcumque fortunam accepit, aliquod memoriale ex illo efficiet.

Quia, qui usus est alienis, gratias potius agere debet, cum auferuntur.

Quia cœlum modo lucidos, modo tenebrosos dies profert, annus nunc floribus et fructibus, nunc nivibus et frigoribus terram replet; mare jam tranquillitate blanditur, jam procellis minatur; cur a sola fortuna constantiam exigamus favoris ?

Quia famulus a ludente Domino colaphum accipiens non ægre fert; atque ludit in humanis divina potentia rebus.

Quia nemo sitim stercorum, aut famem habere cupit; quid autem aliud sunt omnia terrena, nisi stercora ?

Circa carentiam ornatus corporis.

Quia injuriam facit Artifici, qui ornatum adjicit imagini ab ipso factæ. Hinc Boetius ; alia quidem suis contenta sunt; vos autem Deo mente consimiles a rebus infimis excellentis naturæ ornamenta captatis; nec intelligitis, quantam Conditori vestro facietis injuriam. Ille genus humanum terrenis opibus præstare voluit, vos dignitatem vestram infra infima quæque detruditis.

Quia impossibile est ab extrinsecis laudari, nam teste eodem Boetio, si quid ex appositis luceat, ipsa quidem, quæ apposita sunt laudantur; illud vero his tectum atque velatum, in sua nihilominus fœditate perdurat.

Quia, teste S. Ambrosio, neglecta decoris cura plus placet; et hoc ipsum, quod nos non ornamus, ornatus est. E contra vero eo ornatum perdit, quo se corporaliter ornare quærit.

Quia corpus ancilla est animæ; non decet autem magis ornari ancillam, quam dominam.

Quia, teste S. Gregorio, pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur, quia nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri. Et, teste S. Bernardo, vanum cor vanitatis notitiam ingerit corpori, et exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est, mollia indumenta animi mollitiem indicant. Quis autem nolit indiciis criminis carere coram judice apparens?

Quia, teste S. Hieronymo, si vir, vel mulier se ornaverit, et vultus hominum ad se provocaverit, etiamsi nullum inde sequatur damnum, judicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset, qui biberet. Quis autem venenatum ornatum non horreat?

Quia, teste S. Augustino, verus ornatus Christianorum boni mores sunt. Hinc David : Omnis gloria filiæ Regis ab intus.

Circa defectum habitationis.

Quia in loco peregrinationis nemo curat de habitatione pretiosa stabili sibi providere.

Quia nemo gloriatur de luteis ædificiis; quid autem aliud sunt domus nostræ.

Circa carentiam temporalis potestatis.

Quia plus ab hostibus appetuntur duces, quam milites : et vehementius a ventis vexantur culmina altiora, quam infima.

Quam vana est potentia, quæ nec in mensa solatii tempore est secura, sed sic ipsos, quibus nititur, habet anxia formidare.

Quia, teste S. Augustino, optandum est, ut nonnisi contra vitia detur potestas, propter quæ vincenda potentes nolunt esse homines, et volunt propter vincendos homines; at quid hoc, nisi, ut vere victi falso vincant; nec sint veritate, sed opinione victores.

Quia, si inter mures videres unum aliquem sibi jus, ac potestatem vindicantem, quanto movereris cachinno? Idem est, si potestatem inter homines arroganter tibi vindices.

Quia, si quid naturalis boni inesset potentiæ numquam pessimis obveniret; respuit enim natura, ut contraria jugantur. Hinc S. Augustinus : Apud viros bonos indigna sit ipsa dignitas, quam multi indigni possident. Et Boetius : Talia sunt prædicata, qualia præmiserint subjecta. Certe si quis multiplici consulatu functus ad barbaros veniret, non eum venerandum barbaris potentia faceret.

Quia quanto quis altius erigitur, tanto curis gravioribus oneratur, eisque ipsis populis mente, et cogitatione supponitur, quibus præponitur dignitate, ut ait S. Gregorius.

Quia, eodem teste, sæpe misericors Deus, qui suos tenere diligit, eos solicite ab exterioribus actionibus custodit. Nam, et plerumque paterfamilias ad eum laborem servos dirigit, a quo subtiles filios suspendit.

Quia majoritatis status inducit majoritatem periculi, peccati, et pœnæ; nam ut in corporibus, ita et in imperio gravissimus est morbus, qui a capite diffunditur, teste Seneca, et S. Gregorio : quanto quisque honore splendoris celsior est, tanto, si delinquat, peccator major est.

Quia, teste S. Gregorio, sæpe suscepta cura regiminis cor per diversa verberat : et impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa.

Quia, qui dispensandis rebus terrenis præsidet, oculti hostis jaculis latius patet, eodem teste.

Quia filius Principis non tristatur, si caret officio vili alicujus mechanici artificis : cur ergo Filius Dei doleat, si careat officio vili temporaneæ potestatis.

Quia, teste Hugone, solus is regnat, qui deposito cordis imperio, lege rationis, ordinat totam familiam motuum interiorum et exteriorum.

Quia sicut hominibus Reges, ita et Regibus dominandi desideria dominantur : hoc est regnum, nolle regnare, cum possis. Vis ergo regnum? do tibi magnum, rege te ipsum.

Circa carentiam liberorum.

Quia vix fieri potest, ut non multis curis, ac tristitiis affligaris inde; cur ergo materiam tanti mali ultro optas?

Quia, si nomen tuum conservari petas, quid stultius, cum plures forte alibi temere sic vocentur? si senectutis præsidium, quid infirmius, cum sæpe citius moriatur : si hæredes, cur non magis eos optas, qui plus tibi honoris et solatii, tum in hac, tum in altera vita causabunt?

Circa defectum natalium

Quia, ut in Lib. Decretal. dicitur, Orosius Papa filius fuit Stephani Subdiaconi; Bonifacius filius Jucundi Presbyteri; Felix Papa filius Felicis Presbyteri; Agapitus Papa filius Gordiani Presbyteri; Theodorus Papa filius Theodori Presbyteri de civitate Jerosolyma; Silverius Papa filius Siludri Episcopi. Deus dedit Papam filium Jucundo Presbyt. Gelasium Papam ex Patre Valerio Episcopo; cur ego tu erubescis ob natalium defectum?

Quia, teste S. Augustino, undecumque homines nascantur, si parentum vitia non sectentur, honesti, et salvi erunt; semen enim hominis ex qualicumque homine Dei creatura est et eo male utentibus male erit, non ipsum aliquando malum est. Et S. Chrysostomus : Ex meretrice natus, aut adultera, si virtute propria decoretur, parentum suorum non dedecoratur opprobriis.

Quia, teste S. Hieronymo, nasci de adulterio non est culpa illius, qui nascitur, sed qui generat : quomodo in seminibus non peccat terra, quæ confovet; non semen, quod in sulcis jacitur, non humor, vel calor, quibus temperata frumenta in germen pullulant; sed v. gr. fur, vel latro, qui fraude, vel vi eripit semina.

Quia semper inter illas sacri ventris angustias sacra Dei manus operatur, idemque est creator corporis, et animæ; noli ergo despicere bonitatem figuli, qui te plasmavit, et fecit : ipse est virtus Dei, et sapientia.

Quia Dominus ipse non solum voluit de alienigenis, sed etiam adulterinis commixtionibus nasci.

Circa carentiam nobilitatis.

Quia, ut liber Decretalium dicit; nos, qui possumus, non ex locorum, vel generis dignitate, sed morum nobilitate, innotescere debemus.

Quia, teste S. Hieron. sola apud Deum libertas est, non servire peccatis, summa apud Deum nobilitas, clarum esse virtutibus. Et S. Chrysostomo : Ille tunc integram suam nobilitatem putet, si dedignetur servire vitiis, et ab eis superari.

Quia, teste S. Hieron. ille apud Deum præest potior, non quem nobilitas generis, nec dignitas sæculi, sed quem devotio fidei, et sancta vita commendat.

Quia, eodem teste, nescit Religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animas inspicit.

Quia, ut idem iterum ait, plerumque nobilitas carnis ignobilitatem parit mentis.

Quia, teste S. Chrysost., patrem omnes habemus Abraham, quid ergo prodest ei, quem sordidant mores, clara generatio? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Quid nocuit Abrahæ, quod habuit patrem Pharam luteorum Deorum cultorem? Nonne separatus a genere suo positus est in caput fidelium, ut non jam diceretur filius peccatorum, sed pater Sanctorum? non potuerunt ejus gloriam sordidare patrum errores. Stannum de argento egreditur, sed non est argentum; itaque colatum argentum servatur, sed stannum foras expellitur. Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem nasci; qui enim de claro clarus nascitur, gloria claritudinis ejus non est ejus solius, sed communis videtur; qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis ejus solius est. Similiter qui de contemptibili genere contemptibilis nascitur, omnis turpido solius ipsius est; ideo melius est, ut in te glorientur parentes, quam tu in parentibus.

Quia nobilitas extrinseca aliena est; unde, teste Boetio, illi solum sunt clari, qui ob virtutem suam prædicantur; quare si tuam non habes, splendidum te aliena claritudo non efficit.

Quia, qualiumcumque parentum sit filius, sola opinione ignobilis erit.

Quia omne hominum genus in terris simili surgit ab ortu; ergo, si pater est Adam, cunctorum mater est Eva. Omnes nonne sumus nobilitate pares?

Quia, sicut Rex Franciæ, cum quidam Dux Austriæ illi scribens longissimum titulum apposuisset, repeti eum jussit, et quoties v. gr. lectum est : Leopoldus Dux Austriæ etc. semper subjecit, et ego Rex Franciæ, et sic ad singulos titulos, indicans, plus esse Regem Franciæ, quam omnes titulos illos habere; ita et anima Christo desponsata dicere potest ad omnes mundi titulos : Et ego sum sponsa Christi, et regina cœli : ego sum rex cœli.

Circa carentiam divitiarum.

Quia possessæ onerant, amatæ inquinant, amissæ cruciant, teste Sancto Bernardo.

Quia terrena substantia, æternæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium, teste S. Gregor.; hinc S. Bernardus, postquam audierat, sexcentas marchas per quemdam Abbatem sibi transmissas esse amissas, dixisse fertur : Benedictus Deus, qui nobis pepercit ex hoc onere.

Quia pacem turbant, et animi quietem : hinc, cum Diogeni a capite fur de nocte sacculum cum nummis subtrahere conaretur : Tolle, inquit, infelix, ut facias utrosque dormire. Idem expertus faber ferrarius semper cantans, et post crumenam a divite receptam, quam clanculo hic in officinam projecerat, mærore affectus.

Quia, teste S. Augustino : Aurum est materia laborum, periculum possidentium, enervatio virtutum, malus dominus, proditor servus.

Quia, teste S. Chrysostomo : Divitiarum sequela est luxuria, ira intemperans, furor injustus, arrogantia, superbia, omnisque irrationabilis motus.

Quia fideli homini, teste Bernardo, totus mundus divitiæ sunt, totus plane, quia tam adversa, quam prospera ipsius, æque omnia serviunt ei, æque cooperantur in bonum : ergo avarus terrena esurit, ut mendicus : fidelis contemnit, ut dominus : ille possidendo mendicat, iste contemnendo servat.

Quia spinæ divitiæ sunt, teste Salvatore : cur ergo spinam ex pede ejicis, et cor tuum noxiis spinis replere ultro satagis?

Quia divitiæ, teste S. Augustino, ingerunt curas semetipso privantes : hinc venditis, inquit, rebus vestris, nullum majus earum accepimus pretium, quam nos ipsos, implicari enim talibus nostri non eramus.

Quia, ut Seneca docuit, ratio arbitra est bonorum et malorum, aliena et externa pro vilibus habet, omne illi bonum in animo est. Et alibi : Huc cogitationes tuæ tendant, huc cura, huc opera, omnia alia Deo vota missurus, ut contentus sis temetipso, et ex te nascentibus bonis. Et iterum : Contentus est sapiens ad bene vivendum, et non ad vivendum; ad hoc enim rebus multis illis opus; ad illud tantum animo sano et erecto, despiciente fortunam.

Quia si ad naturam vives, numquam eris pauper, teste Seneca; si ad opinionem, numquam eris dives.

Quia summa dementia est hæredis sui res procurare et sibi omnia negare, magna enim hæreditas ex amico inimicum facit, plus enim gaudebit morte tua, quo plus accepit.

Quia veræ divitiæ non opes sunt, teste S. Bernardo, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in æternum dives fiat.

Quia, teste S. Bernardo divitiarum amor insatiabilis longe amplius torquet desiderio animam, quam refrigeret usu suo, utpote quorum acquisitio laboris, possessio timoris, amissio plena doloris est. Hinc et Seneca : quid refert, quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, si etiam alieno inhiet, si non quæsita, si quærenda computat; non enim pauper est, qui minus habet, sed qui plus cupit; nec qui plus habet, sed qui minus cupit, dives est.

Quia negotiatores merito cum Divo Paulo dicere possunt, se esse in periculis fluminum, periculis latronum, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate. Sed et pericula inferni inveniunt eos.

Circa amissionem rerum temporalium.

Quia meminisse debes, te non semper ea habuisse; nam, teste S. Gregorio, magna consolatio est, in rerum amissione, illa tempora ad mentem revocare, quibus aliquando non habuit, quod amisit.

Quia non sunt bona hominis, teste S. Ambrosio, quæ secum ferre non potest : ergo de illarum amissione cur conquereris?

Quia nimis avarus est, cui Deus non sufficit.

Quia ignis cœlestis non invadit inferiora : cur ergo anima ad cœlum mente translata ad terrestria inclinat?

Quia omnia perdidisse debueras; cur de parte tantum amissa doles? nihil perdidit, qui seipsum possidet. Cogitas quod perdideris, sed non quod evaseris.

Quia eris nunc in via expeditior, domi tutior. Exoneravit te fortuna, si intelligis, et tutiore posuit loco; damnum putas? remedium est. Defles miserum te? clamitas quod opibus excussus es? tuo vitio ista jactura tibi tam tristis est; non tam moleste ferres, si tamquam perditurus habuisses; ita Seneca.

Quia ut nullum datur purum bonum creatum, ita nec malum purum, nec damnum purum; cur ego malum in damno consideras, et non potius bonum?

Quia arenam si ex vesica amisisti, gaudes; cur non potius, si aurum ex animo, et manibus ereptum advertis, quæ majus tibi tormentum et damnum causant?

Quia palmes, si saperet, gauderet abscindi partes superfluas; cur non et tu res temporales, quæ impediunt, ne vinum gratiæ, et spiritualis lætitiæ cor tuum progerminet.

Quia, teste S. Augustino, qui cœlestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admiserit, perfecte cognoverit, ea quæ in terris amaverat, libenter cuncta derelinquit.

Quia, teste Seneca nemo est Deo dignior, quam qui opes contemnit.

Quia, si bene vivas, et Dominus regat te, nihil deerit tibi, Hinc S. Aug. Tu Christiano, tu Dei servo, tu bonis operibus dedito, tu Domino suo caro aliquid existimas defuturum? an putas, quod, qui Christum pascit, a Christo ipse non pascatur? an putas, terrena deerunt, quibus cœlestia et divina tribuuntur? Unde hæc incredula cogitatio? unde impia et sacrilega meditatio?

Quia, teste S. Scriptura : Magna gloria est sequi Dominum; quid ergo erit tibi consequendum? cur ergo non gaudes te exoneratum rebus temporalibus, ut facilius Christum sequaris, et consequaris? de quo S. Hier. Christus est omnia, ut, qui propter Christum omnia dimiserit, unum inveniat pro omnibus, et libere possit clamare : Pars mea Dominus.

Circa paupertatem voluntariam.

Quia, teste S. Hieronymo, ob hoc unum est amanda paupertas, quod, a quo ameris, ostendit; quippe non habet adulationem comitem sibi parcentem, fortunam hominis, et non personam amantem.

Quia, Seneca teste, tria præcipue extollunt Philosophiam, contemptus mobilis affluentiæ, appetitus futuræ felicitatis, et mentis illustratio, quorum primo nihil est honestius, secundo nihil felicius, tertio nihil ad amborum compendiosam adeptionem efficacius.

Quia iterum, testante Seneca, aut pauper sis, necesse est, aut pauperi similes, si vacare animo vis. Hinc et S. Augustinus inquit, Philosophiæ (tu dic perfectionis) magistra inopia est.

Quia paupertas est sanitatis magistra, curarum remotio, absque solicitudine semita, sapientiæ reparatrix, negotium sine damno, intractabilis substantia, passio sine calumnia; sine incerta fortuna, sine solicitudine felicitas.

Quia, si gauderes, te Vice-Regem in aliquo loco creatum, vel te missum ab Imperatore, ut loco ipsius debitum servitium, aut honorem alicubi reciperes, cur non magis gaudeas, ut loco Dei, quidquid in eleemosynam tibi datur, aut alias charitatis exhibeatur, recipias, ut quasi thesaurarium ipsius agas?

Quia tot in Scriptura sententiæ de pauperibus sunt prolatæ, ut palpare possit pauper felicitatem suam : nam 1. Christus beatos dixit. 2. His præparat cœnam : Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. 3. Adjuvat : Adjuvit pauperem de inopia. 4. Eligit, teste Isaia : Elegi te in camino paupertatis. Et S. Jacob. : Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo? 5. Desiderium pauperum exaudivit Dominus. 6. Memor est illorum : Nonne in finem oblivio erit pauperis? 7. Est solicitus pro illis? Ego autem mendicus sum, et pauper, Dominus solicitus est mei. 8. Factus est Dominus refugium pauperi etc. 9. Et teste Isaia, factus est fortitudo pauperi. 10. Salvat; nam parcet pauperi, et inopi, et animas pauperum salvas faciet. Et II. Reg. II. Populum pauperem salvum facies. 11. Assumit : Tibi derelictus est pauper etc. Pater meus, et Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. 12. Est spes eorum. Hinc Isaia : in ipso sperabunt pauperes. 13. Providet de equiis, ut Lazaro mendico, etc.

Quia quos morum infirmitas vulnerat, paupertatis medicina curat, teste Gregorio.

Circa carentiam amici.

Quia si malus erat, multum gaudere debebas; si bonus, non perdidisti, quia teste S. Bernardo, quando nos moriendo deserunt quos amamus, novimus eos non in æternum relinquere nos mansuros, sed aliquantulum præcedere secuturos.

Quia S. Sebastiani ad amicos Marci et Marcelliani adhortatio solari debet; Nolite timere, non separabuntur a vobis, sed vadunt vobis præparare sidereas mansiones, in quibus una nobiscum, et cum filiis vestris in perpetuo gaudio erunt manentes. Nolite, o amici, revocare quos diligitis, a vita ad mortem, a gaudio ad luctum, a lumine ad tenebras.

Quia talis amor plerumque amaritiei multum continet. Hinc Cicero : Amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari.

Circa carentiam familiaritatis cum mulieribus.

Quia, si venenata animalia fugis, cur non multo magis mulierem, quæ venneum concupiscentiæ animæ tuæ instillat?

Quia, si Sirenum cantum Ulysses, et socii detestati sunt; cur tu colloquia mulierum amas, quarum cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem; teste S. Augustino.

Quia, si terram spinis consitam non facile calcas, cur ultro te in mulierum familiaritatem insinuare cupis, ubi nihil, nisi spinæ cor vulnerantes reperiuntur?

Quia Adam, Sampsonem, Regem David, et Salomonem fœmina decepit : quis modo tutus erit?

Quia uti, juxta vulgare proverbium, nimia familiaritas contemptum parit, ita cum mulieribus sæpe conceptum parit.

Quia, si avem stultam credis, cum virgæ insidet visco illitæ, cur tu prudens esse cupis, et tamen viscosæ mulierum conversationi adhæres.

Circa carentiam conjugii.

Quia, teste S. Ambrosio, copula nuptialis non est quasi culpa vitanda, sed quasi necessitatis sarcina declinanda.

Quia uxor non permittit virum suum esse, uti indicavit, teste Valerio Maximo, Metellus, cui cum a Mario filia dote dives, forma amabilis, genere clara, fama felix offerretur, respondit : Malo meus esse, quam suus. Cum vero Marius subjiceret : Imo ipsa erit tua; Resp. iterum Metellius : Virum oportet esse uxoris; logicum enim est adagium, talia fore prædicanda, qualia subjecta esse præmiserint.

Quia, teste Diogene, nulla uxor est tam bona, in qua non aliquid invenias, quod conquueraris. Hinc eodem Valerio teste, cum Pachimius Rex Ario vicino suo diceret : Amice, arborem habeo in horto infelicem, in qua se prima uxor mea suspendit, et postmodum secunda, et tertia. Resp. Arius; Miror te in tantis successibus lacrymas invenisse, cum arbor illa iterum, ac tertio tibi dispendia suspenderit. Amice, da mihi de arbore illa surculos, quos seram.

Quia, ut idem Diogenes dixit, mulier speciosa est templum super cloacam ædificatum.

Quia, teste S. Hieron., Adam, Sampsonem, Regem David, et Salomonem fœmina decepit, quis modo tutus erit? S. Ambr. Sampson, inquit, validus, et fortis leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit; vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum; messes incendit alienas, sed unius mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit. Sed et Valerius : Sol hominum Salomon, thesaurus deliciarum, sapientiæ Domini singulare domicilium, crasso tenebrarum offuscatus atramento, lucem animæ suæ, gloriam domus suæ, fœminarum facinore amisit.

Quia uxor cum amatur, amaro pungit solicitudinis aculeo. Hinc Hugo : Quieta est vita, quam non uxoris suspicio, non solicitat ancillarum sumptus, nec conturbat filiorum perversitas, quæ munditiæ gignit florem, pietatis parit fructum, bonæ conscientiæ profert odorem.

Quia nihil magis insidiatur, quam mulier. Hinc Seneca : duo genera lacrymarum habentur in oculis fœminarum, unum veri doloris, alterum insidiarum. Et Valerius : Amice, det tibi Dominus omnipotens omnipotentis fæminæ fallacia non falli, quia audax est ad omnia quæcumque vel amat, vel odit fœmina, et artificiosa est nocere, cum vult. Lege Aureolum Theophrasti, et Medæam Jasonis, et vix pauca invenies impossibilia mulieri. Sed et Cato Uticensis : Si absque fœmina esset mundus, conversatio nostra non esset absque diis. Verbo nemo fœminarum execratur ludibria, nisi lusus, ut bene notavit Valerius.

Quia, Cicerone teste, Viros ad unumquodque maleficium singulæ cupiditates impellunt; mulieres ad omnia maleficia una ducit cupiditas.

Quia, eodem teste, mulier est amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta, ergo si dimittere illam peccatum est, tenere autem vere tormentum; necesse est, ut aut dimittentes adulteria faciamus, aut quotidianas pugnas tenentes habeamus.

Quia, teste S. Hieron. uxorem pauperem alere difficile est, divitem ferre tormentum. Pulchra cito adamatur, fæda concupiscit. Difficile custoditur, quod plures amant; molestum possidere, quod nemo habere dignatur, minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa servatur; nihil tutum, in quo totius populi vota suspirant: alius forma, alius ingenio, alius facetia, alius liberalitate solicitat; aliquo modo expugnatur, quod undique incessitur.

Circa amissionem conjugii.

Quia omnia bona tecum portas, cur ergo tristaris de amissione illius, quod bonum verum non est?

Quia, teste Seneca, conjux est adventitium bonum: nec est inter illa, quæ semel alicui contingunt.

Quia sic facilius in medio virtutis consistes. Hinc Deus Ezechieli: Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum, et non planges, neque mortuorum luctum facies. Locutus sum ego, inquit Propheta ad populum mane, et mortua est uxor mea vespere.

Circa amissionem liberorum.

Quia, stultus est, teste Seneca, qui flet mortem mortalium: periere perituri, habeat eos ille, cujus magis erant, quam tui, educandos tibi illos mandaverat; recepit illos, non abstulit.

Quia, si boni fuerunt, in cœlum recepti magis tibi proderunt ad solatium et adjutorium; si vero mali, de gravi es onere liberatus, imo, et confusione, cum, teste Syrach, confusio patris sit filius indisciplinatus.

Quia rapti sunt, ne malitia mutaret intellectum, quia placita erat Deo anima illorum etc. an tristareris, si Princeps ad se in aulam propter talenta transtulisset?

Quia, si infans fuit, major est in cœlo, quam Joannes Baptista fuerit in terris; si ergo B. Elisabeth de suo filio sibi gratulantur, et per eum multa dona a Deo impetrare confidebat, an non tu magis de filio tuo? etc.

Quia non sunt amissi, sed præmissi. Hinc dicere possunt, quod B. Ambr. de fratre: Quid te, mi frater amantissime, fleam? non enim perdidi usum tuum, sed commutavi. Ante in corpore inseparabilis, nunc individuus affectu; manes enim mecum, ac semper manebis; numquam te patria mihi eripuit, nec mihi patriam prætulisti, et nunc alteram præstitisti. Cœpi enim jam non esse ibi, pergimus, ubi melior mei portio est, numquam siquidem in me totus fui, sed in altero nostri pars major amborum. Utrique autem eramus in Christo, in quo, et summa universitas, et portio singulorum est.

Quia, liberi tui thesaurus fuerunt (juxta illud Annæ: o omnia in te habentes, non debebamus dimittere te) in fortissima cœli arce tibi tutius asservatur.

Quia, si flosculum ex horto decerptum non doles, si Deo in altari consecretur, cur doles, recentes tuos flosculos liberorum in cœleste templum translatos?

Quia, qui propter Deum reliquerit filios, centuplum recipiet etc.

Quia, si e periculo vitæ corporalis, v. gr. incendio, ereptum videns gauderes, multo magis lætari debes, si liberatum a periculo inferni videas.

Quia, si gauderes e bello reducem in patriam feliciter appulisse, cur non gaudes vitæ, quæ est militia super terram, finem imposuisse, ut æterna pace fruatur?

Quia voluntas Dei, teste S. Hieronymo, sola debet sufficere ad solatium, cui nullum præponere jubemur affectum. Hinc idem alibi: Placeat homini, quidquid Deo placet, ob hoc ipsum, quia Deo placet.

Quia liberis quietem non negas cur ergo somnum mortis non potius gratuleris, quam felix adeo resurrectio sequetur?

Quia illi gaudent se evasisse ex carcere corporis; cur ergo tu doles, quod liberati sint, et retrahere cupis? non est lugenda mors, quam vita immortalis sequitur. Hinc Apostolus: Nolumus ignorare vos fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut cæteri, qui spem non habent. Sed et S. Ambrosius: Mortem probamus non esse lugendam, quia admodum somnus a labore mundi requiescere facit in spe resurrectionis.

Quia sentire debes de liberis, ut S. August. de amico, dum sic loquitur: Beatus qui amat te, et amicum in te, et inimicum propter te; nullum enim charum ille solus amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui non amittitur; te autem, Domine, nemo amittit, nisi qui dimittit.

Quia filii quasi dicunt id, quod Christus Apostolis : Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos etc. quia scilicet in me solo solatium ponitur.

Circa carentiam solatiorum mundi.

Quia melius est gaudio carere, quam de eo habito graviter postea dolere; atqui, teste Scriptura, extrema gaudii luctus occupat. Et S. Greg. jure testat, ut, quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipsis postea cogamur sentire tormenta. Hinc, et in Apocalypsi : Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum.

Quia stulte illis gaudiis reficere conaris animum, quæ sitim desiderii magis irritant, juxta id : quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Quia teste S. Bernardo, illud revera verum gaudium est, quod non de creatura, sed de Creatore, percipitur : quod cum possederis, nemo tollet a te, cui comparata omnis suavitas dolor est, omne aliud, quod delectare est, omnisque aliunde jucunditas mœror, omne dulce amarum, omne quodcumque molestum.

Quia vas cordis nostri, cum sit ad capiendum Deum factum, non potest ab ullo creato gaudio satiari.

Quia, teste Seneca, sola virtus præstat gaudium perpetuum et securum; etsi vero nubium materia interveniat, hæc tamen infra fertur, nec unquam diem vincit.

Quia mundana gaudia similia sunt ebrietati, quæ unius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pensat.

Contra servitutis jugum.

Quia, licet corporea obnoxia sint dominis, mens tamen sui juris est, ut ait Seneca. Hinc, et S. Bernardus : Voluntati, nec leges imperant, nec Principes dominantur, libera est, maxime si spiritu ducitur, quia, ubi spiritus, ibi libertas.

Quia, teste S. Ambr. ille solum servit, qui vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mærore dejicitur, servilis enim omnis est passio. Hinc Tullius : Liber est æstimandus, qui nulli turpitudini servit. Et S. Aug. Bonus etiam, si servit, liber est; malus autem, etiam si regnat, servus est tot dominorum, quot vitiorum quorum damnationem, inquit Ambrosius, nec noctu potest fugere, quia contra se habet dominos, intra se servitium patitur intolerabile etc.

CAPUT III.

SOLATIA PRO UTRISQUE, REGULARIBUS SCILICET ET SÆCULARIBUS.

Circa tribulationes.

Quia roborant, ut olla per ignem, et arbores in mari robustiores fiunt.

Quia cor dilatant, ut malleus aurum, ut fiat amplior, et capax divinorum donorum; in tribulatione dilatasti mihi.

Quia tribulatio, ut aqua, 1. temperat vinum lætitiæ, ne rationem auferat, aut morbos generet. 2. Extinguit ignem libidinis, ut expertus est Monachus, jussu Abbatis vexatus ab aliis; si ergo gaudes aquam offerri, cum domus succensa est, quidni, et quando anima ardet? 3. Quia submergit hostes : operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit. 4. Nutrit pisces fideles, ne pereant, aut computrescant. 5. Provehit fideles in patriam. 6. Extinguit sitim cupiditatum. 7. Est apta ad baptismum spiritualem.

Quia ut ignis, 1. emollit, ut ex imagine diaboli fiat imago Christi, facitque, ut recipiamus colores pulcherrimos florum, seu virtutum; facile terminemur termino divinæ voluntatis. 2. Dissolvit vincula, ut tribus pueris in fornace : et illi Christiano, quem cum Saraceni exponerent ante sua castra, sperantes, quod Christiani sic lapides in eam partem non jacerent, ille adhortatus est, ut non desisterent propter se, et sic lapis conjectus dissolvit, illumque liberavit. 3. Quia ut ignis probat aurum, et vasa in honorem efformat. 4. Quia ut ignis rarefacit, id est, ampliorem locum virtutis occupare facit; et præterea etiam disgregat heterogenea (cereturas) et congregat homogenea, scilicet imaginem cum suo exemplari.

Quia purgat. 1. separat paleas a tritico; 2. scoriam ab auro, et ferro; 3. fæces a vino; 4. malum sanguinem a bono, ut in Phlebotomia; 5. noxios humores a stomacho, ut medicina.

Quia est velut pilula saccharo consolationis involuta, juxta illud David : Secundum multitudinem dolorum etc. est cauterium; si ergo, teste S. Scriptura, non est census super censum salutis corporis, quid facies pro salute animæ?

Quia tollit curvitatem, faciens hominem sursum respicere; cum ignoramus quid faciamus, hoc unum habemus residuum, ut fugiamus ad te. Item tollit cæcitatem mentis juxta id : Vexatio dabit intellectum. Et fel piscis Tobiæ oculos aperiens præfiguravit.

Quia illuminat hominem ad videnda mala præterita, uti fratres Joseph : Merito hæc patimur etc. ad speranda bona futura, quia (tribulatio patientiam, patientia spem operatur) ad videndum Deum (sic columba reversa est ad arcam) ad cognoscendum se ipsum (nemo enim, teste S. Gregorio, vires suas in pace cognoscit) si bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt.

Quia excitat a somno pigritiæ, ne perdas tempus meriti.

Quia est veluti absynthium, quo hi, qui sunt spiritualiter parvuli, a lacte temporalis consolationis separantur. Hinc quidam Pater : Ipse, inquit, mundus, dum tot amaritudininibus cruciat, quid aliud, nisi ut non ametur, clamat?

Quia facit hominem recurrere ad quærenda solatia divina, sicut princeps, qui vult a se emi vinum vel frumentum, prohibet, ne alii vendant.

Quia facit recurrere ad Deum, exemplo Jonæ. Et, teste Psalmista : Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Nam fatigatus quærit quietem, æger sanitatem, naufragus suspirat ad portum, famelicus ad cibum, tribulatus ad remedium, quod nusquam melius reperit, quam apud Deum.

Quia tribulatio est loco purgatorii; quis debitor mille talentorum pro tanto debito unum crucigerum non libenter porrigat, juxta id Ecclesiast. Est, qui multa redimat parvo pretio?

Quia est signum prædestinationis; non enim consurget duplex tribulatio, teste Naum, vel, ut Septuaginta vertunt, non judicabit Dominus bis in idipsum.

Quia sicut in tribulis pulchræ aves cardueles insident, ita Angeli in tribulato corde.

Quia aqua tribulationum per saccum humanitatis Christi fuit collata, de quo dictum : sicut cynnamomum etc. unde Christus quondam revelavit : Cum homo gravatur, si in proprio merito mihi illud propinaret, ego, cum inde biberem, ex ore meo tantum dulcedinis ei tribuerem, unde sic nobilitaretur, ut numquam de cætero perire posset. Sed cum homo inde prior biberit, inficit illud, et quo prius bibit, eo magis amaricatur, et arescit, ut inde non deceat bibere, nisi pœnitentia, et confessione purgetur.

Quia solatium est socios habere : unde S. Bernardus : Quomodocumque sæviat tribulatio, non putes te derelictum, sed memineris scriptum esse : Cum ipso sum in tribulatione. Et alibi : Da mihi tribulationes, ut semper possis mecum esse. Hinc, et Dominus : Cum transieris per aquas, tecum ero. Et Nabuchodonosor vidit in fornace cum pueris quartum similem Filio Dei.

Quia virtutem manifestat, et perficit; nam, ut aromata, teste Gregorio, non nisi cum incenduntur, fragrantiam expandunt, ita sancti viri, omne quod virtutibus redolet, in tribulatione innotescere faciunt. Et S. Bernardus : Species odorem integre quidem reddunt, sed non tantum, quantum confractæ; sic et virtutes in pace fortiter redolent, sed fortius in tribulatione, quia virtus in pace acquiritur, in perseveratione probatur, in victoria approbatur.

Quia per tribulationes custoditur cor, sicut ignis sub cinere, semen sub nive, tabernaculum sub sagis cilicinis. Hinc, teste Gregorio : Ideo sapientia cor Salomonis deseruit, quia illum nulla disciplina tribulationis custodivit.

Quia tribulatio est materia spiritualis gaudii; nam, teste Seneca : Nullum ita magnum solatium est, sicut, illud quod extrahitur de adversitate. Hoc ex aqua in vinum mutata præfiguratum est : nam aqua tribulationem, vinum lætificans cor eorum, postea gaudium, significat. Hinc Apostolus : Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Et Psalmista : Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; nimirum sicut æger ob curationem, operarius ob mercedem, mercator ob rem pretiosam vili pretio emptam etc. lætatur. Sed et mater afflictum filiorum magis fovet.

Quia educit hominem e carcere, sicut Angelus Petrum, percusso latere; nam latus in scriptura vocantur omnes affinitatis, vel alio vinculo conjuncti.

Quia sunt malleus coronam fabricans, de qua Ecclesia : Corona aurea super caput ejus : nimirum nobile vincendi genus est patientia : vincit, qui patitur : si vis vincere, disce pati.

Circa numerum tribulationum.

Quia hæc certa est via ad cœlum, juxta illud : Per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei.

Quia sunt nuntii celeriter hominem vocantes ad Deum, vel, ut Pater quidam noster dicebat, equicursores juxta id : Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Hinc Ægyptii (id est tribulationes) cogebant filios Israel exire de Ægypto ; nimirum amor de facili a loco subtrahitur, in quo non nisi supplicium invenitur.

Quia tribulationes multæ sunt multa ora ad Deum clamantia (juxta id : Ad Dominum, cum tribularer, clamavi etc.) Unde oratio facilius exauditur, quia, teste Hieronymo, impossibile est, multorum preces non exaudiri. Hinc et Ecclesia petit, multiplicatis intercessoribus sibi largiri, quod petiit. Et quidam doctor de Lazaro ait, quod tot habuit ora clamantia, quot vulnera.

Quia aquæ multæ amaræ, quales sunt maris, nutriunt et producunt pisces grandes, id est, homines magnæ virtutis ; et elevant arcam, id est, justum, in altum perfectionis. Hinc Job : Cor eorum longe est a disciplina, propterea non exaltabuntur.

Quia aquæ multæ, maxime lixivii, purgant, et dealbant ; hinc in Apocalypsi : Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Quia multæ tribulationes, ut vulnera multa vestem ornant.

Quia multi ictus tribulationum, ut scarnificatio, emittunt sanguinem peccati, et concupiscentiæ, a quo petit liberari S. David Psal. L. Libera me de sanguinibus etc, maxime si prius caro igne, vel calore per ventosam inflammata est. Unde et Spiritus Sanctus prius apostolorum corda inflammavit, antequam per tribulationes sanguinem emitterent.

Quia tribulationes sunt gemmæ vestem charitatis ornantes? Unde sicut vestis non abjicitur propter gravitatem ; ita nec charitas propter tribulationes.

Quia tribulationes sunt malleus, pretium operibus nostris, et animæ imprimens imaginem Christi.

Quia, sicut varietas gemmarum ornat coronam, ita et animam varietas tribulationum.

Circa persecutiones.

Quia Ecclesia et ejus filii, teste Gregorio, sunt sicut Arcturus, qui semper versatur supra horizontem, sed numquam mergitur ; hinc Hilarius : Hoc Ecclesiæ proprium est, ut tunc vincat, cum læditur ; tunc intelligat, cum arguitur : tunc obtineat, cum deseritur. Et alibi : Hoc habet proprium Ecclesia, dum persecuta est, floret ; dum opprimitur, crescit : dum contemnitur, proficit ; dum læditur, vincit ; dum arguitur, intelligit : et tunc stat, cum superari videtur.

Circa flagella.

Quia ubera matris habes, ergo et verbera patris habe ; sic enim decet ; per amaritudines filios ablactari.

Quia sunt signa amoris ; qui enim diligit filium assiduat ei flagella, teste Syrac. Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt, inquit David. Sunt virga aurea, quam Deus, sicut olim Assuerus, in signum gratiæ ostendit.

Quia, et granum gauderet se flagellari, si saperet, ut sic converti possit in hominem, quanto magis tu, ut convertaris in Deum. Certe sic Christus ut purum granum flagellari prius voluit.

Quia, teste S. Bernardo, ejusmodi flagella sunt thesaurus infinitus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.

Quia servi principum non æstimant colaphos a Domino joco datos, sed potius gaudent, et spem promotionis inde concipiunt : atque ludit in humanis divina potentia rebus.

Quia si exceptus es a passione flagellorum, exceptus es et a numero filiorum.

Circa pœnitentiæ laborem.

Quia pœnitentia omnia solvit debita ; omnia adversa mitigat consideratione culparum ; omnia contrita sanat, scilicet corda per peccatum vulnerata ; omnia desperata animat, scilicet animas ad spem veniæ erigendo.

Quia ut amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat, pericula maris spes lucri delectat, dolorem medicinæ spes salutis mitigat; ita pœnitentiam spes veniæ, et misericordiæ. Qui nucleum cupit, frangit nucem; ergo et pœnitentiam agat, qui æterno cupit adhærere bono : S. Hieronymus.

Quia sicut pennæ avium dum portantur ab his in terra, pertant eas ad cœlum; ita et pœnitentia hominum; unde grossescit materia, inde sarcina levigatur; et quantum crescit in massa, tantum decrescit in pondere, teste Bernardo.

Circa carentiam laudis.

Quia, teste S. Augustino, bonum laudare, non laudato, sed laudanti prodest. S. Ambrosius: illo tempore potissimum merita sanctitatis extollo, quando nec laudantem adulatio, nec laudatum tenet elatio; lauda ergo post periculum, predica securum, scilicet post mortem.

Quia laus sua justos cruciat (unde quidam concionator dicenti sibi : Benedictus sermo oris tui, respondit : sed maledictus sermo oris tui) et iniquos exaltat, quos dum lætificat, reprobos monstrat.

Quia tenebræ miscentur luci, venenum cibo suavi, si cum bono opere laus humana conjungitur. Hinc S. Gregorius : Charitatis et pietatis miracula amate, quæ tanto securiora sunt, quanto et occulta, de quibus apud Deum eo major fit retributio, quo apud homines minor est gloria.

Quia est similis Echo currenti per concavitates aurium humanarum. Est fumus ex accensis amore tui cordibus ascendens; in quibus, dum tui ignem amoris divini accendis, fumum laudis ad te sursum emittunt.

Quia stultus est, qui in theatro positus homines pauperes magis pro laudatoribus habere cupit, quam Deum ipsum, qui dives est in omnes.

Circa humanæ gloriæ carentiam.

Quia totus mundus punctum est respectu cœli, et hoc plures gentes incolunt adeo diversæ et dissitæ, ut vel difficultate itinerum, vel loquendi diversitate, vel commercii insolentia, ne urbes quidem omnes agnoscantur. Certe ætate Tulli romana fama, licet jam adulta, ne Caucasum quidem transierat; an ubi romani nominis transire fama nequit, romani honoris gloria progredietur?

Quia gloriam, vel appetis in vita, vel post mortem? si primum, tibi ignota est plerumque, cum nemo facile in faciem glorificet, et præterea non tua sit, sed dicere debeas : Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Si secundum, vel eris in purgatorio, vel in inferno, et sic non cognosces; vel eris in cœlo, et sic non curabis, juxta illud Boetii : Si bene sibi mens conscia terreno post carcere resoluta cœlum libera petit, nonne omne terrenum negotium spernet, quæ se, cœlo fruens, terrenis gaudet exemptam.

Circa carentiam honoris.

Quia casum appetit, teste Gregorio, qui ad summi loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quærit ascensum. Et quia, ut idem ait, qui nititur ad altiora ascendere, quid aliud agit, nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo altius exterius, interius in profundum descendat.

Quia, ut ædificati parietes, si prius pondera recipiant, quam novitatis suæ humore siccentur, ruinam afferunt; ita si honoris pondus animo nondum a sui æstimatione vacuo, et in virtute fundato imponatur, nihil nisi ruina timenda est.

Quia ad honores vera via per solam virtutem patet, ut olim Romani gemino templo ita extructo, ut non nisi per virtutis templum ad honoris ædem intrare liceret, docuerunt.

Circa carentiam famæ.

Quia, qui te infamant, non ex judicio, sed ex morbo hoc dicunt.

Quia testis conscientia est : hinc S. Augustinus : Senti de Augustino, quod lubet; sola me in oculis Dei conscientia non accuset. Et S. Gregorius : Inter verba laudantium, sive vituperantium, ad mentem semper recurrendum est; si in ea non invenitur malum, quod de nobis loquuntur homines, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim si non omnes laudant, et conscientia liberos nos esse demonstrat. Habemus Paulum dicentem : Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ. S. Job : Ecce in cœlo testis meus. Si ergo est nobis testis in cœlo, testis in corde, dimittamus stultos loqui foris, quod volunt.

Quia cæci sunt, qui infamant; quis curavit cæcos de sua physiognomia judicantes.

Circa simplicitatis infamiam.

Quia simplicitas est optima directrix vitæ nostræ; nam, teste David, simplicitas justorum dirigit eos.

Quia cum simplicibus sermocinatio ejus, quid autem eloquio Dei dulcius? Quam dulcia etc. vivus est sermo etc. teste Paulo, et Salomone. Omnis sermo Dei ignitus. Hinc David : Ignitum eloquium tuum vehementer; et Discipuli in Emmaus : Nonne cor nostrum ardens erat, quando loquebatur nobis etc. Et sponsa : Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.

Quia, teste S. Gregorio : Nihil simplici corde felicius; nam qui innocentiam erga alios exhibet, nihil est, quod pati ab aliis formidet. Habet enim quasi artem quamdam simplicitatem suam, nec metuit pati, quod se fecisse non meminit. At contra mens prava semper in laboribus est, quia aut molitur mala, quæ inferat, aut metuit, ne sibi hæc ab aliis inferantur.

Circa derisum.

Quia Tobias ab uxore et cognatis derisus est. Sed et Job : Numquid derident me juniores? Discipuli repleti Spiritu S. derisi sunt, et musto pleni dicti. Jeremias de se : Factus sum in derisum omni populo. David : Omnes videntes me deridebant me. Sed et Christum deridebant in domo Jairi, et in cruce.

Quia sunt derisores derisis deteriores, quia, teste Salomone, parata sunt derisoribus judicia, et illusores ipse deludet.

Quia, teste Seneca, nondum felix es, si te turba nondum deriserit.

Quia, teste Job, qui deridetur ab amico suo, sicut ego, invocabit Deum, et exaudiet eum. Hinc olim dicent impii : Hi sunt quos habuimus in derisum.

Circa contemptum.

Quia quilibet, qui te æstimat et amat, partem cordis tui rapit. Hinc S. Gregorius : Tanto unusquisque a superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur.

Quia magistro Seneca, si beatus vis esse, hoc primum cogita, contemnere, et ab aliis contemni.

Quia qualis quisque apud se lateat, illata contumelia probat, teste S. Gregorio.

Quia S. David elegit abjectus esse in domo Dei, magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Circa humiliationem.

Quia, teste S. Bernardo, bona est humilitas, quæ et in præsenti ab hujusmodi mordacibus curis mentem facit esse quietam, et a minacibus pœnis in futuro securam reddit conscientiam.

Quia Deus humilia respicit, et alta a longe cognoscit. Item : Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum etc. Quis autem non gauderet, si se præ alio videret ab imperatore gratiose respectum?

Quia teste Hugone, sicut mel concordat in confectionibus medicinæ cum omnibus diversitatibus specierum; sic ex humilitatis dulcedine condiuntur omnia genera virtutum.

Quia sic præ cæteris Deum recreamus odore humilitatis, juxta id : Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Circa pudorem propriæ accusationis.

Quia æger ad vitandam mortem temporalem assumit amaram medicinam, quidni nos magis, ut effugiamus mortem æternam? Melior est, inquit S. Augustinus, modica amaritudo in faucibus, quam æternum tormentum in visceribus.

Quia S. Bernardus ait : Ama confessionem, si affectas decorem; ubi confessio, ibi pulchritudo et decor.

Quia tempus confessionis est tempus vernum simul (ob flores propositorum) et autumnale (ob fructus pœnitentiæ.)

Quia confessionale est torcular, in quo exprimitur vinum lætitiæ tum pro Angelis juxta id; Majus est gaudium coram Angelis) tum pro nobis (juxta id : Si est gaudium in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo) Hinc sponsa : Jam hyems (negligentiæ in divino servitio) transit, imber (lacrymarum) abiit, et recessit; flores (proposito rum) apparuerunt in terra nostra ; vineæ florentes dederunt odorem suum.

Circa accusationem in publico.

Quia, sicut venenum nonnumquam cum aliis herbis mixtum conficit saluberrimam medicinam, ita acusatio aliena (etiam ex malo fine profecta) cum nostra humilitate conjuncta, plurimum proficit ad meritum ob virtutes obtinendum.

Quia per publicam accusationem peccator, velut vas luteum et contumeliæ transit in vas honoris et gloriæ.

Circa detractiones.

Quia, teste Seneca, malis displicere, laudari est.

Quia qui propria decoratur virtute, parentum suorum vitiis, aut illorum verbis non dedecoratur, ut dicitur in Decretis.

Quia detractores sunt muscæ morituræ, teste S. Gregorio, cur ergo has times, si tu vere charitatis igne circumdatus sis ?

Quia S. Bernardus dixit : Ego plagis conscientiæ meæ nullum judico accomodatius medicamentum opprobriis et contumeliis.

Quia, teste S. Gregorio, justus miranda agit, opprobria recipit, ut, qui exire foras per laudes potuit, repulsus contumeliis ad semetipsum redeat, et eo se solidius intus in Deo solidet, quo foris non invenit, ubi requiescat.

Circa confusionem.

Quia incitat ad quærendum Deum juxta illud psalmi : Imple facies eorum ignominia, et quærent Nomen tuum Domine.

Circa malam societatem.

Quia, teste S. Gregorio, tolerandi ubique sunt proximi. Quia Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exercet.

Quia honori ducis, si quis Theses te propugnante oppugnet ; cur ergo socium, dum virtutem tuam impugnat, adversaris ?

Quia ut solis radii in cloaca non fœdantur, ita nec virtus hominis boni in societate malorum corrumpitur.

Quia rosæ et lilia, non nisi inter spinas nascuntur.

Quia ut herinaceum spinæ contra animalia, ita justum contra vitia sociorum malorum tribulatio defendit.

Circa carentiam humani favoris.

Quia repugnares si divitias tuas rapere quis conaretur ; cur ergo appetis favorem hominum, per quem tibi cor eripiatur.

Quia, teste S. Ambrosio, de divina miseratione tunc sperandum amplius est, quando præsidia humana deficiunt.

Quia maledictus, qui confidit in homine ; cur ergo maledicentiæ materiam ultro ambis ?

Quia manna consolationum divinarum, non nisi in deserto datur.

Quia si dimittas homines propter Deum, centuplum accipies.

Quia ut aurum in vacuo ascendit sursum, ita et animus a favoribus humanis evacuatus.

Circa odium et inimicitiam.

Quia inimicus est meritorum occasio, maxime implendi præcepti : Diligite inimicos vestros.

Quia inimicus sibi magis nocet, quam tibi, ut phreneticus.

Circa carentiam voluptatum gustus.

Quia, sicut homo per pomum ejectus est ex paradiso voluptatis, ita et anima gulæ dedita separatur a Christo, cum quo esse, dulcis est paradisus, teste Thoma Kempensi.

Quia si corpori cibus naturalis tam solicite quæritur, quanto magis quærendum est animæ convivium, de quo Salomon : secura mens quasi juge convivium.

Quia, teste S. Hieronymo, impossibile est, ut quis præsentibus et futuris fruatur bonis ; ut et hic ventrem et ibi mentem impleat ; ut de deliciis ad delicias transeat, et in utroque sæculo sit beatus.

Quia vinum et cibus blande ingrediuntur, sed in fine mordent ut coluber.

Quia, teste Seneca, venter præcepta non audit, poscit, et appellat ; non est tamen molestus creditor, parvo contentus est, da illi quod debes, non quod potes.

Quia, teste Boetio : Felix nimium prior ætas, Somnos dabat herba salubres, umbras altissima pinus, potum quoque lubricus amnis, non bacchica munera norat liquido confundere melle, utinam modo nostra redirent in priscos sæcula mores.

Circa difficultatem jejunii.

Quia si maculam in facie haberes, gauderes, quod illam per jejunium posses removere; cur non magis gaudes, quod maculas animæ per jejunium pellere possis? an nescis, quod Ecclesia canit : Qui corporali jejunio vitia comprimis.

Quia, si voragini proximus optares aliquem, qui te, ne caderes, teneret; cur non jejunium amas, quod mentem elevat, ne in gulæ, et aliorum vitiorum voraginem cadas?

Quia, teste S. Bernardo, semper virtuti cibus jejunium fuit; et de abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluptates, salubria consilia, et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, et virtutibus spiritus innovatur.

Quia, si condimenta varia quæris, ut cibus magis sapiat, cur jejunium negligis, quod velut præstantissimum condimentum omnes tam cibos, quam potus, sapidissimos facit?

Circa tristitiam.

Quia semper habes remedium tristitiæ a S. Augustino assignatum, dum dixit : Vis numquam esse tristis? bene vive, bona vita semper gaudium habet. Hinc Apostolus : Gaudete in Domino semper.

Quia, ut somnium triste sequitur summum gaudium, ita tristitiam mentis, quæ transit ut somnium, maxima lætitia sequetur.

Quia tristes eventus sunt velut vinculum aureum, quo Deus trahit hominem tribulatum ad se; cur ergo non sponte sequeris?

Quia Deus cum fœnore compensat tristitiam, juxta id : Gaudete etc. quia merces vestra copiosa est in cœlis. Item : secundum multitudinem dolorum consolationes tuæ lætificaverunt animam servi tui. Cur ergo usuras hic solum concessas non adhibes?

Quia, si scires lapides tuos in aurum vertendos, majores et plures habere optares; cur non et tristitias, quas scis in solatia vertendas?

Contra tentationem de fortuna malorum.

Quia non sunt in manu impii bona sua, teste Job. Hinc Seneca : Quid stultius, quam in homine aliena laudare? quid eo dementius, qui circa se miratur, quæ ad alium protinus transferri possunt; non faciunt meliorem equum aurei fræni.

Quia venient novissima, teste S. Augustino, quando nulli bono erit male, nulli malo erit bene. Hinc S. David : Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium, et intelligam in novissimis eorum.

Quia, teste S. Augustino, etiam nunc malis male est : nam multum interest, inquit, inter malum esse, et malum pati. Tu, quod pateris, non es. Ille autem malum non patitur, et malus est. Vide ergo, non potest fieri, ut tibi male sit, quia pateris malum, et illi bene sit, qui est malus; cum enim est malus, putas, quia non patitur malum, cum patitur se ipsum? tibi male est, quia pateris alienum malum in corpore tuo; et illi bene, qui malum seipsum patitur in corde suo? tibi male est, quia malam habes villam, et bene est illi, qui malam habet animam?

Quia, teste S. Augustino, omnis animus inordinatus sibi ipsi est pœna; cur ergo putas pacificum, qui, cum exteriori pace gaudeat, interiora plena domesticis hostibus habet, juxta id Christi : Inimici hominis domestici ejus.

Circa dolorem, et fletum.

Quia ut hostes, quanto sunt propinquiores, tanto magis cogunt ad arma recurrere; ita dolores ad Deum celerius cogunt confugere. Hinc S. Gregorius : Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.

Quia, ut frigus circumstans calorem auget et continet, ita tribulationes et dolores calorem amoris divini etc.

Quia, ut amici Job videntes ejus dolorem, non loquebantur ei verbum; et ita tentator cessat tentare, quem viderit doloribus occupatum.

Quia qui seminant in lacrymis, in exultatione metent; cur ergo parce semen lacrymarum seminas?

Quia Deus, teste David, cibabit nos pane lacrymarum, et potum dabit nobis in lacrymis in mensura, id est, non ultra vires. Hinc Apostolus : Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari supra id, quod potestis.

Quia, si gauderes aquam a te oblatam a Christo fuisse in vinum conversam, cur non magis gaudeas, si aquam lacrymarum tam copiose olim in vinum lætitiæ convertendam memineris?

Quia lacrymæ sunt fons ille, qui ascendebat de terra irrigans universam superficiem terræ.

Quia lacrymæ extinguunt flammam concupiscentiæ, spiritualem infirmitatem; hinc Ezechiæ dictum : Vidi lacrymam tuam et sanavi te; lavant a culpis, oculos aperiunt, juxta id S. Gregorii : Sæpe quod torpentes latuit, flentibus innotescit. Hinc et Apoc. collyrio tuo inunge oculos tuos, ut videas; serenitatem mentis inducunt, quia, sicut post vehementes imbres purus aer efficitur, ita post lacrymarum pluvias mentis serenitas sequitur, teste Chrysostomo; mentem elevant, juxta id : Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum. Et : Multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime; holocaustum impinguant juxta illud S. Gregorii : Holocaustum aridum est bonum opus, quod orationis lacrymæ non perfundunt; holocaustum pingue est bonum opus, quod cum agitur, etiam lacrymis impinguatur.

Quia regnum cœlorum Deus rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis debetur, teste S. Gregorio. Hinc, et Hieronymus : O humilis lacryma, tua est potentia, tuum regnum. Tribunal Judicis non vereris, delictorum tuorum accusatoribus silentium imponis, non est, qui te accedere vetet. Si sola intras, vacua non redibis, magis crucias diabolum, quam pœna infernalis. Quid plura? vincis invicibilem, ligas omnipotentem, Filium Virginis inclinas.

Quia teste S. Bernardo, lacrymæ sunt deliciæ, et vinum Angelorum, in illis odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, reconciliationis jucunditas, et serenatæ conscientiæ suavitas reperitur.

Circa desiderium communionis.

Quia obediendo obtines, quod per communionem obtinuisses. Unde obedientia similis est hostiæ. 1. Propter rotunditatem, unde Christi manus tornatiles dicuntur. Et Ezechiel vidit rotas moveri, quocumque spiritus ferebatur. Sed et Cassianus narrat antiquos Monachos ad pulsum campanæ, vel littera imperfecta relicta, accelerasse. 2. Propter latitudinem, quia ad modum hostiæ latæ jacet, ubi ponitur. 3. Propter tenuitatem, quia ut hostia, ita et obediens, patitur se facile frangi. 4. Propter colorem, quia candidus est obediens per innocentiam, ut hostia. Hinc Psalmista : Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Accedit serenitas, de qua S. Bernardus : Serenitas in vultu, et dulcedo in sermonibus multum colorat obedientiam. 5. Propter saporem, quia sapit odorem cibi, de quo Christus : Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. 6. Propter imaginem, quia ut hostia continet Christi plerumque imaginem, ita obediens Christum per imitationem. 7. Propter nomen, quia, ut Eucharistia significat oblationem, ita obediens holocaustum.

Quia, vel ipso Christo teste, non semper tantum beatus venter, qui ipsum portavit, sed etiam qui audiunt verbum Dei per obedientiam, et custodiunt illud.

Contra ariditates.

Quia Christus dicit : Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos.

Quia, teste S. Ambrosio, quo diutius abest, quod desideratur, tanto expectantis desideria majori quadam vi amoris ignescunt. Hinc Osea dicit de Christo. Veniet quasi imber subtemperaneus, et serotinus terræ. Et Job : Visitas eum diluculo, et subito probas illum.

Circa studii difficultatem.

Quia, teste S. Hieronymo, si quidquam est, quod in hac vita virum sapientem teneat, et inter pressuras ac turbines mundi æquo animo persuadeat manere, id esse primum reor meditationem et scientiam scripturarum. Et alibi : sicut stellas cœli non extinguit nox, sic mentes fidelium inhærentes firmamento S. Scripturæ non obscurat mundana iniquitas. Hugo vero ait : Nihil in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nihil ita mentem ab amore mundi separat, nihil sic animum contra tentationes roborat, nihil hominem ita excitat, et adjuvat ad omne opus et ad omnem laborem, sicut studium sacræ Scripturæ.

Quia, teste Christo, omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova, et vetera; quis ergo pro hoc thesauro consequendo non libenter laboret? maxime cum Salomon dicat : Divitias nihil duxi in comparatione illius.

Quia studium est simile venationi; hinc S. Bernardus quibusdam interrogantibus, unde haberet scientiam, respondit : Vos quæritis eam in Ephrata (id est, pulverulenta via) nos autem invenimus eam in campis sylvæ (id est foliis fagi vel quercus nos docentibus) experto crede, aliquid amplius invenies in sylvis, quam in angulis; ligna et lapides te docebunt, quod a magistris audire non possis.

Quia labor manducandi non molestus, sed suavis est; atqui non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod exit de ore Dei. Hinc et S. David : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua etc. Hinc et Sanct. Hieronymus : Pinguissimus sermo divinus est; omnes habet in se delicias, quidquid volueris, ex sermone divino nascitur, sicut manna secundum voluntatem cujuscumque sapiebat in ore.

Quia, teste Sanct. Gregorio, sacra Scriptura est mentis oculis quasi speculum quoddam, ut ibi interna facies nostra videatur, ibi fœda, ibi pulchra dispicimus, ibi sentimus quantum proficimus, et quantum a profectu distamus. Hinc, et S. Hieronymus : Utere sacra Scriptura vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conservando, et pulchriora faciendo.

Quia sicut Jacobo omnis labor propter amorem Rachelis levis; ita et tibi pro consequenda sapientia esse deberet. Hæc enim est, de qua Salomon ait : Super salutem et speciem dilexi eam. Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea, et amator factus sum formæ illius, et quæsivi mihi eam in sponsam assumere.

Circa morbos.

Quia si gaudes, te a principe visitari, cur a Deo visitari moleste fers? cur non sequeris senem dolentem, quod anno quodam per morbum non visitatus fuerit?

Quia signum est salutis; nam ægrum corpus sanas cogitationes parit. Hinc Zacharias dixit : Ad dandam scientiam salutis plebi tuæ in remissionem peccatorum, per viscera misericordiæ visitavit nos oriens ex alto.

Quia virtus in infirmitate perficitur; sicut discipulus per occasionem disputationis. Item est campus, in quo homo pro fortitudine corporali relicta, recipit internam animæ fortitudinem.

Quia debitum olim in purgatorio mille tormentis modo persolvitur levis doloris patientia.

Quia si equum ad præcipitia te ducentem gauderes ab alio vulnerari, cur non et corpus in peccatum trahens optas infirmari?

Quia si duellum tibi esset cum altero, gauderes utique hostem ab amico tuo debilitari; atqui perpetuum animæ cum corpore duellum est, cur ergo non gaudes corpus per morbos infirmari?

Quia si cauterium unius membri pateris, ut plura salves, cur non et corpus per infirmitatem aduri pateris, ut animus sanetur? Hinc S. Gregorius : Durum non æstimes, ob quod pateris, dum exterioribus cruciatibus ab interna passione liberaris.

Quia infirmitas addit alas, quibus anima ad Deum volet, juxta id : Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.

Quia morbus est res necessaria, et summe utilis. Hinc quidam senex roganti, ut eum a tertiana liberaret, respondit; Rem tibi necessariam cupis abjicere; ut enim corpora nitro, ita animæ languoribus purificantur. Alius vero dixit, cum Deus dat infirmitatem, donum adeo magnum esse, ut neque si 100, annis pro ea serviret, gratum satis se exhibuisset.

Quia si possessio animæ est summe optanda, cur non et patientia, per quam, teste Salvatore, animas nostras possidemus.

Circa brevitatem vitæ.

Quia longa vita, est longa peregrinatio, hanc ergo quis amet? Hinc quidam Pater : Quid est vita mortalis, nisi via? et qualis sit, fratres mei, perpendite, in via lassari, et viam nolle finiri.

Quia cum corpus sit quasi carcer animæ, quis cupiat diutius in carcere hoc detineri? Hinc Oseæ pro beneficio datum est, ut citius moreretur.

Quia sapiens, teste Seneca, cogitat, qualis, non quanta sit vita. Non enim vivere bonum est, sed bene vivere.

Quia, teste Ambrosio, tantis malis hæc vita repleta est, ut comparatione ejus mors remedium esse putetur, non pœna; nam ideo brevem illam fecit Deus, ut molestiæ ejus, quia prosperitate vinci non potuerunt, temporis exiguitate finirentur.

Quia, teste Vincentio, si quis sciat, quis sit bonorum finis, quæ vera felicitas, numquam videbitur sibi præmatura morte potiturus.

Circa mortem imminentem.

Quia, teste S. Ambrosio, mors corporis justis videtur bona, in ipsis namque quietis est portus. Hinc Cyprianus : Mortalitas ista Christi hostibus pestis est, ejus autem servis salutaris excessus.

Quia mors, teste S. Augustino, est relictio corporis, depositio sarcinæ gravis, nam corpus aggravat animam.

Quia, teste S. Bernardo, mors justi bona est propter requiem; melior propter novitatem; optima propter securitatem. Item quia finis est laborum, victoriæ consummatio, vitæ janua, et perfectæ securitatis ingressus.

Quia mors est debiti naturalis persolutio; cur ergo non gaudes tandem te importunitate hujus creditoris liberatum.

Quia stultum est timere, quod vitare non possis.

Quia vita nostra exilium est, et militia; quis ergo non gaudeat his per mortem imponi finem?

Circa defectum ingenii.

Quia, teste S. Gregorio, idcirco desidiosum ingenium sæpe accipit, ut de negligentia justius puniatur, quia quod sine labore assequi potuit, scire contemnit. Et ideo nonnumquam studiosus tarditate negligentiæ premitur, ut eo majora præmia retributionis inveniat, quo magis in studio inventionis elaborat. Nihil ergo est in terra sine causa, quando et studioso tarditas ad prœmium proficit, et desidioso velocitas ad supplicium crescit.

Quia sicut aqua, quæ figuram per impressionem cito accipit, cito etiam perdit; ferrum autem tardius quidem figurat capit, sed diutius retinet, ita et res cum bono, et duro ingenio se habet.

Quia plus proficitur mediocri ingenio cum virtute conjuncto, quam optimo ingenio, cui virtus conjuncta non est. Hinc Hugo : Non confidat prædicator vel auditor verbi divini de acumine ingenii, nec de subtilitate scrutinii, nec de sedulitate studii, sed magis confidat de bonitate Dei, de pietate oraculi, de humilitate cordis intimi.

Circa defectum memoriæ.

Quia si arcam haberes, optare magis restrictam deberes, paucorum, sed utilium capacem; quis enim sanæ mentis scrinium aureum luto, aliisque rebus vilissimis recondendis applicare velit?

Quia, si non plus sapere monet Apostolus, quam oportet, sed sapere ad sobrietatem, an non illud Christi accini nobis poterit : Martha, solicita es, et turbaris erga plurima, porro unum est necessarium, scilicet, ut cum Tobia, memor sis Domini tui in toto corde tuo. Certe S. David dicit : Memor fui Dei, et delectatus sum : Dic ergo, quod Anna de Tobia : Omnia in te habentes, non debuimus dimittere te.

Contra defectum scientiæ.

Quia, si gaudes, materiam tumoris aut hydropisis tibi subtractam, cur non et materiam superbiæ? an nescis quia scientia inflat, teste Apostolo?

Quia cui plus creditur, plus etiam ab eo exigitur; cur ergo doles, quod minora apud Deum debita, quam alius contraxeris.

Circa passionem iræ.

Quia, teste S. Ambrosio, præclarum est, motum temperare consilio; nec minoris est virtutis, indignationem compescere, quam omnino non irasci, cum plerumque id levius, istud fortius, æstimetur.

Quia, teste S. Chrysostomo, si ira fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur.

Contra timorem mali imminentis.

Quia recte monet Seneca : Non sis miser ante tempus; cum illa, quæ velut imminentia expavisti, fortasse nunquam eventura sint, aut si futura sunt, quid juvat dolori suo occurrere; satis cito dolebis, cum venerit, interim tibi meliora promitte. Aliquando gladius ab ipsa cervice revocatus est, et aliquis suo carnifici superstes fuit.

Quia, teste S. Paulo, fidelis est Deus, per quem vocati sumus in societate Filii ejus; quidni ergo socios liberet a malo, aut adjuvet? an non dixit Job : Libera me Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. An non Isaias : Juxta est, qui justificat me, quis contradicet mihi?

Quia, teste S. Augustino, timor præsens securitatem generat sempiternam. Time eum, qui super omnes est, et hominem non formidabis. Et alibi : Quid times hominem, homo in sinu Dei positus. Tu de sinu illius noli recedere, et quidquid passus ibi fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem.

Circa desperationem ob peccata.

Quia teste, S. Bernardo, ubi superabundavit delictum, superabundare consuevit et gratia.

Quia, teste S. Gregorio, nonnumquam fortium culpa occasio virtutis fit.

Quia, teste S. Chrysostomo, non est ad virtutem ulla talis exhortatio, qualis est peccatorum recordatio.

Quia, teste S. Ambrosio, non quæritur, quis fuerit, sed quis sit. Et S. Augustinus; Non nocent mala præterita, si non placent.

Quia Deus dat humilibus gratiam quidni et humilitatis, si patienter ferant humiliationem?

Quia, uti lapsus equum stimulat ad fortius currendum, ita peccatum excitat hominem ad amplius proficiendum.

Quia, ut ex herbis vilissimis præstantissima nonnumquam aqua elicitur, ita ex peccatis aqua lacrymarum.

Quia, teste S. Ambrosio, novit Deus mutare sententiam, si tu noveris mutare delictum.

SPES, ET FIDUCIA IN DEUM.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Spes una ex virtutibus theologicis est, quia Deum pro objecto habet, sperans beatitudinem, quæ in ipsius Dei visione, ac possessione consistit, eidemque Deo, et divino ipsius auxilio ad illam consequendam innitens. Atque ita sperat infinitum bonum, quod Deus est, et ad illud aspiciendum infinitæ virtuti innititur, quæ est potentia ejusdem Dei. Et sequitur fidem spes eo ordine, quem virtutes se habent, cum generantur in anima, easque Deus illi infundit : siquidem virtute fidei, quæ in intellectu est, cognoscimus et apprehendimus bonum infinitum, quod est Deus, idque cognoscimus ut bonum nostrum, in quo nostra consistit beatitudo, et ut bonum, quod arduum ac difficile ad consequendum, tamen ejusdem Dei ope possibile est. Ex hac cogitatione oritur in voluntate desiderium possidendi Deum eoque fruendi, ac post desiderium spes, quæ desiderio addit certum quemdam motum, ejusdemque voluntatis elevationem, qua anima Deo magis appropinquat, ipsumque Deum adipisci conatur; et ad eum in æterna vita possidendum, videndum, ac fruendum accedere, idque per media a Deo ad hunc finem consequendum ordinata quærit. Franc. Aria to. II, *thos.* tr. III, c. I.

Hinc colligi potest, quid sit spes, videlicet donum, sive habitus supernaturalis animæ a Deo infusus, quo se movet voluntas, elevatque supra omnes naturales vires ad sperandam cum auxilio, et gratia divina, nec non bonorum operum ab eadem Dei gratia, auxilioque procedentium meritis, æternam beatitudinem. Brevius : Est certa expectatio futuræ beatitudinis, proveniens ex gratia Dei, et meritis præcedentibus. Certa, inquam, debet hæc spes esse, ita ut a Deo beatitudinem, et ad eam consequendam auxilium certo speremus. Quam certitudinem accipit, et participat spes a virtute fidei, qua certissime credimus Deum esse omnipotentem, et infinitam bonitatem, et qui paratus sit, suam beatitudinem omnibus, qui eam merentur, omniaque ad eam consequendam ac promerendam necessaria auxilia, et favores dare, reque ipsa omnibus det, qui ex hac vita in ipsius gratia, et cum æternæ vitæ merito, discedunt. Ex hac fidei certitudine, quæ est in intellectu potentia (in qua proprie certitudo sita est) proficiscitur alia quædam certitudo spei in voluntate, quæ certitudo dicitur, quia cum intellectus certitudine habet similitudinem, deque ea participat. Et consistit hæc certitudo in eo, quod motus, conatusque voluntatis ad beatitudinis finem adspirantis, certus est, neque fallitur eumque certo consequitur, neque in illos consecutione deficit. *Ibid.*

Dependet autem hæc certitudo ex multis causis. Prima, primariaque est Dei bonitas, et liberalitas, qui hominem ad beatitudinem ordinavit, eique omnia ad illius consecutionem necessaria media tribuit. Altera est fides, qua verbo Dei, qui hanc revelavit veritatem, credimus. Tertio, dependet eadem certitudo ab ipso habitu, ac virtute spei, quæ Dei liberalitati innitens, voluntatem cum certitudine inclinat, eamque ad consequendum hunc finem immediate movet. Et hæc certitudo, ex habitu ac virtute spei oriunda, propria spei certitudo est, a fidei certitudine distincta. Et quoniam in hominibus, usum rationis habentibus, ad consequendum beatitudinis finem propria merita requiruntur, dependet hæc certitudo etiam a charitate, omnibusque cæteris virtutibus, cum omnes voluntatem ad hunc beatitudinis finem, ad quem ordinantur, inclinent, omnesque bonorum operum, quibus hunc finem meremur, causa sint, quo pacto hanc spei certitudinem augent. Hinc sequitur, tametsi in fidei certitudine defectus, dubiumve esse nequit (cum innitatur soli primæ, summæque veritati, quæ nec deficere, nec falli potest. Unde si quis voluntarie de iis, quæ docet fides, dubitaret, fidem amitteret, ut supra ostendimus) tamen in certitudine spei defectum esse posset; cum innitatur non solum liberalitati, ac promissioni Dei, qui deficere, et falli non potest, sed etiam hominis bonæ vitæ, ac meritis, in quibus, quia homo ad bonum et malum est liber, defectus et deceptio esse potest. *Ibid.*

Divisio. — Dividi potest in spem minus perfectam seu robustam, et perfectissimam seu firmissimam. Prior commune nomen spei retinet : posterior fiducia appellatur, cujus distinctionem ab altera spe clare indicavit Seneca, dum ait : De te spem habeo, sed nondum fiduciam. Drex. *in* l. V, c. viii, n. 1, *Ep.* xvi.

Actus. — Cum necessitas aliqua occurrit, statim ad Deum recurrere, ab eoque opem petere, exemplo S. Davidis, oportet : Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi : auxilium meum a Domino. *Ps.* cxx, 1.

Non abjicere animum, quando difficultas aliqua, aut necessitas grandis occurrit, sed potius ejusdem Davidis monitum sequi, dicentis : Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. *Ps.* xxvi, 14.

In adversitatibus tacere, et ab omni murmure abstinere; intus vero in pectore ad Dominum suspirare, exemplo Suzannæ, quæ falso accusata flevit, et suspexit in cœlum; erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino. Dan. xiii, 33.

Gratias agere, quod dignos nos judicet, ut certe si nocentes sumus, patientia innocentiam reparemus. Drex. *l. c.* § 3.

Divinæ voluntati se conformare, eidemque voluntati suæ velut arctissimo brachio adhærere, juxta Davidis exemplum : Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. *Ps.* lxxii, 28.

Sanctorum auxilia implorare, ut, quod meritis nostris non valemus, eorum patrocinio assequamur. Jac. Alv. *de virt. a dept.* c. iv.

Ubi omnia media tentata, et adhibita sunt, nec tamen, quod petebamus, impetravimus, tranquillitatem mentis retinere, et hanc ipsam esse suavissimam Dei providentiam ac ordinationem credere, sibique illud Baruch Prophetæ occinere : Beati sumus Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. Baruch, c. iv, 4, *Cap.* iii, *Par.*

Propriis meritis divinam gratiam, et auxilium promereri studere; nam, ut recte B. Albertus Magnus advertit, spes sine meritis non est spes, sed præsumptio dicenda; licet, cum nesciamus an merita nostra Deo placeant, et omnes justitiæ nostræ velut pannus menstruatæ reputentur, nemo in suis meritis, sed solum in superabundantia bonitatis divinæ confidere debeat.

Gradus. — Primus est, firmum concipere propositum sperandi omnia, quæ sub spem cadere possunt, qualia sunt tum ipsa beatitudo æterna, tum Dei gratia, supernaturalia auxilia, et merita. Rosignol. l. III, c. v, *de disc. Christ. perf.*

Secundus est, usque adeo firmiter inhærere huic spei, ut quemadmodum D. Bernardus loquitur, nulla me penuria meritorum, nulla consideratio propriæ vilitatis, nulla æstimatio cœlestis beatitudinis, ab altitudine spei dejicere posset in ea firmiter radicatum. *Serm.* iii *de* vii *panibus.*

Tertius est, cum alacritate ac hilaritate sperare : quem quidem gradum S. Paulus indicavit, dum dixit : Deus autem spei repleat vos omni gaudio in credendo, ut abundetis in spe, et virtute Spiritus sancti. *Rom.* xiii, 13.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Habe fiduciam in Domino ex

toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. *Prov.* III, 5.

Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra. *Ps.* LXI, 9.

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? *Ps.* XXVI, 4.

Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet. *Ps.* XXXVI, 5.

Spes, quæ videtur non est spes; nam quod videt quis, quid sperat? *Rom.* VIII, 24.

Propter nos scriptum fuit: quoniam debet in spe, qui arat, arare: et qui triturat, in spe fructus percipiendi. I. *Cor.* IX, 10.

Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. *Sap.* III, 4.

NECESSITAS. — Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. *Ps.* CXLV, 3.

Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit, cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis, et inhabitabili. JER. XVII, 5.

ÆQUITAS. — Confidite, quia vici mundum. Jo. XVI, 33.

Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, non quod simus sufficientes cogitare aliquid de nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui idoneos nos fecit ministros novi Testamenti. II. *Cor.* III, 4.

Respicite, filii, nationes hominum, et scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est; quis invocavit eum, et despexit illum? *Eccl.* II, 11.

Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, et Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis? LUC. XII, 24.

Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent; dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur, sicut unum ex istis. Si autem fœnum, quod hodie est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos pusilliæ fidei? *Ibid.*

Bonus est Dominus sperantibus in illum, animæ quærenti illum. THREN. III, 25.

Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech, Pontifex factus in æternum. *Hebr.* VI, 18.

Sperantem in Domino misericordia circumdabit. *Ps.* XXXI, 10.

Mihi adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino spem meam. *Ps.* LXXII, 28.

In silentio, et spe erit fortitudo vestram. Beati omnes, qui expectant Dominum. ISA. XXX, 15.

Nolite amittere confidentiam vestra, quæ magnam habet remunerationem. *Hebr.* X, 35.

Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se. NAHUM, I, 7.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion. non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem. *Ps.* CXXIV, 1.

Oculi Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. II. *Paral.* XVI, 9.

Et hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. I. Jo. V, 14.

JUCUNDITAS. — Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectationem veniet vobis misericordia. *Eccl.* II, 9.

Lætentur omnes, qui sperant in te: in æternum exultabunt, et habitabis in eis. *Ps.* V, 12.

DIGNITAS. — Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis, qui sperant super misericordia ejus. *Ps.* CXLVI, 11.

Gemma gratissima, expectatio prestolantis: quocumque se vertit, prudenter intelligit. PROV. XVII, 8.

Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. JER. XVII, 8.

EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — De spe incassum præsumit, qui timere Deum in suis operibus renuit. S. GREG. *lib. mor.*

Tu es, Domine, spes mea. Quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es, Domine, spes mea. Hæc unica mihi promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis.

Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei et æstus, jejunare bis in Sabbato se dicat, postremo non esse sicut cæteros hominum, glorietur; mihi autem adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam. S. BERNARD. s. IX, *in Ps. qui habitat.*

Nemo desperet. Judam traditorem non tam scelus, quod commisit, quam indulgentiæ desperatio, fecit penitus interire. S. AUG. *in lib. de util. pan.*

Tanto spes in Deo solidior surgit, quanto pro illo graviora quisque pertulerit; quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic pia tribulatione seminatur. S. GREG. *in mor.*

In promissis Veritatis nemo dubitet. Sit homo, qui esse debet, et mox ei addentur omnia, propter quem facta sunt omnia. S. HIERO.

O fidelis, noli corrumpere spem, noli amittere charitatem. Quid expavescis, quia pereunt regna terrena? Ideo tibi cœleste promissum est, ne cum terrenis perires. Veniet ille, de quo dictum est : Et regni ejus non erit finis. S. AUG. s. XXIX, *de verb. Domini.*

Laborans messor, quod in semine non videt, videbit in messe : et quod in sulco deflet, gaudebit in fructu. Hodie promissionis tempus est; audi, crede, expecta. Crede creditori tuo, qui tibi credidit debitori suo; expecta parumper, ut veniat, qui sustinuit, ut venires : da illi inducias de promisso, qui tibi, quidquid erat debiti, jam donavit. Quare tu fatigaris spe Dei, cum genus omne hominum subsistat spe, fide vivat? S. CHRYS. s. XL.

Dubitas, quod dabit tibi bona sua, qui non dedignatus est suscipere mala tua? S. AUG. *de verb. Domini.*

Spes nostra tam certa est, quasi res jam perfecta sit. Neque enim timemus promittente veritate. Veritas enim nec falli potest, nec fallere. *Idem in Ps.* CXXXIII.

Nemo diffidat, nec veterum conscius peccatorum desperet præmia divina. Novit Deus mutare sententiam, si tu noveris mutare delictum. S. AMBR. *in Luc.*

Si impius es, cogita publicanum : si immundus es, attende meretricem : si homicida es, prospice latronem : si iniquus es, cogita blasphemum, considera Paulum prius persecutorem, postea annunciatorem. S. CHRYS. *ho.* II, *in. Ps.* L.

Gaudium nostrum nondum est in re, sed in spe. Cum credimus, spes est in isto sæculo : cum videbimus, res erit in futuro sæculo. Capitis præcessio, spes membrorum est. S. AUG. *in Ps.* XXIII.

Mihi magis videtur fidei filius, qui novit a quo speret, quam qui sibi tribuit, quod habet. S. AUG. *de Spir. et lit.*

Sibi ipsi fidere, non fidei, sed perfidiæ est : nec confidentiæ, sed diffidentiæ magis, in semetipso habere fiduciam. Is vere fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tamquam vas perditum, sed sic perdens animam suam, ut in vitam æternam inveniat eam. S. BERN. s. V, *in vigil. Nat. Christi.*

De divina misericordia amplius sperandum est, cum humana præsidia deficiunt. AMB. *instexam.*

Bene sperant solum, qui bonam conscientiam habent. AUG. *super Ps.* LXXXI.

Frustra sperat, qui Deum non timet. GREG. XVII, *mor.*

Tu es patientia mea, si tribulatio infertur per te sperabo; tu es spes mea, si præmia promittantur, per te obtinebo; si insurgat hostis, non nisi in te sperabo. BER. serm. X, *in Ps.* XLI.

NECESSITAS. — Tolle spem, torpet humanitas tota. Tolle spem, artes, virtutesque universæ cessabunt. Tolle spem, et interempta sunt omnia. Quid facit apud litteratorem puer si litterarum non sperat fructus? quid ratem profundo gurgiti nauta committit, si ei numquam lucrum, numquam portus desideratus occurrit? Quid miles, non dicam horridæ hyemis, aut torridæ æstatis injurias, sed seipsum contemnit, si gloriæ spem futuræ non gerit? quid agricola semina spargit, si sudoris sui præmium non colligit messium? quid Christianus credit in Christum, si promissum sibi ab eo perpetuæ felicitatis tempus non sperat esse venturum. B. ZENO s. *de fid. spe. et car.*

Viator, quando laborat ambulando, ideo laborem tolerat, quia sperat. Tolle illi spem perveniendi, continuo franguntur vires ambulandi. S. AUG. s. XVII *de vero Apost.*

ÆQUITAS. — Quod si parva animalia absque Deo auctore non decedunt, et in omnibus est Providentia; et, quæ in his peritura sunt, sine voluntate Dei non pereunt, vos, qui æterni estis, non debetis timere, quod absque Dei vivatis providentia. S. HIERON. *apud S. Thom. in Cat. in c.* X, *Matth.*

Tua malitia mensuram habet, Dei vero pietas et clementia mensuram non habet. Tua malitia, qualiscumque fuerit, humana est, Dei clementia, et pietas est incircumscripta : ipsa igitur tuam malitiam superat. Cogita scintillam, si mare ceciderit, num poterit stare, aut apparere? Quantum instar habet scintilla ad mare, tantum ad Dei clementiam, pietatemque malitia hominis, imo vero non tantum; nam et pelagus, tametsi magnum sit, mensuram recipit, Dei vero clementia, et pietas mensuram non habet. S. Chrys. *ord.* III, *de pœn.* X, 5.

Tria considero, in quibus tota spes mea consistit, charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. S. Ber. § III, *in Ps. qui habit.*

O homo, securum habes accessum ad Deum, uti mater ante filium, filius ante patrem. Mater ostendit filio pectus, et ubera : filius ostendit patri latus, et vulnera. Ibi non potest esse ulla repulsa, ubi tot sunt charitatis insignia. S. Bern. *S. Arnolv. Carnot. tr. de laud, Virg.*

Si quid illi impossibile, vel difficile, quære alium in quo speres : sed verbo omnia potest, quid facilius dictu? an vero de facilitate jam non dubitas, sed tibi suspecta est voluntas, quando in se speranti desit illa Majestas, quæ tam studiose monet in se sperari? plane non derelinquit sperantes in se. Adjuvabit eos, et eruet eos peccatoribus. Quare? Quibus meritis? quia speraverunt in eo. Dulcis causa, attamen efficax, et irrefragabilis. Quis speravit in eo, et confusus est? S. Bern. s. IX, *in Ps, qui habitat.*

Tu Christiano, tu Dei servo, tu bonis operibus dedito, tu Domino suo caro aliquid existimas defuturum? an putas, qui Christum pascit, a Christo ipso non pascitur? an putas terrena deerunt, quibus cœlestia, et divina tribuuntur? unde hæc incredula cogitatio? quid faciat in domo Dei perfidum pectus?

Ante oculos omnium ponit solutionem debitorum suorum. Quædam reddidit sub majoribus nostris, quæ nos non vidimus; quædam reddit temporibus nostris, quæ illi non viderunt : per omnes generationes reddidit, quæ scripta sunt. Numquid propter pauca, quæ restant, infidelis est factus? absit; quia fidelis est Deus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. S. Aug. *in Ps.* CXV.

Utilitas. — Omne opus leve fieri solet, cum ejus pretium cogitatur; et spes præmii solatium fit laboris. S. Hier. *in Epist.*

Dicit fides, parata sunt magna, inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis. Dicit spes, mihi illa servantur : nam tertia quidem charitas, curro ego, ait, ad illa. S. Bern. §. IX, *in Ps. qui habitat.*

Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. Super quem locum S. Cyprianus ait : Pes vester utique spes vestra est, et quantumcumque illa processerit, obtinebit. *Deut.* XI, 24.

Tantum per nos operabitur Deus, quantum se nostra in eum fiducia extenderit. S. Bern. *l. cit.*

Spes ad æternitatem animum erigit; et ideo nulla mala, quæ exterius tolerat, sentit. S. Greg. *l.* VI, *mor.*

Quantum nos addiderimus ad studium, tantum ille opponet ad adjutorium; quantum nos apposuerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gloriam. *Cæsar.* t. III, *ad Monach.*

Nostrum tantum sitiat pectus, et pateat : quantum fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. D. Cypr. *epist.* II.

Ibi plus est auxilii, ubi plus est periculi; quia Deus est adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. S. Ambr. *l. de Joseph*, c. V.

Æterna promisit æternus; si credidero, ex mortali fiam æternus. S. Aug. s. XXIX, c. VI, *de verb. Dom.*

Tanto animus a laboribus afflictione subtrahitur, quanto per spem ad summa sustollitur. S. Greg. *in mor.*

Ille bene novit in exterioribus miseriis subsistere, qui scit de spe interna semper gaudere. *Idem super Ezech.*

Jucunditas. — Modo nos ipsi labores jucundant, et lætos faciunt de spe. Si ergo labor noster potuit manducari, et jucundare, manducatus fructus ipsius laboris qualis erit. S. Aug. s. CXVII.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas. — Non stes super te ipsum, sed in Deo spem tuam constitue. Fac quod in te est, et Deus aderit bonæ voluntati tuæ. L. I. c. VII, § 1.

Pone totam fiduciam tuam in Deo, et sit ipse timor tuus, et amor tuus. L. II, c. I, § 3.

Domine, quæ est fiducia mea, quam in hac vita habeo? aut quod majus solatium ex omnibus apparentibus sub cœlo? Nonne tu, Domine Deus meus, cujus misericordiæ non est numerus? ubi mihi bene fuit sine te? aut quando male esse potuit, præsente te? L. III, c. XXXIX, § 1.

Necessitas. — In te ergo, Domine Deus, pono totam spem meam, et refugium : in te omnem tribulationem et angustiam meam constituo, quia totum infirmum et instabile invenio, quidquid extra te conspicio. Non enim proderunt multi amici, neque fortes auxiliarii adjuvare poterunt, nec prudentes consiliarii responsum utile dare, neque libri doctorum consolari, nec aliqua pretiosa substantia liberare, nec locus aliquis secretus, et amenus contutari, si tu ipse non assistas, juves, confortes, consoleris, instruas, et custodias. L. IV, c. XXXIX, § 3.

Fili, ego Dominus confortans in die tribulationis. Venias ad me, cum tibi non fuerit bene. Hoc est, quod maxime impedit consolationem cœlestem, quia tardius te convertis ad orationem; ideoque fit, ut parum omnia prosint, donec advertas quia ego sum, qui eruo sperantes in me : nec extra me valens auxilium, nec utile consilium, sed neque durabile remedium. L. III, c. XXX, § 1.

Da mihi auxilium, Domine, de tribulatione, quia vana salus hominis. Quam sæpe ibi non inveni fidem, ubi habere putavi? Quoties etiam ibi reperi, ubi minus præsumpsi? Vana ergo spes in hominibus salus autem justorum in te Deus. L. III, c. XLV, § 1.

Utilitas. — Qui in te confidit, ac simplici ex corde quærit, non tam facile labitur. Et si inciderit in aliquam tribulationem, quocumque modo fuerit etiam implicatus, citius per te eruetur, aut a te consolabitur, quia tu non deseris sperantes in te usque in finem. Rarus fidus amicus, in cunctis amici perseverans pressuris. Tu Domine, tu solus es fidelissimus in omnibus, et præter te non est alter talis. *Ibid.* § 2.

Promissio mea neminem fallit, nec confidentem in me dimittit inanem. Quod promisi, dabo : quod dixi, implebo, si tamen usque in finem fidelis in delectatione mea quis permanserit. L. III, c. III, § 3.

Qui in me confidit, nec proprio judicio stare appetit, absque humano terrore erit. L. III, c XLVI, § 3.

Jucunditas. — Finis omnium bonorum, et altitudo vitæ, et profunditas eloquiorum tu es, et in te super omnia sperare, fortissimum solatium servorum tuorum. L. III, c. LIX, § 3.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas.— B. Virgo spem suam in tribus præcipue casibus, præclare ostendit. 1. Quando S. Joseph eam dimittere volebat, ipsa vero mysterium neutiquam aperiens, spem suam in Deo collocavit. 2. Quando ministris in nuptiis Canæ Galileæ dixit : Quodcumque dixerit vobis, servate, et facite : licet paulo ante audiverit : Quid mihi, et tibi mulier? 3. Quando post mortem Christi non perinde ut mulieres aliæ ad sepulcrum cucurrit, sed certo sperans Christum resurrecturum, totum illud triduum in oratione, et expectatione Christi apparentis consumpsit. Matth. I.

Abraham contra spem in spem credidit, qui in repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia, quæcumque promisit, potens est facere. *Rom.* IV, 18.

Jonathas aggressurus Philisthæos, dixit armigero suo : Non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis. I. *Reg.* 6.

David cum Goliath pugnaturus dixit; Tu venis ad me cum gladio, hasta, et clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie ; et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te. I. *Reg.* XVII, 37.

Josophat Rex stans in domo Domini, in medio cœtu Judæ et Jerusalem, inter alia sic suam in Deum fiduciam contestatus est : in nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus multitudini huic resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Postea ad suos conversus dixit : Audite me viri Juda, et omnes habitatores Jerusalem : credite in Domino Deo vestro, et securi eritis : credite prophetis ejus, et cuncta evenient prospera. I. *Paral.* II, 12.

S. Job afflictus corpore, orbatus liberis, derisus ab amicis, spoliatus omnibus opibus, dicebat tamen. Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. JOB. XIII, 15.

Tobias cognatis et uxore eum irridentibus, et dicentibus : Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas, et sepulturas faciebas, increpans eos dicebat : Nolite ita loqui, quoniam filii Sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam numquam mutant ab eo. TOB. II, 16.

Juditha ante lectum Holofernis consistens, cum lacrymis dixit : Confirma me, Domine Deus, ut hoc, quod credens per te fieri posse cogitavi, perficiam. Deinde Bethuliæ portis recepta, in primas has voces erupit : Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se. JUDITH. XVII, 7.

Tertius filius matris Machabæorum linguam postulatus, cito protulit, et manus constanter extendit, et cum fiducia dixit : E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. II. MACH. VII, 10.

S. Paulus, quantam de divino auxilio fiduciam conceperit, clare Corinthiis explicavit, dum scripsit : Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. Sed ipsi in nobis metipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit, in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet, adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis. (II. *Cor.* I, VIII.) Sed et alibi scripsit : Scio, cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem. II. *Tim.* I, 12.

S. Bernardus cum gravi morbo afflictus jam pene extremum spiritum traheret, visus sibi est ante tribunal Dei stare. Ubi cum gravibus, et improbis accusationibus a dæmone accusatus fuisset, respondit : Fateor, nec mihi, nec meis actionibus deberi cœlum : tanto præmio indignissimus sum. At vero dupliciter in te Dominus meus id obtinuit, et Patris hæreditate, et crucis perpessione, altero ipse contentus, alterum mihi donat. Ab hoc dono, me quoque illius hæredem fore confido. SURIUS XX, *Aug. in Vita.*

S. Franciscus suis in viaticum dare consuevit illum Psalmistæ versiculum : Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. Romano autem Pontifici de alimentis sciscitanti dixit : Matrem quidem habemus pauperem, sed Patrem ditissimum. PS. LIV, 23. *Vita.*

Thomas Morus ad filiæ Margaritæ objectiones respondens, inter alia sic locutus est : De Dei bonitate diffidere nolo, utcumque me fragilem sentiam. Imo si ex terrore me jam labi, aut omnino cum Petro lapsum, Christumque negasse viderem, spero nihilominus fore, ut oculo misericordi me respiciat et erigat, ut de novo veritatem confitear. STAPLETON. *de tribus Tomis f.* 297.

Cum Fridericus II. dux Saxoniæ bellum cum Friderico antistite Madeburgico gesturus, exploratores misisset, qui de apparatu bellico, et confisu adversæ partis cognoscerent, istique retulissent nil opportunum bello parari, antistitemque dixisse, se causam suam Deo commissurum, qui pro servo suo arma sumeret, alius, inquit insaniat, et bellum inferat ei, qui confidit causa superiorem se futurum, Deo defensore. HELIOTR. l. V, c. IV. § 4.

S. Martinus animæ suæ puritate, et, quod ei Deus infuderat divinæ sapientiæ lumine, pietatem, clementiamque Christi erga peccatores adeo bene cognoscebat, tantamque ac tam certam spem habebat, cum omnibus quantumvis peccatoribus, quos ex corde pœniteret, veniam daturum, ipsosque in suam gratiam recepturum, ut hanc Christi pietatem imitatus, et hac spe nixus, quosvis peccatores ad se pro remedio confugientes, etiamsi in errores fidei, et in sacrilegia contra religionem lapsi essent, ad sacramenta, et unionem Ecclesiæ admitteret, si præmisso diligenti examine, veros esse pœnitentes judicasset; quin etiam horum quosdam, quos in virtute profecisse cernebat, in Monasterium suum pro Religiosis susciperet. Quod cum diabolus ægerrime ferebat, apparens ei in forma visibili, cœpit ipsum reprehendere, deque tanta pietate objurgare. Respondit illi Sanctus, per pœnitentiam purgari omnia peccata, hocque misericordiam Dei postulare, ut quicumque pœnitentes venirent, absolverentur. Ad quod excepit dæmon, illis, qui contra fidem, et contra baptismum peccassent, remedium omnino non esse. Hic Sanctus cum ingenti fervore, inque divinam misericordiam fiducia exclamans : Si te miserum, inquit ex corde tuorum peccatorum pœniteret, tanta Christi misericordia est, ut ego ex parte ejus veniam illorum tibi promitterem : significans per hanc exagerationem, quam ineffabilis, quamque certa sit Dei erga omnes peccatores pœnitentes misericordia, et quam ipse de ea sit securus. Neque hanc sententiam Sanctus sine bono fundamento dixit. Tametsi enim diabolus nequeat pœnitentiam agere, neque hoc pro eo sit, utpote obstinato, tamen si eum pœniteret, quia talem pœnitentiam sine altissimo ac supernaturali Dei favore habere non posset, signum clarum foret, eum qui illi talem favorem ad pœnitendum pœnitentiamque agendam daret, etiam peccatorum suorum veniam daturum. Et hæc erat fiducia, quam Sancti habebant in Dei misericordia circa pœnitentium peccatorum veniam, ac salutem. Sulpitius *in Vita*.

S. Nicolaus vehementer onus sui episcopatus timuit, et quoad potuit, fugit, persuasum habens, se tanto muneri prorsus esse imparem; at ubi id suis humeris a Deo impositum vidit, magnopere, certissimoque in bonitate illius ac misericordia confidit, ipsum sibi tantum favoris impertiturum, ut abunde iis omnibus, ad quæ ex officio, et ex lege charitatis teneretur, satis posset facere; et quod a Deo speravit, liberaliter obtinuit ad exequendum non modo, quod debebat, sed multo etiam plus, quam debebat. Leon. *Justin. in ejus Vita.*

S. Hugo Episcopus in omnibus rebus, quæ illi in hac vita, quantumvis graves, et asperæ accidebant, aut accidere poterant, securissimus, cum ingenti, quam in Deum habebat, spe, id sibi in omnibus eventurum, quod magis e re animæ suæ foret, dum ipse in Dei obsequio perseverasset. Idque sic esse reipsa comperit, ut quanto ipse diligentius res divinas, et quæ ad Dei cultum spectabant, procurabat, tanto ipsi facilius idem Deus de omnibus rebus necessariis provideret. Et cum hac magna in Deum fiducia, quando se teneri, ut magis e re divini honoris esse, censebat, non dubitabat, regem, ac magnates peccatorum, quæ committebant, arguere, quamvis ipsi minitarentur, adeoque strictos gladios capiti ejus intentarent, quia de divina bonitate certus erat, se, quoad suæ spirituali saluti expediret, ab omni periculo liberatum iri. Quantumvis etiam gravia, periculosa, perplexaque negotia sese illi offerrent, cum hac ingenti in Deum fiducia nihil turbabatur, nec de sua pace et quiete quicquam perdebat, nec de necessario ad vitam conservandam sommo remittebat; faciens enim, quantum in se erat, Deum in omni re manum suam admoturum, bonumque in omnibus exitum daturum, et quod magis in bonum animæ suæ, divinamque gloriam cederet eventurum. Surius *in Nov.*

B. Fr. Ægidius e B. Dominici familia, postquam de suis magnis peccatis pœnitentiam egisset, multaque cum patientia tentationes, et hominum dæmonumque persecutiones gravissimas pertulisset, his probationibus in virtute spei de salute sua usque eo crevit, illamque tantam, et tam certam assecutus est, ut adhuc mortalis magnam cum securitate pacem, et quem sperabat, æternæ vitæ gustum sentiret. Vixitque cum ingenti lætitia, et extraordinaria consolatione, certæ hujus spei filia, donec in cœlum abiit. Castillo *in hist. S. Domin.* p. 1. l. II. c. XXVI.

S. Catharina Bononiensis, cum prius ingentibus tentationibus exercita, probataque fuisset, ad tantam humilitatem pervenit, ut, quamvis clarissimum sanctitatis speculum inter sui Monasterii religiosas fœminas esset, semet pro maxima peccatrice, omniumque vilissima, et quæ inter ipsas versaretur indignisima duceret. Et cum hac humilitate spem salutis tam certam habebat, ut omni careret tristitia, jamque sibi ob eam, quam habebat, certitudinem, cœlestis aulæ civis esse videretur, neque hoc de se quicquam præsumendo, sed totum a bonitate, et auxilio Dei, in quem suam spem collocabat, sperando. *Ibid.*

Admiratione fuit constantissima Cæsaris Ferdinandi II. spes, qui rebellantium populorum, ac totius pene Septentrionis conjuratione petitus, regnis, aut raptis, aut laceratis, vultu nihilominus clades illas audiret renidenti, illud patria lingua identidem usurpans : Deus ex hac aqua me eruet. Nec illum spes confundit, quippe firmissima veluti anchora solido divinæ bonitatis fundo comprehenso, victor hostium, frementes nequicquam fluctus cum maxime humano judicio desperata salus esset, ponere vidit, immanesque conjuratorem regum conatus ad nihilum recidisse, ac ne regnorum horum minutiis spes magna tantum occuparetur, supremæ admonitus necessitatis, professus, se quamquam peccatis obnoxium, nihil tamen eorum, quæ meliora putasset, omisisse, erectissimo ad beatitudinem animo se comparavit. Ille demum justissime sperat, qui nihil unquam pro Deo timuit. Jo. *Rho.* l. II, c. III, *exempl.* I.

Joannes Avila paupertatem professus, ut expeditior Evangelio prædicando esset, sibi nihil persuaserat defuturum; quumque plurimos annos eodem vitæ instituto transegisset, aiebat, sibi optimum semper fundum fuisse illam Christi Domini pollicitationem : *Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis;* neque mensam hanc unquam fefellisse. Qua porro spe ad suprema illa bona beatamque vitam grassaretur, vel ipso mortis confinio præclare docuit, dum astantem sibi sacerdotem eodem ritu facere jussit, quo de resurrectione fieri consuevit; tanta enim erat animi, ac spei sublimitate, ut semimortuus resurrectionis felicitatem cogitatione præciperet. Quid enim temporis quamquam longissimi moras æstimet, qui vela pandit æternitati? *Ibid. ex.* 2.

S. Gertrudis, quæcumque a Deo receperat bona soli confidentiæ tribuit, æstimans illa eo magis gratuita, quanto vere gratis, atque citra ullum meritum hoc nobile confidentiæ donum a Deo gratiarum omnium largitore recepisset. Hac confidentia adeo confortabatur, ut mori sæpenumero desideraret, divinæ tamen semper unita voluntati, cui se adeo conformabat, ut tam vivere, quam mori perinde illi esset. Per mortem namque sperabat æternam obtinere beatitudinem, vivendo vero divinæ laudis incrementum. Contigit aliquando per viam ambulanti, ut in ascensum collium ad decliviora iterum caderet, propter quod multo hilarior facta in spiritu Domino loquebatur. Amabilissime Jesu, quam bene mihi contigisset, si casus ille mihi ad te celerius perveniendi dedisset occasionem! Hæc verba dum inter nos admiraremur, percontantes, formidaretne sacramentis non munita moreretur? respondit : Toto corde sacramentis salutiferis opto ante muniri, quam moriar, iis tamen confidenter præfero providentiam, et Domini Dei voluntatem. Hanc saluberrimam non ambigo esse ad mortem præparationem : propterea morte aut subita, aut divina, utrum illi placuerit, ad eum optatius est mihi venire. Spero enim, qualicumque morte hac luce defuncta fuero, Dei misericordiam numquam mihi defuturam, sine qua æque mihi certa incubat damnatio, tam in ea morte, quæ improvisa irruit, quam in illa, quæ longe ante prævisa est. Hoc modo in omnibus, quæ sibi evenerunt, exultabat, quia securam semper ad Deum habuit confidentiam, alacremque et fortem animum, qui numquam deficiens perpetuo florebat.

Hierichuntinus ille cæcus cum spe recuperandi visus imploraret Christi auxilium, et circumstantes eum ob rem illam velut importunum increparent, ipse, inquit Sanctus Lucas, multo magis clamabat : Fili David, miserere mei. Et quod speravit, impetravit. Luc. viii.

Cum quidam anxius inter metum, et spem frequenter fluctuaret, et quadam vice mœrore confectus, in Ecclesia, ante quoddam altare se in oratione prostravisset, hæc inter se revolvit dicens : o si scirem, quod adhuc perseveraturus essem, statimque audivit intus divinum responsum : Quod, si hoc scires, quid facere velles? Fac nunc quod tunc facere velles, et bene securus eris : moxque consolatus, et confortatus divinæ se commisit voluntati, et cessavit anxia fluctuatio, noluitque curiose investigare, ut sciret, quæ sibi essent futura; sed magis studuit inquirere quæ esset voluntas Dei bene placens, et perfecta, ad omne opus bonum inchoandum, et perficiendum. Thom. a Kemp. l. I. *de imitat. Christi* c. xxv.

Theosterictus in funebri de B. Niceta oratione de Athanasio quodam insigni cœnobita beati Nicetæ necessario narrabat : Is extrema obitus sui hora rogatus a fratribus, ut pro eis post obitum ante Deum intercederet, respondit : Quam fidem apud Deum invenero me defuncto, vos ipsi noveritis. Sepultus igitur et terra obrutus est, ac ne ejus sancti viri monumentum deinceps obscurum esset, sed manifestum omnibus fieret, omnium rerum Dominus Deus fecit, ut supra monumentum, ex honorato sancti viri pectore arbor cupressus nasceretur in sanctitatis testimonium. Quam ob rem multi fide ipsa impulsi illuc euntes arborem illam amplexantur, et frondes ex ea decerpentes ad sanitatem asservandam adhibere solent. *Apud Metaphr.* 3. *Avril. et Limp. te.* 3.

Utilitas.— De primis Christianis testatur S. Paulus, quod rapinam bonorum suorum cum gaudio susceperint, cognoscentes se habere meliorem, et manentem substantiam. Hebr. x, 34.

Mater Machabæorum supra modum mirabilis, pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem, quam in Deo habebat. Sed et ad filium natu minimum inclinata dixit : Peto, nate, ut aspicias ad cœlum, ita fiet, ut non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps suscipe mortem, ut in illa miseratione te cum fratribus recipiam. II. Mach. vii, 20.

Wenceslaus Bohemiæ Rex cum toto exercitu profligato, et viribus fractis captivus teneretur, rogatus, quo animo esset? numquam meliori, respondit, cum enim omnibus humanis præsidiis vallatus essem, vix de Deo cogitandi spatium dabatur; nunc illis omnibus exutus, Deum solum cogito, et in illo omnem spem meam colloco; qui, sat scio, non me deseret, sed invocantem exaudiet. Æneas Syluini *in hist. Bohemica.*

Quidam juvenis Monachus quærebat ex Seniore, an non liceret sibi partem pecuniæ in futuros usus reservare? cui senior respondit : Hoc si feceris, scito, Deum nullam tui curam habiturum, ut qui tibi ipsi providere studueris. Quo audito. Monachus statim pecuniam a se projecit, ut spem suam firmius in Deo collocare posset. *In vitis P. F.*

Moyses Abbas antea latro erat multorum spoliis cædibusque infamis, sed compunctus ad mentem rediit, misericordiam Domini orando, et pœnitendo quæsivit, et sperando assecutus est; et qui aliquando de latronum numero fuerat, in Sanctorum censum redigi meruit. Pallad. *in Laus striber.* c. xxv.

EXEMPLA DOMESTICA.

Qualitas. — S. Ignatius, licet viribus fractus, multum indigeret aliorum Patrum opera in administranda Societate, ubi tamen e divina gloria censebat, omnes fere hujus modi Patres a se dimittebat, solusque omnem molem sustinebat. (Rib. l. I. c. ii.) Paulo quarto Pontifice facto, metuebatur, eum parum Societati fauturum. Verum S. Ignatius, cum in Sacellum se recepisset, totamque rem Deo commendasset, mox placido valtu, et animo per quam sedato egressus, sperare se dixit fore, ut, qui metuebatur infensus, eum Societas experiretur propitium, nec divina desiderare præsidia, si destitueretur humanis. Spem eventus confirmavit. (Hist. Soc. l. XV, n. 4.) Cum quemdam principem ipse videret subinfensum esse, quod alios, se præterito, ad defensionem adhiberemus, conversus ad Ribadeneiram Ignatius : Dicam, inquit, illi, et aperte dicam, me ante triginta annos didicisse, ut in iis efficiendis, quæ Dei sunt, omnia auxilia conquiram, sed ita, ut non in externis adjumentis spem meam, sed in ipso Deo bonorum omnium effectore, constitutam putem. Quod si inter hæc subsidia, et efficiendi instrumenta se unum vult esse, libenter eo utemur, sed ita demum, ut intelligat, nos ab uno Deo pendere, et non hominibus niti. (Rib. l. c.) Solemnis S. Patris vox erat, Societatis hominibus enitendum esse, ut se ipsi vincerent, timoresque omnes abjicerent, qui Dei fiduciam minuerent, impedirentque, quominus spem omnem in uno Deo reponerent. Hist. Soc. c. i. l. IX, n. 172.

S. Franciscus Xaverius ingentem spem erga Deum ostendit in itinere ad Mauricenses; nam et amicorum preces, et lacrymas pericula demonstrantium sola spe in Deum repulit; et, cum navem negarent, respondit, se Deo incubantem transportaturum ad Mauricenses; cum vero remedia contra venena offerrent, rejecit dicens : Ne se tanta erga Deum diffidentia onerarent. (*Vita* l, III, c. ii.) Idem de periculo naufragii scribens, ita loquitur : Noluit Deus nos perdere, sed periculis erudire, ut usu docti intelligeremus, quam infirmæ sint opes nostræ, quoties aut nostris viribus, aut præsidiis nitimur humanis; nam ubi senseris, quam fallaces sint spes tuæ, et humanis opibus omnino diffisus, in solo Deo, qui unus pericula ipsius causa suscepta facile propulsare potest, spem omnem posueris, tum vero placide experieris, Dei imperio ac nutu omnia gubernari, et quantumvis vitæ discrimen præ cœlestibus gaudiis, quæ in tali re ac tempore divinitus impertiri solent, esse contemnendum. (Leo. *ap.* ii.) Ubicumque divinus honor agebatur, nulli cedebat difficultati, periculove; ita nihil moliebatur, quod non efficeret; nihil inchoabat, quod non absolveret. *Vita.* l. IV, c. ix.

P. Ludovicus de Ponte visus est non aliter in Deo confidere, quam soleat filius aliquis tenere dilectus a patre. Quare de nullo bono successu umquam timuit, neque malum timuit. Sæpe etiam auditus est dicere, se, iis rebus, quibus alii ad animum abjiciendum impelluntur, cujusmodi sunt humana fragilitas, imbecilitas, atque peccata, animari ad confidentiam, si pariter oculos reflectat in bonitatem et misericordiam divinam Dei, cui se et sua committat : crebro etiam expertum, numquam sic agentem spe sua deludi : et quanto magis diffidat sibi quisque, tanto majori potiri fiducia Dei. Quoties autem incidebat in hoc argumentum, tanta verborum copia, tanta vi sententiarum suadebat hanc fiduciam, ut omnes mirifice ad eam excitarentur : *Vita* l. II. s. VII, § 7.

P. Balthassar Alvarez, cum esset egeni cujusdam collegii rector, habebat ministrum valde sollicitum, qui anxius ad ipsum currebat, significans, quæ deessent, et necesse esset ad statum prospicere. Cui vir sanctus respondebat : Quam anxius venis P. Minister! communicastine id cum Domino Deo nostro? respondebat ille : Adhuc non tempus habeo orandi. Et tunc eum magna tranquillitate dimisit, dicens : Hoc debuit esse primum. Eas ad cubiculum, et ores, et offeras tuam orationem, et postea revertaris huc. Cogitas gregem hunc non habere Dominum? Dominum autem talem habet, cui non tam parvi constitit, ut perire permittat. Eas in pace, et cogita, hoc non a tua industria pendere. Discedebat P. Minister, ut faceret, quod Pater præscribebat, et sæpe, quando revertebatur, inveniebat prospectum jam esse necessitati per media judicio suo prodigiosa, id promerente fidelitate et fiducia Rectoris in Deum. *Vita* c. XXIII, § 1.

P. Joannes de la Haie summam habebat in Deum fiduciam, qua fretus nihil non ardui suscepit alacriter, feliciterque perfecit. Cur autem rebus maxime dubiis tantopere in divina ope confideret, efficiebat, 1. quod domesticos valde obedientes habebat. 2. Egregia vitæ innocentia. 3. Ardentissimum divinæ gloriæ augendæ studium. 4. Jugis cum Numine per assiduas preces velut consuetudo. Unde tam certam prosperorum eventuum fidem ejus animo afflare solere, sit quam probabilissimum. Mirati sunt frequenter Provinciæ Præsides, in eo liberum prorsus ab omni sollicitudine animum, quamdiu administravit numerosissimam familiam duacensem, nullis propemodum certis nitentem vectigalibus, ut angustiarum familiaris rei mentionem nunquam sit auditus intulisse; qua de re et silentio suo interrogatus respondit : Non solere Numinis beneficentiam ipsius ope confidentibus alumnis unquam deesse, qua una cogitatione dicebat, mentem suam plane acquiescere. In Prov. *Belg. Coll. Dualens.* 1630.

Utilitas. — S. Ignatius solebat frequenter dicere : Jactemus cogitatum nostrum in Dominum, et ille nos enutriet. Speremus in Domino, et faciamus bonitatem, et pascemur in divitiis ejus. Mirantibus, quomodo tam difficili tempore nullis certis redditibus tot e nostris aleret, respondit : An nescitis, quantas vires spes in Deum habeat? vel ignoratis, parum illi esse loci, ubi omnia abunde suppetunt? quæ explorata si essent, et manu tenerentur, ubi esset nostra spes? Spes enim quæ videtur, non est spes. In magna licet domus paupertate, nullum ad Societatem idoneum exclusit, sed decem suscepit, sperans in Domino, nec frustra; nam quaternis vicibus miraculose pecuniam accepit. Rib. l. V, c. v.

Primis Patribus 1537, in summa rerum inopia Romam petentibus, Tolentinumque cæcis tenebris ingressis, speque de more quærendi cibum sublata, Simoni Roderico gradienti per cœnum fit obviam quidam obvoluto capite, qui prehensam ejus explicat manum, impositisque silentio nummis, iterum complicat, et abscedit. Simon aperta manu reperit, quantum ad pauperem cœnam esset argenti, et una cum sociis laudat divinam providentiam. *Ibib.* p. 1, l. II, n. 7.

Salamanticæ cum 1553, nihil cibi domi esset, jubet P. Rector mane omnes rem Deo commendare; finita oratione pulsantur, fores, affertur pecunia, qua omnes et corpus cibo, et animum fiducia in Deum paverunt. *Ibid.* l. XII. n. 49.

Hispalis 1554, cum nec panis, nec alius cibus in domo esset, et S. Franciscus Borgia, nihilominus signum ad prandendum dari jussisset, subito puer ad januam pulsavit ab Isabella Galindia cum copioso commeatu missus. Quo audito, S. Borgias ad Patres conversus : Hæ, inquit, sunt scholæ quædam, et documenta divini Magisterii, quibus nos ad ejus spem erudit, ac fiduciam. Intelligamus itaque, nihil illis, qui divinæ ejus gloriæ student, vel ad animi, vel ad corporis commodum defuturum. *Ibid.* l. XIV, n. 84.

Pater Andreas Oviedus Rector Gandiensis admirans laudansque erga Societatem Dei clementiam, in rebus quæ ad eam pertinerent, profitebatur, se singularem opem summæ ejus Majestatis sentire, quam non ita experiretur in aliis. Job. l. VI, n. 71.

Joannes Berchmannus aiebat : Christus, etsi corpus nimis suum debile sciret, tamen crucem humeris suis excepit, dicens : Tu, anima mea, obedientiæ mandata ob pusillanimitatem tuam non suscipies? Christus Simon juvit, juvabit te Christus ipse. *Vitæ* p. IV, pag. 297.

Josephum Scammacam supremo jam se

nio, absolutæque disciplinæ hominem placide, ac quasi per ludum a nobis ad pauciores abeuntem, eaque sæpius usurpantem: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus; et, fulcite me malis, stipate me floribus;* rogavit adstantium quispiam, æternæ hæreditatis capessendæ esset ne illi certa spes? tum ille paululum commotus: Numquid ego Mahometo servivi per tantum ævi, ut nunc de Domini mei bonitate dubitem? utramque spei alam explicavi quarum altera si desit, affligitur humi spes. *Ibid. ex* IV, *ex nostris.*

Utriusque laudis, quæ spei contingere solet, haudquaquam egens Bernardinus Realinus, ita de Dei bonitate securus acquiescebat, ut quam Lupiense collegium regeret, monente non semel Ministro, nihil esse domi, quod sociis cœnaturis apponeretur, subridens ille, hominisque trepidationem blande castigans, consueta nihilominus hora, dato signo, evocari jubebat in cœnationem; nunquam falsus; nam in ipso rei articulo, quod satis esset ad religiosam refectionem, ex insperato submittebatur. Sed beatitatis tam certa illi fiducia, ut se amicis inde ad futuram, liberalitate polliceretur. Verum dilata in annum quartum supra octogesimum abitione sua, ipsam senectutem sibi solatio esse dicebat, Apostolicum illud ad levandam dilatæ missionis afflictionem crebrius usurpans: Quod senescit, prope interitum est. Ita demum excessit, ut ibi jam esse sibi aliisque videretur. *In Rho.* l. II, c. III, *ex* XVI, *ex nostris.*

EXEMPLA PROFANA.

Alexander Magnus mane ante omnia diis sacra faciebat, utpote sine quibus nihil se posse credebat. RAVISIUS TEXT. *in offic.* l. V, c. I.

Pericles suggestum conscensurus semper prius diis vota faciebat, ne verbum aliquod imprudenter, et inconsulte evomeret. *Ibid.*

Sylla tempore belli semper Apollinis icunculam ferebat in sinu, eamque imminente discrimine osculabatur, et velut adjutricem invocabat. PLUTARCH.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut hedera naturaliter quærit vallum seu stipitem, cui nitatur, aut murum aliquem, a quo fulciatur, et per quem in altum serpat : ita et ipsa natura humana, tamquam inops et multarum rerum indiga, quærit umbram et refugium Dei. LUD. GR. *in Duce Pecc.* l. I, p. 2, c. XVIII.

Sicut navi periclitante, duo homines terrore vicini periculi ita se complectantur, ut alter alterum brachiis implicet, nec dimittat; ita homo in periculo constitutus simili modo Deum amplecti per fiduciam debet. DREXEL. *in Heliot.* l. V, c. I, § 3.

Sicut tunc vel maxime locum habet fides, cum nulla subest ratio humana ad credendum; ita tunc maxime commendatur spes, cum nulla subest in creaturis causa sperandi, sed omnia exitium pestemque minantur; quando vidilicet in spem contra spem credimus, uti Suzanna fecit cujus cor erat fiduciam habens in Domino, cum tamen ad mortem damnata duceretur. GRAN. *in loc. com. s.* 297.

Sicut qui torrentem transit, non ad aquas, sed ad cœlum oculos convertere debet, ne vertiginem patiatur; ita qui desperationis vertiginem ex peccatorum consideratione oriri solitam declinare cupit, non ad peccata, sed ad bonitatem et misericordiam divinam, quæ omnes homines salvos fieri cupit, convertere oportet. PETRUS SANCHEZ, *in Regno Dei*, p. IV, c. V.

Sicut pater cum filio parvulo iter faciens, ubi via plana est, eum suis pedibus ambulare permittit; ubi autem ad flumen, vel alium difficilem locum venitur, humeris suis imponit; ita Deus in facilioribus negotiis nos nobis ipsis relinquit, in arduis vero speciali suo auxilio juvat. GRAN. c. I, *in die Pasch.*

Sicut Naucleri oculos semper in astrum aliquod convertunt, et per hoc rectam in pelago viam tenent; sic in omni necessitate mens ad Deum elevanda est, ne a recto voluntatis divinæ tramite aberremus. S. BASIL. *in princ. Prov.*

ÆQUITAS. — Sicut qui aperto sibi regio thesauro dubitaret, num debitum paucorum nummornm solvere posset, meritos insipiens videretur; ita et is, qui ambigit, an peccata sua per infinitum meritorum Christi thesaurum deleri possint. NIEREMB. *de ador.* l. I, c. V.

Sicut, si videremus hominem de cupro servando solicitum, recte argueremus, eum multo majorem curam argenti et auri habiturum; ita merito credimus, Deum singularem curam hominis habiturum, cum tam solicitum esse pro plantis et brutis videamus. *Vita P. Balthas. Alvar.*

Sicut apis natura sua mel fundit, aculeum vero non exerit, nisi injuriis lacessita; sic Christus magis ad benignitatem, suaque dona communicanda, quam supplicia decernenda (quod non nisi per finalem impœnitentiam coactus facit), inclinat. *Deut. em in Pædag. Ch.* p. II, c. XXIII, § 6.

Sicut parvuli, ubi primum aut lætum aliquid, aut triste illis occurrit, statim in genitricis suæ sinu absconduntur; sic justi in universis eventibus ad Deum confugiunt : in prosperis, ut gratias agant; in adversis, ut auxilium et consolationem petant. STAPLET. *tom.* II, *in Domin.* IV, *quadr.*

UTILITAS. — Sicut sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum; sic fiducia Dei cor penetrat jaculis suis numquam aberrantibus. DREXEL. *in Heliot.* p. 5, n. 2, § 1.

Sicut canis leporem per dumeta et tribulos insequitur, speque prædæ allectus, nec spinas, nec vulnera, nec laborem cursus sentit; ita qui semel firmam spem æternæ beatitutidinis concepit, omnes difficultates in ejus consecutione occurrentes facile contemnit. GRAN. *in loc. com.* p. 296.

Sicut anchora humi defixa navim retinet, ne a fluctibus aut ventis jactetur, et naufragium patiatur; ita spes animam in Deo, et æterna beatitudine fixam tenet, ne adversis casibus frangatur. ARIAS. *in thes.* p. 2, tr. III, c. II.

Sicut iter per aspera loca facientibus tædium laboris mitigat spes commodioris hospitii; ita laboriosum hujus iter agentibus omnem difficultatem lenit spes æternæ mansionis secturæ. S. BASIL. *in Ps.* I.

Sicut galea principale membrum eorum, quæ in corpore nostro sunt, conservat, dum caput circumdat, et undique tegit; ita et spes cogitationem nostram concidere non sinit, sed capitis instar erigit, nihil extraneum in illam incideret permittens. S. CHRYS. *hom.* IX, *in* II, *Thess.*

MOTIVA.

Quia altissimum Dei præceptum est, ut in eum speremus, nostramque in ipsum spem collocemus; idque non uno divinæ Scripturæ loco reperitur. *Spera in Domino,* inquit David, *et hac spe fac bonitatem, et quidquid ex Dei lege justum, bonumque esse scis, diligenter exequere, et inhabitabis terram cum magna pace, et pasceris hic divitiis, bonisque spiritualibus atque æternis.* Cui sapiens in proverbiis succinit : *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.* FRANC. ARIAS, t. II.

Necessitas ad salutem. Si enim adeo graviter tulit Deus, quod Israelitæ post Ægypti tot plagas et miracula necdum confisi sunt; quid faciet, si post tot filii plagas, vulnera, aliaque evidentissima signa illi minus fidamus? Certe profecto, nisi homo speret, se a Deo ad servandam ipsius legem adjutum iri, ac nisi ab eodem propter bona opera beatitudinem speret, neque animum, ad laborandum, neque vires ad faciendum, neque omnino voluntatem ad quicquam boni desiderandum habebit. Quare ut in vita bona elaborare, et siquidem peccator est, pœnitentiam agere; sin autem justus, perseverare, mala sufferre, difficultatesque vincere possit, necesse est, ipsum a Deo auxilium ad bonum, nec non bonorum operum præmium ac mercedem sperare. *Debet* enim, Apostolo teste, *in spe, qui arat, arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi,* idest, quemadmodum, qui agriculturam exercet, a terra, quam colit, bona sperare debet, quæ nisi speret, nec propterea laborabit; sic qui in Dei obsequio elaborat, ab eodem favores, auxiliaque ad laborandum, et suorum laborum præmia speret, necesse est, qua spe si careat, nec laborabit, nec omnino salvabitur. Hinc divina Scriptura passim tradit, spem nos salvos facere, spe nos salvos fieri. *Deus,* inquit Daniel, *salvat sperantes in se.* Et Apostolus : *Spe salvi facti sumus.* Salvat spes, quia homo sperans in Deum, facit quidquid debet, ut eum idem Deus ab omni malo liberet; et quia spes viva principium ac pignus est æternæ salutis, ac gloriæ. Vide, ut nemo vineam aut agrum colit, qui spem messis aut vindemiæ non habet; nec animæ suæ vineam aut agrum excolere studebit, qui æternæ beatitudinis spem non habet. ARIAS *ibid. Gran. in loc. com. s.* 295.

Utilitas : Quæ triplex præcipue in spe reperitur; nam 1. communicatur sperantibus ingens lumen ad veritates divinas intelligendas, juxta illud Sapientis : Qui confidunt in Domino, intelligent veritatem. 2. Speciale robur confertur, quo omnes difficultates facile, fortiterque superentur, juxta testimonium Davidis : Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion. (*Sap.* V, 1.) In quem locum Sanctus Chrysostomus sic loquitur : Montem dixit spem in Deum firmam et constantem, invincibilem et inexpugnabilem. Quemadmodum enim, si quis innumerabiles adhibeat machinas, montem nec convellere, nec labefactare poterit; ita etiam qui eum aggreditur, qui spem in Deum collocavit, revertetur domum vacuis manibus. Sed cur non dixit absolute, sicut mons, sed, sicut mons Sion? Docens, nos non debere animam dejicere in calamitatibus, nec ab eis pessumdari, sed a spe in Deum pendentes omnia ferre fortiter, et bella, et pugnas, et tumultus. Quemadmodum enim hic mons, qui fuerat quandoque desertus, et nudatus habitatoribus, ad priorem redierat prosperitatem, veteri statu recepto, ut cum incolæ rediissent, miracula rursus ostenderentur; ita etiam vir fortis et generosus, licet ab innumerabilibus invadatur calamitatibus, minime evertitur. (*In Ps.* CXXIV.) 3. Nihil fere sic capacem facit hominem ad cœlestia dona percipienda : ita S. Bernardus testatur dicens : Dulcissima liberalitas in se sperantibus non deest. Hoc enim totum est hominis meritum, si spem ponat in eo, qui totum hominem salvum fecit. (S. BERN. *in Ps. qui habit. s.* XV.) Hinc merito SS. Patres spem vasi comparant, quod quo capacius attulerit homo, tanto plura a Deo dona accipiet; siquidem misericordiæ Dei, ejusque liberalitatis dona omnibus ex corde in ipsum sperantibus uberrime communicantur. *Sperantem in Domino*, ait David, *ejusdem misericordia circumdabit*, ex omni eum parte protegens, defendens, liberansque ab omnibus malis, et implens ac cumulans veris tam hujus, quam alterius vitæ bonis. Suntque hæ misericordiæ, quas Deus sperantibus in se facit, adeo certæ, et magnæ, ut mensuræ spei misericordiarum iisdem communicandarum abundantia responsura sit, eodem Propheta teste : *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te*, immensas ejus opes, secundum spei nostræ modum, nobis impertire. ARIAS, *ibid.*; *Ps.* XXXII, 22.

Jucunditas : nam pariet etiam spes in hominis justi corde securitatem, pacem, et quietem in mediis turbis summisque periculis, siquidem is omnipotentem Deum protectorem suum, cui innititur, habet. (*Ibid.*) Quod expertus David dixit : *In Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor, non timebo.* (*Ps.* XXXIX, 5.) Quamobrem Apostolus æternæ salutis spem galeam vocat, et anchoram; illud, quia sicut galea defendit corpus, sic spes ab omni malo superiorem animæ partem, quia unitur cum Deo per charitatem, hoc, quia quemadmodum anchora humi defixa navem retinet, ne frangatur in mari aut a ventis, et fluctibus, damnum capiat, ita spes animam in Deo, cælique commoratione fixam et firmam facit, ut solida quietaque consistat, neque ab ullo inimicorum suorum detrimentum patiatur. Atque hæc spei nobis imposita necessitas est; hæc, quam nobis affert, utilitas; hi mirabiles illius effectus. In primis jucunditas tanta inest spei, ut S. David beatum dicere ausus sit eum, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates, et insanias falsas. Cujus ratio est, quia spes nostra tam certa est, quasi res jam perfecta sit. Hinc merito S. Paulus ait : Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem. HEB. VI. 9.

Æquitas : nam homini pauperi ac debili, naturalis ratio dictat, ut se homini diviti, a quo sustentetur, et potenti, a quo foveatur, adjungat. Tenemur bonam vitam ducere, et beatitudinis consequendæ incumbit nobis necessitas. Pauperes sumus, neque boni quicquam ex nobis ipsis habemus, neque facultates ullas ex parte nostra ad bene vivendum; debiles sumus, omni virtute viribusque dominatis ad consequendam beatitudinem destituti? Scimus Deum esse omnipotentem, qui nobis omnem ad sancte vivendum, beatitudinemque acquirendam necessarium favorem, auxilia, et gratias dare vult, ut accedamus ad eum, omnemque favorem, et quicquid boni nobis opus est ab ipso petamus, atque speremus. *Quis ex vobis* inquit Isaias, *timens Dominum, audiens vocem Salvatoris, filii ejus, quamvis ambulaverint in virtutum tenebris, et non sit gratiæ lumen ei?* quod ad omnem favorem, et quicquid boni desiderat, obtinendum facere debet homo, speret in nomine, virtute, auxilioque Domini, et innitatur super Deum suum, in eumque spem suam collocet. O quam securam spem nostram reddit, ejusque certitudinem confirmat, quod nos Deus ipse in se sperare jubet! Cum enim Deus infinitæ potentiæ, et infinitæ bonitatis, neque ulla in eo duplicitas, aut fictio sit; cumque nos ipse jubeat ad se accedere, seque niti, et nostram in se spem ponere; clarum est, eum, cum accesserimus, ipsique innixi fuerimus, non subtracturum sese, neque manum, ut cadere nos, perireque sinat, sed ipsummet, accessurum ad nos, suisque potentibus brachiis, ac benedictis manibus nos excepturum, et ne cadamus sustentaturum, quicquid ab ipso boni speramus, nobis daturum, nosque constantes facturum, ut perseveremus et in nobis impleatur, quod ipse per Prophetam suum dixit : *Qui confidunt in Domino, erunt firmi, inque bono constantes, sicut mons Sion, qui fixus est, neque loco suo mobilis.* (ARIAS, *loc. cit.*) Porro ad hanc spem, juxta S. Anselmum, septem causæ nos impellunt. Prima, quia justum illud desiderium; tu das (inquit ad Deum loquens) et ad quid dares, nisi etiam velles exaudire? Secunda, quia non ad nostram utilitatem, sed ad tuam gloriam, volumus exaudiri. Tertia, quia majora, quæ pro nobis fecisti, animant nos, ut etiam de minoribus confidamus; omnia enim, quæ petere possumus, longe minora sunt quam quod dignanter pro nobis incarnatus, et passus es. Quarta, quia tam facile est apud te in maximis, quam in minimis exaudire. Quinta, quia nos ad hoc provocat tuæ consideratio bonitatis. Sexta, quia intercessorem te, Jesu Christe, habemus, et omnes Sanctos. Septima, quia infinitam ad nos habes bonitatem. Si enim modica dilectio, quam ad te habemus, ad hoc nos cogit, ut in omnibus tuæ voluntati libenter parere velimus, cur idem de inæstimabili dilectione tua non præsumeremus? alioqui fideliores vellemus apparere quam tu, si tales nos tibi exhiberemus qualem te nobis e converso non crederemus. *Lib. de mensur. Cruc. in lat.*

Christi amor, et merita; quo motivo S. Augustinus se ad spem excitavit dicens : Tu, Domine, es vita mea, qua vivo; spes, cui inhæreo; gloria, quam adipisci desidero. In te Deo meo, et Domino nostro Jesu Christo, dulcissimo et benignissimo, uniuscujusque nostrum, et portio, et sanguis, et caro es, quia vere naturam humanam assumpsisti, et divinæ tuæ personæ unitam habes. Ubi ergo portio mea regnat, ibi regnare me credo. Ubi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me esse cognosco. Quamvis peccator sim, de hac tamen communione gratiæ non diffido. Et si peccata mea prohibent, substantia mea requirit. Et si delicta propria me excludunt, naturæ communio non repellit. Non enim tam immitis est Dominus, ut non diligat carnem suam, membra sua, et viscera sua. Desperare utique potuissem propter nimia peccata mea, et vitia, culpas, et infinitas negligentias meas, quas egi, et quotidie indesinenter ago, corde, ore, et opere, et omnibus modis, quibus humana fragilitas peccare potest, nisi Verbum tuum, Deus meus, caro fieret, et habitaret in nobis. Sed sperare jam audeo, quoniam subditus ille tibi usque ad mortem, mortem autem crucis, tulit chirographum peccatorum nostrorum, et affigens illud cruci, peccatum crucifixit, solvendo pro eo, et mortem destruxit, merendo nobis vitam. In ipso confido, me per virtutem ac merita ejus salvum fore, mediante pœnitentia, ejusque mandatorum observantia, ad fruendam tuam beatitudinem me perventurum spero. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, per omnia sæcula. Amen. S. AUG., *in manual.*, c. XII et XIII.

MEDIA.

Bonorum operum constans exercitium; cum enim spes præter principale fundamentum, quod est auxilium divinum, fundetur etiam in meritis hominis justi, ideo postquam divina virtute generata est, crescit in nobis per exercitium bonorum operum, vitæque puritatem. Hæc enim bona opera, quia ex gratia Dei procedunt, merentur augmentum virtutis infusæ spei. Unde quo plura bona homo justus facit, quoque majore cum puritate ac devotione ea facit, hoc illa amplius crescit. Et quia hæc bona opera sunt secundum spei fundamentum ac fulcrum, eadem virtus spei cum ipsis fortificatur, fitque in dies robustior ac perfectior. Quamobrem Spiritus Sanctus, qui in divinis Scripturis nos docet, jubetque sperare in Deum, jubet nos simul bene operari, ut spes sit viva, hortaturque nos ad operandum fortiter ac ferventer, ut spes perfecta sit. *Expecta Dominum*, inquit David, et dum expectas, noli esse negligens et otiosus, sed viriliter age, operaque Domini operare. ARIAS. *Thes.* t. II, tr. III, c. XXIV.

Patientia fortis, et constans; crescit quippe etiam spes tolerando in hac vita humiliter, et patienter, et propter Deum, res adversas, et quæ hominem affligunt, ac cruciant. Talis enim magnorum malorum tolerantia majoris virtutis meritique exercitium est, quam bona opera facere; idque propterea, quia in malis pœnæ tolerandis sentit natura majorem repugnantiam ac difficultatem : homo magis seipsum abnegat, magis ostendit, quanti Deum, propter quem patitur, æstimet, suumque Dei amorem, qui ipsum ad patiendum movet, testatiorem facit, et ad facienda bona opera majus in natura (quippe quæ ipsum ad benefaciendum inclinat) præsidium invenit, majoremque facilitatem, ac gustum sentit, unde tanta ad bene faciendum virtute, Deique amore, quanta ad malum eo, quod decet, modo ferendum non eget. Hinc sit, ut, quemadmodum spes crescit cum merito bonorum operum; sic etiam crescat, multoque magis perficiatur per sanctam malorum pœnæ tolerantiam. Quare homines justi pro magno Dei beneficio misericordiaque deputant, quod ipsis in hac vita pœnas, ærumnasque immittat; neque tantum eas patienter (ad quod obligantur) sufferunt, sed plus quam teneantur, faciunt, hoc est, amant eas, sibique spiritualiter gratulantur. Rursum crescit, quia per illas homo justus magis assimilatur Christo, qui propter nos passus est, et sic plus participat de ejus meritis, donis, gratiis, et favoribus, quibus, virtus, et bonæ vitæ meritum, et spes æternæ gloriæ amplius crescit. (*Ib.*, § 3.) Ita S. Leo Papa : Certa, inquit, atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ Passionis; (S. Leo., s. ix, *quadr.*) sicut Apostolus ait : *Si vitæ hujus afflictiones tribulationesque tolerantes, Christo compatimur, et conglorificabimur.* Et alibi : *Patientia probationem, probatio vero spem, operatur. Rom.* v, 5.

Oratio fervens, et frequens : cum enim præcipuum spei nostræ fulcrum fundamentumque sit auxilium divinum, crescente hoc per continuam, qua petitur, orationem, crescit etiam valde spes ipsa, quæ in illo fundatur. Quod S. Augustinus monet his verbis : Spem tuam semper in Deo pone, et in quacumque re, quæ tibi occurrit, sive bona, sive mala, tam ut facias, quod bonum fuerit, quam ut feras, quod malum, dic semper Deo ex toto corde tuo, et pura sinceraque cum intentione : *Domine in adjutorium meum intende : ad adjuvandum me festina.* (*Ps.* lxix, 2.) Si vis salvari, stude hunc versiculum semper in corde tuo dicere, ne numquam tibi inde excidat, cum hoc dormi, et cum hoc vigila : quasi diceret, cum hoc dormitum concede, et cum hoc expergiscere. S. Aug., *s.* i, *jej. quadr.*

Promissionem præmiorum ob oculos ponere ; nam ex hac consideratione, inquit Magnus Basilius, nascebatur, quod sancti Martyres tam generose dedignarentur equuleum, tam fortiter aspernarentur catastas, tam magnanime despicerent laminas, ipsam adeo mortem pro nihilo putarent, ut qui non præsentem pœnam, sed futuram gloriam spectabant. Vide, quam eleganter hoc a magno Religionum Patriarcha expressum : Pericula non respicit Martyr, coronas respicit, plagas non horret, sed præmia numerat, non videt lictores inferne flagellantes, sed Angelos superne lætis omnibus acclamantes imaginatur; non spectat ad temporalia pericula, sed ad præmiorum æternitatem. S. Basil., *homil. de Barl.*

Credere quod Deus, qui dedit velle, daturus sit perficere, uti præclare Didacus Nyssenus sequenti discursu ostendit : Digressus a socero suo Labano Jacob Patriarcha, postquam mutuam cum illo amicitiam instauraverat, et religioso juramento constabilierat, prosequebatur iter suum; cumque vix aliquantum processisset, occurrerunt illi numerosæ copiæ cœlestium spirituum, quales generosi et strenui milites; quos ut vidit, incredibili perfusus gaudio, aiebat : *Castra Dei sunt hæc ; Genes.* xxxii, 2, exercitus cœlorum sunt, inde huc submissi, ut me tueantur, et firmo suo præsidio defendant, ut difficultates itineris submoverent, et per viam illum protegerent, ac propugnarent. Priusquam enim ad patrem suum perveniret, multa illum expectabant pericula, quæ superaret, multa impedimenta, quæ vinceret. Animadvertendum hic, quod, iter illud Dei jussu suscepit, qui ei dixerat : *Revertere in terram patrum tuorum, et ad generationem tuam. Genes.* xxxi, 3, velut pluribus dixisset : Tempus est, ut parentes tuos consoleris, quare mando tibi, ut patriam repetas. Et quamquam aliquæ se offerant difficultates, quamquam impedimenta occurrant, et obstacula se objiciant, nil propterea metue, quia ego ero tecum, ego comitabor, custodiamque, ne quod a tergo te malum invadat, omnipotens dextera mea tuum scutum erit, mea jussio tuus salvus conductus, quæ te ab omnibus tutabitur adversis, et periculis. Ubi enim ex mea auctoritate descendit præceptum, ibi ex mea potestate venit auxilium; et ubi mea voluntas jubet, ibi mea manus obsequendi vel adimit, vel minuit difficultatem. Nam si illi navarcho vela vento dare timenti, eo quod sævi maris furentes fluctus supremum exitium minarentur, Cæsar, quem vehebat, dixit, ut est apud Lucium Florum, l. IV, cap. ii. *Quid times? Cæsarem vehis.* Quid trepidas, quid vereris conjicere navem in Oceanum, qui Cæsarem proxime ad manum habes, cujus unicus nutus iratum placare mare, et omnem sedare tempestatem potest? Si hoc dixit homo (qui hoc titulo tantopere gloriabatur, quod Cæsar esset) ut nauclerum meticulosum erigeret, cur formidat homo, qui immensum Deum vitæ comitem habet, et tutorem? Ero tecum. Age ergo, mi Jacob, et viam securus, intrepidusque capesse, nam cum ad meum imperium iter suscipias, ego te liberum, inoffensum perducam, quo tendis, quantavis in te incursarint pericula. *Quid times? Deum vehis.* Infinitam imperantis Dei potestatem sociam viæ habes, proinde tutissimus vadis. Meo hortatu et mandato iter ingredieris prosperum, itaque futurum est, et felicem habiturum clausulam. Quando enim Dominus onus aliquod imponit, aut imperat opus, simul auxilium præbet et vires, quibus confici et absolvi possit, ministrat.

Frequens meditatio providentiæ divinæ : vere enim, ut S. Hieronymus testatur, omnia providentia Dei gubernantur, et sæpe, quæ putatur pœna, medicina est. Hinc recte S. Nilus : Non ora, ut fiant, quæ fieri velis, sed potius ora, sicut orare didicisti, ut fiat voluntas Dei in te. Quivis ergo merito cum S. Gregorio Nazianzeno dicet : Ego quidem exploratum habeo, apud summam rationem nihil rerum nostrarum expers rationis esse. *Ap. Drex. Heliot.* l. V, c. VIII, § 5, *cap.* XXIX, *de citat.*

Beatæ Virginis invocatio : hæc enim est Mater pulchræ dilectionis, et sanctæ spei : (*Eccl.* XXIV, 24.) Hinc ab Ecclesia quoque Mater misericordiæ, et spes nostra salutatur. *In Antip. Salv. Reg.*

Puritatis conscientiæ studium : Si enim cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, inquit S. Joannes; (I. JOB. III, 21.) hinc S. David monet : Spera in Domino, et fac bonitatem, et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus. *Ps.* XXXI, 3.

Frequens memoria beneficiorum divinorum, præcipue Incarnationis, et Passionis : nam, ut recte S. Augustinus dixit : Ad erigendam spem nostram nihil convenientius fuit, quam ut demonstraret nobis Deus quantum nos diligeret; (L. XIII, *de Trin.* X.) atqui, ut sapienter Salvianus advertit, evidens est, quod super affectum filiorum nos Deus diligit, qui propter nos filio proprio non pepercit, et quid plus addo? et hoc Filio justo, et hoc Filio unigenito, et hoc Filio Dei; et quid dici amplius potest? et hoc pro nobis, id est, pro malis, pro impiissimis, pro iniquis. Quis hunc Dei erga nos amorem æstimare queat, nisi quod justitia Dei tanta est ut in eum aliquid injustum cadere non possit. L. IV, *de provid.*

Exemplorum veterum consideratio? scilicet quomodo jam olim populum suum ex Ægypto eduxerit : Josephum de cisterna, et carcere : Noe a diluvio : tres Pueros ex camino ignis ardentis : Danielem e lacu leonum : Susannam a morte liberarit; non enim mutavit Deus ingenium suum, sed novit nunc, sicut, et antea, pios eripere a tentationibus suis; ut S. Petrus loquitur. Hinc, et David teste : Deus legem posuit in Israel, quanta mandavit patribus nostris, nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera. Filii, qui nascentur, et exurgent, et narrabunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei. *Ps.* LXXVII, 5.

ASCETICA.

Quatuor sunt præcipue, quæ de hac virtute Asceta bene apprehendere, aliisque inculcare debet : *Primum est, ut bene cognoscat naturam spei, et speciatim qualis sit ea certitudo, quæ plerumque ei attribuitur ;* pro quo sciendum, duplicem esse certitudinem, de qua hic quæstio moveri potest. Prior divina vocatur, et est illa, quæ in divina revelatione fundatur; neque in hac vita sine specialissima Dei gratia haberi potest, uti Concilia, SS. Patres, et Theologi docent. Posterior est moralis, quæ omnem dubitationem, et metum prudentem excludit, qualem v. g. habemus nos catholici, quod a parentibus catholicis geniti simus : quod existat India, Italia etc. etsi nihil horum viderimus, et hæc certitudo in sanctis hominibus reperiri solet, et hauritur ex sequentibus signis. (*Arias t.* II, *Thes. tr,* III, *ver.* XXV.) 1. Ex virtutis, et humilitatis præcipue studio, uti S. Gregorius testatus est, dicens : Mens, quæ divino Spiritu impletur, habet evidentissima signa sua, virtutes scilicet, et humilitatem, quæ si utraque perfecte in una mente conveniunt, liquet, quod de præsentia Sancti Spiritus testimonium ferat. (L. I, *Dial.* I.) 2. Ex odio peccati; nam, teste S. Basilio, certo persuasus esse aliquis potest, Deum sibi peccata remisisse, si affectionem animi in se esse animadvertit similem illius, qui dixit : Iniquitatem odio habui, et abominatus sum.

3. Ex charitate, et misericordia erga proximos : sic enim S. Augustinus pronuntiavit, dicens : Redeat unusquisque ad cor suum : si ibi invenerit charitatem fraternam, securus sit, quia transiit a morte ad vitam. (S. Basil. *in qq. br. qu.* 12, *q.* 296, *tr.* v, *in Epist. Jo.*) 4. Ex inimicorum dilectione, juxta S. Anselmum dicentem : Per hoc, quod Spiritus sanctus charitatem nobis infundit, quæ nos facit imitatores esse divinæ charitatis, ut diligamus inimicos nostros, evidenti testimonio declarat menti nostræ, nos esse filios Dei. (S. Ans. *ad Rom.* i.) 5. Ex eo, quod animæ habeat lumen in parte rationali, lætitiam in parte concupiscibili, et pacem in parte irascibili ; hæc enim certa esse indicia gratiæ infusæ, Alexander Alensis docet. Alensi. *p.* 1, *q.* 71, *n.* 3, *art.* 2.

Alterum est, ut bene percipiat potissimum fundamentum, cui spes nostra inniti debet, quod est bonitas divina, uti Salomon monuit, dicens : Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum. (*Sap.* i, 1.) Certe ipse Christus S. Mechtildi quondam revelavit, et dixit : Perplacet mihi videre homines confidentes de mea bonitate : talis enim quicumque est, et in hoc perseverat, singulariter eum in hac vita remunerabor, et in altera uberrimam ei mercedem conferam. Et quanto plus de me confidet, tanto plus etiam a me consequetur ; impossibile enim est, ut, quod quis sancte de me credidit, et consequi speravit, non obtineat cum hoc ipsum ego promiserim. (*Blos.* i, *Menilis spir.*) Mihi igitur fidat, qui grandia a me expectat. Alias vero S. Gertrudi dixit : Fiducia illa, quam homo in me solo collocat, credendo, posse, scire, et velle ipsum fiducialiter juvare in omnibus, cor mihi transfigit, tantamque pietati meæ violentiam facit, ut non possim non ei gratificari, et manus porrigere ob gustum, quem ex eo quod totus a me pendeat, capio. Et merito, si enim artifex, qui opus aliquod præcipuum ad artem suam, et ingenium in eo ostendendum fecit, cupit illi suam perfectionem dare, cavetque sedulo, ne quis dicto vel facto male id tractet et si forte detrimentum passum est, omni modo restaurare studet ; quanto minus Deus patietur, ut homo, in quo omnem suum amorem, et sapientiam ostendit, non pereat, sed omnem perfectionem acquirat? *Ibid.*

Tertium est, ut solidam sciat praxim spei exercendæ, quæ quidem in eo consistit, ut semper filialis cum illa timor conjungatur ; ut nam, S. Bernardus ait, cum timore spes magnum habet meritum : cum hoc metu fructuose speratur. (*Serm.* xv, *in Ps. qui habitat.*) Etsi autem is ipse timor firmissima quædam, et efficax materia spei ; cum etiam, Salomone teste, in timore sit fiducia fortitudini. (*Prov.* xiv, 26.) Hinc S. Aug. Fratres in Eremo adhortatur : Eia, Fratres, inquit, hanc amate, hanc tenete, non tamen sine timore, quia qui sperat, et non timet, negligens est ; qui autem timet, et non sperat, depressus est, et descendit in profundum quasi lapis. (Serm. xiii, *ad Frat. in Eremo.*) Merito ergo, ut S. David ait : Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis, qui sperant super misericordia ejus. (*Ps.* cxlvi, 11.

Quartum est, ut bene discat explicare, et resolvere dubium, an justis eo usque spes crescere possit in hac vita, ut eos certos de salute efficiat? ad quod dubium malo alienis Francisci Ariæ, quam propriis meis verbis, respondere. Sic ergo ille propositam quæstionem resolvit : Quamquam verum sit ut sacræ litteræ, communisque Sanctorum doctrina habet, et sacra Concilia definierunt, hujus gratiæ, ac misericordiæ Dei sine speciali et evidenti revelatione, non posse hominem habere tantam certitudinem, quanta est ea, quam fides divina in anima gignit fundatam in divina revelatione, toti Ecclesiæ aut aliquibus hominibus justis in particulari facto ; nec quantam evidentia rationis, humanum intellectum convincens, efficit ; tamen, sicut iidem Sancti, et experientia testatur, ipsaque divina docet Scriptura, potest homo justus tantam hujus gratiæ, ac doni Dei certitudinem habere, ut omnem ei dubitationem, metumque eximat ; quemadmodum videmus in multis casibus humana testimonia facere, quæ tantam generant certitudinem, ut omnem dubitationem tollant. Cujusmodi certitudo est, quam homines habent, quod sit Italia, et Græcia, et India ; licet has provincias propriis oculis non viderint, sed solum ita persuasum habeant ex communi omnium, qui eas viderunt sermone. Similemque certitudinem, quæ eos dubitare non sinit, habent, quod sint catholicorum parentum filii, quodque in tali civitate nati ; nam licet ipsi, utpote cum nascerentur infantes ex se, judicium de hac referre non possint, ex communi tamen multorum, qui eos nasci viderunt, fama, credunt citra ullam dubitationem, tali se matre, et in tali civitate natos esse. Quemadmodum igitur humana testimonia sufficiunt ad faciendam hujusmodi certitudinem, sic etiam testimonia divina ad eamdem certitudinem gignendam efficacia sunt. Et quamquam certitudinis istius causa divina est, nempe viva spes, cæteraque testimonia, quæ Spiritus Sanctus in cordibus operatur, quam ob rem aliqua ratione divina certitudo dici potest, tamen quia dependet etiam a conjecturis, signisque humanis, quæ sunt bonæ operationes interiorés, et exteriores liberi arbitrii, quæ cum Dei dona sint, hominis etiam sunt opera, et propter similitudinem, quam cum humana certitudine habent, dicitur certitudo moralis. Divina testimonia, parata, acquisitaque bonorum operum exercitio, patientia in adversis, et oratione quæ hanc certitudinem efficiunt, sunt ista : ingens peccatorum odium et horror, quem homo in suo corde sentit, firmissimum propositum non offendendi Deum ob ullam rem hujus mundi, a longo tempore nihil deliberate contra Dei voluntatem peccasse, licet enim multa venialia peccata per hebdomadem, adeoque per diem ex fragilitate et incuria commiserit, nullum tamen commisit advertenter, et deliberate; sentire in corde suo magnum erga proximos, etiam inimicos, a quibus injurias accepit, amorem; hæc magna sunt testimonia gratiæ in anima, et bona signa, ipsum in bono cœpto perseveraturum. Alia specialiora testimonia sunt : amor experimentalis Dei, ingens ac continuum desiderium placendi ipsi, deque hoc exilio, ad videndum eum, perfecteque amandum, exeundi; facilitas, et suavitas in domandis passionibus, et divinis præceptis servandis; contemptus sui ipsius, omniumque rerum temporalium; donum contemplationis; pax, et quies spiritualis, si valde magna sit, et abundans, quam Isaias flumini comparat, et S. Paulus ait, tam magnum, et supernaturale donum Dei esse, ut illud intelligere, ac ponderare, omnem creatum intellectum hominum et Angelorum exsuperet; ac denique lætitia spiritualis admiranda, quam Deus justorum animabus communicat, de qua Sapiens dicit, esse quasi juge convivium spirituale, quod suaviter recreat, et delicate pascit animas, quas Deus per illam visitat, et quam S. Petrus vocat inenarrabilem, et glorificatam, id est, habentem aliquam similitudinem cum gaudio et gloria beatorum. Hæc sunt divina testimonia, quæ dat Spiritus Sanctus justorum cordibus, quæ notitiam, ac spem certam pariunt, quod homo in gratia sit, et salvandus. (*Ariat Thes.* t. II, *tr.* III, XXV.) Hanc ipsam doctrinam etiam SS. Patres passim confirmant, et in primis S. Greg. : Mens, inquit, quæ divino Spiritu impletur, habet evidentissima signa sua, virtutes scilicet, et humilitatem; quæ si utraque perfecte in una mente conveniunt, liquet, quod de præsentia Sancti Spiritus testimonium ferat. (S. GREG. l. I. *Dial.* I.) S. Basilius certo, ait, persuasus esse aliquis potest, Deum sibi peccata remisisse, si affectionem animi in se esse animadverterit similem illius, qui dixit : *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum :* (S. BAS. *in qq. brev. qu.* 12, p. 296.) S. Cyrillus : Qui omni virtute, ait, mentem suam purgarunt, Spiritus Sancti illuminatione recepta, oculis animi habitantem in ipsis Deum videbunt. (S. CYRILL. l. X, *in Joan.* III). S. Aug : Redeat, inquit, unusquisque ad cor suum; si ibi invenerit charitatem fraternam, securus sit, quia transiit a culpæ morte ad gratiæ vitam. (S. AUG. *tr.* V. *in epist. Jo.*) S. Anselmus : Per hoc, inquit, quod Spiritus Sanctus charitatem nobis infudit, quæ nos facit imitatores esse divinæ bonitatis, ut diligamus inimicos nostros, evidenti testimonio declarat menti nostræ, nos esse filios Dei. (S. ANSEL. *ad Rom.* V.) S. Bern. ait : Si sensero mihi aperiri sensum, ut intelligam Scripturas, aut infuso lumine desuper relevari mysteria, non ambigo Sponsum in anima mea adesse. Quod si se pariter infuderit humilis quædam, sed pinguis intimæ adspersionis devotio, quæ odium vanitatis mundi in me generet, ac contemptum, tunc æternum Patrem in anima mea adesse non dubito. Intelligit Sanctus de certitudine morali, quæ animam quietam, serenamque facit, et dubiis ipsam turbantibus, affligentibusque liberat. (S. BERN. serm. LXIX, *in Cant.*) Doctor Alexander Alensis quoque docet, certum experimentum esse, quod anima habeat gratiam a Deo infusam, quando habet lumen in parte rationali, lætitiam in parte concupiscibili, et pacem in parte irascibili. Intelligens, ut se ipse explicat, de morali certitudine, quæ in anima justi experientiam parit, quod in se signa, effectusque gratiæ habeat, præsertim lætitiam, et pacem spiritualem, quæ sunt divini amoris excellentissimi effectus. *Alensi* p. 3, *qu.* 71, *membr.* III, *art.* II.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam :* (HEB. VI, 19.) potest natura, et utilitas spei explicari. Et in priori quidem parte natura ejus per comparationem cum anchora explicari. Nam sicut anchora debet esse ex ferro, ita spes quoque firma, ac solida esse debet, utpote bonitati, et fidelitati Dei innixa. Deinde sicut anchora habet duas laterales cuspides; ita spes quoque duabus virtutibus sociata esse debet, nimirum timore Dei, et longanimi patientia. Denique, sicut anchora a fune dependere debet, sicque in imum mare demitti; ita spes quoque funiculo charitatis divinæ juncta esse debet, sicque immenso mari bonitatis divinæ infigi. In posteriori parte ostendatur finis, et fructus hujus anchoræ, scilicet ut navem cordis nostri a fluctibus variarum tentationum, et tribulationum illæsam servet, id quod variis auctoritatibus, et exemplis supra citatis facile demonstrari potest.

Ex occasione thematis : *Spera in Domino, et fac bonitatem, et pasceris in divitiis ejus : (Ps.* XXXV, 3.) ostendi possunt tria præcipua capita, in quibus tota spei exercendæ ratio, et praxis consistunt. Nempe 1. *Causæ sperandi :* quas tacite indicare voluit S. David, dum sperare nos in *Domino* jubet, non quocumque, sed tali, qui ob summam sapientiam *sciat*, et ob infinitam omnipotentiam *possit*, et ob bonitatem infinitam *velit* suos servos juvare. 2. *Modus sperandi*, scilicet ut ita speretur, ut tamen se quis per observationem mandatorum dignum efficiat, qui exaudiatur. Hinc S. David dixit : Spera in Domino, et fac bonitatem. 3. Fructus, et effectus spei, qui indicantur illis verbis : Et pasceris in divitiis ejus : nam per verbum *pasceris*. indicatur abundantia liberalitasque divinæ beneficentiæ : per divitias autem significatur varietas, ac præstantia donorum, quæ per spem obtinentur; ut enim per divitias omnia acquirere, aut emere possumus, ita per spem omnia, quæ animus desiderat, ipsam videlicet beatitudinem, obtinere possumus.

Ex occasione thematis : *Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te : (Ps.* XXXII, 22.) explicetur præcipuus fructus spei, efficacia scilicet ad dona cœlestia a Deo impetranda. Eum in finem ostendatur 1. quod merito illa a SS. Patribus vasi comparetur, quod quo capacius ad Deum attulerimus, tanto plura ab eo beneficia accipiemus, idque triplici exemplo, e S. Scriptura petito, probetur, quarum primum princeps Synagogæ offert, qui, quia credidit quidem, filiam suam a Christo suscitari posse, sed manuum dumtaxat impositione, non aliter etiam filiæ resuscitationem impetravit. (MATTH. IX, 18.) Alterum a muliere menstrui duodecennem fluxum passa petitur, quæ, sicut crediderat, solo fimbriæ vestimenti attactu sanari posse, ita hoc etiam, et non alio medio, sanitatem obtinuit. (*Ibid.* 20.) Tertium vero Centurio præbuit, qui uti solo verbo puerum suum sanari posse credidit, ita audivit quoque, a Christo; Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. (Jo. VIII, 6.) 2 Ostendatur, quam æquum sit, ut amplissimam quisque fiduciam erga Deum concipiat; si enim princeps quidam thesauro aperto cuivis potestatem faceret tantum inde divitiarum auferendi, quantum vas, aut saccus ab ipso allatus caperet, an non capacissimum quisque saccum afferre studeret? quanto magis ergo ad divitias cœlestes participandas vas fiduciæ amplissimum Deo offerendum erit, cavendumque sedulo, ne pertusum fiat, ut foret, si spes nostra charitati juncta non foret, tunc enim vere impleretur illud Aggæi : Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. *Cap.* I, 6.

Ex occasione thematis : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis :* (MATTH. VI, 33.) comparari potest hæc sententia litteris censualibus perpetuis, et earum præstantia ex triplici capite, ex quo litteras censuales plerumque estimare solemus, demonstrari. 1. Ex quantitate in iis promissa (hæc omnia adjicientur vobis, nulla re excepta), et levitate mutuæ obligationis, nempe, ut quæratur justitia, id est, observatio mandatorum, quæ, teste S. Joanne, gravia non sunt, sed vere jugum suave, et onus leve. (III. Jo. V, 3.) 2. Ex parte dantis, qui et potest dare, quod promisit ob omnipotentiam, et vult propter fidelitatem id, quod exemplis ex utroque testamento petitis facile probari potest, ut adeo merito Ecclesiasticus dixerit : Respicite, filii, nationes hominum, et scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est, quis invocavit illum, et despexit illum? (*Eccl.* II, 11.) 3. Ex septem sigillis appensis, id est septem titulis, propter quos merito sperare quivis justus potest, Deum illi omnia necessaria provisurum, quorum primus est, quod sit *homo* creatura ex omnibus in terra existentibus nobilissima, propter quam ipsum mundum creavit; si ergo Deus lilia sic vestit, et aves, aliasque creaturas sic nutrit, quæ sunt mancipia hominis, quanto magis ipsum hominem velut eorum dominum non derelinquet? Secundus, quod sit *ovis* pretio sanguinis Christi empta, et postquam perdita fuerat, tam solicite quæsita, et empta. Si ergo pastores ovibus etiam non suis pascua cum tanta cura quærunt, quis summum et optimum Pastorem suis, et tanto pretio constantibus ovibus non similem charitatem exhibiturum credat? Tertius est, quod sit *christianus;* si enim Israelitis, et turbis se sequentibus tam liberaliter manna, et panem olim obtulit, an non de Christianis, qui veri Israelitæ sunt, et gressu mentis potius quam corporis eum sequuntur, idem beneficium magis sperabimus? ideo nempe dixit in Evangelio : Nolite soliciti esse etc. hæc enim omnia Gentes, qui Deum, et promissiones ejus ignorant, aut non credunt, inquirere solent. (*Matth.* XXV, 23.) Quartus, est quod sit *servus* Dei; si ergo jam olim promisit, se servum suum super omnia bona constituturum : (Jo. XVII, 23.) quanto minus temporalia, velut minimam eorum partem negabit? annon dixit : volo, ut ubi ego sum, sint et illi mecum. (Jo. XV, 23.) Quintus, quod sit *amicus* ejus : si ergo Apostolis dixit : Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. (Luc. XXII, 39.) Et alibi : Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater meus, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo. (*Ibid.* 35.) Et iterum : Quando misi vos sine sacculo, et pera, numquid aliquid defuit vobis? cur non aliis suis amicis idem præstet? Sextus, quod sit *filius :* si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit spiritum bonum aliaque bona petentibus se. (*Matth.* II, 11.) Septimus quod sit *sponsa :* quis autem sponsam dilectam regis etiam terreni umquam ab eo desertam audivit? annon Assuerus Estheri dixit : Etsi dimidium regni petieris, dabitur tibi? quanto magis, si victum tantum petiisset, negaturus non fuisset? An autem credi poterit, Deum passurum, ut liberalitate a rege terreno vincatur? an sponsæ negabit, quod inimicis tam liberaliter concedit? Ex his inferantur sequentia corollaria : 1. Quam male agant, et imprudenter ii, qui litteras has vel non procurant, vel procuratas abjiciunt, vel abjectas non statim recuperare satagunt. 2. Quam male agant divites, in divitiis suis sperando, pauperes vero, litteras has negligendo, quæ sunt efficacius, facilius, et securius medium necessaria impetrandi. 3. Quam stulte agant parentes, laborando, ut filiis suis copiosa patrimonia relinquant, et non potius procurando has litteras, ut dicere illis cum Tobia possent : Fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene. THOB. IV, 23.

Ex occasione thematis : *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo :* (*Prov.* III, 5.) possunt explicari motiva ad spem nostram in Deum excitandam. Et 1. quidem, si *supra nos* convertamur ad Deum, offert se titulus Dei summe boni, Patris amantissimi, Benefactoris maximi. Item Patrocinia B. V. et Sanctorum. 2. *Infra nos* desperationis barathrum, locus omnium miseriarum, et quidem perpetuarum. 3. *Extra nos* tot exempla eorum, qui Dei fidelitatem, et liberalitatem sunt experti. 4. *Infra nos :* propriam impotentiam, et necessitatem, quæ merito nos recurrere cogit ad eum, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit. Quæ omnia motiva fusius explicata videri possunt apud Fabr. conc. 6. in Dom. 18, post Pent.

Ex occasione thematis : *Mihi adherere Deo bonum est, et ponere in Domino spem meam :* (*Ps.* LXXII, 7.) explicari possunt tria præcipua incitamenta spei, quæ S. Bernardus sequentia indicavit : Tria considero, in quibus spes mea tota consistit, charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. (*Ser.* III, *de* VII *pan.*) Primum ergo explicetur per media, quibus adoptionem illam procuravit; præstantiam, nempe per Incarnationem, Passionem, sacramentorum institutionem. Alterum declaretur tum per sententiam S. Pauli dicentis : In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem : tum ab ipsa experientia, qua habetur, nullum, qui in Deo speravit, confusum esse, meritoque S. David dixerit : Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum. (*Ps.* XXXVIII, 25.) Et iterum : Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum. (*Ps.* XXXIII, 5.) Tertium probetur tum ex ipso Dei testimonio, dicentis : Numquid mihi difficile erit omne verbum : (JER. XXII, 27.) tum Angeli pronunciantis : Numquid Deo quidquam est difficile : (GENES. XVIII, 14.) tum ipsa experientia, qua habemus, ipsum totum mundum solo verbo creasse, et etiamnum omnia viventia pascere.

Ex occasione thematis : *Nolite amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem :* (*Heb.* X, 25.) potest explicari remuneratio spei, eumque in finem usurpari illa S. Bernardi sententia : Dicit Fides : Parata sunt magna, inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis (*Se.* IX, *super Psal. Qui habitat.*) (ubi breviter explicetur beatitudinis natura, et præstantia) dicit spes : mihi illa servantur, ubi explicantur tituli, ob quos sperare quis merito possit, se beatitudinem consecuturum, quales in Zodiaco P. Hieremiæ Drexelii, et aliis reperiuntur, nam tertia quidem charitas, curro ego, ait, ad illa; per hanc enim anima appropinquat, et unitur Deo, atque adeo speratam beatitudinem acquirit; quæ singula proin fusius erunt explicanda.

Ex occasione ejusdem thematis solvi, et refutari possunt objectiones, quæ plerumque homines a spe retrahere solent, quales præ reliquis sunt. 1. Indignitas nostra; cui tamen opponatur dignitas meritorum Christi, et necessitas nostra, unde dicere possumus, quod rustici de sacro epulo usurpare consueverunt ; 2. Experientia, tot pauperes et miseros oculis nostris objiciens; cui occurratur, ostendendo rationes, cur Deus tot pauperes in mundo relinquat, scilicet ad humani generis conservationem, ad Dei gloriam, ad remedium divitum, ad nostram instructionem, ad bonum ipsorum; quas fusius apud Fabrum c. IV, in Dom. II. Adventus explicatas vide. 3. Repulsa tot precum a variis factarum : cui refutandæ ostendantur rationes, quare Deus sæpe non exaudiat, nempe ob diffidentiam nostram, probationem, et melioris cujusdam utiliorisque doni largitionem. De quibus vide Fabrum conc. IV, in Fer. Rog.

Ex occasione thematis : *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas :* (MATTH. XXIII, 37.) potest bonitas Dei ad spem incitantis, per gallinæ similitudinem explicari; et 1. quidem ostendi, quomodo ut gallina ex amore, et cura erga nos debilitatus, et infirmatus fuerit, assumendo humanæ naturæ infirmitates, et actiones. 2. Quomodo ad escam invitet, tum SS. Corporis sui, et Verbi Divini; tum corporalem cibum, quem magna cum charitate, et solicitudine providet : 3. Quomodo ut gallina sub alas suas colligat, et ab accipitris infernalis unguibus defendat. Inferatur dein quantopere oporteat nos pullorum affectum induere, et sub alas bonitatis; et misericordiæ divinæ per veram fiduciam confugere, Qua de re videri potest Franciscus Arias in thesaur. t. II, tr. III, c. VII.

ALII CONCEPTUS.

Sanctus Gregorius Nyssenus quærit, cur sacer Propheta tam multis Psalmis hæc paucula præscripserit *in finem;* quibus nos exhortatur, ut intentis semper oculis finem spectemus. Textus Græcus habet : *in victoriam ;* tamquam admonens, ut victoriam habeamus ob oculos. Dicit nunc Nyssenus; Quorsum tantopere nobis commendatur consideratio finis, et victoriæ? Forte an malum esset cogitare initium, ac bellum, quando etiam *militia est,* nec aliud quidpiam, *vita hominis super terram?* Job. VII, vers. 1. Quare ergo tamquam negligentes principii, semper respiciamus finem, aut velut incurii pugnæ, spectemus victoriam? Respondet Nissenus Tract. II, in Psal. Cum omnis certaminis victoria sit finis, ad quam, qui certamen ingrediuntur, omnia referant, eaque freti pugnare incipiant, mihi plane persuadeo, finis nomine, velut brevi quadam commonitione excitari omnes, qui in hujus vitæ stadio per virtutis exercitationem decertant, ut finem respicientes, spe coronæ obtinendæ, certaminum laborem levent, et minuant. Variis in hoc mundo urgemur undique præliis, monstra sæpe multarum, et magnarum miseriarum subigenda; ut vero quisque ardenter pugnet, et fortiter dimicet, præliatoribus omnibus acclamat contenta voce David : *in* *finem, in victoriam*; tamquam diceret : Certa viriliter, fortis athleta Christi, committe intrepide, animose congredere, fidenter dimica, quando vides, quod ad remunerandum tuos labores, ad præmiandum tuos sudores, ad compensandum tuas fatigationes, cœlum coronas tibi æternas adornat, et lauros perpetuas paratas servat. Et quis non seipsum ad pugnandum excitet, qui certa constituta operi suo præmia, eaque tam præclara certo novit. Did. Nyss., *sen.*, § 1, *in Sabb. post Dom.* I, *quadr.*

Huc allusit Salomon cum ait : *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis ;* Prov. XXI, 4. Qui tametsi difficilis sit locus, ob variam interpretum expositionem, rei tamen præsenti servit cujusdam moderni (Salasar) commentarius, qui id sic dictum vult a Salomone, ut si quis angustiis pectoris inter hujus vitæ adversitates, quæ tolerantur, laborans dilatari animo, et ex ærumnarum arcto in apertum evadere velit, non figat obtutum in calamitates præsentes, sed erigat magis, et sursum aspiciens videat, paratam esse his afflictionibus gloriam, constitutam his ærumnis remunerationem, atque hinc futurum, ut mitigentur dolores, extenuentur angores, respiretque inter angustias, et dilatetur animus. Nec enim aliud est quo latius explicetur, quam quod certo sciat, constitutam esse suam cuique laboris, et adversitatum tolerantiæ, remunerationem. Et hoc est, quod ait Salomon : *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis ;* scilicet magnum illis robur venit ab oculis, qui sursum sedulo spectant, et quæ merces fortiter adversa ferentibus præparata sit, diligenter considerant. Hinc illud Marci Senecæ epitom. controv. l. v, controv. I. Tolle spem hominibus, nemo victus tentabit arma, nemo infeliciter expertus negotiationem, alios appetet quæstus ; nemo naufragus vivet. Spes est ultimum adversarum rerum solatium. *Ibidem.*

Populus Dei, quem misera confusæ Babylonis servitus oppressum tenebat, de se ipso quidpiam pronuntiat, quod obscurum habet sensum : *Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus, dum recordaremur tui, Sion :* aiebat *Ps.* CXXXVI. Est hæc figura eorum, quæ christianis in hac mundi Babylone captivis accidunt, donec sursum in supernam cœlorum Sionem emergant. Sed animadvertendum studiose, diligenterque, quod aiebant : *Super flumina Babylonis illic sedimus :* quod quis sive tristi, sive hilari animo in viridi, et opaca ripa pellucidarum aquarum præterlabentium sedeat, id quotidie videas ; sed ut quispiam inconstantibus, et fluxis in aquis, tamquam in solido, ac firmo pavimento sedeat, aut hæreat, nec subsidat, qui fieri possit ? At si ita est, quid est, quod captivi isti aiunt, se tam fuisse agiles, tam leves, ut super aquas sederint, nec abrepti ab eis, aut mersi fuerint ? *Super flumina sedimus.* Unde illis tanta tum agilitas, tum stabilitas, ut nec sorbere eos aquæ, nec deorsum abstrahere secum potuerint ? Non vides, quid ipsi illi dicant : *Super flumina sedimus, dum recordaremur tui, Sion.* Gloriam Sionis animo volvebant, quietem cœlorum æterna præmia cogitabant, hæc illis inter medias aquas tantarum adversitatum addebant alas, et stabilitatem, ut nec per tristitiam eos sorbere, nec per desperationem abripere possent. Abbatis Tuitiensis hæc tam sapiens est cogitatio, quam talibus verbis reddidit : illorum erat hoc dicere, qui recordabantur Sion. Tales nimirum non sub aquis fluminis absorpti erant, sed supersedebant, similes aviculis, quas aquæ imperio Dei produxerunt paratas ad volandum. *Ibid.*

De subulcis scribit Theophylactus : Porcorum pastores cum non possunt compescere porcum clamantem, resupinantes illum efficiunt, ut minus clamet. Debent hoc agere pastores, et prædicatores cum rationali grege, quem illis Deus commendavit. Si quem viderint, qui ærumnarum impatiens demurmuret, qui calamitates animo iniquiore ferat, resupinantes illum efficient, ut minus clamet, cum obmurmuratio, et impatientia hominum ex eo nascantur, quod quis terram spectat, et solas adversitates præsentes considerat, fac, ut subducant oculos, et in gloriam quietemque, quæ illos posthæc expectat, figant, ita efficies, ut minus clament, lacrymasque illis absterges, et cor dilatabis. Sic enim habet Tertullianus I, ad Martyr, c. III. Nihil crus sentit in nervo, cum animus est in cœlo. Ornantur compedibus, non onerantur pedes eorum, qui animo cœlorum amplitudinem, gaudia, voluptates penetrant. Eæ enim sunt quæstus, aut lucri vires, ut omnem ærumnarum velut consopiant acerbitatem, et amaritudinem. Theophylactus, *in* c. XV. *Luc.*

S. Aug. in tit. *Ps.* XLVII, usitata sua subtilitate sic in ea verba inquirit : Si ergo nondum habes petitiones cordis tui, unde delectaris in Domino ? Gaudemus rebus præsentibus, futuram autem expectamus, quamcumque petimus a Deo felicitatem, quid ergo jubet David delectari in Domino ob ea, quæ ab illo petimus, neque hactenus habemus, sed deinceps speramus, et præstolamur? Nonne magis consequens fuisset, si jussisset tunc gaudere cum eorum, quæ rogabamus, copia nobis facta esset, ex quibus lætitia oriri poterat? quid mihi præcipis, delectari in præsenti, cui ut ais, dabit tibi in futuro? Respondet August. : Magno mysterio factum, quod jussus jam nunc in præsenti delectari, quamquam ea, quæ nunc petis, post hæc primum accepturus; quia certam tenes promissionem ejus, qui se efficit promittendo debitorem. Suadet, in præsenti gaudere de bonis, quæ rogatus Deus futuris diebus dabit, quia illius verba tam sunt certa, et promissa tam firma, atque ineffabilia, ut de eo quod ab illo speras, tamquam si habeas, gaudere possis, et de eo quod desideras, tamquam si possideas, lætari. Ea propter dicit Aug., se prævelle sperare ea, quæ Dominus promisit, quam possidere quæcumque hæc vita dare potest. Omnes deliciæ meæ in hac vita non sunt in re, sed ipsa spes tam certa est, ut omnibus hujus sæculi divitiis præponenda sit; causam dicti subjungit, dicens : vita enim hæc qualibet redundans felicitate multos fallit, Deus neminem, quia promissorum videri, et haberi tenacem summæ gloriæ ducit. S. Aug. *in Ps.* xlvii.

Tertius liber Regum memorat, ita pene congelasse Davidem, ut cum operiretur vestibus, non calefieret. Deliberarunt ejus famuli, quo remedio afferre calorem regi suo possent, opportunissimumque visum est, accersere puellam, quæ illi accumbens frigida membra concalefaceret : *Quæramus domino nostro regi virginem adolescentulam,* aiebant, *et foveat eum, dormiatque in sinu suo, et calefaciat dominum nostrum regem.* Reg. i, 22. Dictum factum, conquisitaque Virgo algidos frigidi senecionis artus calefecit. S. Antiochus hom. ii, quærit, quid illo facto significatum? Respondet, in Davide, frigidum inertemque peccatorem adumbratum, eum, qui ad virtutem incalescere nolit, neque excitare sese ad strenue ineundum pietatis curriculum. Quo vero is remedio curari queat, et inflammari? Quæramus adolescentulam virginem, prodeat spes præmii, dormiatque cum deside, quia hæc illum calefaciet, cunctantemque ac segnem adeo confirmabit, et ex testudine in aquilam vertat. Hæc enim est efficacitas lucri, et vis gloriæ, quæ certo expectatur. (S. Antiochus, *h.* ii.) Propterea etiam spes (ut est apud S. Eligium hom. ii.) est dicta, quod sit pes, et progrediendi facultas, quod claudo pedes, manco lacertos ac brachia, omnibus denique vires ministrat, ut vim sibi in via virtutis inferant.

Quartus liber Regum narrat, descendisse inde currum igneum, flammeosque equos, qui scintillas emittebant, ut Eliam e terris in cœlum subveherent : *Ecce currus igneus, et equi ignei, et ascendit Elias per turbinem in cœlum.* iv. Regum i, versicul. 1. Vix currum Propheta sanctus vidit, quando subintravit. Quis non admiretur factum Prophetæ, quodque nihil veritus ignem, nihil extimescens flammas, quas ejaculabantur equi, currum intrepidus conscenderit? præsertim cum nihil sit, quod homini majorem metum afferat, quam ignis : ut propterea in limine ostii paradisi excubitor positus sit Cherubim cum gladio flammeo, qui aditu prohiberet intrare volentes, de quo S. Bernardus serm. v, de verbis Isaiæ sic ait : Nec incongrue forsitan Cherubim flammeus traditur gladius, ut a ligno vitæ incisio pariter et incensio, quibus nihil carni terribilius, manum prohibeant corporalem. At si tam formidabilis est ignis, quomodo non absterrent Eliam flammæ, nec morantur scintillæ quin plenus animi, nihilque veritus ineat currum igneum, tamquam is ex argento vel auro conflatus fuisset? Discussit sapientissime hanc dubitationem Sanctus Basilius Magnus hom. de Baptismo his tam politis verbis : Elias currus, equosque igneos minime expavit, verum itineris superni desiderio incensus, contra formidolosa est ausus, ac hilaris gaudensque flammantes ascendit currus, cum adhuc esset in carne. Hœc ille. Sciebat sacer vates non esse alium currum, quo iretur ad astra, sciebat illo peti, ac penetrari paradisum; itaque spernebat scintillas; cum enim gloriam ob oculos haberet, ad quam ille currus subvehebat, nihil extimuit, spes namque præmii, et desiderium gloriæ ridet pericula, et floci facit omnes difficultates. Nam, ut est apud S. Chrysostomum hom. xxviii, in Gen. Talis neque gladium timet, neque præcipitium, neque ferarum dentes, neque tormenta, neque lictorum manus, neque aliquid triste in hac vita, sed etsi carbones videat substratos, quasi prata et paradisos videns transilit. S. Chrys. *h.* xxviii, *in Gen.*

Isaac in confinio mortis positus, et supremam benedictionem primogenito suo impertire cupidus, dicebat ad Esau : *Tolle arma tua, pharetram, et arcum, et egredere foras, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, et affer, ut comedam, et benedicat tibi anima mea, antequam moriar,* (Genes. XXVII, l. 34.) Nicolaus Lyranus quærit, quamobrem Isaac percipere a filio cibos voluit, priusquam illi extremam benedictionem relinqueret. Respondet, quia filius recipiens benedictionem, debebat patri facere obsequium, et servire in mensas. Propositum erat patri, extremum bene præcari filio, utque hic illum obsequiis eo impelleret, et parenti quamdam benefaciendi obligationem filius adferret, voluit Isaac decessurus è vita accipere ab Esau esculenta, ut pro his illi relinqueret benedictionem. Qui officium, idem vices mutuas reddendi necessitatem admittit; sperare autem ab illo beneficia, cui nulla præstiteris officia, stulta præfidentia est, et insignis amentia. NICOL. LYRAM. *in* XXVII, *Gen.*

David propter ferocientis Saulis immanitatem exul, in terram regis Achis transiit; cumque videret non sine molestia regis fieri, quod in aula ejus versaretur, alterius loci gratiam petiit, ubi citra illius incommodum degere posset, dicens : *Si inveni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in una urbium regionis hujus, ut habitem ibi.* (I. REG. XXVII, 5.) *Dedit ei itaque Achis in die illa Siceleg. (Ibid.* V, 6.) Quærit Abulensis, dominium ne civitatis, an usum solum petierit David? Respond. q. 20. Dicendum, quod noluit urbem petere in titulum; sed quid causæ habuerit sanctus David, ut solum domicilium petierit, dominium autem simul rogare ausus non fuerit? occurrit iterum : Quia verecundum sibi erat, quod ipse peteret unam urbem in titulum a rege Achis, cui nihil unquam servierat. Nulla extabant Davidis in reges Achis officia, qua fronte ergo ab illo civitatis dominium expectaret? Vana est sine meritis spes omnis mercedis. Verecundum erat Davidi petere ab eo, cui numquam servierat. ABULENSIS *in* c. XXVII, l. I, *Reg.*

Discedebat ab opulenta et lauta Sponsi sui domo Sponsa, jamque aliquantum abierat, quando ille dulcem conjugem suam his verbis identidem revocabat, dicens : *Revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.* c. VI, 12. Quæri hoc loco potest, cur tot voces dederit sponsus, ut sponsa rediret, et videndi sui copiam faceret, cum vox una facile sat fuerit illi revocandæ, cujus solius res hic agebatur, et sponsus nihil utilitatis ex reditu illius expectare potuerit; cur ergo toties, ac tantopere illam inclamarit? Resp. egregie S. Justus Orgelitanus : Idcirco tam crebro ei, *revertere*, dicitur, ut si jam conversa deliquerit, in desperationem non decidat, sed a peccandi consuetudine spe indulgentiæ resipiscat. Qui crebris vocibus abeuntem quempiam revocat, quantum illius reditum expetat, satis indicat, cujus unaquæque vox desiderium, quo erga illum fertur, velut proclamat. Propterea Sponsus abeuntem a domo sua Sponsam tot vocibus revocat, ut ei animum fidenter revertendi faciat, ne timeat, quantumvis offendisse sciat; nec desperet, gravissime licet, atque enormissime irritasse noverit; qui enim tot clamores edit, ut eam revocet, admittere illam in gratiam pristinam vehementer desiderat. Idcirco tam crebro ei dicitur, *revertere,* ut etiamsi conversa deliquerit, non decidat in desperationem, sed a peccandi consuetudine spe indulgentiæ resipiscat. S. JUSTUS. ORGELIT. *in* c. VI, *Cant.*

Gregorius Nyssenus verba hæc : *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit :* sic explicat : Licet vita infinitis scelerum maculis notata sit, ut collectio illa peccatorum mille annorum esse videatur, pro nihilo tamen illam congeriem reputatum iri, dummodo pedem referat; nam divinus oculus præsentia semper intuetur, præteritum vero non æstimat, sed instar unius diei, vel noctis, quæ jam præteriit, a Deo habetur. Hæc ille tr. I. in Psalm. c. VII. Sensus ergo Davidis ex commentatione Nysseni est, benignitate Dei, et peccatorum suorum remissione diffidere neminem debere, si modo peccasse serio doleat, quamvis pauculo tempore, tam multis flagitiis se contaminaverit, quanta alius per millenos, et hic plures annos vix perpetrare potuerit, idque eam ob causam, quod plurimum amet veræ pœnitentiæ studiosos, et præsenti tempore, quo pœnitentiæ strenuam dant operam, sic oblectetur, ut præteritos annos quos peccando exegerunt, non æstimet, sed instar unius dieculæ ejusque jam dudum elapsæ, habeat. S. GREG. NYSS. *tr.* I, *in Ps.* c. VII.

Propheta regius ait : *Credo videre bona Domini in terra viventium :* Psalm. XXVI, 13 hoc est : Firmissima spe teneor, quod oculis aliquando usurpabo ea Domini bona, quibus viventium terra fruitur. S. Gregorius Nyssenus ait, quosdam velle, Prophetam regium Davidem de illa terra materiali hic loqui, in qua boni et mali, sancti et peccatores cohabitantes vivimus. Verum huic ille se opponit opinioni, aitque, Davidem, cum ista ex suo omniumque servorum Dei nomine dixit, non fuisse tam corrupto palato, vel judicio, ut præmio tam exili, tenui, paupere contentus esset, suosque labores digne remuneratos putaret hujus perituræ, caducæque terræ expectatione, ab eo maxime, cujus tanta est munificentia, tamque generosa proclivitas, ut exigua officia, et parvas ærumnas animo magno pro se toleratas ingenti mercede soleat compensare. Videamus causam, ob quam non cum aliis consentit Nyssenus, qui in Orat. 2. de Beatitud. sic habet : Quid igitur opus est iis inferna terra, quorum vita spe suspensa est? Omnes justi, et sancti fide a Deo infusa noverunt, præmium extremum, quod pro suis laboribus expectant, non in hac passionibus obnoxia, sed in illa gloriosa terra conferendum. Quamdiu hic mortales vivunt, semper anhelant, perpetuoque suspirant vitam æternam, exclamantque identidem cum Psalmographo : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Ps. CXIX, 5. Heu quantum tardat tam longis votis expetita patria! Dicit nunc Nyssenus : Spes protracta, et diuturnum desiderium ejus, quod appetitur, tam acerbe cruciat, tam acriter afflictat, ut justus luto vilius putaret totius terræ dominium, si illi offerretur, sed cum onere longæ expectationis, nullus ei honor offerri videretur : plus enim torquet spes, quæ differtur, quam imperium, quod longe lateque diffunditur. *Idem in cr.* 2. *de beat.*

Cornelius a Lapide verba illa Salomonis : *Spes, quæ differtur, affligit animam,* (Prov. XIII.) sic explicat : Sicut corpus cruciatur, dum extenditur ultra naturalem modum, et situm in equuleo, sic pariter cruciatur animus, dum extenditur distensione spei, et longa expectatione rei desideratæ. Quod ergo est corpori equuleus, hoc est animæ dilatio rei speratæ. Ut enim corpus funibus immodice contentis luxatur, sic anima dilatione diuturna pœnaliter convellitur, et distrahitur. CORNEL. *in* c. XIII, *Pr.*

Duo poli, quibus omnis bona, et prudens gubernatio nititur, et geminæ columnæ, quæ sustentant virtutem, constabiliunt æquitatem, coercent, recteque informant mores, sunt pietas et justitia, suavitas et asperitas, timor et spes, supplicium et præmium, laurus et gladius. Hæc sunt fundamenta, ex quibus omnis bonæ actionis felix successus pendet. His duobus sociis comitatus homo per viam suam animosus, securus, ac tutus pergit. Si autem ab alterutro horum destituitur, aut deficiet animo, aut suæ confidentiæ manibus conficitur, ac perit. Inter spem et metum, tamquam duas molas versari debemus, inquit Pontifex Maximus Innocentius III, ser. I. Dom. 3. Advent. ut videlicet timor temperet spem, ne præsumamus, spes vero timorem, ne desperemus. Palam est, quod recte moli triticum, commodaque pani coquendo farina confici nequeat, nisi saxum saxo immineat, ejusque rapido, et valido rotatu tritum frumentum pro rubicundis, aut fulvis granis candidos pulveres reddat. Concurrere ad eum effectum saxa necessum est. Nam id, quod in orbem semper agitur, parum efficit absque socio, et illud, quod immotum perpetuo jacet, non satis est solum, si non juvetur ab eo, quod numquam conquiescit : ambo saxa, quod impendet, quodque succumbit, conjuncta aptant commodiori alimoniæ triticum. Jam ut frumentum inter duos lapides molares versari debet, quo apta pani, et victui farina inde fiat, inquit Innocentius; sic etiam vita spiritualis, et omnis bona reipubl. procuratio inter spem, et timorem, rigorem, et lenitatem, gaudium, et dolorem, pœnam, et remunerationem, pietatem, et justitiam versari debet, ut asperitatem unius leniat suavitas alterius, et rigorem timoris mitiget dulcedo spei; hæc enim nos roborat, quando ille angit, et in officio timor continet eos, qui a spe intumescunt superbia. Huc procul dubio allusit secundum sensum spiritualem Dominus in lege veteri, quando, et hanc, præter multas, tulit, qua severissime cavit, ne quis pignoris loco ab Hebræo lapidem qualemvis molarem auferret, quo ille ad molendum seu triticum, seu aliud quodcumque necessarium familiæ esui, et usui frumentum uteretur : *Non accipies loco pignoris inferiorem, et superiorem molam,* aiebat ille XXIV, 6. Quid mystici sensus subest huic jussioni, quod nobis inducatum voluit Legislator. DID. NYS. p. 2. Pol. 26.

Subnotavit S. Laurentius Justinianus mysticas circumstantias, quæ concurrerunt in conversione Vicarii Christi, quasque divinus Magister conjungit, ut infidum ad resipiscentiam, et lacrymas proveheret discipulum, de quo Lucas ibid. v. 62. *Et egressus foras Pe-*

trus flevit amare, commigransque e Babylone palatii transiit contritionis Jerosolymam. Concurrunt autem cantus galli, et visus Magistri ad conversionem sacri Apostoli. Quid vero sibi vult ista rerum talium conjunctio, cum nulla sit in Scriptura, et Domini nostri gestis circumstantia, quæ plurimis gravida mysteriis non sit? Resp. magnus Venetorum Patriarcha de Agone Christi c. IX. In galli cantu judicis terror, in aspectu Christi gratiæ cœlestis infusio. Præcedit judicii pavor, subsequitur autem benevolentia charitatis. Ambo tamen immutant propositum, adducunt fletum, dilectionem ingerunt, amoris enutriunt flammam, et convertunt ad Christum. Gallus regiæ majestatis est symbolum. Corona, quam capite præfert, hoc loquitur. Vox illius ferocissimum quemvis leonem terrefacit, ut aiunt Pierius Berchorius, Ricciardus, Bartholomæus, Angelicus, et Vincentius Belvacensis, et alii non pauci. Est præterea contentiosum, et pugnacissimum animal, cujus fervidiorem indolem produnt, et erectum collum, et rigida cervix, et flagrantes oculi, et ipsa incessus immodica gravitas. Oculi Domini ut plurimum sunt pietatis illius, et amoris signa. Conspersæ sunt divinæ litteræ crebris testimoniis, quæ hanc veritatem comprobent. Quod ergo ad conversionem Petri, et ad extrahenda ab intimo illius corde per oculorum fenestras pignora doloris, ad lacrymas, inquam, proficiendas concurrerunt terror severitatis adumbratæ in gallo, et dulcedo pietatis natæ ex benevolo intuitu Domini, id factum, ut judicio, et documento esset, quod ad conversionem peccatoris, et gratiæ divinæ stabilitatem fovendam conservandamque, nulla sunt aptiora, et commodiora remedia, quam terror judicii, qui est pater timoris, et suavitas divinæ clementiæ, quæ est spei mater. Ex his parentibus nascitur perennitas, et conservatio status divinæ gratiæ. S. LAUR. JUSTIN. IX, *de Agon. Chr.*

Provida natura duo ubera constituit, tamquam duos fontes, qui suam infantibus dulci scaturigine alimoniam lacteam fundat. Sunt autem gemini fontes, ut, cum unus fatigari cœperit, alter illum suo onere tantisper levet pietatisque ministerium levius illis accidat, dum per vices obeunt. Sic etiam ut charitas nutriatur, et crescat, utroque timoris et spei ubere alenda est, inquit S. Laurentius Justinianus, ambo amoris enutriunt flammam. Quod si te alterum uberum sua horribili specie terreat, arripe alterum, cujus elegantior, amabiliorque forma; spes enim præmii vehementer allectat, et roborat. Si autem spes nimis præfidentem faciat, papillam timoris invade, ut is immodicam temperet præsumptionem. Una enim mammilla abspue altera perfecte, ut videtur, nutricari, et conservare amantem in statu gratiæ non potest. DIDAC. NISS. p. 2. *polit.* l. II. a. 7.

Decreverat Dominus nominare summum Sacerdotem fratrem Moysis, ad placandos animos, præoccupandamque, et avertendam omnem tanti honoris ambitionem. Præcepit ergo, ut quisque duodecim tribuum princeps virgam adferret, cujus summitati nomen uniuscujusque inscriptum esset. De Aarone hoc seorsim mandavit : *Nomen autem Aaron erit in tribu Levi.* Tum jussit, ut virgas in tabernaculo collocarent, et ab ea, quæ sola ex omnibus germinaret, discernerent, quis summi pontificatus sedem occupare deberet. Obtemperatum est divino hortatui, et die sequenti admirabile visum portentum, quod sacer Scriptor his verbis exponit : *Invenit Moyses germinasse virgam Aaron, et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Ibid. v. 7. Dubitari potest, quo consilio Dominus, cum tam admirabili modo Pontificem, et summum populi Sacerdotem declarare vellet, ad hanc rem, uti voluerit arida, et exsucca virga, quæ repente viruit, fronduit, floruit, germinavit, cum alia media prodigiosa infinita illi non deessent, quibus indicare posset illo munere dignissimum, quemque ille præ omnibus aliis Pontificem cuperet. Cur alta illius providentia eligit virgam primum siccam, deinde viridem, et florentem, quæ designaret eum, qui ex universo populo aptissimus esset tam sublimi ministerio? Multi multas acutas, et congruentes hujus facti rationes excogitarunt; docti vero alicujus de hac re cogitatus causæ præsenti commodus venit, et sic habet : Virga, qua Aaronis electio designata est, floruit, cum esset arida, ut significaret, etiamsi virgam nobis in superiorem eligamus excisam trunco, nihil humoris ab arbore aut terra trahentem, et aridam, facturum Deum, ut florescat et fructus nobis pariat. Sic Tuffus in c. VIII. Eccl. v, 7, Hinc accipiemus, quod Dominus, cum alicui officium curandum imponat, aut committit; quamquam is truncus sit, vel stipes vel lignum aridum, faciet, ut virescat, frondescat, fragret. Quod Dei jussione, et ordinatione fit, quantumvis sit arduum, ac difficile, id semper feliciter perficitur, qui, cum onus immittit, vires simul submittit, quibus ferri queat : pro nomine suo præliantibus auxilium pollicetur. Certissima est victoria, ubi ex Dei imperio etiam cum innumeris hostibus pugnatur. TUFFUS *in.*

Propheta regius inter alia dicebat : *Fiat misericordia tua, ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo*, Psalm. CXVIII. 76. Alia versio habet : *Fiat misericordia tua ut exhortetur me.* Quamobrem Propheta rogabat, ut Dominus illum, et adhortaretur ad passionem, et sui eloquii decreto, divinæque voluntatis suæ mandato decerneret ærumnas quascumque tolerare necessum esset? Cur tam anxie obsecrabat positus inter adversa David, ut hoc Deus illi significaret, singulari providentiæ ejus consilio constitutum esse, quicquid calamitatum subiret, quod hoc ipsi maximam inter gravissimas ærumnas consolationem allaturum esset? Huic quæsito respondebit S. Ambrosius Octonario 10. in Ps. CXVIII. inquiens : Non omnis passio digna consolatione est, sed quæ passio pro Christo est, hæc consolationem Christi meretur. Pulchre autem addidit, *secundum verbum tuum servo tuo :* ipse enim Dominus pro suo nomine præliantibus auxilium pollicetur. Optabat ergo Propheta scire, ex Dei ordinatione venire, quod adversitatibus affligaretur, cum hoc non ignoraret, certo adfuturam sibi Domini opem, si quam ex illius constitutione subiret calamitatem. Semper enim Deus suum pollicetur adjutorium his, qui pro illius nomine, ac jussu incommoda tolerant. Pulchre addidit, *secundum verbum tuum servo tuo.* Imperet Deus pugnare et indubitata sequetur victoria. Injiciat Deus humeris cujuspiam onus tribulationis, et non deerunt vires ferendi. S. AMBR. *octon.* X, *in Ps.* CXVIII.

MICELLANEA.

QUALITAS. — Asquinus piscis, teste S. Ambrosio, cum advertit tempestatem, tam arcte rupi adhæret, ut nullis fluctibus ab ea divelli possit. PET. SANT. p. 4. c. V.

Livius narrat, Terentio Varroni e Cannensi clade infelicissime redeunti, senatum, populumque Romanum quasi re bene gesta occurrisse, gratiasque egisse, quod de Republica non desperasset, sed quantulumcumque supererat de exercitu, reduxisset. L. XXII.

Cæsar ascensurus navim, in terram pronus cum corruisset, milite nonnihil perterrefacto : Teneo te, ait, o terra mater, teneo, te. DREX. *in Rosit.* p. 2, c. III, § 6.

Spem in re caduca collocatam sic prisci depingebant. Arborum procerissimam ad fluminis marginem statuebant, quæ prona in flumen brachia extenderet. In arboris vertice virguncula misere hærebat, aurea catena colligata. Hæc imminentem arboris ruinam ex continua fluminis alluvione cernens, descensum ex arbore tam periculosa omnibus viribus moliebatur, ne trunco radicitus subrupto præceps in aquas raperetur, sed aurea vincula vel invitam retinebant. *Idem.* 4.

Plato dicebat, spes mortalium nihil aliud, quam somnia vigilantium, aut potius desiderantium esse. *Idem in Heliotrop.* c. V, § 1.

Maximilianus II. Romanorum Imperator, quotiescumque res adversæ animum sollicitabant, familiare sibi symbolum proferebat : Dominus providebit. *Ibid.* c. IV.

Marcus Anachoreta dicere solebat : qui Deo non fidit in his caducis, quanto minus in aliis æternitatem spectantibus fidet? *Ib.* c. XII, § 1.

Mendicus fuisse dicitur, qui, ubi manticam bene oppletam vidit, tum demum dixit : Jam spero. Huic plures ex hominibus similes. *Ib.* § 4.

Thales sciscitatus, quid maxime commune esset omnibus? spes, respondit, hanc enim etiam illi habent, qui nihil aliud habent.

Effectus spei pulchre describit Tibullus, dum canit :

Spes alit agricolas : spes sulcis credit arantis
  Semina, quæ magno fænore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
  Cum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida solatur compede vinctum,
  Crura sonat ferro, sed canit inter opus.
L. II. ep. VI.

Sed et Ovidius non male eos expressit, dum cecinit :

Hæc Dea, cum fugerent sceleratas Numina terras,
  In Diis invisa sola remansit humo.
Hæc facit, ut fossor vivat quoque compede vinctus
  Liberaque a ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut videat cum terras undique nudas,
  Naufragus in mediis brachia jactet aquis.
Sæpe aliquem solers medicorum cura relinquet :
  Nec spes huic vena deficiente cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem,
  Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
OVID. l. I, *de Pont.* l. VII.

Necessitas. — Venatores elephantem capturi arborem in imo ita secant, ut stare quidem adhuc possit, sed minimo motu concidat; huic ergo dum elephas sommum capturus se acclinat, et ipse, et arbor magno impetu corruunt. Simile quid accidit illis, qui spem suam in homine fragili potius, quam Deo, ponunt. Hinc Origenes illam sententiam : Maledictus homo, qui pendet in ligno explicans, ait idem esse, ac, maledictus homo, qui confidit in homine. Ex ligno namque pendere est spem suam ex homine, velut fragili trunco, suspensam habere. Drexel. Heliotr. l. V, c. x, § 2.

Alii ejusmodi humana auxilia hedere Jonæ similia dicunt, quæ uno die exaruit, et omnem Jonæ spem lætitiamque corrupit. *Ib.* iv, 5.

Amilcar dux Carthaginensium obsidens Syracusas, cum sub somno audivisse se crederet vocem dicentem, quod proximo die in urbe cœnaturus esset, mane facto, lætus urbem oppugnavit, sed a Syracusanis erumpentibus captus, errorem suum agnovit. Valer. l. I, c. vii.

Scipio, cum miles quidam scutum aliquod suum impenetrabile gloriose ostentaret, increpuit ipsum, dixitque Romanos non in læva manu, et clypeo, sed dextra, id est gladio, spem suam repositam habent. Drex. *in Rosis.* p. 2, c. v, § 3.

Mythologi spem fallacem hominum apte sequenti apologo explicarunt : Bubulcus stabulum ingressus, boves mire lætos reperit; causam lætitiæ interrogati responderunt, somniasse se, quod hunc diem in pascuis pinguissimis sint transacturi : quibus Bubulcus respondit : Ast ego somniavi, vos hodie aratrum tractaturos, simulque eidem illos alligavit. *Ibid.*

Utilitas. — Spes omnis obliviscitur periculi.

Edulcat omnes optima spes molestias.
Speres meliora : quidquid accidit, feras.
Lamb. vor.

S. Paulinus dicere solebat : illi, qui spes suas in Deo collocavit, sunt telæ aranearum pro fortissimis mœnibus; sicut ex adverso fortissima mœnia illi, qui rebus humanis nititur, nonnisi aranearum sunt telæ. (Pæd. Chr. p. 2. c. xxiii, § 6.) Sic S. Felix Nolanus, dum hostes fugiens inter duos parietes se abscondit; subito aranearum opere tectus sex totos menses latuit nullo alio usus cibo, quam quem mulier, licet ignara rei, eo subinde recondebat; potu autem, quem Deus immisso quotidie rore sufficiebat. Ribad. *in vit.* xiv, *Jan.*

Jucunditas. — Bias rogatus, quid esset dulce hominibus? spes, respondit. Lonchus *in Poliant.* s. 1055.

Franciscus Petrarcha de spe sic loquitur : Vere itaque bona spes est, quæ de vero bono rite concepta est. Hanc, qui habet, stringat, teneat, neque abire eam vel in ultimis sinat, sororesque illi suas jungat charitatem, et fidem. Hæc spes dulcis, læta, verax, felix est, quæque nec sperantem fallit, nec confundit, sed ad optimum provehit, animumque interim sperati boni anticipatione lætificat. Dial. cix.

S. Augustinus dixit, spem esse beatitudinem hujus vitæ mortalis. Drex. *in Ros.* p. 2,

AXIOMATA.

Dum spiro, spero, recte dixit non nemo. Anonym.

Spes, quæ differtur, affligit animam; lignum vitæ, desiderium veniens. Prov. xiii, 12.

Qui nihil potest sperare, desperet nihil. Senec. *in Medea.*

Magnus labor exspectare. Petrarcha Dial. cix.

In portum veni, spes, et fortuna valete. Nil mihi vobiscum : ludite nunc alios. Anonym.

Sapientis in spe vita semper sit, decet. Buchler.

Capta avis est pluris, quam mille in gramine ruris.

Prævalet in manibus sexcentis una volueris. *Idem.*

AUCTORES.

Franciscus Arias in thesauro inexhausto tom. II, art. 3.

Jacobus Alvarez tom. II. lib. III, p. 1, c. ix, § 1.

Theophilus Bernardinus de religiosæ perseverantiæ præsidiis l. V, c. vii, et seq.

Hieremias Drexelius in Heliotropio l. V, c. i, et seq. Et in Rosis p. 2. c. viii.

Philippus D' Outreman in Pædag. Christiano p. 2, c. ii, § 6.

Pater Nicolaus Sault in fonte selatii, seu tractatus de fiducia in Deum.

Alphons. Rodr. p. 3, tr. 1, c. xv, et seq.

Bernardinus Rosignolius de disciplina Christianæ perfectionis l. III, c. v.

Thomas Stapletonus them. v, in Dom. xiv, poss Pent. them. iii, in Dom. xviii, et them. iv, in Dom. xxiii. Item tom. iv, in Dom. Pasch. text. i, in Dom. i, post Pasch. t. IV, in Dom. iv, post. Epiph.

Matthias Faber conc. vi, in Dom. xviii, post Pentec.

Petrus Sanchez in regno Dei p. 4, c. v.

Jacobus Marchantius in Horto Pastorum l. II, tr. i.

Josephus Mansi Biblioth. mor. lxxxv.

SPIRITUS SANCTUS

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est tertia persona in divinis a Patre Filioque procedens. Vocatur Spiritus a vento, teste S. Cypriano, quem trahimus et afflamus, ut respiratio, aspiratio, suspiratio, inspiratio, expiratio, e Spiritu S. et causam habeat, et materiam, et proventum. Sanctus autem vocatur quia ipsius, velut amoris divini proprium est ad sanctitatem perducere. Licet autem etiam Pater et Filius vere Spiritus S. sint, dicique possint, hoc tamen nomen personæ tertiæ per appropriationem eidem attributum est, tum quia nomen aliud proprium non habebat, ut Pater et Filius; (S. Cypr. *s. de Pent.*) tum quia, ut S. Aug. discurrit, conveniebat, ut, ex nomine, quod utrique convenit, utriusque communio significaretur; (S. Aug. l. V, *de Tr.* c. xi.) tum quia, ut S. Th. ait : Proprium est amoris, per quem Spiritus S. procedit, quod moveat, et impellat voluntatem amantis in amatum. S. Th. I, p. qu. 3, c. i.

Dona Spiritus Sancti. — Sunt septem, per Isaiam indicata : Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, et Intellectus, Spiritus Consilii, et Fortitudinis, Spiritus Scientiæ et Pietatis et replebit eum Spiritus Timoris Domini. Isaiæ xi, 2.

Donum *Sapientiæ* est internus quidam, ac suavissimus gustus et sapor, quo etiamnum in terris existentes cœlestia gaudia prælibamus, et angelicam vitam vivimus, juxta illud Davidis : Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus. *Ps.* xxxiii, 22.

Donum *Scientiæ* est, quo nostræ naturæ fragilitas, et divinæ voluntatis regula, ac salutis via cognoscitur, fraudesque ac astutiæ mundi, carnis, ac dæmonis deteguntur. Lud. de Pont, p. 5, *mod.* vii.

Donum *Intellectus* est, quo dubia, perplexitates, nebulæ, diffidentiæ, et torpores in operando, credendo, et sperando pelluntur, et pax gaudiumque in articulis fidei credendis communicatur.

Donum *Consilii* est, quo in occasionibus peccandi media nobis salutaria ad vitandum peccatum et interitum suggeruntur.

Donum *Fortitudinis* est, quo cor nostrum imbecille ac timidum roboratur, ad temporalia detrimenta spernenda, ut æterna evadamus.

Donum *Pietatis* est, quo cor nostrum emollitur ab benefaciendum proximo, misericordiamque in occasionibus præcipue vindictæ exhibendam.

Donum *Timoris* est, quo spiritus superbiæ reprimitur animusque ad secreta, et tremenda judicia Dei expavenda compungitur. Unde patet, per prima tria hominem in operibus vitæ contemplativæ perfici; per ultima tria vero in operibus vitæ activæ dirigi, et erga seipsum, proximum, et Deum ordinari. Donum Consilii autem in medio velut solem esse, et lumen circa agenda utriusque vitæ præferre.

Hæc ipsa dona aliqui volunt per septem lucernas, quas Dominus voluit in tabernaculo lucere, designata fuisse : (*Num.* viii, 2.) Alii per septem spicas, quas Pharao in culmo uno pulcherrimas pullulare vidit : (Gen. xxxi, 27.) alii per septem oculos, qui apud Zachariam erant in lapide uno (Zach. iii, 9.) : alii per cornua septem a S. Joanne conspecta : (*Apoc.* v, 9.) alii per septem apparitiones a Christo post resurrectionem factas : alii per septem gradus, quibus a loco vulgi ad atrium mundorum in tabernaculo ascendebatur. Ezech. xl.

Fructus Spiritus Sancti. — Fructus Spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Gal. v, 22.

EX S. SCRIPTURA.

Veritas. — Vidi Spiritum descendentem de cœlo, quasi columbam, et mansit super eum. Joan. i, 31

Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto. *Ib.* v. 33.

Hoc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum. JOAN. XX, 22.

Nescitis, quia templum Dei estis vos, et Spiritus Dei habitat in vobis. I. *Cor.* III, 16.

Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis. II. *Tim.* I, 14.

In hoc scimus, quoniam manet in nobis, de Spiritu, quem dedit nobis. I. JOAN., III, 24.

Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt. I. JOAN. V, 7.

Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere. JOAN. XIV, 16.

Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. I. *Cor.* XII.

QUALITAS. — O quam suavis est, Domine, Spiritus tuus.

Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. *Sap.* XII, 1.

Signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. I. *Cor.* II, 10.

NECESSITAS. — Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. I. *Cor.* XII, 3.

UTILITAS. — Spiritus Sanctus docebit vos in illa hora, quid oporteat vos dicere. LUC. XII, 12.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S., qui datus est nobis. *Rom.* V, 5.

Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. II. *Cor.* III, 13.

Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ. *Ps.* CIII, 30.

Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. *Rom.* VIII, 16.

Dabo eis cor novum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum ; et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, et præcepta mea custodiant, faciantque ea, ut sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. EZECH. XI, 19.

Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. *Rom.* VIII, 11.

Similiter autem, et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram ; nam, quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Ib. v.* 26.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Habitare in corpore animam, probant vitales sensus corporis : habitare in animam Spiritum, probat vita spiritualis ; illud ex visu, et auditu cognoscitur ; istud ex charitate, et humilitate, cæterisque virtutibus. S. GREG. *in mor.*

Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. S. AMBR. *in cap.* I. *Luc.*

Spiritus Sanctus in quibusdam virtutibus electis suis adest, aliquando se subtrahit. MARTIAL, S. GREG. *sup. cant.*

Dona Spiritus Sancti usque adeo nectuntur, ut separari nequeant. *Idem in mor.*

Spiritus Sanctus regia substantia est. S. CHRYS. *sup. Ep. ad eorum.*

Spiritus Sancti opus est regeneratio.

NECESSITAS. — Recedente Spiritu Sancto a tabernaculo mentis, evacuatur homo dulcedine, et impletur omni amaritudine ; nullusque ei locus in cœlo est, quia alienum se fecit a bonitate. S. AMBR. *de Sacr. Episc. in Epist. ad Burdigal.*

Mens quæ Spiritus Sancti ignorat abscessum, patet seductioni, et quæ reditum non observat, erit ingrata visitationi. S. BERN. *sup. Cant. ser.* XVIII.

Spiritus Sancti gratia indigemus, ut custodiat corda et intelligentias, ne forte cum non aderit, adesse putemus. *Idem ib.*

UTILITAS. — Porro ad faciendum bonum quid in nobis bonus Spiritus operatur ? profecto monet, et movet, et docet : monet memoriam, movet voluntatem, et docet rationem, nec minimam paleam intra cordis, quod possidet habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis et compunctionis exurit Spiritus dulcis, et suavis. S. GREG. *in moral.*

Idcirco Spiritus Sanctus igne, et columba nobis monstratus est, quia videlicet omnes, quos implet, et columbæ simplicitate mansuetos, et igne zeli ardentes exhibet. Nequaquam ergo Spiritu Sancto plenus est, qui aut tranquillitate mansuetudinis fervorem æmulationis deserit, aut rursus in æmulationis ardore virtute mansuetudinis amittit. *Idem.*

In terra datur Spiritus, ut diligatur proximus; e cœlo datur Spiritus, ut diligatur Deus; sicut ergo una est charitas, et duo præcepta; ita unus Spiritus, et duo dona. *Id. ho.* XXVI.

Spiritus Paracletus dat pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen, pignus salutis, ut ipse reddat testimonium Spiritui tuo, quod filius Dei sis; robur vitæ, ut, quod per naturam tibi impossibile est, per gratiam ejus non solum possibile, sed etiam facile fiat : lumen scientiæ, ut cum omnia benefeceris, te servum inutilem putes, et quidquid boni in te inveneris, illi tribuas, a quo omne bonum est. In istis tribus, Spiritus Sanctus docebit te omnia, quæ pertinent ad salutem. S. BERN. *in ser.* II, *Pent.*

Nulla id discendo mora est, ubi Spiritus Sanctus doctor adest. VEN. BED. *hom.* IX, *in Luc.*

Spiritus Sanctus in columba, et igne apparuit, quia omne cor, quod ejus gratia tangitur, et mansuetudinis lenitate tranquillum, et zelo justitiæ sit accensum. *Id, in ho.*

In linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes, quos repleverit, ardentes pariter, et loquentes facit. Linguas igneas doctores habent, quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant. Nam et otiosus sermo doctoris est, si præbere non valet incendium amoris. S. GREG. *ho.* XXX, *in Ev.*

O qualis est artifex, iste Spiritus, nulla ad discendum mora agitur in omne, quod voluerit; mox enim ut tetigerit mentem, docet, solumque titigisse, docuisse est. *Ibid.*

Quod est anima corpori hominis, hoc est Spiritus Sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia : hoc agit spiritus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis. S. AUG. s. II. *Fer.* II, *Pent.*

Spiritus Domini ferebatur super aquas, seu, ut in Hebræo habetur, incubabat, sive confovebat, in similitudinem volucris ova calore animantis. Ex quo intelligimus, non de Spiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu Sancto, qui et ipse vivificator omnium a principio dicitur. S. HIERON. *in tradic in Genes.*

EXEMPLA CHRISTIANA.

VERITAS. — Baptizante Christum S. Joanne descendit Spiritus S. de cœlo quasi columba, et mansit super eum. *Inc.* I.

Dum complerentur dies Pentecostes, erant pariter omnes in eodem loco, et factus est repente de cœlo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis. *Actor.* II.

Anno Domini 1275, quædam mulier devota a sensibus abstracta vidit, quod, cum Patres Franciscani Comitia generalia celebrarent, Spiritus Sanctus super illos in Ecclesia congregatos in specie ignis descenderit. *Anto.* p. 3, *hist. tit.* c. XX, c. I.

Anno Domini 1084, cum Gregor. VII. Papa Cassinum venisset, et ibi Missarum solemnia celebraret, vir quidam Joannes nomine juxta altaris crepidinem immobilis perstitit. Cumque ad altare deflexisset obtutus, subito in extasim raptus, niveo candore columbam, cujus erat aureum guttur super eamdem aram stare conspexit. Quæ inde leviter advolans ac super dextrum Pontificis humerum recubans, alis protinus expansis, utrumque protexit, ac tandiu sic perstitit, quousque commistio Dominici corporis, et Sanguinis in calice fieret ; Iterumque se in dextrum humerum colligens, inde ad altare descendit, caput blande super hostiam flectens, viro illo, quid sibi vellent, non intelligente, cum volatu præpeti pleno rostro remeavit ad cœlum. Post hæc homo ille in se rediens, nulla penitus hujus rei vestigia memoria tenuit. Nocte vero subsecuta cum se sopori dedisset, vir quidam illustrior Sole, minaci vultu in medio suæ domus hospitio eidem apparuit. Quo ille viso, de strato exiliens terrore correptus fugam tentat arripere. Vir autem ille porrecta manu continuit brachium ejus suaviter tenens. Cum autem ejus manum nequiret effugere, ac sic vinctus stetit invitus, ad ejus mox auxilium quidam nivea canitie aspersus, indutusque stola candida adfuit, ejusque mœrorem consolans, de manu se tenentis eripuit, cum ille, quisnam hic esset tantæ claritatis vir, quæsivit intrepidus. Hic, inquit, est justitiæ Sol; et ille, nomen quoque, ait, tuum similiter pande : Nequaquam ait ille, scire te oporteret nomen meum ; sed mihi ad interrogata responde : Recolis quid heri dum in Ecclesia astares, vidisti. Ille cujus animum occuparat oblivio, cœpit intra se volvere quidnam esset, quod ab eo senior quæreret, subitoque reminiscens, cuncta utque viderat, ex ordine retulit. Et ille, Vade, inquit, celeriter, et hoc ipsum auribus Papæ intimato, ut constanter vigore Sancti Spiritus quod cœpit, exequatur. His dictis ab oculis ejus elabitur. Hæc visio columbæ in Pontifice significabat, eum Spiritus S. instinctu regi, et gubernari. *Leo Ostie.* l, IV, *Hist. Cassin.* LIII.

Sanctus Servatius Episcopus Trajectensis ea Spiritus S. gratia dotatus fuit, ut prædicantem audientes alienigenæ diversæque nationes, una quæque sua lingua locutum putarent, nihil non intelligentes, quod ab illo esset prolatum. Marall. l. III.

Utilitas. — Juvenis quidam, cum post juventutem inter scelera gravissima exactam, periculosa infirmitate correptus prima nocte a Patre cœlesti sibi apparente, et sequenti nocte etiam a Christo, sanguinem e vulneribus haustum in illius vultum projiciente, sententiam damnationis æternæ accepisset, et jamjam desperare cœpisset, junioris tandem fratris precibus, et consiliis erectus, postquam Spiritus S. benignitatem implorasset, et peccata sua maximo cum dolore fuisset confessus, eumdem Sanctiss. Spiritum aspectabilem tertia nocte habuit, ab eoque nuntium remissorum peccatorum accipiens, ad cœlestia regna post triduum ingredienda invitatus est, sicque elapso constituto tempore, cum summo suo aliorumque solatio, et gaudio migravit, uti fusius loco citato narratur. *Spect. Ex. V. Confessio ex.* XXIX.

Infirmarius quidam, qui cibos delicatiores pro infirmis præparatos gulose absumere consuevisset, et quondam Abbati suo ad Missam se præparanti confiteri volens hoc delictum, repulsam petitionis (non adeo, ut Abbas rebatur, necessariæ) passus fuisset, eo tandem desperationis redactus est, ut in locum abstrusum secedens, cultrum gutturi seipsum interrempturus immerserit. Sed ab ipsis Dæmonibus, permittente Deo, in præruptum campanilis murum, ne a Fatribus inventus ad pœnitentiam incitaretur, asportatus est. Verum cum die Pentecostes illucescente, Abbas cum Fatribus devotissime Spiritui S. supplicassent, ne miserum fratrem perire sineret, eumdem insperato in companili semianimem inventum, cum maximo gaudio in infirmorum cubiculum deportaverunt, ibique qua spiritualibus, qua corporalibus medicinis tandiu foverunt, donec restituta plene sanitate, sospitatori suo tanto ferventius deinceps servivit, gratiasque egit, quanto majori beneficio, et charitate se ab æterno interitu præservatum cognoverat. *Ibid. ex.* IV.

Frater quidam, eum in Ægyptum veniens filiam Sacerdotis Pagani formosam admodum conspexisset, ejusdem amore captus, ipsam sibi a Patre in uxorem dari petiit. Verum Sacerdos, se eam dare non posse, respondens, nisi idolo suo interrogato; abiit in templum, et an filiam suam committere ei deberet, quæsivit. Cui dæmon dixit; si negat Deum suum, et baptismum, et propositum Monachi, trade eam illi. Cum itaque frater hoc intelligens omnia præstitisset, vidit columbam de ore suo exire, atque ad cœlum volare. Sacerdos tamen necdum filiam tradere volens, sed iterum idoli sui consilium requirens, audivit ab illo : Non des illi filiam, quia Deus illius non recessit ab eo, sed adjuvabit illum. Quod cum totidem verbis Sacerdos fratri retulisset, hic in se reversus dixit : Si tanta bonitas Dei mei erga me, ut etiam, postquam illum tam turpiter et scelerate adjuravi, a me non recederet, cur ergo ab eo recedam? Itaque secedens, et ad sanctum quemdam senem se conferens, omnia, quæ fecerat, viderat, et audierat, narravit; qui blande eum consolatus, sedere secum in cella, et tres hebdomades jejunare jussit, ipse vero interea Deum assidue pro eo deprecatus est, effecitque ut lapsa prima hebdomada Frater columbam de cœlo advolantem, sed longius adhuc distantem, secunda juxta caput volitantem, et completa tertia septimana omnino per os intrantem cernere mereretur. Quo audito senex Deo gratias agens, dixit ad Fratrem : Ecce suscepit Deus pœnitentiam tuam, de cætero attende tibimetipsi, et solicitus esto. Et respondens Fratrer dixit : Ecce amodo tecum ero, donec moriar, quod, et fecit. *Ibid. Verba Misericor. Dei ex* X.

S. Vincentius Ferrerius tam copiose Spiritu S. repletus erat, ut licet Valentina tantum, velut propria sibi lingua loqueretur, a diversissimis tamen nationibus in concione præsentibus intelligeretur, amplisssimosque ex concionibus suis fructus reportaret. Surius, *s. April.*

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Franciscus Xaverius Apostolico plane Spiritu divinitus accensus, inter alias Spiritus S. gratias etiam hanc acceperat, ut duodenis interdum, aut pluribus personis diversissima quærentibus eodem tempore responderet. Sed et singulis horis canonicis Hymnum. *Veni Sancte Spiritus*, pro attentionis gratia impetranda præmittere solebat. *Epist. Indic.* 1555.

P. Petrus Faber in singulis horis canonicis, præter alias pias industrias, ad mentem ab evagationibus cohibendam adhibitas, etiam hanc magno animi sui sensu, ac devotione adhibebat, ut Spiritum sibi bonum, et sanctum ad preces, ab eo Ecclesiæ, et Psalmistæ dictatas, cum debita reverentia persolvendas largiri dignaretur. *Hist. Soc.* l. III, n. 35.

P. Balthassar Alvarez cum, S. Theresiæ nimio affectu, et privata amicitia quibusdam personis adhærere adverteret, et per hoc eam non mediocriter ab interiori, et arctiori cum Deo familiaritate impediri sciret, ad hoc impedimentum removendum suasit illi, ut per aliquot dies hoc negotium serio Deo commendaret, dicens eum in finem Hymnum : *Veni Creator Spiritus :* ut lucem impetraret, qua posset discernere, quod melius est. Id quod hac ratione feliciter ab ea effectum est. *Vita P. Balthasa. Alvar.* c, XI.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut ars in eo, qui ipsam nactus est, semper quidem præsens est, sed non semper operatur ; ita gratia quoque Spiritus Sancti in eis, qui ipsam receperunt, præsens est, sed juxta divinæ suæ providentiæ ordinem diversimode operatur. S. Basil. *de S. Spi.*

Sicut radii Solis ita a quovis homine participantur, ut, licet quivis plene iis fruatur, non minus tamen, et reliqui participent, ita Spiritus Sanctus sic singulorum corda sua gratia replet et vivificat, ut perinde etiam aliis abunde sufficiat. *Idem.*

Sicut ignis accensus hanc habet naturam, ut, quanti ad lumen purpurei splendoris aspexerint, tantis usum suæ lucis impertiat, tantis ministerium sui muneris tribuat et tamen integritate sua permaneat; ita Sancti Spiritus virtus, quantumlibet effluat, quantumlibet in plurimos gratiæ divinæ largitate exuperet, sicut probatur recipere mensuram, ita nullam sentit expensam. S. Pasch. *de Spi.* I.

Sicut cor per os producit flatum : ita Pater per Filium producit Spiritum; vel potius sicut anima ex intellectione rei amabilis spirat, et producit ejusdem amorem : ita Pater per Verbum spirat, et producit Spiritum S. *Fab. cons.* III, *in Dom. Pal.*

Sicut ab igne manat lux, et calor : ita a Patre, et Filio Spiritus S. S. Dam. *l. de fide* c. IX.

Sicut Deus homini in corpore duo dedit præcipua, caput et cor, ut respondeant potentiis præcipuis animæ, intellectui scilicet, et voluntati : ita Ecclesiæ suæ dedit Christum velut caput, et Spiritum S. velut cor, ut per hunc amaremus, per illum intelligeremus. S. Greg. *l. de homine.*

Sicut Mater filio, quem tenere amat porrigit utrumque uber, ne forte quidquam ei desit : sic Pater ætenus, Filio dato, Spiritum S. adjecit, ut suum erga homines amorem abundantius demonstraret. *Beirlinck. Fer.* II, *Pent.* III.

Necessitas. — Sicut litteræ, quæ succo mali citrei scribuntur, legi non possunt, nisi ad ignem applicentur, ita quæcumque cœlestis Magister in corde hominum scripserat, intelligere ipsi non poterant, donec ignis de cœlo, id est Spiritus S., descenderet, et intelligendi facultatem tribueret. *Ibid.*

Sicut, si lucem pellas de mundo, vel de nocte lucernam e domo, superest, ut nihil videant oculi, nihil operentur viventes, nec agnoscatur rerum dignitas, sed per ignorantiam aurum perinde conculcetur ac si ferrum esset; ita in intelligibili gubernatione, impossibile est illam insititiam manere vitam absque spiritu. S. Basil. *de S. Spi.*

Sicut non est possibile, ut ex sola pluvia fructificet terra, nisi super eam flaverit ventus : sic non est possibile, ut sola doctrina corrigat hominem, nisi cooperatus fuerit Spiritus S. in corde ipsius. S. Chrys. *hom.* XX, *op. imp.*

Sicut navis, quantumcumque rebus aliis sit instructa, moveri non potest, nisi per venti operationem ; ita, licet adsit sermonis ampla supellex, profunda eloquentia, ac intelligentia, nisi tamen etiam Spiritus Sanctus cooperetur, et virtutem movendi suppeditet, otiosa erunt omnia. *Id. de S. Spir. ado.*

Sicut non habet corpus, unde vivat, nisi de spiritu, sic affectus hominis, qui Amor dicitur, non vivit, hoc est, non amat Deum, nisi de Spiritu Sancto. S. Bern. *tr. de vita solit.*

Sicut terra, sine aqua nec consistentiam habet, nec vestitur herbis, nec ornatur floribus, nec producit fructus, sed est inanis, et vacua; sic anima sine gratia Spiritus, nec tentationibus resistit; sed sicut pulvis jactatur a facie venti, nec vestem habet justitiæ, nec ornatum sapientiæ, nec fructum bonorum operum. March. *in hort. fast. tr.* iv, *prop.* 2.

Utilitas. — Sicut Mater infantem deserens, nutricem ei relinquit : Pater filium a se ablegans, pædagogum ei assignat; ita Christus ab Ecclesia recedens non reliquit eam orphanam, sed Paraclitum ei dedit. *Fab. conc.* ii, *in Dom.* iv, *post Pasch.*

Sicut Paradisum totum fons unus irrigavit, et una pluvia in universum descendit mundum, quæ alba quidem fit in spinis, rubra in rosis, purpurea in Hyacinthis, ac in diversis speciebus diversa, et in omnibus fit omnia, cum nihilominus eadem sit, ejusdemque speciei : sic et Spiritus Sanctus, cum sit unus et idem, et non divisibilis, unicuique dividit gratiam, prout vult. S. Cyrill. *catech.*

Sicut navis, quæ prospero flatu fertur in pelago, non potest impediri, neque demergi : sic anima adjuta a Spiritu Sancto, omnibus rebus superior existit, et omnibus fluctuationibus vitæ eminebit. S. Chrys. *in ep. ad Heb.*

Sicut corpora illustria, pellucidaque, contacta radio solis fiunt et ipsa supra modum splendida, et alium fulgorem ex sese profundunt : sic et animæ Spiritu afflatæ, ac Spiritu illustratæ fiunt et ipsæ spirituales, et in alios gratiam emittunt. S. Basil. *de Spi. S.*

Sicut, si naviges, et in navi positus videas terras et promontoria, et montes transeuntes, non quod illa continuo moveantur, sed quia tu vento prospero flante transis illa, se subducere videntur, ac fieri; ita et in hoc sæculo, si Sancto Spiritu mentem tuam perflante et spirante, secundo ac prospero naviges cursu, petransibis sensu tuo omnia hæc quæ videntur, quia temporalia sunt, et intueris illa, quæ æterna sunt; sine dubio dices, quia hæc omnia quæ videntur, jam non sunt, comparatione illorum quæ futura sunt. *Orig. in Psal.* xxxvi, *hom.* v.

Sicut disciplinæ et virtutis assumptor signaculum et figuram (ut ita dicam) in suum sensum recipit ejus scientiæ quam assumpsit : sic et is, qui Spiritus Sancti particeps efficitur, per communionem ejus fit spiritualis pariter, et sanctus. *Didym. Alex.* l. I, *de Spi. S.*

Sicut is, qui aliqua disciplina plenus est, qui perfecte eam habet, erudite et subtiliter de ea potest proferre sermonem : sic qui Spiritum Sanctum consummate acceperunt, ita ut impleantur eo, cum fiducia verbum Dei loquuntur, quia præsens Spiritus Sanctus dignam Deo vocem ministrat. S. Pomp. *Marth.*

Sicut ventus præsertim vehemens, uti turbo, turres dejicit, arbores evertit, rupes scindit; ita Spiritus Sanctus per Apostolorum prædicationem mundum idolatricum evertit; potentiam, sapientiam, et eloquentiam, Tyrannorum, et Philosophorum stravit. *Fab. Cor.* i, *in Fer.* ii, *Pent.*

Sicut Paterfamilias distribuit Familiæ suæ necessaria ad vitam pro cujusque exigentia; sic Spiritus Sanctus in Ecclesia partitur dona sua fidelibus pro eorum capacitate suoque beneplacito. *Ibid.*

Sicut aqua pluvialis e nube effusa, dum per aeris regionem decidit, in minutissimas guttas dividitur, ut in minimas etiam herbas, plantasque placide se insinuet, omnibusque viventibus suam portionem distribuat : ita Spiritus Sanctus neminem adeo negligit, ut non sufficientem ei gratiam impertiat ad hoc, ut converti, vivere Deo ac crescere in virtutibus possit. *Ibid.*

Sicut ductor viæ gnarus, et peritissimus navarchus maximo sunt solatio et præsidio iis, qui iter terra, marique faciunt : ita etiam Spiritus Sanctus, cum sit dux et navarchus Ecclesiæ, omnibus fidelibus summam afferre confidentiam debet. *Idem Fer.* iii, *Pent. conc.* i.

MOTIVA.

Ad spiritum S. amandum, et invocandum. —*Necessitas :* quia, teste S. Aug., quod est anima corpori hominis, hoc est Spiritus Sanctus Corpori Christi, quod est Ecclesia, atque etiam cuivis particulari membro

Ecclesiæ : merito ipsum perinde ut animam nostram diligere, custodire ac conservare debemus : quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ (hujus maxime, scilicet Spiritus Sancti) detrimentum faciat? MATT. XVI, 26.

Utilitas : Si enim pietas, teste S. Paulo, ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et in futuro : quanto magis ipse pietatis auctor S. Spiritus hanc utilitatem in supremo gradu continebit? I. *Tim.* I, 5.

Dignitas : Si enim tanto majori æstimatione ac honore res quælibet digna censetur, quanto præstantior est forma, ex qua componitur; quis neget summo honore dignum esse eum, qui Spiritum Sanctum velut alteram animam sibi unitum habet?

Jucunditas : Si enim tam jucundum, ac gratum est, cor amore creato occupatum habere, quanta erit voluptas amore increato pectus animamque impletam experiri?

MEDIA

AD SPIRITUM S. RECIPIENDUM.

Peccati fuga : Sicut enim vultuum imagines non in qualibet materia reducuntur, sed iis dumtaxat, quæ levorem, et pellucentiam quamdam habent, ita non in quibuslibet mentibus operatio Spiritus, sed in iis, quæ nihil habent obliquum, nihil obtortum. S. CHRYS. *in Isaiam.*

Carnalium delectationum odium : Nam sicut aranearum stamina flatum venti non suscipiunt, ita nec anima secularis, nec homo animalis gratiam poterit Spiritus Sancti suscipere, ut recte advertit S. Chrysost.; poteritque huc non immerito illud Genesis dictum applicari : Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est. S. CHRYS. *hom.* XXIV, *in epist. ad Hebr. Gen.* VI, 3.

Pœnitentiæ susceptio : sic enim S. Petrus Judæis dicentibus : Quid faciemus, Viri Fratres? respondit : Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti. *Actor.* III, 37.

Orationis frequentatio : sic enim Christus ipse indicavit, dum dixit : Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare Filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se? (*Luc.* XXXIII, 23.) Hinc et Apostoli accepturi Spiritum Sanctum, erant perseverantes in oratione unanimiter. *Actor* II, 14.

Pacis, et concordiæ studium : quia, ut recte advertit S. Aug. sicut spiritus humanus numquam vivificabit membra, nisi fuerint unita; sic Spiritus Sanctus numquam nos vivificabit, nisi pace uniti fuerimus. (S. AUG. s. II, *ad FF. in Erem.)* Hinc, et per Siracidem dixit Deus : In tribus placitum est Spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, et hominibus : Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir, et mulier bene sibi consentientes. *Eccl.* XXV, 1.

Quietis amor; ita enim ipse iterum Deus indicavit, dum Apostolos Spiritum Sanctum accepturos sedere voluit, et cum quiete orationi vacare, sicut enim apes fugiunt loca inquieta, et mella nos colligunt, nisi locis pacatis, et turbis semotis, ita Spiritus Sanctus quietem in cordibus, in quibus operatur, requirit. *Act.* II.

Bonorum operum, et virtutum exercitium : sicut enim lucernæ lumen oleo fovetur, eoque consumpto illud quoque evanescit; ita Spiritus Sanctus quoque, velut animæ lumen et ignis nonnisi bonis operibus custoditur. *Beyrlinc. Fer.* II, *Pent.* t. III.

ASCETICA.

Quinque fere sunt, quæ Asceta præcipue de hoc divinissimo Spiritu scire, aliosque docere debet. Primum est, ut bene cognoscat, naturam, et processionem ejusdem, quod scilicet sit vere idem cum Patre, et Filio Deus, ab utroque tamen procedens; nam dum Pater seipsum, et suam essentiam comprehendens, producit vivum conceptum, et perfectam imaginem sui, quasi in speculo suæ essentiæ se contemplans, hæc imago Filius est, ejusdemque cum Patre substantiæ, diciturque Verbum Dei; quem Filium dum Pater amat amore infinito, quia bonitas infinita eadem, et infinitæ perfectiones in ipso; sunt et ob eamdem causam etiam a Filio vicissim amore infinito amatur, procedit ab utroque tamquam ab uno principio amor infinitus, qui est ipse Spiritus S. Unde recte Theologi triplicem amorem in Deo assignant, *essentialem,* et absolutum qui est omnibus personis communis : *notionalem producentem,* quo Pater et Filius producunt Spiritum Sanctum : *et notionalem productum,* quo modo Spiritui Sancto appropriatur. Unde merito colligitur, Spiritum Sanctum esse tertiam; et distinctam personam, quod difficulter probari posset, si non etiam a Filio procederet. Hinc de Spiritus Sancti adventu dicitur : *Factus est repente sonus :* (*Act.* II.) ut indicetur, quemadmodum sonus ex collisione duorum corporum exoritur; ita Spiritum Sanctum ex conjuncta Patris, et Filii spiratione, mutuoque amore procedere.

Alterum est; ut bene cognoscat *causas,* ob quas Spiritus Sanctus missus est, quarum tres assignat Ludovicus de Ponte, scilicet, 1. *charitatem* Dei, et bonitatem infinitam, quæ, uti movit ipsum ad Unigenitum Filium dandum, ita etiam ad Spiritum Sanctum mittendum permovit; ut quemadmodum Amicus suum amorem abundantius ostendere volens, postquam omnia sua dedit, etiam cor dare optat; ita et ipse post Filium suum datum, etiam cor suum, id est Spiritum Sanctum daret. 2. *Merita Christi :* qui morte, et passione sua hanc gratiam promeruit, sedensque ad dexteram Patris velut Advocatus noster, hunc Paracletum petivit, et obtinuit, ut impleret, quod promiserat dicens : Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis. (JOAN. XIV, 16.) 3. *Nostram necessitatem, et miseriam :* quæ exigebat, ut Consolator de cœlo mitteretur, sicque impleretur illud Davidis : Misericordia, et Veritas obviaverunt sibi, justitia, et pax osculatæ sunt. (*Lud. de Pente* p. 4, *med.* 21.

Tertium est, ut fines missionis hujus etiam cognoscere studeat, quorum quatuor assignat idem Ludovicus de Ponte, videlicet. 1. Ut Christo succederet in officio Protectoris, Advocati, et Consolatoris; hinc ipse Christus dicit : Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. 2. Ut idem in officio Magisterii succederet; hinc iterum dixit Christus : Cum venerit Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia. 3. Ut interne illis testimonium daret de Christo, quis esset. 4. Ut hujus mundi vitia reprehendat, corrigat, eumque de illis convincat; ut iterum Christus dixit his verbis : Cum venerit ille Paracletus, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. JO. XVI, 8. JOAN. XIV, 16.

Quartum est, ut dignam de hac sacratissima Persona æstimationem concipiat, quam quidem facile hauriet, si bene ponderet, hoc esse donum illud, quod Christus in cœlum ascensurus mundo missurum se promisit; ex hoc enim merito colligitur, illud omnium donorum præstantissimum, Ecclesiæque, ac membris ejus utilissimum esse debere, cum sit utique amori Christi infinito, quo humanum genus semper amplexus est, proportionatum.

Quintum est, ut solum sciat modum disponendi se ad recipiendum hunc divinissimum hospitem, qualis quidem optimus est, si cor ab omni amore creato evacuetur; nam, ut recte advertit S. Bernardus, errat omnino, si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa Spiritus misceri posse mundi hujus illecebris, arbitratur. Quis enim sectans lenocinia carnis suæ illam sperare audeat gratiam Spiritus vehementis, quam ne cum ipsa quidem carne Verbi obtinere Apostoli potuerunt? Hinc idem S. Doctor alibi ait : (S. BERNARD, serm. VI, *de asc.*) Quomodo agnoscere potero Spiritus hujus præsentiam : non oculis quia colore caret : non auditu, quia sonus non est : non olfactu, quia sine odore est. Cognoscam ergo illum mutatione cordis mei, cum e terreno illud cœleste factum video, e carneo spirituale. *Idem iu Cant.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.* (MATTH. XVI, 26.) Potest Spiritus Sanctus animæ comparari, et 1. quidem ostendi, quomodo exerceat officium quadruplex animæ, sitque id, quo *vivimus,* id est, *vegetamur,* et alimentum triplex, Verbi Dei, mandatorum divinorum, et SS. Eucharistiæ attrahimus : sit id, quo *sentimus;* id est, *videmus* nos ipsos, creaturas, Deum; *audimus* loquentes nobis utilia Deum, et homines: *adoramus* exempla Christi, et hominum sanctorum : *gustamus* cœlestia, et nauseamus vanitates mundi: *tangimus* pericula, sentientes frigus animæ, ignem concupiscentiæ, fugereque conamur : sit id, quo *movemur,* deserentes creaturas velut terminum a quo, et per Christi velut viæ nostræ imitationem tendentes ad Deum, velut terminum ad quem : sit id, quo *intelligimus,* apprehendentes, et æstimantes cœlestia, *judicamus* sincere de Deo, et proximo, aliisque rebus : appetimus, et elicimus virtutes, aversamur vitia : meminimus Dei, et delectamur in eo : peccatorum nostrorum, et detestamur illa. 2. Ostendi potest, quomodo hanc animam, et spiritum tueri, et conservare debeamus, cavendo sedulo omnia ea, quæ unionem cum ea tollere possunt, scilicet ne per ignem concupiscentiæ comburamur : per aquam delectationum terrenarum suffocemur : per latrones, id est, malos socios jugulemur : per vulnera peccati pereamus defectu cibi spiritualis, seu impletionis mandatorum divinorum, verbi Dei, Eucharistiæ, fame spirituali contamescamus : aut ob respirationem, seu orationis studium impeditum strangulemur : ne ex alto præcipitati Spiritum elidamus, etc, sed potius semper ob oculos habeamus illud Salomonis monitum : Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso procedit. (*Prov.* IV, 47.) Vide Eng. in Festo Pent. § 2.

Ex occasione sententiæ : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accedentur?* (LUC. XII, 49.) Potest ostendi, cur in specie ignis apparuerit Spiritus Sanctus. Nempe 1. quia ignis apte significat ejus Divinitatem (semper enim pro symbolo Divinitatis habitus est ignis, unde et Imperatores, teste Alexandro ab Alexandris, sacrum ignem, velut imaginem imperii, sibi præferri sinebant, eoque præcipuo insigni, et singulari ornatu utebantur) et Personalitatem (nam ut ignis in sphæra sua nihil producit, extra se vero plurima, ita Spiritus Sanctus intra se nihil, extra se vero omnia, cum Patre, et Filio producit.) 2. Quia per ignem significatur aptissime primarius ejus effectus, qui est calefacere, et accendere, et omnia in se convertere, calore, et fervore charitatis Dei, et proximi, id quod facile exemplo SS. Apostolorum, et primorum Christianorum probari potest. 3. Quia per ignem pulcherrime etiam significatur septem dona, velut nobiliores operationes S. Spiritus; nam sicut ignis conterit petras, et montes subvertit, ita Spiritus Sanctus superba corda per donum timoris compescit : sicut ignis liquefacit congelata, et indurata objecta; ita Spiritus Sanctus frigidas, et congelatas mentes liquefacere in lacrymas cogit, juxta illud Davidis : Flabit Spiritus ejus, et fluent aquæ : sicut ignis consolidat humida, et viscosa; ita Spiritus S. per donum fortitudinis vasa electionis consolidat, et ad omnes tribulationes fortiter ferendas indurat : sicut ignis lucem, ardorem, calorem producit, et omnia penetrat, semperque sursum tendit; ita Spiritus Sanctus sursum tendere facit per donum sapientiæ, illuminat per donum scientiæ, penetrare omnia facit per donum intellectus, et tandem torporem excutit per donum consilii. (*Alex. ad Alexand.* l. I, *geneal.*) Unde merito quivis cum S. Aug. exclamet : O ignis sancte! quam suaviter ardes, quam secrete luces, quam desideranter aduris? Væ iis, qui ex te non ardent, qui per te non lucent; tempore enim suo nauseam et vomitum Deo provocant, et caligine circumdati, ad ignem tenebrosum pergunt. (*Ap. Marchant.* tr. IV, lect. I, *in fia. sol.* 209.) Quod ne fiat, oremus cum Ecclesia : Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda Fidelium, et tui in nobis amoris ignem accende. Et iterum : illo nos igne, quæsumus Domine, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram et voluit vehementer accendi. Qui tecum vivit etc. Vide Marchant. l. VI.

Ex occasione thematis : *Factus est repente de cœlo sonus, tamquam Spiritus vehementis :* Potest Spiritus Sanctus vento comparari. 1. Quia sicut venti originem nemo scire potuit, ita nec Spiritus Sancti; hinc Christus apud S. Joannem ait : Spiritus, ubi vult, spirat, et vocem ejus audis, et nescis, unde veniat, aut quo vadat. (Jo. III, 8.) 2. Quia easdem habet proprietates cum vento vehemente; ut enim hic est velocissimus omniaque sibi subjicit, dejiciendo turres, scindendo rupes, arbores evellendo; ita Spiritus Sanctus nescit tarda molimina, et omnia quæ ipsi adversantur, potenter vincit, uti in primo adventu suo super Apostolos sufficienter ostendit, per quos totam Gentilitatem, ipsumque adeo infernum etiam fortissime expugnavit, sibique subjecit. 3. Quia eosdem etiam effectus, et commoda habet cum vento; ut enim hic aer purgat, ac serenum efficit, calorem æstus temperat, agros fertiles reddit, naves propellit, molas versat; ita Sanctus Spiritus purgat animam a peccatis, serenam facit conscientiam, mitigat nimium calorem concupiscentiæ, fructuosas efficit mentes hominum, propellit in via perfectionis, et molas frumentum spirituale verbi Dei conterentes, id est prædicatores, animat, atque ad idem verbum Dei digne tractandum instruit : quæ omnia facile per exempla, ab Apostolis, et primis Christianis desumpta, confirmari possunt. Vide Fabrum conc. I, in Fer. III, Pentec. aut Bessæum, in Dom. Pent.

Ex occasione thematis : *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum* (*Act.* II, 3) : potest ostendi, cur Spiritus Sanctus in linguis igneis apparuerit, nimirum. 1. Ut ostenderet, ob quem potissimum finem missus sit, scilicet propter geminam flammam charitatis Dei, et proximi accendendam, id quod mox in exemplo Apostolorum, et aliorum primorum Christianorum patuit; utpote qui, et suum erga Deum amorem, tum abstinendo, tum sustinendo, ipsaque morte tam gloriose obita; et similem erga proximum charitatem, dum eorum erat cor unum et anima una, tam egregie probarunt. 2. Ut ostenderet, quo medio potissimum hanc duplicem flammam in cordibus hominum esset accensurus, scilicet per ferventes, et zelosos prædicatores, qui non verbo magis, quam exemplo, duplicis hujus charitatis duplicem legem essent promulgaturi, id quod dispertitæ linguæ significabant, et etiam Ecclesia indicat, dum in hymno quodam canit : Ignis vibrante lumine, linguæ figuram detulit, verbis ut essent proflui, et charitate fervidi. Et confirmat S. Gregorius, dum ait : In linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes, quos repleverit, ardentes pariter, et loquentes facit. (S. Greg. *ho.* XXX, *sup. Evang.*) Linguas igneas doctores habent, quia, dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant. Vide Fabr. conc. II, in Fer. II, Pentec.

Ex occasione thematis : *Repleti sunt Spiritu Sancto, et cœperant loqui variis linguis* (*Act.* II, 4) : potest dici, advenisse novum Magistrum linguarum, scilicet Spiritum Sanctum, et 1. ostendi quales linguas potissimum doceat, scilicet *hebræam* quæ est divina lingua, et docet nos recte cum Deo in orationibus loqui, id quod per donum sapientiæ effecit Spiritus Sanctus *latinam*, seu *romanam*, quæ docet nos loqui conformiter Ecclesiæ Catholicæ, et veræ fidei, quod per donum intellectus obtinetur : *grecam*, id est accentus præ aliis linguis studiose observantem, atque adeo circumstantiarum, quæ id loquendo servari debent, observationem commode designantem, ad quem finem donum consilii a S. Spiritu datur : *hispanicam*, id est, gravem; ita ut, quemadmodum S. Bernardus monet, vox ipsa non sit remissa, non fracta, nihil fœmineum sonans, sed formam quamdam, et regulam, et gravitatem virilem servans; ad quod obtinendum Spiritus Sanctus confert donum timoris, quo reverenter, et caste velut Deo præsente, et audiente loquamur : *italicam*, utpote ornatam, et urbanam linguam, ut scilicet, quemadmodum S. Ignatius in regula modestiæ monet, in omnibus verbis, et gestibus modestia, et humilitas cum religiosa maturitate appareat, ut enim molliculum, aut infractum vocis sonum, aut gestum corporis non probo, inquit S. Bernardus, ita nec agrestem, et rusticum : pro hac fine donum scientiæ datur decorum ab indecoro discernere docens : *gallicam*, id est, suavem, et humanam, qua in adhortationibus reprehensionibus et læsionibus præcipue utendum, utpote in quibus casibus semper Spiritus amoris potius, quam timoris, regere linguam deberet, quod per donum pietatis non difficulter obtinetur : *germanicam*, id est veracem, et sinceram, ad quam loquendam, quia sæpe respectus humanus, et timor incommodorum superandus est; merito donum fortitudinis a Sancto Spiritu confertur. 2. Afferantur motiva, cur pro his linguis addiscendis libenter hunc Magistrum adire, et audire debeamus, videlicet tum ob ipsius excellentiam, ac peritiam, quam in exemplo Apostolorum satis offendit, (primus autem discendi ardor est nobilitas Magistri), tum ob linguarum istarum necessitatem, utilitatem, ac facilitatem, quæ omnia facile uberius demonstrari possunt.

Ex occasione thematis supra allati : *Et apparuerunt illis dispertite linguæ* (*Act.* II, 8) : posset dici, ideo etiam Spiritum Sanctum in linguis apparuisse, ut ostenderet, se ad artem loquendi, utpote omnium difficillimam, quam, qui novit, perfectius est vir, teste S. Jacobo, docendam advenisse, unde hac arte per tres Ferias Pentecostes tres utiles conciones institui possent, et in prima quidem afferri quinque regulæ, quæ ab ista arte præscribuntur, scilicet ut *pie* (id est, ab omni noxa abstinentes) *catholice, considerate, charitative, seu benigne, et veraciter, seu sincere* loquamur. In secunda explicari possent quinque motiva impellentia ad hanc artem addiscendam, scilicet *necessitas, utilitas, dignitas, jucunditas, et facilitas* hujus artis. In tertia suppeditari possent quinque media ad eamdem addiscendam, videlicet, *oratio, silentii amor, tarditas* in loquendo ad considerationem verborum serviens, *multa* pro transgressionibus imposita, et *radicis*, ex quæ defectus in loquendo oriuntur, *extirpatio*, quæ radix à Thoma Kempensi indicata est, dum dixit; Multum libenter de his, quæ multum diligimus, vel cupimus, vel quæ contraria sentimus, liber loqui, et cogitare. Pro quibus omnibus fusius deducendis poterunt non modice servire, quæ Rodriguez p. II, t. II, habet.

Ex occasione thematis supra citati; *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur* (Luc. xx, 49) : posset per easdem tres Ferias Pentecostes ostendi, quomodo Spiritus S. ignem triplicis charitatis in cordibus accendat. Et primo quidem die ostendi posset, quomodo ignem charitatis erga Deum accendat, id quod per tres præcipuos actus charitatis divinæ facile probari posset, scilicet *per intentionis puritatem*, qua semper sursum tendit ut ignis : *per actionis intensionem*, qua omnia cum fervore agit; quæ Deo placere novit : *per adversitatum tolerantiam*, qua amor maxime probatur. Altero die ostendi posset, quomodo ignem amoris proximi accendat, impellendo ad observandas binas regulas hujus charitatis, scilicet ut, quæ fieri nobis nolumus, alteri non faciamus; et quod nobis fieri optamus, proximo quoque præstemus. Tertio die ostendi posset, quomodo ignum charitatis ordinata erga nos ipsos accendat, adjuvando, ut regulas tres ab hac charitate præscriptas sedulo observemus, videlicet ut finem propter quem conditi sumus ob oculos semper habeamus : media ad eumdem necessaria sedulo adhibeamus, qualia sunt virtutes, et opera bona : impedimenta ab eo abducentia, qualia sunt passiones inordinatæ, et peccata inde prodeuntia fortiter removeamus. Quem in finem servire possunt Fabri conciones; VI in Fer. II, Pent. c. II, in Dom. XII et XVII, post Pentec.

Ex occasione thematis. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* (*Ps.* CXLII, 10) : possunt potiores Spiritus Sancti proprietates, et operationes explicari, et 1. quidem ostendi, quam vere dicatur Spiritus bonus, tum propter intrinsecam bonitatem, tum propter extrinsecam hominibus communicatam. 2. Ostendi potest, *quomodo deducat*, scilicet ut olim Israelitas, per columnam nubis (id est, beneficia, ac promissiones suas) in die prosperitatis, et per columnam ignis, seu ardentem charitatem, in nocte adversitatis. 3. Ostendi potest, quomodo deducat *in terram rectam*, id est, terram promissionis, melle et lacte abundantem, id est, cœlestem Patriam. Quæ fusius diducta videri possunt apud Marchant. tr. IV, lect. I, in Horto Pastorum.

Ex occasione thematis : *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (Ep.* II, 8) : potest dici, Spiritus S. esse hoc donum, utpote qui pluribus ex capitibus summe sit æstimandus, ideoque merito multis donis æquiparandus. 1. Quia est donum præstantissimum, si in se spectetur, cum si infinitæ bonitatis, et dignitatis : 2. Quia etiam is qui donat, est altissimus Dei Filius, omnes homines dignitate infinities superans. 3. Quia affectus dantis est pariter infinitus, cum ab infinitate donantis accipiat dignitatem suam. 4. Quia etiam respectu nostri est donum maximum, utpote infinitam utilitatem continens, cum pietas, quæ est particula dumtaxat hujus bonitatis, sit ad omnia utilis, teste S. Paulo. Merito ergo hoc donum summe æstimandum, desiderandum, petendum, excipiendum, conservandum. Quæ omnia fusius apud Fabrum conc. I, in Feria II, Pentecost. videri queunt.

Ex occasione thematis : *Numquid est cor tuum rectum cum corde meo, sicut cor meum cum corde tuo* (II. *Reg.* X, 15) : potest Spiritus Sanctus cor Ecclesiæ dici, utpote cujus velut corporis mystici caput sit Christus, collum Deipara, oculi Antistites, lingua Doctores, dentes Religiosi, aures Confessarii, manus, et pedes cæteri fideles. Cor autem ipse Spiritus S. idque ob tres causas. 1. Quia sicut cor est sedes amoris, ita et Spiritus Sanctus est sedes amoris illius, quo Pater, et Filius se mutuo amplectuntur. 2. Quia sicut cor est fons caloris, et spirituum vitalium, quos toti corpori subministrat, ita Spiritus Sanctus est origo gratiæ, omniumque virtutum. 3. Quia sicut cor, teste Isidoro, a cura dictum est, quia perpetuo vigilat, et in motu est; ita et Spiritus Sanctus perpetuo vigilat, pro Ecclesia, eamque in membris suis animat, consolatur, instruit, arguit, punit, ut merito dicere possit Ecclesia : Ego dormio, et cor meum vigilat? (*Cant.* V, 4.) Cum ergo cor suum dederit Deus Christus, et cor istud sit rectissimum, quia amat rectissime, id est, propter optimum finem : sincerissime, id est, non nudis verbis, sed etiam opere, et veritate, constantissime, quia usque in finem; merito hæc eadem in nostro quoque corde vicissim requirit Deus, quod proinde, quomodo in praxi fieri debeat, paulo explicatius est ostendendum. S. Isi. l. XI, *Etym.*

Ex occasione thematis : *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis* (Jo. xiv, 16) : potest ostendi, quam perfecte Spiritus Sanctus Consolatoris munere fungatur, nempe quod 1. *sciat*, *possit*, *et velit* consolari, ex quorum trium defectu plerumque vana, aut nulla est hominum consolatio. 2. Quod *solide*, *et copiose* consoletur, cum sit fons, et origo veræ, et solidæ bonitatis. 3. Quod *constanter* consoletur, utpote qui nullis temporum, aut locorum circumstantiis circumscribatur, et coerceatur. Excitentur proinde auditores, ut, quoniam ex una parte dulcius ex ipso fonte petuntur aquæ; ex altera vero consolationes, et delectationes carnales cum spiritualibus subsistere non possunt, illas generoso animo contemnant, ut his tanto copiosius frui mereantur.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Ad ignem ab initio succendendum utimur stramine, stupa, et simili tenui materia; at jam succenso grandiora injicimus ligna, sic Spiritus Sanctus primo in Apostolis velut vilibus festucis accensus erat, postea Reges, Principes, totumque orbem pro alimento habuit. Bosseus, *in Do. Pent.*

Ethnici in medio aræ perpetuo ignem fovebant, quasi mediatorem inter Deos, et Homines, quidni magis ignis divinus, scilicet Spiritus Sanctus ob hanc causam in pectore Christiano foveatur? *Ibid.*

Legatis olim pro insigni legatione lingua dabatur : sed et diis pro felici legati successu linguæ offerebantur. Simile quid SS. Apostolis factim. *Ibid.*

Reliquiæ Agni Paschalis igne absumi debebant; quidni ergo et Apostoli, velut reliquiæ ex Agno in cruce immolato relictæ. *Exod.* xiv.

Ventos Persæ inter Deos numerabant, quod iis vitam hominum acceptam ferrent, at errabant, nam Spiritus Sanctus est ventus, in quo vivimus, movemur, et sumus. Bess. l. c.

Cor Caligulæ Cæsaris, cum cadaver in rogo fuisset exustum, ab igne intactum mansit; consulti Augures responderunt; veneno plenum esse, unde theriaca perlitum, facile exustum est. Idem contingit hominibus, cor peccati vaneno infectum habentibus; nam et hi ignem Sancti Spiritus recipere non possunt, donec theriaca pœnitentiæ perlineantur. *Ibid.*

Nilus septem ostiis in mare devolvitur; Spiritus Sanctus per septem dona in animas hominum. *Idem, Fet.* iii *Pent.*

Necessitas. — Duæ terrestres Personæ interitum humanæ genti intulerunt; duæ ergo etiam personæ salutem afferre debebant; Filius, ut peccata lueret velut salvator : Spiritus Sanctus, eluceret velut sanctificator : Ille, ut hostes ejiceret; hic, ut præsidium gratiarum imponeret. *Ibid.*

Ecclesiæ navim instruxerat Christus, gubernatores Apostolos dederat, fideles in milites, sacramenta pro armis, virtutes pro telis, crucem pro signis; solus ergo ventus deerat, qui deduceret in terram rectam; hic datus est, *Ibid.*

Utilitas. — Cum Salomonis templum dedicandum esset, ignis de cœlo lapsus id dedicabat; similiter Spiritus Sanctus templa spiritualia, Apostolos aliosque fideles, dedicavit. II. *Par.* vii.

Cum domus peste infecta est, igne purgatur; unde Hippocrates, ad Græciam hac lue infectam purgandam, totam silvam incendit, et sic feliciter patriam liberavit. Graviori peste infectum mundum Deus per Spiritus Sancti ignem liberavit. Bessæus, *in Do. Pent.*

Tria semper expiationum genera fuerunt, ventus, aqua, ignis; eadem pro mundo adhibita per Spiritum Sanctum. *Ibid.*

Figulus vasa e molli luto efficta igne durat; ita et Spiritus Sanctus mollia corda fidelium suæ charitatis igne consolidat. *Ibid. Bes.*

Tormenta nondum onerata pulvere, et igne a nemine timentur, secus, si utroque instructa sint; idem contigit Apostolis nondum Spiritu Sancto repletis. *Ibid.*

Gedeon lampades ardentes tradens militibus Madianitas debellavit; Sic Spiritus Sanctus Apostolis suis lampades charitate, et sapientia lucentes tradens, mundum devicit. Jud. vii.

Cum campanæ fundendæ sunt, magno igne opus est, quidni ergo ad Apostolos velut campanas totum orbem ad cultum Dei convocaturas, cœlestis, et maximus ignis recte adhiberetur? Bess. l. c.

Euripum, septies in die reciprocari solitum, cum capere non posset Aristoteles, in eum se præcipitem dedit, dixitque : Quia te non capio, tu me cape. Quanto magis hoc respectu S. Spiritus, per septem dona toties in mentes hominum reciprocari soliti, dicendum est? *Idem fer.* III, *Pent.*

Olim dum totus mundus diluvio aquarum mersus erat, sola columba illius tempestatis ostendit finem, dum emissa extra arcam ramum olivæ virentibus foliis ore detulit, pacem mundo restitutam annuntians. Idem postea fecit Sanctus Spiritus in columbæ specie super Christo apparens. Beyrlinck, *in Fer.* II, *Pent.*

Si campi, vineæ, horti, diutina hominum socordia excreverint in silvas, nihil igne ad illos a spinis purgandos est aptius; cum ergo et orbis terrarum spinis errorum fuisset obsitus, merito hic ignis cœlestis missus est, qui eum ante quam ab Apostolis excoleretur, purgaret. *Ibid.*

Dignitas. — Cum olim in capite L. Martii flammula apparuisset, Augures regnum ei offerendum portendi augurabantur; rectius hoc de Spiritu Sancto super capita Apostolorum in specie ignis apparente dicitur. Bess. *in Do. Pent.*

AUCTORES.

Jacobus Marchantius in Horto Pastorum tract. IV.

Laurentius Beyrlick in theatro vitæ humanæ. V. eodem. Item in promptuario mor. Fer. II, Pentec. text. III.

Petrus Bessæus in Dom. et fer. III. Pent.

Mathias Faber in Dom. Pentec. conc. II, III, IV, V. Item Fer. II, Pentec. conc. I, II, III, IV. Item Fer. III, Pent. conc. I. Item in Actuario. Dom. Pent. them. II. Item Fer. II. Pent. them. I, II. Item Fer. III, them. I, II, III.

Ludovicus Granatentis in locis comm. fol. XL.

Petrus Canisius p. I, in explic. IX, articuli Symboli Apostolorum.

Joannes Major in speculo Magno exemplorum V. eodem, et V. Confessio.

Antonius Dauroltius in Cathechismo historiali c. I, Tit. L.

Henricus Engelgravc in solemnitate Pent.

SUPERBIA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Definitur a S. Thoma, et aliis : inordinatus appetitus propriæ excellentiæ; a S. Augustino : perversæ celsitudinis appetitus. Perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhærere, principio, sibi quodammodo fieri, atque esse principium. Hoc sit, cum sibi nimis placet. Sibi vero ita placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipse sibi. S. August. l. IV, *de civ. Dei*, c. XV.

Superbia nominatur ex hoc, quod aliquis per voluntatem tendit supra id, quod est; unde dicit Isidorus in lib. Etymolog : Superbus dictus est, quia super vult videri, quam est. Qui enim vult supergredi, quod est, superbus est; habet enim hoc ratio recta, ut voluntas uniuscujusque feratur in id, quod est proportionatum sibi. Et ideo manifestum est, quod superbia importat aliquid, quod adversatur rationi rectæ. (S. Th. II, II q. CLXII, art. 1.) Unde Abulensis clarius sic eam definit : *Superbia est appetitus immoderatus honoris, qua homo contra Deum extollitur nolendo ei subjici, vel nolendo confiteri, quod ab eo aliquid recepit; aut contra proximum extollitur, injuste nocere volendo.* Abulens. q. LIII, *in cap.* XV, *Matth.*

Divisio. — Dividitur 1. juxta S. Gregorium in quatuor species, dum ait : quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur. (S. Greg., l. XXIII, *mor.*) 1. *Cum bonum a se ipsis habere existimant;* de qua specie Apostolus locutus est, dicens : Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? (II. *Cor.* IV, 7.) 2. *Cum a Deo quidem aliquod bonum datum credunt, sed pro suis meritis accepisse putant :* contra quos dixit idem Apostolus : Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. (*Ep.* II, 3.) 3. *Cum jactant, se habere quod non habent :* Quo modo Deus carpebat superbiam Episcopi cujusdam dicens : Dicis, quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo; et nescis, quia tu es miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. (*Apoc.*, *v.* 37.) 4. *Cum despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere bonum, quod habent :* uti Pharisæus fecit, dum dixit : Deus, gratias tibi ago, quod non sum sicut cæteri hominum. Luc. xviii, 11.

Has differentias S. Bonaventura sic fere effatur : *Prima* est, quando homo attribuit sibi bonum, quod habet : *Secunda* est, quando, etsi non sibi, tamen suis meritis. *Tertia* est, quando jactat se habere, et non habet; *Quarta*, quando se existimat aliis prævalere. S. Bonav. *in centil.* p. 1, f. 27.

S. Anselmus alias quatuor assignat : Quædam est *Exaltatio in opinione*, quædam *in voluntate*, quædam *in sermone*, quædam *in opere; Exaltatio in opinione est*, cum quis reputat se dignum Episcopatu, vel aliqua dignitate, tamen nollet eam habere. *Exaltatio in voluntate est*, cum quis vellet habere Episcopatum, tamen non reputat se dignum, vel etiam opinatur. *Exaltatio in sermone est*, quando nec se dignum reputat, nec vellet habere, tamen loquitur ampullose de aliqua scientia, ut magis appareat : *Exaltatio in opere est*, quando aliquis nec se dignum reputat, nec vellet habere, nec loquitur magna, tamen exaltatur in opere, ut quando vocatur ad consilia, et hujusmodi. *Ibid.*

Adhuc aliam, prioribus non prorsus absimilem, divisionem suppeditat S. Bernardus, dicens : Est superbia *cordis*, quando homo in oculis suis magnus est, juxta illud Isaiæ : Væ, qui sapientes estis in oculis vestris. Superbia *oris*, quæ et jactantia dicitur, quando homo non solum magna de se sentit, sed etiam loquitur, de qua idem Psalmista dixit : Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam. (*Ps.* i, 4. *Ps.* c, 7.) Superbia *operis;* quando homo exteriori quadam superbia, ut magnus appareat, agit; de qua idem Psalmista ait : Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. Superbia *habitus*, quando quis pretiosis vestibus se ornat, ut gloriosus appareat; contra quos Dominus : Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt, ubi superbia abundat. Matth. xi, 8. S. Bern., s. iii, *ex parv. Isa.* v, 21.

Actus. — Primus est, *humanas laudes inordinate appetere; iisque vane delectari :* contra quam Christus monuit dicens; Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Matth. vi, 1.

Secundus, *seipsum, et opera sua vane laudare :* contra Salomonis monitum : Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua. *Prov.* xvii, 2.

Tertius, *honores, et dignitates inordinate appetere :* non obstante Christi effato : Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse, sit vester servus. Matth. xx, 26.

Quartus, *Sanctitatem, et Justitiam famæ aucupandæ gratia simulare :* contra quam hypocrysin toties Christus in Evangelio detonuit. Matth. xxii, 13, *et seq.*

Quintus, *Insolenter sibi attribuere, quæ non conveniunt :* Quomodo Rex Assuerus peccavit dicens : In fortitudine manus meæ ego feci, et in sapientia mea intellexi, et abstuli terminos populorum, et Principes populorum deprœdatus sum, et detraxi quasi potens in sublimi residentes. Isaiæ x, 13.

Sextus, *Mente inaniter et superbe intumescere :* de quo actu S. Augustinus dixit : Est superbia non magnitudo, sed tumor; quod autem tumet, videtur magnum, sed non est sanum. Hinc superbi Bufoni Æsopico comparantur, qui videns bovem in eodem secum prato pascentem, invidere cœpit magnitudini illius, eique assimilari cupiens, tanto conatu se inflavit, ut denique ruptus omnino interierit. S. August.

Septimus, *Elato corde aliquid supra vires temere attentare :* Id quod Apostolus dissuasit dicens : Tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time. *Rom.* xi, 20.

Octavus, *Alios arroganter contemnere* : Uti Pharisæus fecerat, dum dixit : Deus, gratias tibi ago, quod non sum, sicut cæteri hominum. Luc. xviii, 9.

Nonus, *Suo judicio, et consilio plus æque, et pertinaciter inhærere :* cum tamen moneat Salomon : Ne innitaris prudentiæ tuæ. *Prov.* iii, 5. Et S. Paulus : Non plus sapere, quam oportet, sed sapere ad sobrietatem. *Rom.* xiii, 3.

Decimus, *Discordias, cum aliis gerere, et fovere :* Quod Salomon jam pridem prædixit dicens : Inter superbos semper sunt jurgia; nam sicut vapores terræ, in altum ascendentes, tonitrua, fulmina, aliasque impressiones tumultuantes generant; sic superbiæ vapores, de corde in caput ascendentes, discordias, et dissensiones excitant. *Prov.* xviii, 6.

Undecimus, *Nolle se aliis subjicere, et obedire :* Hinc Hugo ait : Inobedentiæ morbus ex superbiæ tumore procedit, ac sicut sanies ex ulcere, sic ex superbia contemptus, manat. Hugo *de* xii, *abusi. seculi.*

Duodecimus, *acceptum beneficium elato animo extenuare, contemnere, oblivisci* : Sicut Apostolus indicavit, dum ad Timotheum dixit : Erunt novissimis temporibus homines seipsos amantes, cupidi, *superbi*, blasphemi, parentibus non obedientes, *ingrati*. II. *Tim.* III, 2.

Brevius, secundum Bonaventuram, carnalis superbia his indiciis, et actibus, demonstratur : Est clamosa, cum tacet, amara, et indignabunda, et indissoluta lætitia, risus irrationabilis, et sine causa, in tristitia sua est sévera, dura, reprehendit cum rancore, non ex compassione : verba profert passim sine aliqua cordis gravitate, vel ponderatione; expers patientiæ, et charitatis, aliena audacter injuriat, sed pusillanimiter injuriam patitur; difficulter aliis obedit, exhortationem recipere spernit, in propria voluntate permanens, non vult consilium ab aliquo recipere, magis sibi credens, quam sapientibus. S. Bon. *l. de pugna*, c. VII.

Superba ex usu voluntas in magna sæpe cordis inopia tumentem efficit animum; unde procedunt vana gloria, fiducia sui, negligentia Dei, jactantia, inobedientia, contemptus, præsumptio, et cæteræ animæ pestes : quæ proficere solent ex tumore, et usu superbiæ. S. Bern. *de vit. solit.*

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria. *Prov.* XXIX, 23.

Melius est humiliari cum mitibus, quam spolia dividere cum superbis. *Prov.* XVI, 19.

Antequam conteratur cor hominis, exaltatur, et antequam glorificetur, humiliatur. *Prov.* VIII, 12.

Si quis se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. *Gal.* VI, 3.

Quid nobis profuit superbia; aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra. *Sap.* V, 8.

Sex sunt, quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus. Oculos sublimes, linguam mendacem. *Prov*, VI, 16.

Tetendit adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est; cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est. Job. XV, 16.

Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo? In cœlum conscendam, super astra, Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo. Isa., XIV, 13.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero; et emundabor a delicto maximo; id est, superbia, ut SS. Patres interpretantur. *Psal.* XVIII, 24.

Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. *Psal.* LXXIII, 23.

Fuga. — Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Tob. IV, 4.

Non glorietur sapiens in sapientia sua; et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, et nosse me. Jer. IX, 23.

In die honoris tui ne extollaris, quoniam mirabilia opera altissimi solius, et gloriosa, et absconsa, et invisa opera illius. *Eccl.* XI, 4.

Quid superbit terra, et cinis? *Eccl.* X, 13.

Damnum. — Ubi fuerit superbia, ibi erit, et contumelia; ubi autem est humilitas, ubi et sapientia. *Prov.* XI, 2.

Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. I. *Petr.* V, 5.

Dies Domini super omnem superbum, et excelsum, et arrogantem, et humiliabitur. Isaiæ II, 11.

Omnis, qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. Matth. XXIII, 12.

Radices gentium superbarum arefecit Dominus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus. *Eccl.* X, 18.

Abominatio Domini est omnis arrogans, etiamsi manus ad manum non fuerit innocens. *Prov.* XVI, 5.

Initium omnis peccati est superbia. *Eccl.* XVI, 7.

Visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur. Soph. I, 9.

Anima, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis ille sit, sive peregrinus, quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo. *Num.* XV, 30,

Juravit Dominus in superbia Jacob, si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum. Amos VIII, 7.

Juravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum : Detestor ego superbiam Jacob, et domos ejus odi, et tradam civitatem cum habitatoribus suis. Amos vi, 8.

Ecce enim dies veniet succensa, quasi caminus, et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem stipula, et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem, et germen. Malach. iv, 1.

Initium superbiæ hominis apostatare a Deo, quoniam ab illo, qui fecit illum, recessit cor ejus. *Eccl.* x, 24.

Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo. Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam. Job xl, 6.

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Luc. i, 51.

Oculi sublimes hominis humilitati sunt, et incurvabitur altitudo virorum, exaltabitur autem Dominus solus in die illa. Isaiæ lxii, 11.

Domum superborum demolietur Dominus. *Prov.* xv, 25.

Retribuet abundanter facientibus superbiam. *Psal.* xxx, 24.

Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, et qui eum viderant, dicent : ubi est : Job xx, 6.

Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me : ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. *Psal.* xxxv, 12.

Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. *Psal.* c, 2.

Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulerit nobis? in malignitate nostra consumpti sumus. *Sap.* v, 8.

Odibilis coram Deo est, et hominibus superbia. *Eccl.* x, 7.

Hæc fuit iniquitas Sodomæ, Superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius. Ezech. xvi, 49.

Ubi fuerit superbia, erit et contumelia. *Prov.* i, 2.

Inter superbos semper jurgia sunt. *Ibid.*, xiii, 10.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Alia quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant : Superbia vero in bonis operibus insidiatur, ut pereant. S. Aug. *in Reg.*

Superbia natione cœlestis, sublimium appetit mentes, et quasi ad proprios revolans ortus, appetit gloriam, et potestatem hominum irrumpere, quæ de gloria, et puritate Angelorum erupit, ut, quos invenit participes naturæ, faciat consortes ruinæ. S. Hieron.

Omni vitio deterior est superbia, seu quia a summis personis assumitur, seu quia de opere justitiæ et virtutis exoritur, minusque culpa ejus sentitur. Luxuria vero carnis ideo omnibus notabilis est, quoniam statim per se turpis est, et tamen pensante Deo superbia minor est. Isi., l. III, *de sum. bon.*

Quatuor sunt, quæ trahunt elationis currum, amor dominandi, amor propriæ laudis, contemptus, et inobedientia. Rotæ vero sunt jactantia mentis, et arrogantia, verbositas, et levitas : Auriga in hoc curtu est spiritus superbiæ. Amatores mundi sunt, qui feruntur in hoc curru, infrenes sunt equi, volubiles rotæ, auriga perversus, et qui portatur infirmus. *Idem de claustr. anim.*, l. I.

Omnis fere vitiosus diligit sibi similem, solus superbus odit elatos, unde inter superbos semper sunt jurgia. *Innoc. de util. cond. hum.*

Vir humilis Deo est similis, superbus autem cum sit Deo odibilis, Diabolo similis est. Humilis licet in habitu videatur vilissimus, gloriosus est in virtutibus. Superbus autem etsi decorus videatur aspectu, tamen inutilem eum manifestant opera ipsius, et per incessum, et motum dignoscitur ejus superbia, et ex verbis publicatur ejus levitas. Cupit semper laudari ab hominibus, et a virtutibus, a quibus est alienus, prædicari gestit. Ambulat semper tumens, ut uter vacuus, et ut navis gubernatore destituta a fluctibus huc illuc jactatur. S. Bas. *ad Fil. Spir.*

Nihil tam periculosum est, quam gloriæ cupiditas, et jactantia, et animus confidentia virtutum tumens. S. Hieron., *ad Fabr.*

Cunctis superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imaginatione, erectio in incessu;

rancor in responsione. Horum mens semper est ad arrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos vero alios importuna. S. Gr. *in mor.*, l. IV, xx.

Superbus Monachus Dæmone opus non habet, ipse enim jam sibi, et Dæmon, et inimicus, et hostis est. Alienissimæ a luce sunt tenebræ, ita et superbus a virtute omni alienus est. S. Climac., *grad.* xxii.

Maximum peccatum in homine superbia est, quandoquidem inde manavit nostri origo delicti. Hoc telo nos primum Diabolus vulneravit; nam nisi homo, serpentis persuasione deceptus, sicut Deus esse voluisset, numquam feralis culpæ ad nos transisset hæreditas. Quid igitur hoc peccato potest esse deterius, quod a Dei cœpit injuria. S. Ambr. *Ser.* vii, *in Ps.* cxviii.

Lata fovea hic, quæ nolo vos lateat, de qua is ipse superbiæ spiritus tanto periculosius, quanto occultius (sicut habetis in Psalmo) insidiatur, quasi leo in spelunca sua. Nam si impedire non prævalet actionem, tentat intentionem, suggerens, et suadens quatenus affectum gratiæ arroges tibi, quod quidem superbiæ genus longe illo priore intolerabilius esse non ambigas. S. Bernar. *Ser.* liv, *in Cant.*

Vitia cætera in peccatis, superbia vero etiam in recte factis timenda est; ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. S. August. *ep.* lvi.

Exosi sunt superbi, non solum propter verba, sed et per ipsam corporis figuram ridiculi; quid enim (dic quæso) cervicem in altum extendis? quid summis pedum articulis incedis; quid supercilia extollis? quid pectus inflas? capillum capitis tui non potes vel album, vel nigrum facere, et non aliter, quam si Dominus esses omnium, elatus quasi in aere incedis. Forsitan optares tibi, et pennas innasci, ne super terram incederes? forsitan prodigium esse desideras? Imo vero nunc prodigium, ac monstrum ex te ipso fecisti, qui, cum homo sis, volare conaris, imo et ab intus volas. S. Chrys., *ho.* xx, *ad Rom.*

Superbis tumor in cognitione, clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in lætitia, furor in tristitia, inhonestas in actione, erectio in incessu, rancor in responsione. Bellovac. *spec mor.*, l. III, p. 3.

Ut gravissimam tyrannidis ejus potentiam agnoscamus, Angelum illum, qui præ nimietate splendoris, ac decoris sui Lucifer nuncupatus est, nullo alio, quam hoc vitio dejectum cœlitum invenimus; et ex illa beata sublimique Angelorum statione telo superbiæ vulneratum ad inferna fuisse collapsum. Cassianus, l. XII, c. iv.

Cito mens se in superbiam erigit, quæ se ad virtutis culmen excrevisse perspexerit, sed quanto quis altius super se per superbiam erigitur, tanto inferius sub se, deserente Deo, per culpam dejicitur, sicut scriptum est : *Ascendunt usque ad Cœlos, et descendunt usque ad abyssos.* Richard de S. Vict. *in Cant.* Habacuc. *Ps.* cvi, 26.

Et si quis innumera bona fecerit, virtutemque omnem absolverit; si tamen magnum quid de se sentit, maxime omnium miserabilis est, et miser. S. Chrys., *ho.* xxxi, *in Gen.*

Nullum est vitium aliud, quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaque justitia, et sanctitate hominem spoliet, ac denudet, ut superbiæ malum, tanquam generalis quidam, ac pestifer morbus; non enim unum membrum, partemve ejus debilitare contentus, sed totum corpus lethali corrumpit exitio, et in virtutum jam fastigio collocatos gravissima ruina dejicere, ac trucidare conatur. Cassianus, l. XII, c. iii.

Qui superbiam habet, sine causa habet alias virtutes, imo eas non habet, sed videtur habere, qui enim hoc habet, quod Deo contrarium est, quomodo potest habere, quod Deo amicum est? S. Aug. *S. de cle. et humil.*

Alia vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, et quasi generalis, ac pestifer morbus corpus omne corrumpit, ut quidquid illa invadente agitur, etiamsi virtus esse ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ serviatur; quasi enim tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cum mentem superbia irrumpit, et quo ditiorem quemque ceperit, eo in dominio durior exurgit. S. Greg., l. XXXIV, *mor.* c. xviii.

Nihil ita oculos ejus (Dei) offendit, sicut superbia, quæ Angelum de cœlo, et hominem expulit de paradiso. Merito hæc oculos Christi offendit, quæ pulcherrimum opus ejus in cœlo, et in paradiso fœdavit; quæ fecit de Angelo diabolum, et de homine nuper creato, justo, perfidum; quæ, sicut et peccatorum primum, et maximum, sic et omnium regina, et mater vitiorum est. S. BERNAR. *S. in festo Purif.*

Superbia est negatio Dei, inventum diaboli, despectus hominum, parens temerarii judicii seu condemnationis alienæ, mala progenies laudum, sterilitatis argumentum, auxilii divini obstaculum, lapsuum procuratrix, fons furoris, simulationis seu hypocrisis janua, propugnaculum dæmonum, custos peccatorum, immanitatis seu immisericordiæ causa, commiserationis ignoratio, hostis Dei, blasphemiæ radix, divini auxilii negatio. S. CLIMAC., *grad.* XXV.

Justo judicio superborum facies Dominus in foveam mergit, quia intentionem cordis eorum se ultra homines erigentem inferius dejicit; ima enim respicit, cujus facies fovea attendit. Et bene de superbia dicitur, quod eorum facies in foveam demerguntur, quia ima petunt, dum superbiendo altiora appetunt, et quo magis se extollendo erigunt, eo magis ruendo inferius tendunt. Terrenam namque gloriam quærunt, et infima sunt quæ prospiciunt, dum superbiendo alta sequuntur. S. GREG. *or.*, c. XXXII, *mor.*, l. VII.

Quid hoc peccato potest esse deterius, quod a Dei cœpit injuria? ideoque Scriptura dicit : *Dominus superbis resistit.* Tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiam speciale certamen, tanquam dicat : Meus iste adversarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio. S. AMBR. *S. in Ps.* CXVIII.

Quid superbis terra, et cinis? Si superbientibus Angelis Deus non pepercit, quanto magis tibi, putredo et vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus est, tantum cogitavit superbiam, et in momento, in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus est, quia in veritate non stetit. S. BERNAR. *in flor.*, c. CCIII.

Nulli unquam pepercit superbienti, sive in cœlo, sive in terra; quod Propheta considerans, Dominum deprecans dicit : *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.* Ibi prorsus ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare, Quamobrem diligenter consideret peccator homo, si Angelis superbientibus non pepercit Deus, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit, in judicium cruciandos reservari : quid perpessurus est ipse, si adversus conditorem cordis sui cervicem levaverit. S. LAUR. JUST. *de conjunct.*

Humilitas homines sanctis Angelis similes facit, et superbia ex Angelis dæmones facit : et ut evidenter ostendam, ipsa est omnium peccatorum initium, et finis, et causa, quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine superbia. S. AUG. *ad cum. qu.*

Trabs in oculo grandis, et grossa in mente est superbia, quæ quasi corpulentia sui vana non sanat, tumida non solidat, oculum mentis obscurat, et veritatem obumbrat. S. BERN.

Superbia turrim evertit, linguam confudit, prostravit Goliath, suspendit Amam, interfecit Nicanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, et Sennacherib interemit. Sedes Ducum superborum destruxit Deus et radices gentium superbarum arefecit Deus. INNOCENT. DE VILLIT. *condit. hum.*

Sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa, quam superat, elevatur.

Ad imperium cœlorum non pervenitur superbia, divitiis, præfectura, sed humilitate, pauperie, lenitate; arcta enim, et angusta via est, quæ ducit ad regnum. Quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, et auri thesauris dilatatus tanquam onustum, et impeditum animal per angustum regni iter transire non poterit. Simul etiam ut se existimat pervenisse, sarcinam ejus exigua porta non capiens, repercusso limine retrorsum redire cogit. S. GREG., l. XX, *mor.*

Cum inflatum videris hominem, qui meliorem, se cæteris arbitretur, contemnique opinetur, si cæteris hominibus conferatur, nullum jam aliud signum vecordiæ hominis requiras. Tanto quippe ridiculosior his est, qui natura insaniunt, quanto ipse sponte hunc sibi morbum injecit : nec hac re solum miser, verum etiam quia in miseriæ fundum se detrusit, ut nihil sentiat. Quando enim is peccata sua, ut oportet, cognoscet? Quando nimium se delinquere sentiet? Certe quasi vile mancipium, et miserum, et captivum diabolus abducit, agitatque verberibus, et mille contumeliis, quocumque velit. S. CHRYS. *hom.* LIX.

Nullum malum par elationi, hominem reddit dæmonem, blasphemum, contumeliosum, perjurum, cupidum cœdium, et homicidiorum. Elatus semper in doloribus vivit, semper indignatur, semper mœret, nihil est, quod ejus posset explere libidinem; sicut enim avari, quanto plura acceperunt, tanto pluribus egent : Sic superbi, quanto majori funguntur honore, tanto plus concupiscunt. S. CHRYS. *hom.* XLIII, *ad pop.*

Cum hominem Deus tumere conspicit, se sibi illum ostendendo, derelinquit, et ejus mens derelicta, quid sit, inveniat, quæ male in se secura gaudebat. S. CHRYS.. l. X, *mor.* c. XIII.

Superbia sicut est origo omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum; ipsa enim in peccato est prima, in conflictu postrema. S. ISIDOR. *de sum. bono.*

Omnis superbia tanto in imo jacet, quanto in alto se erigit, tantoque profundius labitur, quanto excellentius elevatur. Deus enim exaltat humiles, et deponit superbos de sede. *Idem ord. de humil.*

Alia secta est in Africa, alia est in Oriente, alia in Ægypto, alia in Mesopotamia. Diversis locis diversa sunt, sed una mater superbia omnes genuit.

Superbus censetur, qui vult bonum facere sine timore Domini. ANSEL. *in Epist. ad Corinth.*

Omnis vitiosus diligit sui similem, solus superbus odit elatum, unde inter superbos semper sunt jurgia. ISIDOR. *cond. humil.*

Superbi cum se despici suspicantur ad contumelias prosiliunt. GREG. XIII. *Moral.*

Magna superbia est, in judiciis divini rationem quærere. *Idem* IX. *Moral.*

Superbia humana est mala in Dominum referre, bona autem nobis tribuere. AUGUST. *Epist.* CCXLIV.

FUGA. — Cætera vitia in malefactis valent, sola superbia etiam in recte factis est cavenda. S. AUGUST. *l. de nat. et grat.*

Beatus, qui ubique te Ducem habet, Domine Jesu, non illum refugam Spiritum, qui statim ascendere voluit, et tota divinitatis dextera percussus est. Nos autem populus tuus, et oves Pascuæ tuæ, sequamur te, per te, ad te, quia tu es via, veritas, et vita; via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. S. BERN., *serm.* II, *de Ascens. Dom.*

Superbia virtutum maxime fugienda. AUG. *in lib. Quæs.*

Superbia ubi nasci intelligitur, statim eradicanda est. GREG. XXII, *mor.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Melior est humilis Rusticus, qui Deo servit, quam superbus Philosophus, qui se neglecto cursum cœli considerat. Lib. I, c. II, § 1.

Jugis pax cum humili, in corde vero superbi zelus, et indignatio frequens. Lib, I, c. VIII, § 3.

Superbus, et avarus nunquam quiescunt; pauper et humilis in multitudine pacis conversantur. Lib. I, c. VI, § 1.

Multum præcave a vana complacentia, et superbia; propter hoc multi in errorem ducuntur, et in cæcitatem pene incurabilem. Lib. III, c. VI, § 5.

Qui aliquid boni sibi attribuit, gratiam Dei in se venire impedit, quia gratia Spiritus Sancti cor humile semper quærit. Lib. III, c. XLII, § 2.

Quid est homo, inde melior, quia reputatur ab homine major? Fallax fallacem, vanus vanum, cæcus cæcum, infirmus infirmum decipit, dum exaltat, et veraciter magis confundit, dum inaniter laudat. Nam quantum unusquisque est in oculis tuis, tantum est, et non amplius, ait humilis S. Franciscus. Lib. III, c. LII, § 8.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — Peccavit primus homo per superbiam, inordinate appetendo divinam similitudinem, non modo quantum ad scientiam boni et mali, quam principaliter appetiit, sed etiam quantum ad propriam operandi potestatem, appetendo propriis viribus consequi divinam felicitatem : nullo autem modo naturæ divinæ similitudinem appetiit. Duplex est similitudo : una omnimodæ æquiparantiæ, et hanc similitudinem primi parentes non appetierunt, quia talis similitudo ad Deum non cadit in apprehensione, præcipue sapientis. Alia autem est similitudo imitationis, qualis possibilis est creaturæ ad Deum, in quantum videlicet participat aliquid de similitudine ipsius, secundum suum modum. Eadem enim similia sunt Deo, et dissimilia; illud quidem secundum contingentem imitationem, hoc autem secundum quod causata minus habent a causa. Quodlibet autem bonum in creatura existens, est quædam participata similitudo primi boni. Et ideo ex hoc ipso, quod homo appetit aliquod spirituale bonum supra suam mensuram, consequens est, quod appetierit divinam similitudinem inordinate. S. THOM. II, II, *qu.* CLXIII, *ar.* 2.

David præsumptione virtutis elatus dixerat : *Non movebor in æternum :* statim insolentiæ hujus pœnam subiisse memoravit dicens : *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* Si ipse Dominici generis auctor insolentiæ excepit offensam, quanto magis nos peccatores, quibus nulla suffragatur prærogativa meritorum, insolentiæ scopulum timere debemus, in quo naufragium sit bonorum. S. AMBR. DE JOSEPH., c. I.

In Annalibus Ecclesiasticis mentio fit Hœresiarchæ Valentini, qui primo professione fuerat Philosophus Platonicus; hic postquam tum in Ægypto, tum Romæ promulgasset Evangelium, et fidem Catholicam, ac propterea non esset promotus, uti prætendebat ad Episcopatum (alius enim propter prærogativam, quam habebat, martyrii, ei prælatus fuit) tanta exarsit ira, ut fidem illam, quam antea prædicaverat, acerrime impugnare, et dilacerare cœperit. BARONIUS, ann. 145, n. 3.

Annales idem de Origene hoc referunt testimonium, quod fuerit vir summæ honestatis, patientiæ, filius Martyris, propter amorem Christi omnibus se spoliaverit bonis, et divitiis, aliquoties propter fidei confessionem martyrio affectus, summo dotatus ingenio, Magister innumerabilium doctorum Sacerdotum, Confessorum, et Martyrum; ast quis fuit ille scopulus, ad quem allisit, et naufragium passa fuit navis tam opulentis onusta mercibus? Donis Dei, et gratiis sibi communicatis bonus ille vir abusus fuit, quia nimirum proprio fidit judicio, sibi quoque nimium credidit, plus reliquis omnibus præsumpsit scire, et sapere, majorum doctrinam, ac traditiones Ecclesiasticas sprevit, et contempsit. *Idem.* an. 156, n. 42.

De Eunomio Hæretico Galata legimus, eum in tantam elatum fuisse superbiam, ut, quemadmodum scribit Theodoretus, asseruerit, nihil esse in divinis, quod ipsum lateret, eo quod divinam comprehenderet substantiam, eamdemque cum Deo, qua cognoscit se ipsum, haberet cognitionem; unde hæretici hujus asseclæ dicere solebant, ita se cognoscere Deum, sicut Deus cognoscit seipsum. *Idem.* an. 360, n. 35.

Hilarius Ecclesiæ Romanæ Diaconus non se separavit dumtaxat ab Ecclesia Catholica, verum etiam eadem hæresi infecit, asserens, Baptismum Hæreticorum non esse admittendum. Missus erat hic Hilarius a Liberio Papa ad Constantium una cum Lucifero Legato, et post verbera, et carceres perpessos, tandem et cum Lucifero relegatus fuit in exilium; at infelix homo actus in superbiam, propter gloriam nobilis suæ confessionis, despiciendo cæteros, non schismaticus solum, sed etiam hæreticus factus est. Pelagium insuper legimus jactitantem se, et gloriantem, quod fœminarum cinctus caterva ne minimum infestaretur aut molestaretur a concupiscentia, multo minus ei subjectus esset : etenim de me dictum est, (sic jactanter de se ipso loquebatur) *lapides sancti elevabuntur super terram,* (ZACH. IX, 16.) ac propterea similes haud sentio molestias, utpote qui virtute liberi arbitrii circumfero trophæum Christi. *Idem.* 362, n. 224.

Obsessum quemdam amici sui ad quoddam cœnobium Ordinis nostri, spe liberationis, traxerunt. Ad quem egressus Prior, assumpto secum monacho, magnæ opinionis adolescente, quem noverat Virginem corpore, ait dæmoni : si præceperit tibi monachus iste, ut exeas, quomodo audes manere? Respondit dæmon : non eum timeo, superbus est enim. CÆSARIUS, l. IV, c. V.

Eva propter appetitum excellentiæ, cum audisset a serpente : Eritis sicut dii, de ligno vetito comedit. *Gen.* III.

Superbia Babyloniorum volentium ædificare turrim, cujus culmem ad cœlum pertingat, et per hoc cupientium sibi immortalem famam comparare, confusione linguarum damnata est. *Gen.* II.

Agar ancilla Sarai concepisse se videns, despexit dominam suam, sed paulo post partu suo ejecta domo audiit ab Angelo : Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius. *Gen.* XVI, 9.

Monachus quidam, cui Deus propter virtutem quotidie panem miræ suavitatis, et candoris in mensa posuerat, hoc meritis suis adscribens, et superbiens, ab initio quidem panem quotidie sordidiorem, demum vero aridissimum, et quasi a muribus corrosum accepit; unde ex eremo in sæculum reverti statuens, dum aliis in Monasterio quopiam verbum salutis dividit, et ad constantiam hortatur, sibi applicans, pœnitentiam agit, et revertitur. *Spec. Ex. d.* II, *ex* 3.

Edgarus Britannicus Rex superbiæ magnitudine notus, Scotiæ atque Hiberniæ Reges, remigare cogebat in ea cymba, qua ipse voluptatis gratia vehebatur. B. FULGOS, lib. IX.

Rem procul dubio superbam atque insolentem egit, Bernabo Vicecomes, qui Mediolani rerum potiebatur, cum Massiliensem Abbatem ab Innocentio VI. Pontifice ad eum missum, quod ingrata quædam nuntiabat, ac postremo Apostolicas censuras minitabatur, Pontificis litteras quas attulerat, devorare coegit, nulla ejus habita ratione, a quo Abbas legatus erat, cui Christiani omnes veluti communi parenti ac Dei Vicario supremum deberent honorem. *Idem. Ib.*

Superbe nimis nuntiari jussit Ezechiæ Prophetæ Assyriorum Rex, quod neque Deus, neque homo posset eum liberare de manu sua. IV. *Reg.* XIX.

Dorotheus Abbas Fratribus loquens dixit, se vidisse aliquando hominem qui in magnam superbiam incidisset, ita ut initio quidem si quis e Fratribus loquutus quidpiam esset in alterius commendationem et laudem, statim illum spernebat et quasi conspuebat, dicens : Quis est ille ? non est alius præter Zosimum et qui cum illo sunt. Post cœpit et illos contemnere ac dicere : neminem alicujus esse pretii præter Macarium, et paulo post. Quis ait : Macarius ? nullus est præter Basilium et Gregorium; Atque etiam non multo post, hos quoque cœpit pariter spernere et nullum ullius pretii æstimare nisi Petrum et Paulum. Cui Dorotheus Abbas prædixit, quod evenit, fore ut hos quoque suo tempore contemneret. Quod sane factum est. Nam hos sprevit, et nihil esse habendum in pretio præter Trinitatem asserere cœpit; statimque in Deum quoque factus est insolentior et intumuit. DOROTH. ABB. *Doctr. in l.* II, *quæ est de Humil.*

FUGA. — Superbia tentatus Liffardus, qui prius in sæculo nobilis, postea in Monasterio subulcus factus fuerat, cum jam deserere sequenti die Cænobium cogitaret, ostensis ab Angelo mortuorum fœtidis sepulchris a tentatione liberatus, et invocatione conservatus est. *Ibid. dist. ex.* XXVII.

Abbas Isidorus, quoties cogitatio illi dicebat : Quia magnus es : respondit : Numquid talis sum, qualis Antonius, aut certe Abbas Pambo, vel reliqui Patres, qui Deo placuerunt? Et quoties hoc cogitabat, requiescebat. *Vita PP.*

S. Hieronymus de seipso fassus est : Nihil ita a pueritia vitare conatus sum, sicut tumentem animum, et erectam cervicem Dei contra se odia provocantem. Novi enim, Magistrum, et Dominum meum in carnis humilitate, dixisse : Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. S. HIER. *in epist.*

DAMNUM. — David, quia ex superbia quadam populum numerari jussit, gravissima pestilentiæ regnum suum devastantis pœna punitus est. II. *Reg.* XXIV.

Nabuchodenosor propter superbiam suam de regno depositus, et bestiis assimilatus est. DAN. V.

Antiochus, quia præ superbia existimabat, se terram ad navigandum, pelagus ad iter agendum deducturum, a vermibus consumptus interiit. II. MAC. III.

Blasphemus Clericus sententiam illam : Omnis, qui se exaltat, humiliabitur : falsam dicens, fulmineo ense in acie transfigitur. SPEC. EX. d. I, ex. XXI.

De Lucifero dicit Isaias : Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes. Qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci. ISAIA XIV, 13.

Simon de Torniaco, quia de humilitate Christi disputans, elato et procaci animo dixerat, tres fuisse in orbe seductores primarios : Moysen Judæorum, Christum Christianorum, Mahumetem Turcarum, mox eversis oculis, pro humana voce mugire cœpit, et epilepsia in terram elisus, omnique scientia spoliatus, tertia post die mortuus est. SPESC. EX. *dist.* V, *ex.* XLIX.

Circa annum Domini 1370. Vesperi post Completorium, visi Neapoli in quodam Cœnobio longo ordine accumbentes, quos cum Prior domus in virtute V. Sacramenti, quod manibus prætendebat, jussisset dicere, qui essent, respondit unus, qui cæteris præesse videbatur, se omnes fuisse istius ordinis Religiosos, Doctores, Baccalaureos Priores, Superiores, Lectores, jamque ob superbiam, et ambitionem damnatos esse. Quo dicto, diductis tunicis, ardere visi sunt, et evanuerunt. PÆD. CHR. p. 1. c. VII.

Quædam persona ad Purgatorium damnata S. Birgittæ dicebat, quod, licet gravissima sentiret in aliis membris tormenta, nullum tamen adeo cruciaret, ut rumpere videantur; hanc vero pœnam propter superbiam fuisse irrogatam. Revel. l. VI, c. LI.

In Peruensi regno fuit magni nominis Theologus, qui familiaritate cujusdam mulieris extases patientis usque adeo deceptus est, ut crederet, se Regem, et Pontificem futurum, sibi quoque sanctitatem supra omnes Angelos, et Sanctos concessam; quin et unionem hypostaticam oblatam, quam tamen noluerit acceptare. Denique datum esse mundi Redemptorem quoad efficaciam, cum Christus quoad sufficientiam dumtaxat fuerit. Omnem statum Eclesiasticum, et cælibatum Clericorum tollendum, multitudinemque uxorum concedendam. Quare Inquisitione traditus, cum ad sanam mentem adduci non potuisset flammis absumptus est. March. *in tuba Sac. tr.* I, *lect.* IV, *in fine.*

Refert Frater Wilhelmus, Lugdunensis Episcopus, quoniam fuit quidam frater in monasterio quodam multum verbosus, et semel accidit, quod loquebatur de non sibi commissis : tunc Abbas dixit illi seriose : Vade, et tace. Qui recedens ab Abbate, et cordi suo imprimens illa verba Abbatis, amplius in monasterio silentium tenuit. Et cum sic tacuit, tunc ab intra in spiritu in tantum profecit, quod Deus sibi multa secreta revelavit, ita quod alii fratres mirabantur de taciturnitate sua. Accidit autem, quod quidam Eremita in sylva non longe a monasterio infirmabatur, qui misit ad Abbatem, ut ad eum veniret, et sibi ecclesiastica Sacramenta porrigeret; tunc Abbas duxit illum taciturnum secum, et ivit cum Sacramentis ad communicandum illum Eremitam. Tunc in via quidam latro audiens campanam parvam secutus est eos usque ad cellam Eremitæ, et mansit foris, reputans se indignum, quod deberet intrare cellam tam sancti viri, sed postquam Eremita confessus est, et communicavit, tunc latro stans prope januam cum humilitate cordis sui dixit : O si essem talis, qualis es tu! Et Eremita in elatione mentis, et complacentia sui ipsius dixit : Hoc libenter deberes velle, quod esses talis, qualis ego sum. Tunc frater ille taciturnus cœpit flere amare; et postquam Abbas, et frater ille recesserunt, tunc latro ille cucurrit a remotis post eos, et invocavit Deum, ut daret sibi contritionem veram, et vitæ emendationem, quia jam proposuit illi Abbati confiteri, et amplius nunquam peccare velle, sed pœnitentiam pro peccatis assumere; et sic in veloci cursu ille cecidit, et mortuus est immediate. Quod videns frater iste, cœpit latenter ridere; sed postquam Abbas cum isto fratre ad Conventum rediit, quæsivit ab isto fratre, quare sic taceret? et respondit : Pater, semel dixisti ad me, vade, et tace, et ab illo die semper tacui, nisi interrogatus fuissem. Tunc Abbas dixit : Quare tu flevisti, cum illum sanctum Eremitam communicavi, et tu risisti, cum ille malus latro post nos cucurrit, volens nos spoliare, vel occidere, et sic peccando in peccatis suis obiit. Tunc frater respondit : Pater, causa fletus mei fuit ista, quia cum communicasti illum Eremitam infirmum, tunc latro stetit foris ad januam ex humilitate cordis, dicens : O si essem talis, qualis tu es? et Eremita respondit in elatione mentis : Hoc posses libenter velle; et sic mortuus est, et damnatus, ideo flevi; sed latro, qui post nos cucurrit, habuit firmum propositum confitendi, et non spoliandi, nec occidendi, et sic currens cecidit, et obiit, et Angeli ejus animam rapuerunt, et ad cœlum cum gaudio deduxerunt, quia sua contritio fuit tanta, quod delevit pœnam, et culpam, ideo risi Spec. Ex. *v. eod.* n. 5.

Virgo quædam a juventute servivit Deo, quamdam tamen spiritualem superbiam in se habuit, in complacentia sui ipsius. Quæ venit ad extrema, et Episcopus illius loci personaliter eam visitabat, et cum Sacramentis eam procurabat, et propter sanctitatem vitæ ipsius Virginis dixit circumstantibus : Merito dies ista est celebranda, in qua ista Virgo devota, et sancta est moritura. Illa verba ista audivit, et sibi ipsi complacuit, et sic obiit : et infra spatium XXX, dierum apparuit ipsi Episcopo dicens : se esse damnatam propter sui ipsius complacentiam, et spiritualem superbiam, quam in se habuit in extremis suis, quando illa verba audivit. Discip. *in Prompt. lit. T. ex* XXI.

Alia quædam Virgo devota tam arctam vitam duxit jejunando, vigilando, orando, et castigando se, quod ab hominibus sancta reputabatur. Contigit autem eam infirmari usque ad mortem, cujus Confessionem quidam devotus Sacerdos audivit, et suam spiritualem superbiam ignoravit. Cui post obitum ipsa apparuit nigra valde, et horribilis. Et Sacerdos expavescens, quæsivit, quidnam esset. Et ipsa fatebatur, se esse illam Virginem, quæ ab hominibus quasi sancta reputabatur, et subjunxit dicens : Ego infelix tradita sum infernalibus incendiis cum inferioribus dæmoniis, et cum infimis damnatis æternaliter crucianda, propter vanitatem, et meam propriam complacentiam, et spiritualem superbiam, quam habui, quod nullum æqualem mihi reputavi, sed super omnes me extuli, et alios homines judicavi, et sprevi; propterea ad profundum inferni descendi de quo numquam liberabor. Nam si siccatæ essent aquæ maris, et fundus repletus papavere, et una avicula omni anno unum granum educeret, et tunc possem salvari, omnes pœnas inferni eligerem usque ad illud tempus sustinere, si finito illo tempore cœlum possem intrare; sed non ita fiet, quia in inferno nulla redemptio. Unde Pater sancte, nec tu, nec aliquis alius oret pro me, quia numquam liberabor. *Idem ser.* CXXXVII, l. X.

In quantam superbiam ascenderit Antiochus, quia *ex abundantia cordis os loquitur*, ex verbis ejus id intelligemus : *qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere.* (II. MACH. IX, 8.) Paulo ante sacer textus, qualis prius erat, jam indicaverat, nempe, superbia repletus, ignem spirans; at subito, quando jam in supremo elationis, et superbiæ gradu constitutus erat, obruit eum, ac tetigit ira divina : *humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans, ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius, et fætore exercitus gravaretur, et qui paulo ante sidera cœli contingere se arbitrabatur. eum nemo poterat propter intolerantiam fætoris portare. Hinc igitur cœpit ex gravi superbia deductus, ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga. Ibid. v.* 7.

Episcopus Bellovacensis profert exemplum Sennacherib, Regi Antiocho non absimilis. Contra Deum superbierat, ut legitur IV. Reg. c. XVIII, quem ut magis confunderet, noluit eum occidere cum suo exercitu, una siquidem nocte Angelus de cœlo veniens magnam in exercitu fecit stragem, occidendo centum octoginta quinque millia hominum; ipsum vero Sennacherib reservavit vivum, ut solus rediret confusus, et reversus trucidaretur a filiis : nam terram suam cum confusione reversus coram Deo suo in templo ejus, ubi adorabat, ad majorem sui confusionem a filiis suis occisus est. BELLOVAC. l. III *spec.* p. 3 *dist.* I.

F. Justinus, qui, opulento Baronatu, et Regis Hungariæ favoribus spretis, Institutum Minorum suscepit, contemplationi deditus, initio sæpe extases patiebatur, et raptus. Sui Institutoris vestigia, et SS. Limina veneraturus, venit in Italiam, ac demum in urbe substitit. In Conventu Aræ cœli, qui nuper ad Observantes translatus fuerat, dum quadam die pro more inter prandendum pia Sanctorum gesta legerentur, extra se raptus, diu immobilis, et velut exanimis mansit, in altum corpore elatus e regione cujusdam imaginis B. Virginis super Fratrum capita depictæ, ubi retractis cruribus in modum genuflexi in aere pependit. Aderat tunc B. Joannes Capistranus Ordinis Vicarius, qui dimissis Fratribus in templum, ut gratias agerent secundum consuetudinem, solus cum socio clauso ostio remansit, finem exploraturus. Post longam moram vidit, omnia se bene habere, et ex signis placidæ mentis, sereni vultus, humilitate animi, aliisque notis, alienum hoc esse a vanitate, et præstigiis. His auditis Eugenius Pontifex hominem accersit, ac pedes osculari volentem ulnis excipit, et osculo, jussitque prope sedere : Longo dein tempore protracto sermone, munuscula addidit, et Indulgentias. Inde factus altior Justinus, domum regressus alter ab illo, qui erat egressus, occurrit Capistrano, eoque corporis habitu, et vanitate cœpit jactare Pontificis in se benevolentiam, ut, quod ante per revelationem acceperat, ejus casum nunc coram experiretur. Igitur ingemiscens ait : Heu fratercule! ita te honores mutarunt? Angelus abiisti, diabolus rediisti; resipiscere etc. At ille insolentior quotidie factus, omnes alios habuit contemptui. Jussus est ergo iterum in Hungariam redire, non longe aberat ab urbe, quando ad fontem sedens, et manducans cum sociis, prius petulanti verbo, dein cultro unum sauciavit. Retractus ad Capistranum, conjectus est in carcerem; deinde post aliquod tempus expleta pœnitentia aufugit in Regnum Neapolitanum, ubi ea perpetravit, ob quæ iterum relegatus est in Urbem, et in vinculis misere decessit. S. BON. *in Bibl. parv. lib. ar. Ambitio.*

Bubulcus filium susceperat, quem ut e sacro fonte susciperet, Consulem loci illius rogavit; is negat, et per jocum insuper ad principem ablegat futurum haud dubie Patrinum : paret simplex Bubulcus, et sane Princeps re intellecta, obsequitur voluntati pauperis, finitoque baptismo, jubet apud hospitem laute hominem haberi; Interim Consulem vocat, ejusque superbia exprobrata, mandat, et impensos convivio sumptus, et quinquaginta taleros inopi bubulco persolvere : Sic luit miser Consul jocum, etiam officio suo dejectus. MAJOL. s. CLXXXIV.

Sacerdos quidam Nicolaus Romæ spe cupiti honoris excidens, indignatus, in Orientem abiit, ubi plurimis Saracenis a se in fraudem adductis, a veri Dei cultu ipse jam alienus, suasit quidem, ut idola desererent; se sequerentur non aliam doctrinam, quam ipse eis esset traditurus. Ibi in Mahometem incidens eum erudivit, promisitque, Regem eum Saracenorum se facturum; id astu egit. Columbam enim e nido sumpsit, eamque assuefecit, e Mahometis auribus cibum capere. Ita columba sensim assueta suis auribus, ubi primum Mahometem vidit, ad humerum ejus advolans, rostrum auribus applicabat. Ibi ergo omnes sui sequaces Saracenos Nicolaus collegit, dicebatque, expedire, ut eum Regem sibi deligerent, quem Spiritus Sanctus in forma columbæ delapsus monstraret. Assentientibus illis, mox dato consciis fraudis signo, columba emissa, pro veteri consuetudine in humerum Mahometis insidens, auri rostrum admovet. Eo miraculo, ut credebant, moti Saraceni, Mahometem Regem pronuntiarunt. Alii hanc circa Mahometem fraudem Sergio sectæ Nestorianæ tribuunt. Idem mentiebatur, se jumento, Elborac dicto, vectum, spatio unius horæ quinquaginta millium annorum iter confecisse. Unum cœlum ab alio distare quingentorum annorum itinere. In septimo cœlo vidisse se innumeros Angelos, quorum quilibet millies fuerit major toto mundo : quemvis horum habuisse septuaginta capita; in quovis capite millies millena ora fuisse : in quovis ore septuaginta millia linguarum, quibus Deum laudabant, septuagintis millibus millium linguarum, seu idiomatum. Idem fingit Deum in fine mundi omnem creaturam occisurum, et neminem fore vivum, nisi Deum, et mortem, quæ est Angelus quidam, Adriel dictus; eum dein Deus jubebit se ipsum occidere. Ait etiam, in cœlo Angelos fore tam pulchros, et adeo magnos, ut oculus unus ab altero totius diei itinere distet. PICTR. MESUE p. 4. c. I.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius adeo omnem de seipso existimationem deposuerat, ut fateretur, nihil minus se, quam superbiam timere, addideritque se intra viginti annos ne minimam quidem hac in materia tentationem passum fuisse. *Vita* l. V, c. II.

S. Franciscus Xaverius plerasque suas exhortationes fere ponebat in arrogantia, et propriæ virtutis opinione radicitus ex animis evellenda. *Vita* l. IV, c. XI.

P. Jacobus Laynes, dum ultima Societati monita dabat, inter alia addebat; Ambitionem in primis fugiendam censeo, ut et discordiam; conjunctionis enim civilis pestes eæ maximæ sunt, eruntque semper. *Vita.*

P. Jacobus Equia (qui communiter Sanctus audiebat) solebat frequenter dicere, illum, qui putat, aliquid se scire, parum scire. Qui vero putat multum se scire, nihil omnino scire. HIST. SOC. l. XVI, n. 91.

P. Gaspar Barzæus dicebat : Qui habet aures audiendi, audiat, et corde intelligat, ut nemo se suo spiritu decipiat, sed semper se provehat, de se non præsumat; spiritus quippe Societatis non potest esse superbus. *Vita* l. III, c. XIX.

B. Aloysius tanta se demissione tractabat, ac si ex mendicatis sordibus sublatus esset. *Vita.*

S. Franciscus Borgia sub sæculari adhuc habitu has theses composuerat : Ex nihilo factus sum. Ad nihilum redactus sum. Quid sim, ignoro. Si aliquid scio, hoc tantum scio, infernum domum meam esse. Problema : ex meipso facio nihil. HIST. SOC. p. 1, l. IX, n. 89.

P. Thomas Sanchez, ut Novitium primi anni per totam vitam se gessit, et ita haberi ab omnibus voluit. EX HISP. *Epist. et Bovegh.*

P. Franciscus Suarez, cum ad summum litterarum, famæque fastigium pervenisset, candide tamen fatebatur, se animi elatione neutiquam moveri, quod sciret etiam rusticum quemvis, si iisdem, quibus ipse, a Deo juvaretur auxiliis, doctiorem evadere potuisse. *Vita to. congrat. præfixa.*

Augustinus de Petra sancta Coadjutor tanta animi contentione superbiæ fibras excidere studuit, ut ne diem quidem elabi permiserit, quo cum elatione, et arrogantia manus non consereret; quare singulis noctibus cubiculum P. Rectoris adiit, eique non sine ubere lacrymarum profusione omnes animi etiam sævissimos motus, quos ea die expertus fuerat, patefecit. SYLLABUS *Provinc. Pervan.*

EXEMPLA PROFANA.

Pharao tam arrogans, et superbus fuit, ut dicere ausus sit : Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel? Nec scio Dominum, et Israel non dimittam. EXOD. V, 2.

Nabuchodonosor statuam auream fieri præcepit, ut in ea tamquam Deus adoraretur, hinc S. Gregorio teste, quia elocutione cogitationis suæ se supra homines extulit, ipsum quem communem cum hominibus habebat, sensum amisit. S. GREG. *hom.* V, *mor.* c. VI.

Diocletianus post triumphum de Persis humanam sortem oblivioni tradens, ut Deus adorari voluit, et frater Solis et Lunæ haberi. Unde coram eo se homines prosternebant, et pedi osculum figebant. Sed superbiam istam mox ultio divina subsecuta est; nam toto corpore intumuit, lingua blasphema vermes fœtidissimos protulit, postremo autem canis instar fœtidam animam exhalavit. MARC. *in tuba Sac. lect.* III.

Caligula, ut pro Deo coleretur, hac ratione persuadere id conatus est : Ovium pastor non est ovis, nec boum bos, nec caprarum capra; ergo nec hominum homo. Quid ergo? Deus. Unde insignia Deorum, nempe Mercurii caduceum, et talaria; Apollinis radiatam coronam, arcum, et sagittas; Martis thoracem, gladium, et clypeum assumebat. PHIL. *l. de Legat. ad Cajum.*

Alexander Magnus Jovis Filium se appellari passus est, donec tandem sagitta percussus, sanguinemque aspiciens, dixit : Omnes me Filium Jovis, omnes Deum, et immortalem dicunt; sed hoc vulnus, et hic cruor me hominem morti obnoxium evidenter demonstrant. PLUTARC. ET CUR. l. IV, *de reb. Alex.*

Machiavellus cum ex una parte cogitaret, Aristotelem, Platonem, Alexandrum Magnum esse damnatos; ex altera vero parte eos, qui inter Beatos censentur, homines, ut plurimum sæculo despectos consideraret, in hanc insanam erupit vocem. Malo cum illustribus viris in infernum descendere, quam cum his infimis in cœlo degere. MARCH. *l. supra cit. lect.* IV.

Domitianus edici jussit, ut ne scripto quidem, aut sermone aliter, quam Dei nomine appellaretur. Statuas sibi in Capitolio nonnisi aureas, et argenteas poni permisit. Hinc illud Adulatoris, carmen :

> Edictum Domini, Deique nostri.
> Quo subsellia certiora fiunt.
> LANCIUS *in Polyh. f.* 1109.

Menecrates nullam ab iis, quibus medebatur, mercedem solebat accipere, sed hoc tantum petebat, ut liberati, se servos illius faterentur, eumque Jovem dicerent. *Ibid.*

Tigranes Rex Armeniæ e tenui, et contempta exorsus spe, multas gentes in ditionem suam redegit. Unde spiritus concepit tam arrogantes, ut, quidquid mortales optant non tantum in arbitrio suo, sed propter se esse natum arbitraretur. Reges multi ei serviebant; quatuor Reges habebat in Comitatu suo apparitorum, vel satellitum loco. Hic, si equo veheretur, pedites juxta in tunicis currebant. In solio sedenti, et responsa gentibus danti, adstabant complicatis manibus, quæ erat confessio servitutis, quasi vendita libertate offerentium corpus ad patiendum, quam agendum, promptius. Lucullo mittenti Appium ad se Claudium Legatum, indignatus est, quod in epistola Regem se tantum, non autem Regem Regum, salutasset. PLUT. *in Lucullo.*

Annibal Cannensis pugnæ successu elatus, nec amisit quemquam civium suorum in castro, nec responsum ulli nisi per interpretem dedit. Maharbaelem etiam ante tabernaculum suum clara voce affirmantem, prospexisse se, quonam modo paucis diebus Romæ in capitolio cœnaret : aspernatus est. MAX. l. IX.

Ægypti Rex Sesostris superbus nimis atque insolens fuit, quo Principes ac Rectores Provinciarum ad se quot annis cum munere ad se cogebat venire, atque ex eorum numero a quatuor veluti equis currui junctis ad templum trahi volebat. B. FULGOS l. IX.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut specula quædam fallacia sunt, et, quod longius, vel minus est, ut propinquius, vel majus repræsentant; ita superbia, quæ in se parva sunt, ut magna superbis ostendit, et per hoc altos spiritus excitat. Marc. *tub*, *Sac. tr.* I, *ect.* 8.

Sicut ignis omnia extenuat, et annihilat; ita superbus nullius alterius societatem tolerat. Lang. *in Polyanci.*

Sicut fumus, quo altius tollitur, hoc magis evanescit; ita superbi, quo magis elevantur, tanto magis in sensu, et cogitationibus vani efficiuntur. S. Bonav. *in diæta salutis tit.* I, c. III.

Sicut avari, quanto plura ceperint, tanto plura concupiscunt; sic superbi, quanto majori funguntur honore, tanto magis novos honores appetunt. S. Chrys. h. XLIII, *ad. pop.*

Sicut ridiculi nobis videntur pueri, qui de pileo, aut tunica tam sibi vehementer placent, ut aliis ideo se præferant; ita non minus Deo, et Angelis ridiculi, imo et exosi sunt, qui de donis a Deo acceptis superbiendi occasionem sumunt. Stap. *tex.* I, *in Do.* X, *post. Pent.*

Sicut ii, qui ex modico vino, aut cerevisia inebriantur, per hoc ostendunt, se caput infirmum habere; ita qui ex modicis donis, et talentis extolluntur, debilis se virtutis esse ostendunt. *Ibid.*

Sicut ignis sulphureus aquâ injecta roboratur, ipsa aqua materiam ei, et alimentum præbente, quæ tamen cæteros ignes solet extinguere; sic superbia crescente virtute, et rebus præclare gestis magis inflammatur, et illis quasi materia utitur, cum tamen alioqui ea cætera vitia pertimere soleant. *Ibid.*

Sicut umbra corpus semper, et ubique consequitur, nisi cum in Zenith, seu summo apice cœli Sol consistit; sic superbia virtutem semper comitatur, donec aliquis ad eum perfectionis apicem veniat, ubi nulli amplius vitio locus est. *Ibid.*

Sicut mare, ut seipsum purget, solet vicina littora fœdare, sordes suas in illa ejiciendo; ita superbi, ut se mundent, aliis maledicunt, maculamque aspergunt. *Ib. text.* II.

Sicut exerciti, ac dextri prædones, et fures, per foramen puerum prius in domum intromittunt, qui domus aperiat ostium, per quod ipsi postea intrent domum spoliaturi; eodem utitur artificio sagax serpens infernalis, tentavit primo protoparentes nostros vanitate, præsumptione, et arrogantia, et postea in illos intravit cum tota peccati malitia, spolians illos innocentia, et justitia originali. Mansi d. II, n. 9.

Sicut si quis, cum statura cubitum non superet, ac ideo se quasi montes excessurus erigat, nullum aliud argumentum suæ insaniæ quærimus; sic cum inflatum videris hominem, qui meliorem se cæteris arbitretur, contemnique opinetur, si cæteris hominibus conferatur nullum jam aliud signum vecordiæ hominis exquiras. Tanto quippe ridiculosior hic est iis, qui natura insaniunt, quanto ipse sponte hunc sibi morbum injecit. S. Chrys. *hom.* LIX, *in Matth.*

Sicut si quis plurimum annorum decursu percurrisset maria, magnamque accumulasset pecuniæ summam, prædivitem congregasset thesaurum, hunc vero sponte prædæ exponeret piratarum, an non amentem illum, et fatuum pronuntiares? Talis est superbus, qui, dum propter operum bonorum merita superbit, et intumescit, cunctorum facit jacturam meritorum, æternamque amittit mercedem. Multæ Virgines excludentur (ait S. Bernardus) quia superbarum nulla ingreditur. Anima in pœnam suæ superbiæ omnibus exuitur divitiis, et thesauris spiritualibus, et ad extremam redigitur inopiam; (S. Bern. *de pass. Dom.* c. XVII.) Unde S. Joannes Climacus ait: Superbia est extrema animæ inopia, quæ sibi divitias in tenebris fingit, adeoque execrata illa pestis non solum progredi non sinit adscendentem, sed ex alto etiam deturbat. Et in progressu ejusdem gradus de hoc præcipitio ita discurrit: qui a Superbia occupatus est, et captus, auxilio divino indiget; Vana enim est hujusmodi salus hominum, quod idem est dicere, salutem æternam superborum esse difficilem. S. Clim. *gr.* XXIII.

Damnum. — Sicut prædones in eam potissimum navem, quæ mercibus onusta est, impetum faciunt; eodem quoque modo diabolus peccatoribus non admodum infestus hostis est, verum justis acerrimum bellum indicit. S. Nilus *de oct. Vitios. cogit.*

Sicut Superbia est origo omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum. Ipsa enim est in peccato prima; ipsa in conflictu postrema; ipsa aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut in fine de virtutibus dejicit. Idcirco est omnium peccatorum pessima; quia tam per virtutes, quam per vitia, humanam mentem exterminat. S. Bern. XL, *de int. dom.*

Sicut fumus magis ascendendo deficit; sic superbus plus exaltatus, plus evanescit, juxta illud: *Mox ut honorificati fuerint, et exal-*

tati, deficientes; quemadmodum fumus deficient. Fumus a loco ignis erumpens in altum extollitur, et ipsa elatione in globum erumpens intumescit, sed quanto fuerit ille globus grandior, tanto fit vanior; ut videas ipsam ei obfuisse magnitudinem. Ipsa experientia hoc id ipsum verum esse comprobat, quod fumus tanto citius evanescit, quanto altius exaltatur; idem accidit superbis, qui quando sunt in apice suæ arrogantiæ, cum sunt exosi, non Deo dumtaxat, sed et ipsis hominibus, casui tunc sunt viciniores.

Tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant :

Fumus insuper nuncupatur superbus, quia dum ascendit in altum, et in camino ventum obvium habet sibi obsistentem, qui eum repellat, et redire cogat, totam adimplet sua caligine domum, ut omnes non salum cæcutiant, et offendantur oculi, sed domo cogantur exire. Idem plane est cum arrogantibus, et superbis, cum erumpunt in actus iracundiæ, indignationis, improprii, clamoris, et insolentiæ, ac propterea, quia redduntur intolerabiles, necesse est, illos declinemus, et fugiamus, nisi velimus incurrere periculum rixandi cum illis, et frangendi pacem, et charitatem. Neque solum fumus Superbiæ fugat homines, sed etiam ipsum Deum a nobis recedere facit. Unde D. Chrysostomus. Ne extollaris in specie tua, ne forte propter superbiam tuam avertatur Deus. Fumus præterea est effectus, et certissimum signum ignis; superbia pariter magnam habet connexionem cum igne infernali; quamvis enim peccatum accenderit infernum, superbia tamen principalis extitit causa, quæ incendit, et aperuit fornacem illam inextinguibilem : Superbia quoque fumus appellatur specialiter, hic enim caligine sua privat nos lumine, et splendore, oculorumque obtenebrat lucem; idem pariter effectus est, quem operatur Superbia in anima nostra, lumen, quod quis primo a Deo obtinuerat, disperdit, divinaque gratia, quæ est lux vera, quæ illuminat nos, privat : Ut tenebræ alienæ sunt a luce (inquit Climacus) ita Superbus ab omni virtute est alienus. *Ib. S. Aug. in Ps.* XXXVI.

Sicut contagiosus morbus in totum corpus, sic ipsa quoque Superbia in totam animam serpit. S. Nilus *l. cit.*

Sicut navis absque gubernatore a ventis hinc inde agitatur, ita et superbus levis circumfertur et instabilis per actus suos. S. Aug. X, 4, *de Ora.* XII.

Sicut fulmen quamdam brevem claritatem habet, sed tamen teneris creaturis valde nocuam; ita etiam est de Superbis, quia lucere volunt in hoc sæculo per elatam Superbiam, per quam tamen pauperes incenduntur; dicitur enim in Psalmo IX. *Dum superbit impius, incenditur pauper. B. Alber. s. in dom.* III, *Advent.*

Sicut elementum ignis innatam sibi habet proprietatem, ut semper ascendat, ita Superbia, ut supra jam dictum est, ascendit semper. Ignis numquam satiatur quacumque materia combustibili; Superbus etiam numquam sua sorte contentus est, insatiabili corde. Ignis vult esse superior, et eminere supra alia elementa; talis pariter Superborum natura est, ambiunt semper præesse aliis. Ignis lucet, resplendet, at generat fumum, qui obcæcat, aut ad minus offuscat lumen oculi; Superbia quoque in honoribus, obsequiis, in imperio, et regimine suo timetur, respicitur, honoratur; at eodem tempore amittit lumen divinum, intellectus, et judicii sui, lux manet offuscata. Ignis subjectum fomentum, quo conservatur, et alitur, consumit; Superbus pariter bona opera, merita vitæ æternæ disperdit, et destruit superbiendo. *Minsi disc.* XI, n. 3.

Sicut basilicus sese respiciendo seipsum interimit, reflexione quorumdam radiorum ab ipsiusmet oculis procedentium; ita superbi se ipsos, et sua dona considerando, splendore eorum sibi ipsis mortem animæ accersunt. *Richeom. in acad. honor.*

Sicut ventus lumen extinguit, rorem exsiccat, pulverem excitat; sic superbia lumen sapientiæ offuscat, exsiccat rorem gratiæ, et pulverem suscitat. S. Bonav. *in diæt. Sal. tit.* I, c. III.

Sicut aranea, ut muscam capiat, seipsam texendo eviscerat; ita superbi, ut muscam vanæ æstimationis, et famæ acquirant, seipsos consumunt, et bona sua prodigunt. *Pædagog. Chri.* p. 1, VII, § 1.

Sicut gallina clamore suo ova prodit, et perdit, sic superbus bona sua per jactantiam amittit. *Ibid.*

Sicut is, qui oculis captus est, ab omnibus facile offenditur; ita superbus oculo mentis destitutus ab omnibus facile capitur. S. Chrys. *ho. de Oz.*

Sicut Aquila ad prædam nacta testas, testudines, nuces, et similia altissime evehit, ut in petram dejecta elidat; sic arrogantia superbos evehit, ut confringat juxta illud Psalmitæ. Dejecisti eos, dum allevarentur. Et illud Poetæ, Tolluntur in altum, ut casu graviore ruant. BUSSÆUS *in Dom.* X, *post Pent.*

Sicut modicum fellis optimum quemque succum destruit, ita superbia omnem virtutem. *Lancizi. in Poluanth. fol.* 1109.

FUGA. — Sicut is, qui cellam quidem amplam habet, sed vino vacuam, stulte ob illam gloriatur; ita nec ob ingenium, aut naturam ad scientias, et virtutes aptam, quis prudenter extollitur, nisi actu illa possideat. *Richeom. in accad. honor.*

Sicut is, qui pictori imaginem artificiosissimam et perfectissimam pingenti, alias lineas, et colores superinducere vellet, merito injuriam faceret; ita qui homini, velut imagini perfectæ Dei, colores splendori, et vanitatis extrinsecæ addere studet, non leviter eidem Deo displicebit? MARCA. *sub. sac. tr.* I, *lect.* VIII.

MOTIVA.

Quia contra naturam humanam est Superbia, ut S. Gregorius insinuavit dicens : ex cap. IX. Gen. *Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ;* Non enim ait : sit super homines, qui futuri sunt, sed sit super cuncta animalia terræ; homo quippe animalibus irrationalibus, non autem cæteris hominibus, natura prælatus est, et idcirco ei dicitur, ut ab animalibus, et non ab homine timeatur, quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. (S. GREG. XXI, *mor.* XI.) Cui consentiens S. Laurentius Justinianus : A propria, inquit, cognitione, et laudabili virtutum studio, communique deviat lege naturæ, quicumque Superbiæ inflatus spiritu, renuit humiliare se Deo, ipsiusque præcepta servare, cui profecto cuncta, quæ facta sunt, sive super cœlestes spiritus, throni scilicet, Dominationes, principatus, Potestates, atque virtutes, sive cœlestia corpora sol, luna, et stellæ, sive quæ vegetantur in terra, aut gradiuntur super terram, vel moventur in aquis, obtemperant, quibus omnibus, perhibente Propheta, præceptum posuit, et non præteribunt, hinc hominum contumacia, hinc merito inobedientium redarguitur superbiæ vitium, dum creaturis cæteris proprio Auctori famulantibus, ipsi se extollentes eidem negligunt esse subjecti. S. LAUR. *Just. s. de inst. et re. Præl.*

Quia Deo directe contraria, ut S. Bonaventura ostendit dicens : In hoc autem contrariatur Deo, quia cum omnia subjecta sint ei, ipsa vult esse sui juris, et spoliat eum debito honore suo, id est, universali dominio, quantum est in se. (S. BON. l. I, *de prof. rel.* IX.) Et S. Bernardus : Ille primus superbus, qui secundum Scripturam *rex est super omnes filios superbiæ,* dixisse non legitur, altior ero, sed *ero,* inquit, *similis Altissimo.* (S. BERN. s. V, *in Vigil. Nativ.*) Attamen non mentitur Apostolus, quoniam ille *extollitur supra omne quod dicitur Deus,* (II. THESS. II, 4.) aut quod colitur. Horret humanus auditus verbum, sed utinam horreat similiter animus cogitatum malignum pariter, et affectum. Dico enim vobis, quod non tantum dæmon, et omnis superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, et superbus vult fieri voluntatem suam, jam videtur æqualitas, sed attende male congruam proportionem; Deus quidem in his tantum, quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem; superbus vero et cum ratione, et contra rationem.

Quia diabolo assimilat; ipse enim est *Rex super omnes filios superbiæ.* Unde sicut Dominus ait de charitate : *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem:* (JOAN. XIII, 31.) ita potest diabolus dicere de superbia. Ubinam Lucifer posuit, ac plantavit metropolin suæ Tyrannidis? qui ita ignarus, ut hoc nesciat in Babylonia, quæ fuit superbiæ symbolum, et constructa fuit a gigantibus, qui ex turris illius altitudine cum Deo contendere, et dimicare contendebant. Notatu dignum est discrimen illud quod assignat D. Augustinus inter civitatem Dei, et diaboli : Quapropter, ait, quod nunc in civitate Dei, et civi Dei in hoc sæculo peregrinanti maxime commendatur humilitas, et in ejus Domino, qui est Christus, maxime prædicatur; contrariumque huic virtuti elationis vitium in ejus adversario qui est diabolus, maxime dominari sacris litteris edocetur; profecto ista est magna differentia, qua civitas, unde loquimur, utraque discernitur; una scilicet societas piorum hominum, altera impiorum; singula quæque cum Angelis ad se pertinentibus, in quibus præcessit hac amor Dei, hac amor sui. Digna quoque notatu est ponderatio, sive expositio illa, quam S. Antonius de Padua adhibet huic textui Eccles. *Non ventiles te in omnem ventum, et non eas in omnem viam;* (*Eccl.* v, 11.) quæ est (ita declarat Sanctus) Superbia, a qua omnes viæ diaboli procedunt. Ipse est. *Rex super universos filios superbiæ.* Job. xli, 25. S. Bon. l. III, *comp. Theol.* l. III, xv.

Quia divinis gratiis privat; hinc comparatur vento propter tria, quia ventus extinguit lucem, et exsiccat rorem, et exsufflat pulverem; Sic superbia extinguit lumen sapientiæ, exsiccat rorem gratiæ, exsufflat pulverem vanitatis mundanæ. Unde de ea Propheta locutus videtur, dicens, *montes, Gelboe, nec vos, nec pluvia veniat super vos.* (II. *Reg.* i, vii, 21.) Per hos montes, qui erant altissimi, denotabantur superbi, in quos Deus non influit, nec infundit rorem gratiarum suarum; Supra hos montes merito fuit extinctus Saul; siquidem cum in primo regni sui ingressu valde humilis esset, (*absconderat namque se, ne inveniretur*), adeo superbus evasit postmodum, ut Deo rebellis, et propter superbiam, cum sui maxima confusione (veluti ei per Prophetam Samuelem Deus significari jussit) regno exutus fuerit. (*Idem in dict. tit.* i, i.) Id quod Cæsarius per aptam similitudinem declarat dicens : Optime nostis, pluvia, si montem nimis erectum invenerit, cito in vallem decurrit, et ideo, qui se ad accipiendam benedictionem humiliter inclinant quasi valles faciunt, ipsi pluviam divinæ benedictionis accipiunt, et impletur in eis illud, quod scriptum est : *Omnis vallis implebitur, et omnis mons, et collis humiliabitur.* (*Cæsarius Arel. ho.* xxxix.) Quid est : *Omnis vallis implebitur, nisi, omnis, qui se humiliat, exaltabitur?* Inde S. Bernadinus exponens verba illa : *Errat in solitudine in loco inaquoso,* sic ait : Nec mirum, quod solitudini huic *inaquosum* additur, ut dicatur in solitudine, inaquoso; Sicut enim in solitudinibus aquæ deesse solent, et loca deserta sterilia quoque, et arida esse consueverunt, sic superbiam impœnitentia comitatur, elatum enim cor durum, et expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis quia *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Luc. xxxv.

Quia ipsum Deum aufert; uti Hugo Victorinus insinuavit dicens. Superbia aufert mihi Deum, invidia proximum, ita me ipsum. Superbia Deo est odibilis, et quidem præ ceteris hoc peccatum Deo exosum est, non quia Deus a nobis recedit, sed quia Deum superbia nostra spernimus, et conculcamus. Audite modum loquendi superborum, qui dixerunt Deo : *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens, ut serviamus ei? Hugo Vic. apud Mansi disc.* vi, n. 1.

Quia causa est passionis Christi, uti S. Augustinus indicavit dicens : propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum, Deus humilis venit. Hæc causa, hoc peccatum magnum iste ingens morbus animarum omnipotentem Medicum de cœlo deduxit, usque ad formam servi humiliavit, contumeliis egit, ligno suspendit, ut per salutem tantæ medicinæ curetur hic tumor. Jam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus. (S. Aug. *Ps.* xviii.) Et consentiens Cassianus : Ideo, inquit universitatis Creator, et medicus Deus, causam principiumque morborum cognoscens esse superbiam, contrariis sanare contraria procuravit, ut ea scilicet, quæ per superbiam corruerant, per humilitatem resurgerent. Ille namque dicit : *In cœlum conscendam;* hic dicit : *Humiliata est in terra anima mea.* Ille dicit : *Ero similis Altissimo;* hic, *cum esset in forma Dei, exinanivit semeipsum, formam servi accipiens, humiliavitque se, factus obediens usque ad mortem.* Ille dicit : super astra cœli exaltabo solium meum; iste dicit : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Ille dicit : *Nescio Dominum, et Israel non dimittam;* Iste dicit : *Si dixero, quia non novi eum, ero similis vobis mendax, sed novi eum, et mandata ejus servo.* (*Cassian.* l. II, viii.

Quia pariter est causa perditionis humanæ, uti recte advertit S. Ambrosius dicens : Maximum peccatum in homine superbia est, quandoquidem inde manavit nostri origo delicti, hoc telo nos primum diabolus vulneravit, ac perculit. Nam nisi homo serpentis persuasione deceptus esset, Deus esse noluisset. S. Ambr. s. vii, *in Ps.* cxviii.

Quia est signum reprobationis; uti ipse Deus per Psalmistam indicavit dicens : *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Et ratio triplex est. Prima, quia in regno Dei est omnimoda subjectio quoad Deum : superbus autem non vult subjici Deo, nec potest, quia subjectus est diabolo, qui est *Rex super omnes filios superbiæ.* Secunda ratio, quia in regno Dei est omnimoda pax, et concordia quoad proximum, juxta Psalmistam : *Pax multa diligentibus legem tuam, etc.* Superbus autem non potest esse in pace, sed discordat cum aliis : Proverb. 13. *Inter superbos semper jurgia.* Tertia ratio, in regno Dei est omnimoda quies quoad se ipsum, quilibet enim contentus est, eo quod habet; superbus vero non, sed semper extendit se super terminos per appetitum voluntatis. Unde dicit Anselmus in lib. de similitud. quod superbia dicitur, quia super ea, quam debet, graditur. (S. Dev. s. t. III, *S. reg. cœl.* v.) Hinc et S. Ephr. dixit : Initium desertionis hominis est recessus ab humilitate. Qui autem a Deo deseritur, ab improbo spiritu præfocabitur, sicut Saul. S. Ephrem *de recta viv. rat.*

Quia summæ stultitiæ est indicium; nam, teste S. Chrysostomo, natura stultum esse, nihil habet criminis; magnifice vero de se sentiendo stultum fieri, venia caret, et majus adfert supplicium. Tales sunt, qui in sapientia superbiunt, inque extremam incidunt arrogantiam; nil enim adeo stultum facit, quemadmodum arrogantia; unde et Propheta barbarum ita vocavit dicens : *Stultus autem stulta loquetur :* Ut autem, et ab ipsis verbis stultitiam ipsius discas, audi, quid dicat : *Supra astra cœli ponam,* inquit, *thronum meum, eroque similis Altissimo. Apprehendam manu mea orbem, sicut aviculæ pullum, et sicut ova relicta tollam illum.* His itaque verbis quidnam poterit fieri stultus? Si singula arrogantium verba in medium adduxero, cognosci non poterit, verbane sint arrogantis, an stulti, ita unum est atque idem in utroque vitium. Nam et alius item barbarus dicit : *Ego sum Deus, et non homo.* Rursum et alius : *Non poterit Deus salvare vos, aut eripere ex manibus meis.* Et Ægyptus ille, *Dominum,* inquit, *non novi,* et stultus ille apud Prophetam talis est, *dicens in corde suo non est Deus.* S. Chrys. *ho.* x, *ad Rom.*

Quia excusationem non habet; ut S. Augustinus recte advertit dicens : Simpliciter dico vobis, omnia peccata odio habet Deus, mendacium, perjurium, furtum, et cætera, in quibus si quis deprehensus fuerit, non potest oculos levare, sed sic eum habemus quasi execrabilem. Si quis superbus est, multo pejus facit, quam adulterum; et si tamen loquimur cum eo, qui fornicator est, potest aliquid dicere : Vicit me caro mea, superavit me adolescentia mea. Non dico, quod sibi hoc facere liceat, aut quod se excusare debeat, siquidem et hoc odio habet Deus, sed in comparatione mali dico : Quicumque aliud peccatum fecerit. v. g. si furtum, se excusare potest, quid enim dicit? propterea furtum feci, quia algebam, quia fame moriebar, quia ægrotabam. Superbus quid dicere potest? Ideo superbia majus malum est, quia excusationem non habet. S. Aug. t. IX, *de Obed.* ii.

Quia vitiorum omnium Regina, et Mater est, teste S. Gregorio dicente : Vitiorum Regina superbia, cum devictum cor plene cœperit, mox illud principalibus vitiis quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit, quos videlicet duces exercitus sequitur, quia ex eis procul dubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur. (S. Greg. l. XXXI, *mor.* xvii.) Cui etiam consentit S. Prosper dicens : Initium, inquit Scriptura, omnis peccati superbia, non alicujus, ut evidenter ostenderet, quod ipsa sit peccatorum omnium causa; quoniam non solum peccatum est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest, aut poterit sine ipsa : Si quidem nihil aliud omne peccatum, nisi Dei contemptus est, quo ejus præcepta calcantur. S. Prosp. l. III, *de vicontemp.* ii.

Quia *brutis ipsis deteriorem efficit :* uti sapienter S. Chrysostomus advertit dicens : Unde igitur, o homo, dignus est brutis imperare? ex oratione. Sed non inest superbo, cum enim ea, non ut debeat, utatur, etiam illis pejor est. S. Chrys. *ho.* xxxix, *ad popul.*

MEDIA.

Considerare præceptum, et exemplum Christi; quis enim Famulorum auderet aurea veste superbus incedere, si Regem, et Dominum suum vili lacerna indutum cerneret? Quomodo ergo servus Christi non erubescet, se super alios efferre, si Dominum suum, et tantum, tantopere humiliatum, et infra omnes homines depressum, videt. Hinc recte S. Thomas Villanov. exclamat : O miserandam stultorum hominum insaniam, et phrenesim nimis dolendam; O mentis cæcitatem numquam pro merito deploratam! Qui Christiano nomine censentur, qui fidem Christi, ejusque doctrinam Evangelicam profitentur, quid dico profitentur, imo, qui de populi Christiani ducatu, magisterioque gloriantur, hi superbiæ facibus magis ardent, hi honoribus, et dignitatibus insatiabilibus inhiant; horum omnis cura, et sollicitudo est, qualiter inter homines magni, et honorati videantur. Quid delirius, quid insanius, quam sub humilitatis vexillo ambitioni militare? et in magistri humilis schola superbiam profiteri? Quomodo hi audierunt cœlestis verba magistri : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde?* S. THOM. *Vill. s. de Ascens*

Considerare B. Virginis humilitatem; ut enim, qui pharmacopolium ingreditur, invitus etiam odorem secum aufert; sic qui prædictam humilitatem considerat, non poterit non ad eamdem sectandam excitari.

Considerare, unde, et a quo, et cur accepta sint dona; uti S. Paulus suasit : Quod habes, quod non acceperis; si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? (S. PAUL. I, *Cor.* IV, 7.) in quem sensum etiam Epictetus monet : Nulla debes aliena præstantia gloriari. Equus quidem elatus, si de seipso jactabundus diceret : Quam sum egregius! foret tolerabile. At si tu dicas : Ne ego egregium equum possideo; nihil aliud, quam de alieno bono superbis : tuum autem quid est? nempe solius opinionis usus, si quem secundum naturam habueris, tum gloriare: ita demum enim de propria excellentia gloriaris. (*Epict. in Enchir.*) Hinc Cassianus monuit dicens : Itaque hunc nequissimi spiritus laqueum taliter poterimus evadere, si in singulis, quibus senserimus nos virtutibus profecisse, illud Apostolicum dixerimus : *Non ego, sed gratia Dei mecum, et gratia Dei sum, id quod sum. Cassian.* l. XXII, IX.

Considerare vanitatem rerum, de quibus oritur superbia : Uti S. Chrysostomus suasit dicens : Fortis es, et altum sapis, nonne propterea magis humiliari debes; Quare sapis altum in re vilissima? nam et leo te est audacior, et aper fortior. At pulcher es, et speciosus : Cornicum ostentatio; non es pavone pulchrior, neque propter florem, neque propter alas. S. CHRYS. s. XXXIX, *ad ep.*

Considerare conditionem vilitatis suæ, uti Bellovacensis indicavit dicens : Ab hujusmodi appetitu debent nos retrahere vilitas humanæ conditionis, fragilitas nostræ corruptionis. (*Bell.* l. III, *Spec.* p. 3, *disc.* I.) Unde S. Chrysostomus : Quid te vocabo, inquit? Quomodo arrogantiam dejiciam? si cinerem te dixero, et pulverem, et humum, et cœnum, vilitatem quidem dicerem, nondum tamen satis exacte similitudinem eam, quam volebam, consecutus fuero. (S. CHRYS. *ho.* XX, *ad Rom.*) Hinc Rex Mogoris mire prudens, si quos homines ignobiles licet, et externos, deprehendebat officio apud se gerendo idoneos, eos in suam familiam adsciscebat, ac munere aliquo imposito honorabat. Verum ne inde superbirent, volebat ut signum prioris sui status palam ante se gestari curarent, instrumentum artis, quam professi sunt. *Ex annuis* 1591.

Considerare odium Dei erga superbiam, ita S. Basilius monuit, dum interrogatus, quomodo sanari possit superbus? respondit si fidem habet sententiæ illius, qui dixit : *Dominus superbis resistit.* S. BASI. *in reg. brev. q.* 35.

Considerare Dei excellentiam penitius; nam, teste S. Dorotheo, Sancti viri, quanto propius, et vicinius ad Deum accedunt, tanto viliores se aspiciunt, et peccatis magis onustos; sic Abraham, cum videre Dominum meruisset, terram se vocavit, et cinerem Job. XLII. *Nunc oculus meus videt te, idcirco me reprehendo* S. DOROT. *tr.* II, *de renunc.*

Considerare Humilitatis præstantiam; et amare : uti S. Ephrem suasit dicens : humilitatem diligito, et numquam laqueis diaboli capieris. Velocissimis enim humilitatis alis semper sublevatus sublimior eris, quam ut inimici retibus capi possis. (S. EPHRE. *de recta viv. rat.* XCI.) Idipsum etiam S. Bernardus confirmavit dicens : Diabolus per superbiam, et cupiditatem dixit : *in cœlum ascendam :* Christus cum humilitate dixit : *humiliata est in pulvere anima mea :* Diabolus per superbiam, et cupiditatem dixit : *Ero similis Altissimo;* Christus per humilitatem *factus est obediens Patri usque ad mortem.* Ad ultimum diabolus per superbiam præcipitatur in infernum; Christus vero per humilitatem ad cœlos elevatur. Unde recte concludit alibi : idcirco nisi omnia opera nostra humilitas præcesserit, comitata, et consecuta fuerit, proposita, quam intueamur, apposita, cui adhæreamus, interposita, qua reprimamur, totam de manu extorquet superbia; quantalibet sit justitia operis, apud internum Judicem nulla est, si hanc elevet tumor mentis. S. BERN. s. XXXVII, *de modo bene viven.*

Considerare peccata sua, et eadem ob oculos habere; sic enim more pavonis pennas demittet; hinc S. Bernardinus dixit : eum homo considerat, quod propter superbiam primi hominis infelix factus est in hac misera vita, atque tot et tantas miserias hic in se, et a se sentit, magnam habet materiam, et occasionem, imo necessitatem se ipsum humiliandi : Unde Eccl. x, *quid superbis terra, et cinis?* S. BERNARDIN. *Sen. de multi. luctu.* s. IV, a. 1, II.

Et alibi quidam ait :

Unde superbit homo, cujus conceptio culpa,
  Nasci pœna, labor vita, necesse mori?
Post hominem vermis, post vermen fœtor, et horror?
  Sic in non hominem vertitur omnis homo.

ASCETICA.

Nosse debet, quid, et quale vitium Superbia sit. Nam ut S. Gregorius sapienter advertit, difficile in se quisque inveteratam superbiam deprehendit; quia nimirum hoc vitium, quanto magis patimur, tanto minus videmus. S. GREG. *in mor.* l. XXIV, XXVIII.

Nosse debet, quando superbia peccatum mortale sit; id quod ex S. Thoma discere poterit dicente : Superbia est ex genere suo peccatum mortale, quo quis Deo rebellis fit. Rationem assignat : Superbia humilitati opponitur; humilitas autem proprie respicit subjectionem hominis ad Deum. Unde e contrario superbia proprie respicit defectum hujus subjectionis, secundum scilicet, quod aliquis se extollit supra id, quod est sibi præfixum, secundum divinam regulam, vel mensuram : contra id quod Apostolus dicit. II. Cor. x. *Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram, quam mensus est nobis Deus.* Et ideo dicitur Eccles. x, quod *initium superbiæ hominis est apostatare a Deo*, quia scilicet in hoc radix superbiæ consideratur, quod homo aliqualiter non subjicitur Deo, et regulæ ipsius. Manifestum est autem, quod hoc ipsum, quod est non subjici Deo, habet rationem peccati mortalis. Hoc enim est averti a Deo. Sed hæc omnia sunt intelligenda de completa superbia, quia quamdiu homo vult manere subjectus, adhuc aliquid habet humilitatis, ac proin superbia illius est imperfecta, et veniale dumtuxat peccatum. S. THOM. II, II q. CLXII, art. 5.

Nosse debet, cur superbia initium omnis peccati dicatur; nimirum triplici ratione juxta S. Bonaventuram. Primo propter causam, quæ invenitur in omni peccato, quia in omni peccato invenitur contemptus Dei, qui est quædam causa peccati; iste autem contemptus est aversio a Creatore, quæ in omni peccato est, ubi præponitur bonum commutabile bono incommutabili; quia sicut sine charitate aliæ virtutes nihil sunt, ita sine superbia alia vitia nihil. Secunda ratio, quam adducit, est, quia primum peccatum fuit, hoc enim genere peccavit diabolus in cœlo, et homo in paradiso. Tertia ratio, quia ex ea nascuntur alia vitia, secundum prius, et posterius. S. BONAV. l. III, *comp.* c. XV.

Nosse debet, cur peccatum maximum dicatur; nimirum, ut Hugo Card. explicat, origine, genere, numerositate, temporis antiquitate. Origine dico, quia, ut dicitur Eccles. x, *Initium omnis peccati superbia;* genere, quia, ut dicitur in glossa. Superbia natione cœlestis, sublimium mentes inhabitat. (HUGO CARD. *in Psal.* CXVIII.) Paulo aliter S. Thomas hanc quæstionem decidit dicens. Superbia dicitur gravissimum peccatorum ex eo, quod per se competit principio, ex quo attenditur gravitas in peccato. Et ideo superbia causat gravitatem aliorum peccatorum. Inter graviora peccata primum est superbia, sicut causa, per quam alia peccata aggravantur. Et id, quod est primum in causando peccata, est etiam ultimum in recedendo; ideo super illud Psal. *Emundabor a delicto maximo*, dicit glossa, hoc est, a delicto superbiæ, quod est ultimum redeuntibus ad Deum, et primum recedentibus. Unde recte notat Beirlinck dici gravissimum peccatum, non quod in se sit gravissimum inter omnes species peccatorum (cum odium Dei sit gravius) sed respective tantum, respectu eorum, in quibus aversio interpretative tantum, et non directe volita censetur, ut sunt, quæ ex ignorantia, infirmitate, vel alicujus boni temporalis amore perpetrantur. S. THOM. *l. c. cit. ad.* IV.

Nosse debet, cur inter vitia capitalia communiter numeretur superbia, cum tamen S. Thomas neget eam esse capitale peccatum : ad quod dubium ipse respondit hoc modo : Superbia dupliciter considerari potest, uno modo secundum se : prout scilicet est quoddam speciale peccatum; alio modo secundum quod habet quamdam influentiam in omnia peccata. Capitalia autem vitia ponuntur quædam specialia peccata, ex quibus multa genera peccatorum oriuntur. Et ideo quidam considerantes superbiam, secundum quod est quoddam speciale peccatum, connumeraverunt eam aliis vitiis capitalibus; Gregorius vero considerans universalem ejus influentiam, quam habet in omnia vitia, non connumeravit eam aliis capitalibus vitiis, sed posuit eam reginam vitiorum, et matrem. S. THOM. II, II qu. CLXII, ar. 8.

Nosse debet, cur hoc vitium ab omnibus quidem, sed specialiter ab Asceta, vitandum sit, quia, teste S. Chrysostomo : Nihil longius ab amore Dei abducit, nihil tam facile in gehennam intrudit, quam superbiæ insania (S. CHRYS. *hom. in Joan.*) : et quia juxta Cassianum morbus superbiæ, licet ultimus sit in conflictu vitiorum, origine tamen, et tempore primus est. Sævissima, et superioribus cunctis immanior bestia, perfectos maxime tentans. CASSIAN. lib. XII, *inst.* c. I.

Nosse debet causam, ob quam Deo tantopere exosa sit superbia : Eam Cassianus his verbis assignavit : Quantum est malum Superbia, ut non Angelum, non alias virtutes sibi contrarias, sed ipsum Deum adversarium habere mereatur! (CASSIAN. l. XII, c. VII.) Notandum siquidem est, quod nequaquam dixerit super his, qui cæteris sunt vitiis involuti, quod habeant sibi Deum resistentem, id est, Deus gastrimargis, fornicariis, iracundis, seu philargyris adversatur, sed solis superbis resistit. Illa namque vitia vel in unumquemque delinquentium tantummodo retorquentur, vel in suos participes, id est in alios homines, videntur admitti : hæc vero proprie pertingit ad Deum, et idcirco eum specialiter digna est habere contrarium.

Nosse debet radicem hujus vitii, quo facilius, et efficacius ad ejus extirpationem queat cooperari. Sic enim S. Gregorius monuit dicens : Vitium superbiæ ab ipsa radice secandum est, ut, cum latenter oritur, tunc vigilanter abscindatur, ne profectu vigeat, nec usu roboretur. Porro radix hujus vitii potissima est, quod bona, ob quæ quis effertur, ut propria aspiciat, et plus æquo æstimet; unde duo potissimum media ad hanc radicem extirpandam adhibenda erunt, Primum est, ut certo sibi quisque persuadeat, omnia bona, quæ habemus, Dei dona esse, ac proin non modo ob ea extolli non debere, sed graviter potius timere, ne, quo plura sunt collata, eo gravior, severiorque a nobis ratio exigatur. (S. GREG. l. XXIV, *mor. cap.* XXVIII.) Alterum est, ut pariter bene sibi persuadeat, alia longe esse Dei, quam hominum, judicia, ut adeo merito SS, Augustinus, et Gregorius dixerint : Væ laudabili vitæ hominum, si remota pietate judicetur; quia unde ante oculos Judicis se placere suspicatur, obruitur. Id ipsum confirmavit S. Bernardus per hæc verba : Quemadmodum ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia, Dei itidem amor : sic e contrario de ignorantia tui superbia, ac de Dei ignorantia venit desperatio. Sic autem superbiam parit tibi ignorantia tui, cum meliorem quam sis, decepta et deceptrix tua cogitatio te esse mentitur. S. BERN. *serm.* XVII, *in Cant.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Non glorietur sapiens in sapientia sua etc.* (JER. IX, 11.) Potest ostendi, cur non sit superbiendum 1. ex *dignitatibus*, quia nemo propterea vere major est. 2. Ex *divitiis ;* quia sunt laqueus diaboli potius, quam ornamenta hominis. 3. Ex *pulchritudine*, quia vana, et fallax est. 4. Ex *scientiis*, quia sunt lumen a Deo mutuatum. 5. Ex *bonis operibus ;* quia sunt pannus menstruatæ. Vide Fabrum. conc. IV, in festo S. Mariæ Magd.

Ex occasione thematis : *Abominatio Domino est omnis arrogans* (*Prov.* VI, 5) : potest natura superbiæ ex comparatione cum aliis vitiis demonstrari. 1. Quia cætera vitia interdum cessant hominem impugnare defectu loci, temporis, materiæ opportunæ; superbia autem ubique, et semper impugnat. 2. Quia alia vitia consortio gaudent, superbia autem solitudinem amat, nullamque vult habere pacem. 3. Quia alia vitia nonnisi a vitiis, et materia vitiosa generantur, et foventur; superbia autem ex ipsius virtutibus, et sanctissimis operibus nascitur. 4. Quia reliqua vitia singulas perdunt virtutes; superbia autem omnes destruit, et omnia bona radicitus tollit. 5. Quia cætera vitia cum ætate languescunt; superbia sola tantæ est pertinaciæ, ut reliquis vitiis devictis, sola audeat in campo manere. Vide fusius in Stapletonio sol. CCXXXIII, tex. I, in Dom. X, post Pent. explicata.

Ex occasione thematis. *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur* (LUC. XXVIII, 14) : Potest 1. Superbia Goliatho comparari, tum propter magnitudinem, tum propter jactantiam, tum propter confidentiam in armis suis gladio scilicet potestatis : hasta dignitatis, et eminentiæ, clypeo divitiarum, etc. 2. Potest ostendi, quomodo hic Goliath exemplo Davidis superari, et humiliari debeat tribus etiam armis, scilicet funda, lapidibus, et nomine Domini, id est, consideratione magnitudinis Divinæ, infirmitatis propriæ, et vanitatis bonorum, de quibus superbiunt homines; hæc enim tria media suggessit S. Chrysostomus dicens : Quomodo possumus superbiam extinguere? Si Deum agnoscamus; nam si ex ignorantia Dei nascitur, cum ipsum cognoscimus, expellitur omnis insolentia. Cogita ipsam naturam humanam, quod nihil sit homo. Præsentium rerum vilitatem cogita, et quod ab umbra somnioque nihil differant. Hæc poterunt nos a tali proposito abstrahere? (S. Chrys. *ho.* XLIII, *ad pop.*) Quæ omnia fuse, et copiose apud Fabrum in Auctario them. IV, in Dom. X, post Pent. explicata videri possunt.

Ex occasione thematis. *In ipsa initium sumpsit omnis perditio* (Tob. IV, 14) : ostendi potest per inductionem, quomodo omnis perditio ex superbia originem sumat. Et 1. quidem perditio *in bonis temporalibus :* Quia radices gentium superbarum arefecit Dominus, uti Siracides testatur. (*Eccl.* X, 18.) 2. In *fama.* Quia ubi fuerit superbia, ibi erit, et contumelia, juxta Salomonis effatum. (*Prov.* X, 2.) 3. In *corpore :* Quia cum inter superbos semper sint jurgia, facile præsumi potest, inter illos, nec vulnera, nec mortes defuturas. 4. In *anima :* Quia anima, quæ per superbiam aliquid commiserit, quoniam adversus Deum rebellis fuit, peribit de populo suo, uti jam olim Deus prædixit, et minatus est. (*Num.* XV, 30.) 5. In *Gratia :* Quia juravit Dominus in superbia Jacob, si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum. (Amos, VIII, 7.) 6. In *gloria :* Juxta illud Malachiæ : Ecce dies venit succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem stipula, et inflammabit illos dies veniens. Malach. IV, 1.

Ex occasione thematis : *Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria (Prov.* XXIX, 23) : potest pulchra illa historia ex Acroamatis Bidermanni resenseri de Rege, qui, cum nollet credere, veram esse sententiam illam : *Deposuit potentes de sede :* aut in se impleri posse, misso Angelo, qui persona illius assumpta regnum administravit, in summam egestatem, et miseriam incidit, sed tandem suasu cujusdam Eremitæ se humilians iterum regno restitutus est; simulque per partes explicari, quomodo idem suo modo superbis eveniat. Et 1. Sicut huic Regi, dum in aquis caloris temperandi gratia vestes ablatæ sunt, ita et superbis vestis gratiæ, et charitatis eripiatur. 2. Sicut ille regno suo exclusus, et a suis Aulicis desertus est; ita superbi jure a regno cœlesti priventur, gratiaque Dei, et hominum excidant. 3. Sicut ille in summam miseriam incidit, ita idem superbis accidat, dum radices, ex quibus eorum temporalis, et æterna felicitas oriri debebat, arefactæ sunt. 4. Sicut ille per humilitatem, omnia priora bona, et dignitatem recuperavit; ita idem superbi sperare possunt, si simili modo se humilient, ad quod proin faciendum serio sunt adhortandi.

Ex occasione thematis : *Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis, ferisque erit habitatio tua* (Daniel. IX, 22), potest ostendi, quomodo superbis idem contingant, quod olim Nabuchodonosori evenit. (*Ibid.* II, seqq.) Ergo, 1. dicatur, quod sint arbori illi magnæ a dicto Rege visæ similes. 2. Demonstretur, quomodo in illis impleatur sententia et pœna Dei in illam decreta : Quomodo scilicet *circumcidantur*, per amissionem gratiæ, et amicitiæ divinæ, *rami ejus*, id est, virtutes *præcidantur fructus*, id est, opera bona, et merita, *dispergantur : Fugiant bestiæ, quæ subter ea sunt*, id est, apetitus inferioris passiones eis rebelles fiant : *volucres cœli*, id est, Angeli, et Sancti ab iis recedant : *Germen radicum ejus*, id est, vita corporalis, *relinquatur : alligentur vinculo ferreo, et æreo*, id est, diversis peccatis inter se concatenatis, et ex superbia oriri solitis : *rore cœli*, id est, aquis variarum tribulationum, quæ comparatione æternarum pœnarum modicæ, et leves sunt, adeoque rori merito comparantur, *tingatur :* et *cum feris*, id est, peccatoribus, et dæmonibus, *sit pars illius.* 3. Similiter ostendatur, quomodo cum eodem Nabuchodonosore ex misero isto statu liberari debeant, scilicet *levando oculos ad cœlum* per orationem, *sensum* humilem recipiendo per obedientiam mandatorum, et sinceram pœnitentiam, *benedicendo Altissimo* per agnitionem, et prædicationem magnitudinis ejus, et debitam subjectionem.

ALII CONCEPTUS.

Sanctus Antonius Paduanus declarando hunc textum Evangelii. *Qui sequitur me, non* *ambulat in tenebris*, ingeniosam, nostroque proposito conformem habet observationem, dicens. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris,* Magna gloria est, sequi Deum, dicit Sapiens, et singulariter dicit, *sequitur ;* quia superbus vult Deum præcedere, ut præsumptuosus, et arrogans, cui dicitur : *Vade retro, Satana,* id est, adversarie, *quia non sapis, quæ Dei sunt ;* tales enim, quia hanc lucem non sequi, sed præcedere volunt, in manus incident inimici. S. Anton. Pad. *ser. in Sabb. hebd.* IV, *Quadr.*

Insignis quidam Artifex, imperante Tiberio Cæsare, vitrum confecerat, cujus materiam talibus secretis naturæ qualitatibus sibi notis temperaverat; ut in terram, seu corruens, seu projectum, non frangeretur. Timens ergo Imperator, ne propterea aurum vilesceret, vitri hujus auctori exiguam retribuit mercedem; cumque illum morte mulctari jussisset, prohibuit simul hujus secreti notitiam, et praxin. Astutus serpens (*serpens erat callidior etc.*) adinvenit superbiam, quæ vitri instar lucidi splendorem solum, et fulgorem habet exteriorem, at quale damnum confert animabus fidelibus? Viles efficies, ac nullius valoris gemmas, quibus coronæ æternæ gloriæ concinnantur, id est, virtutes, ac merita bonorum operum disperdit. Multorum temporum labores, et orationes, et eleemosynæ, et jejunia, et vigiliæ, si cum superbia finem habuerint, pro nihilo apud Deum computantur, ait S. Augustin. loc. cit. B. Petrus Damianus, cujus hactenus exhibuimus eruditionem moralem, refert causam finalem, ob quam Tiberius vitri illius auctorem vita privaverit : reputans, quod si hujus artis exquisita subtilitas in communem hominum notitiam deveniret, aurum conspueretur ut lutum, omniumque vilesceret species metallorum. Hinc historiam applicat deinde morali materiæ, et nostro quoque proposito adaptari potest. Sicut vitrum fragilis natura depretiat, et soliditatis robur cætera metalla commendat ; ita per iracundiam (nos dicere possumus per superbiam) tota virtutum structura collabitur. Convenienter insuper vitro, ejusque fulgori, qui apparentia sua oculos decipit, adaptari, et comparari potest superbia, quæ nidum suum habet in homine apparenter solum, non re ipsa bono. Mansi, d. IV, n. 5.

S. Climacus fabulam de cornice narrat, quæ ab omnibus, et singulis avibus aliis unam mutuo acceperat pennam, ac propterea pulchra, ac speciosa quadam vice coram omnibus comparebat, et de sua formositate non parum glorians, et superbiens, credebat se cæteris formosiorem. At singulis avibus propriam ex ea recipientibus pennam remansit cornix cum pristina sua deformitate, delusa, et risui exposita. Turpe est, alienis plumis superbire, sed extremæ dementiæ, ob cœlestia dona extolli, eaque sibi arrogare. *Deus* noster *superbis resistit;* Si superbus extollitur propter dona a Deo illi concessa, subito Deus illa tollit a superbo, qui tum ritui, et prædæ exponitur dæmonis. S. Climacus, *gr.* XXIII.

In mare intrant innumerabilia, et navigabilia flumina *(omnia flumina intrant in mare)* : illud tamen minime intumescere faciunt, neque sunt in causa, quod mare tempestuosas excitet extollatque undas ad stellas usque et profunda abysso absorbeat naves mercibus onustas, et prædivites; si quidem mare non redundat. At quis causat tempestates? quis tumidum efficit oceanum? quis navibus infert naufragia? Ventus. Neque aquæ tribulationum in causa sunt, ut in mari hujus vitæ animæ submergantur, et deglutiantur a profundo inferni abysso. Bene quidem totum hoc malum causa ventus superbiæ. *Omnia flumina intrant in mare.* Continget, quod domus, aut familia aliquá plurimis opulentis gaudeat redditibus, et tamen mare non redundet, nimirum, non propterea dives ille superbiat ; quia mens illius non agitatur vento vanæ gloriæ, et arrogantiæ; et unde hoc procedit? non superbit terra, et cinis; fragilitatem, et utilitatem naturæ suæ diligenter, et attente considerat, ad ipsum nullum habet aditum ventus superbiæ ex divitiis conceptus, sed cogitat, *sicut ventus est vita mea.* Mansi, d. XIV, 2.

Zeno Stoicus animadvertens Juvenem quemdam ex discipulis inflatum, ac superbientem, percutiens dixit : Non si magnus fueris, bonus eris, sed si bonus, eris magnus. Brisson, l. I, *de reg. Persar.*

Sacerdos quidam Nicolaus nomine, Romæ spe cupiti honoris excedens, indignatus in Orientem abiit, ubi plurimis Saracenis, a se in fraudem inducti, a veri Dei cultu ipse jam alienus, suasit quidem, ut idola desererent, sed non aliam doctrinam sequerentur, quam ipse eis esset traditurus. Ibi in Mahometem incidens, eum erudivit, promisitque, Regem eum Saracenorum se facturum, idque astu sic egit. Columbam enim e nido sumpsit, eamque assuefecit e Mahometis auribus cibum capere. Ita columba sensim assueta ejus auribus, ubi primum Mahometem vidit, ad humerum ejus advolans, rostrum auribus applicabat. Ubi ergo omnes sequentes Saracenos Nicolaus collegit, dicebat expedire, ut eum sibi Regem deligerent, quem Spiritus Sanctus in forma columbæ delapsus monstraret. Assentientibus illis, mox dato consciis fraudis signo, columba emissa pro veteri consuetudine in humerum Mahometis insidens, auri rostrum admovet. Eo miraculo moti Saraceni Mahometem Regem pronunciarunt. Alii hanc circa Mahometem fraudem Sergio sectæ Nestorianæ tribuunt. PIETRO MESSIA, *sil. var. Lect.* p. IV, c. I.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Cum Philippus Rex epistolam, et amarulentiam, et insolentiam ad devictum a se Archidamum Lacedemonum Regem scripsisset, rescripsit iste : Si metiaris umbram tuam, haud reperies illam majorem, quam ante victoriam. PLUTARCH. *in Laced.*

Totalli in Flandria puer septennis, Achas dictus, cum matrem suam in quadam solemnitate videret superbe vestitam ad templum ire, eam secutus, ubi cum aliis consedisset, digito in patientis Christi imaginem intento : *Vide*, inquit, *Mater, Jesum sanguine rubricatum, ubi tu in ejus contumeliam te vestibus coccineis adornasti? Cave, ne pro rubore vestium pœnas æterni ignis sustineas.* Mota inde mater domi eas vestes mox posuit, nec amplius in vita resumpsit. LYRÆUS *de imi. Christi* l. III, c. V.

DAMNUM. — Equus phaleris sellaque ornatus ingenti hinnitu viam currebat, cui cum asinus pondere onustus occurrisset, fremebundus ad illum dixit : Quid, ignave, obsistis equo? cede, aut pedibus te conculco. Cedente ergo asino, dum cursum ille intendit, rupto inguine, spoliatus est ornamentis, et currus vectori venditus ; quem postea asellus sacco onustum videns. Heus ; bone, inquit, quid sibi vult istud ornamentum? Ubi aurata sella? frænum nitidum? Sic amice, evenire necesse fuit superbienti. FAB. *con.* IV, *in festo S. Magd.*

Nux arbor procera, et elegans, dum vicinis vepribus sterilitatem, humilitatem, et odium tangentium exprobat, subito diversi homines advenientes, et nuces maturas esse advertentes, fustibus eam undique impetere, graviterque etiam lapidibus vexare cœperunt : quo viso vepres sibi de sua humilitate, et securitate gratulatæ sunt.

Arbores duæ erant in silva, procera altera, et recta, elegansque, altera curva, humilis, aspera, nodosa, quæ dum ab altera illuditur, adveniens Architectus securim arripit, altamque excidit, humili relicta. Idem superbis sæpe a morte contingit. *Ibid.*

Cum duo Galli acriter inter se certassent, et alter victus fuisset, et abscondisset se, alter vero conscenso tecto triumphum caneret, casu prætervolans Aquila illum conspectum invadit, et exossat, altero sibi gratulante, et gregi suo præesse pergente. *Ibid.*

Feriunt altos fulmina montes, recte dixit Poeta, periculum superbis capitibus imminens demonstraturus. SENECA.

Æsopus quondam interrogatus, quid faceret Jupiter? excelsa deprimit, et humilia extollit, respondebat.

Ephicrates cuidam ignobilitatem generis exprobranti recte respondit : Meum genus in me incipit, tuum in te desinit. LANGIUS *in Polya V. superb.*

Contingit superbis plerumque id, quod Icaro Dedali Filio evenit, qui affictis a Patre pennis, monitus, ne altius volaret, dum mandatum negligit, in aquas, liquefactis a Sole pennis, cecidit. (PLUTARC. *in Apoph.*) Hinc illud Potæ :

> Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
> Icarus; Icarias nomine fecit aquas.
> OVIDIUS II, *trist.*

Sed, et Phaeton, dum majora viribus præsumit, ut habet fabula, de cœlo præcipitatus cum equis Solis mundum incendit. *Idem* l. II, *Metem.*

AUCTORES.

Joannes Busæus in Panario.

Jacobus Marcantius in Tuba Sacerdotali tract. I, toto.

Philippus D'Outreman in Pædagogo Christiano, p. 1, c. VII, § 1.

Petrus Canisius to. IV, de vit. capit.

Bernardinus Rosignolius l. II, de discipl. Christ. c. XXIII.

Joannes Cassianus l, XII de inst.

Jacobus Alvarez de extinct. vitiorum l. I, p. 2, c. xvii.

Ludovicus Granatansis in Loc. com. fol. 588, et in Duce peccatorum, l. II, c. iv.

Laurentius Beyrlinck V, eodem.

Thomas Stapletonius in Dom. x, post Pent. text. i, ii, iii et vii.

Josephus Langius in Polyant. V. eodem.

Josephus Mansi in Bibl. moral. tract. xc.

SUPERSTITIO

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est cultus vitiosus veri, vel falsi Numinis. (Busemb. III, c. i.) Atque ideo, ut S. Thomas dixit, est vitium religioni oppositum secundum excessum, non quod Deus nimium coli possit, sed quod cum indebitis circumstantiis colatur, exhibendo cultum, vel quem quis non debet; vel eo modo, quo non debet; vel illi cui non debet.

Divisio. — Dividitur in superstitionem *Cultus incongrui quoad modum colendi*, qui contingit, quando cultus falsus, perniciosus, superfluus, seu contra, vel præter consuetudinem Ecclesiæ Deo exhibetur. Et incongruum *Quoad rem cultam*, cum scilicet cultus Deo soli debitus falso Deo, vel creaturæ defertur : Et hæc in alias quinque species subdividitur. Videlicet *Divinationem*, per quam tacite, vel expresse dæmonis auxilium invocatur, ad res naturaliter incognoscibiles cognoscendas. *Idololatriam*, per quam creatura quasi Deus colitur. *Vanam observantiam*, per quam effectus aliquis medio improportionato procuratur. *Magiam*, quæ ad effectus miros, ope dæmonis procurandos ordinatur. *Maleficivm*, per quod ex pacto cum dæmone inito nocetur alteri.

Actus. — Primus est, *Deum per cæremonias abolitas colere.*

Secundus, *Officium, aut munus publici Ministri Ecclesiastici sibi arrogare*, v. gr. Si confessiones laicus excipiat, aut Sacrificium offerat.

Tertius, *propria auctoritate aliquid velut ab Ecclesia ad Dei cultum ordinatum proponere ;* ut si quis varias cæremonias in Sacramentorum administratione adhiberet.

Quartus, *falsas reliquias, miracula, revelationes confingere, et proponere.*

Quintus, *dæmonem, aut Magos de rebus occultis consulere.*

Sextus, *Solem, aut aliam creaturam pro Deo habere;* uti frequenter faciunt Magi, diabolum cultu latriæ adorantes.

Septimus, *Varia amuleta, aut ligaturas portare contra vulnera, vel subitam mortem, aut alios similes effectus improportionatos.*

Octavus est, *rebus sacris majorem vim, quam conveniat attribuere ;* ut si quis aquam benedictam crederet habere virtutem infallibilem ad dæmones, et homines malos arcendos.

Nonus, *Varia animalia ex tempore creare, aut ex alio loco longe dissito in momento adducere.*

Decimus, *Variis incantationibus pecora, aut agros alterius inutiles efficere.*

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Quomodo convertimini ad infirma, et egena elementa, quibus denuo servire vultis? Dies observatis, et menses, et tempora, et annos. *Gal.* iv, 9.

Divinatio errores, et auguria, mendacia, et somnia maleficentium vanitas est. Et sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio : ne dederis in illis cor tuum; multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis. *Eccl.* xxxiv, 5.

Fuga. — Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini ; ut polluamini per eos, ego Dominis Deus vester. Levit. xix, 31.

Non inveniatur in te, qui Ariolos sciscitetur, et observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, neque incantator, nec qui Pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus. Deut. xviii, 10.

Hæc dicit Dominus : juxta vias Gentium nolite discere, et a signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes, qua leges populorum vanæ sunt. Jer. x, 2.

Nolo vos socios fieri dæmonorium. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. I. *Cor.* x, 20.

Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum, atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus, et sequamur Deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis, non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, et in tota anima vestra. DEUT. XIII, 2.

DAMNUM. — Maleficos non patieris vivere. EXOD. XXII, 18.

Anima quæ declinaverit ad Magos et Ariolos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam eam de medio populi sui. LEV. XX, 6.

Vir, sive mulier, in quibus Pythonicus, vel divinationis fuerit Spiritus, morte morietur; lapidibus obruent eos, sanguis eorum erit super illos. *Ib. v.* 27.

Veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardente igne, et sulphure, quod est mors secunda. APOC. XXI, 8.

Projecisti populum tuum, domum Jacob, quia repleti sunt, ut olim, et augures habuerunt, ut Philisthiim. ISAIA, II, 6.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Superstitiosa illa, quæ ægrotis applicata, etiamsi mille modis philosophentur, qui quæstum ex ipsis faciunt, dicentes : Deum invocamus, et præterea nihil facimus, et quidquid ejusmodi prætendunt, et Christiana est hæc anus, et fidelis, idololatriam tamen sapiunt. Fidelis es? Crucis signaculo utere. Dic, hoc dumtaxat habeo scutum; hoc solum pharmacum, aliud ignoro. Dic mihi, si medicus ad ægrotum accedens, relictis medicinæ pharmacis incantatione uteretur, an hunc medicum diceres? Nequaquam; non enim videremus medicinæ pharmaca, ita neque hic quæ sunt Christianismi. S. CHRYS. *hom.* VIII.

FUGA. — Nihil tibi amuletis, nihil incantamentis opus est, cum quibus hostis ille in leviorum hominum animos simul irrepit, venerationem Deo debitam furtim ad se transferens. Trinitatem ipsi da, magnum, inquam, illud, et pulchrum amuletum. S. GREGOR. NAZ. *ora.* XL, *in Baptisma.*

Nec sufficit, ut a mortifero dæmonum cibo vitam suam custodiat Christianus, sed ut omnia abominamenta Gentilium, et omnes idololatriæ tramites, sicut quædam serpentis diaboli venena diffugiat. Partes enim idololatriæ sunt veneficia, præcantationes, suballigaturæ, vanitates, auguria, sortes, observatio omnium, parentalia. B. GAUD. *tr.* IV, *in Exod.*

Post imaginem Dei, quæ in cordis ratione monstratur, et confessionem Fidei, quæ ore profertur, consurgunt serpentes, et artes maleficæ ad bella nos provocant. Sed nos, qui habemus pretiosissimum thesaurum in vasis fictilibus, quæ frangi possunt, ita ut quædam vix testa remanserint, in qua hauriri possit aquæ pusillum, omni custodia circumdemus cor nostrum. S. HIER. *ad Fabrio. de* XLII, *Mansion.*

DAMNUM. — Videsne, quantum mali importet auguratio? qui huic incumbit, studiumque adhibet, Dei providentia, ac solicitudine destituitur. Plerique autem Christianorum, susque, deque habent talibus commentis aures accommodare, et illinc aucupari famam, nec pudet isti ominosæ suspicioni, ac signis attentos esse. S. BASIL. *in* c. II, *Isaiæ.*

Si levi morbo aliquo tentatus illic resiliens a Domino ad dæmones accurras, quam tandem veniam consequeris? quo pacto valebis illum denuo tibi propitium reddere? quin potius, nec alius quisquam pro te deprecari poterit, etiamsi tantum valeat auctoritate apud Deum, quantum Moyses. Non est, inquam, quisquam, qui hoc facere poterit. Non audis quid Deus loquatur ad Jeremiam de Judæis? Ne depreceris pro populo isto, quoniam, si surrexerit Samuel, et Moyses, non exaudiam illos. Adeo sunt peccata omnem remissionem superantia, quæque nullam recipiunt excusationem.

EXEMPLA.

QUALITAS. — Subulcus quidam in baculo suo pastorali schedam S. Blasii nomine inscriptam habebat, cujus baculi virtute porcos suos ab omni luporum rabie tutos credebat, etiam se absente. Quodam vero tempore, cum ipse abesset, alius quispiam, casu ibi transiens, dæmonem porcos custodientem vidit, quem cum interrogasset, cur id faceret? ob stultam, respondit, pastoris confidentiam; nam schedam quamdam baculo inclusit, cui propter S. Blasii nomen divinam tribuit virtutem; unde quia Blasius invocatus sæpe non venit, ego me subsistui, ut hac ratione ipsum sua vana confidentia retinerem. MAJOLUS to. II, *can de Sagis.*

Cum aliquando vetula quædam a studioso quopiam verba quædam incantatoria contra opthalmiam scribi petiisset, ille hæc dumtaxat verba : diabolus sibi oculos eruat, et foramina fimo repleat, inscripsit; quæ tamen ipsa cum collo illa suspendisset, paulo post sanata est. Fab. *co.* v, *in Epiphan.*

Fuga. — S. David, teste S. Chrysostomo, diligebat filium ægrotum, et in sacco quidem, et cinere jacebat; verum neque divinos, neque incantatores adduxit, quamquam tunc tales essent, id quod in historia Saulis liquet, sed Deo supplicavit. S. Chrys. *ho.* x, *in Epist. ad Coloss.*

Lazarus mendicus, licet morbo sic debilitatum corpus haberet, ut nec canes ulcera lingentes abigere posset, haud tamen quærebat incantationem, non veneficos ad se vocavit, nec aliud quidpiam vanarum artium tentavit, sed prius habuit illis immori malis, quam ulla parte deserere pietatem. *Idem in orat.* v, *adversus Judæos.*

S. Bernardus, cum adhuc puerulus gravi capitis dolore vexatus in lectum decidisset, et mulier quædam dolorem carminibus mitigatura ad eum accessisset, acri indignatione commotus incantatricem clamoribus a se repulit, abegitque, et impetu quodam spiritus e lecto exiliens, mox divinitus ab omni dolore se liberatum agnovit. Surius, xx, *Aug.*

S. Paulo olim prædicante, multi ex eis, qui fuerant curiose sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus. Actor. x.

Philippus Rex Francorum audiens ceream quamdam imaginem ita suo nomine incantatam, ut ea destructa ipsi moriendum sit, assumpsit imaginem, et in ignem abjecit dicens : Videbimus, an potentior sit dæmon ad perdendum me, quam Deus ad salvandum me. Fab. c. III, *in Epiph.*

Damnum. — Ochozias, quia de infirmitate sua Beelzebub Deum Accaron consuli jussit, audiit ab Elia : Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub, quamobrem hæc dicit Dominus : De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. IV. *Reg.* I. c.

Elymas Magus, quia magicis artibus multos deceperat, audiit a S. Paulo : O plene omni dolo, et omni fallacia, fili diaboli, inimice justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas? et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. Actor. xiii, 10.

Episcopus quidam, cum per Necromantiam episcopatum adeptus esset, acquisitis postea multis adversariis, ex dæmone quæsivit, an fugere deberet? cui ipse respondit : non sta secure. Venient enim inimici tui suaviter, et domui tuæ subjicientur. Quod cum Episcopus sic interpretatus esset : non, sta secure etc. venerunt inimici, et castrum succenderunt. Cumque Episcopus diabolo deceptionem exprobrasset negavit ille, se decepisse, sed vere dixisse : Non sta secure, venient enim inimici suaviter, et domui tuæ subjicientur, idest, ignes. Majol. to. II, c. f. lxx.

Cum in aula anglicana duo magi convenissent, et alter alteri per fenestram prospicienti subito cornua cervina affinxisset, ut caput retrahere nequiret; hic in pariete humanam effigiem carbone pinxit, et alterum subire coegit, qui pariete cedente ingressus numquam amplius comparuit. Fab. co. iv, *in Epiph.*

Alius, cum in Hospitio Hospitis socium decollasset, eique caput reimponere vellet, in hoc autem ab alio Mago assidente impediretur, in primis eum, ne hoc faceret, semel iterumque est hortatus; postea vero videns se nihil efficere; lilium in mensa excrescere fecit, quod ubi decollavit, etiam alter Magus decapitatus concidit. *Ibid.*

EXEMPLA PROFANA.

Fuga. — Tiberius Imperator Romanus Christo in terris degente, et annum decimum octavum agente, decretum contra Magos, et Astrologos judiciarios fecit, et exteros quidem necavit, cives vero his artibus addictos patria exire jussit. Diol. lvii.

Cato, cum esset consultus a quodam, qui sibi a soricibus caligas erosas diceret, respondit, illud non esse monstrum, sed vere monstruosum futurum fuisse, si sorices a caligis fuissent corrosi : sicque superstitionem alterius elusit. S. Aug., l. II, *doct. Chr.* c. x.

Cæsar, ne ante brumam in Africam navigaret, auguriis, et auspiciis renitentibus, sprevit, et eo facilius navigavit, et vicit. S. Cypr. *de Idol.*

Regulus auspicia servavit, et captus est. Mancinus religionem tenuit, et sub jugum missus est. Pullos edaces Paulus habuit, et apud Cannas tamen cæsus est. *Idem*

Amilcari Carthaginensium duci contra Agathoclem Syracusas obsidenti Aruspex prædixit, postridie Syracusis cœnaturum;

unde dum ille, hoc vaticinio audacior factus, acriter urbem aggreditur, oppugnat; facta eruptione captus ab hostibus, et in urbem introductus, ibidem cœnavit. DIODOR., l. XX.

Neroni vix triginta annos supergresso respondit Delphicum oraculum, cavendum illi annum septuagesimum tertium esse, unde omnia ausus, et subito a suis derelictus, et ab inimicis ad necem quæsitus seipsum necavit, succedente Galba, qui annum septuagesimum tertium agebat. *Perracha ex Suetonio.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut Judas cum Judæis pactum iniit de Christo per osculum tradendo, etsi osculum illud secundum se non fuerit signum offensionis, et apprehensionis, sed potius benevolentiæ, et amoris indicium; ita qui magicis utuntur figuris, præcibus, et similibus rebus, licet hæ per se non sint malæ, nec vi sua effectus, quos illi cupiunt, producere possint, tamen per illos signum dant dæmonibus, ut ex pacto tales effectus producant. FAB. *con. c. in Epip.*

Sicut latro unus in silva viatoris lateri se adjungit, et Latroni socio in insidiis latenti fistula dat signum, ut peregrinum, vel globo trajiciat, vel ad se veniat, ut eum junctis viribus occidere possint; ita incantatores per sua signa magica dæmones evocant, ut ea, quæ ipsi cupiunt, faciant aut certe cooperentur in faciendis. *Ibid*, n. 3.

Sicut dæmon, licet sub forma aliqua hominis, vel bestiæ appareat, Deo tamen disponente, semper cum aliquo defectu, ex quo agnosci possit, se visibilem præbet, ut Delrio ex S. Chrysost. notat; ita incantationes, licet multa bona verba, aut alia signa contineant, semper tamen aliquid superstitiosum, et diabolicum, per quod cognoscantur, includunt. *Ibid.*

Sicut Christus luto illuminavit oculos, cum tamen lutum potius contrariam virtutem ad excæcandum haberet, et per hoc divinitatem suam ostendit; ita diabolus mediorum ad effectus producendos improportionatorum usum persuadet, ut hac ratione homines, illis divinum quid inesse, credant. *Ibid*, n. 5.

DAMNUM. — Sicut Judæis Scriptura sacra, quæ salutem afferre debuerat, perperam intellecta perditionem attulit, dum scilicet ea contra Christum, et ad tuenda vitia abusi sunt; ita res sacræ, quæ Christianis ad animæ salutem præscriptæ, et concessæ sunt, ab illis suasu dæmonis ad interitum adhibentur. *Ibid*, n. 6.

Sicut serpentum domitores pueris cor serpentis comedendum offerunt, ut nullum amplius serpentem timeant, sed innoxii contrectare, et capere audeant; ita dæmon sæpe ossa mortuorum, catenas suspensorum, aut annulos ex iis factos, aliasque similia abominanda indicia adhibere jubet, ut hac ratione homines pudorem, et horrorem exuant, et ad quævis inhumana, et abominanda scelera perpetranda disponantur. *Ibid*, n. 7.

MOTIVA.

Quia hoc vitium est singulariter in odium Dei a dæmonibus inventum, ut per illud cultum Deo debitum in se transferant, atque adeo non potest non *graviter Deo displicere :* hinc recte S. Augustinus monet : Non sit nobis religio cultus dæmonum, quia omnis superstitio, cum sit magna pœna hominum, et periculosissima turpitudo, honos est, ac triumphus illorum. S. AUG., *serm.* I, *de vera rel.* c. LV.

Quia valde *dedecet Christianum*, ut, qui per baptismum abrenuntiavit dæmoni, nunc iterum cum eo amicitiam ineat. Quæ omnia pulchre explicat S. Ephrem, dum ait : Abrenunciatio, quam in baptismo facimus, nominata quidem apparet parva, sed intellecta, admodum magna, quam qui servare voluerit, beatissimus erit : Paucis namque verbis cuncta, quæ nominantur, mala, quæque odit Deus valere jubemus, et abrenuntiamus, cujusmodi sunt non unum dumtaxat, non duo, nec decem, sed quodcumque appellatur malum, puta, Abrenuntio Satanæ, et cunctis operibus ejus. Quibus, inquam, operibus? audite, fornicationi, adulterio, immunditiæ, furto, invidiæ, *veneficio, divinationi, incantationibus, augurationibus, Spirituum immundorum interrogationibus*, quæ cuncta novimus opera ac doctrinas esse diabolorum. S. EPHR. *de abren.*

Quia *turpe admodum est*, propter modicam correptionem aut tribulationem a Deo ad diabolum inimicum ejus confugere. Id quod sequentibus verbis egregie S. Chrysostomus ostendit. Si tu famulum tuum flagris cæcideris, et ille triginta, aut quinquaginta plagis acceptis illico provocet ad libertatem, aut te deferat Dominum suum, et ad alios quospiam se conferat, qui te oderint, eosque in te concitet; dic mihi, num is abs te veniam impetraturus sit? an quispiam pro illo poterit esse patronus? nequaquam. Cur ita tandem? quoniam officium heri est punire talem famulum; simili ergo modo nec a Deo ad dæmonem confugiendum ob modicam afflictionem, cum is per has officium Patris, ac Domini exerceat. S. Chrys., *l. contra Jud. or.* v.

Quia *auxilium desideratum* melius fugiendo ejusmodi superstitiones, quam adhibendo, *obtinetur;* uti clare S. Chrys. iterum affirmavit dicens : Neque tantum consequentur laudes recte factorum, verum etiam celerrima morbi levatio, quum ipsa tua præclara voluntate conciliante tibi Deum ad majorem benevolentiam, tum Sanctis omnibus gratulantibus tuæ promptitudini, atque ex intimo corde preces pro te fundentibus. S. Chrys. l. c.

Quia omnia, quæ per has magicas artes adhibentur, media, *plena sunt fraudibus, et mendaciis.* Certe Joannes Picus asseverat, se, cum longo tempore mutationem temporum observasset, et ante oculos semper haberet astrologicas observationes, intra centum triginta dies continuo non deprehendisse septem, in quibus non fuerint hallucinati. Quod idem de aliis vanis observationibus, et superstitionibus sentiendum. Quis ergo tam fallaci Magisterio se subdat, et addicat? Joan. Picus *in lib. contra Astrolog.*

MEDIA.

Magnam de Dei potentia, sapientia, et bonitate estimationem concipere : inde enim non modice animus incitabitur ad auxilium ab ipso petendum, uti S. Chrysostomus verbo, et exemplo docuit dicens : Hoc est mihi corona, hoc diadema, propter te trophæum eligere, propter te salutem adipisci. Hoc autem dico propter eos, qui in morbis utuntur incantationibus, et alias exquirunt imposturas, et præstigia ad suam levandam ægritudinem. S. Chrys. *in Ps.* ix.

Oratione se munire contra dæmonum insidias; ita iterum S. Chrysostomus suasit his verbis : Sicut nemo sine calceamentis, vel vestimentis in forum descendere eligeret; ita sine verbo hoc numquam in forum prodeas, sed cum es januæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum : Abrenuntio tibi Satana, et conjungor tibi Christe. Nec unquam absque hac voce exeas, hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo, et crucem in fronte imprime; sic enim non tantum homo occurrens, verum nec ipse diabolus te quicquam lædere poterit, cum his te cernens armis apparentem. S. Chrys. *hom.* xxi, *ad popul.*

Considerare, quanto *magis præstet,* vitam, et bona temporalia amittere, quam ejusmodi mediis servare, animamque, et corpus necare. Qua de re iterum S. Chrysostomus; Morieturne puer? inquit. Si hoc pacto vivet, tum mortuus est. Si vero sine istis mortuus fuerit, tunc revixit. Jam si videris filium scortis deditum, mox velles defossum, ac sepultum, ac dicis, quid enim profuerit illum vivere? Cum videas autem salutis illum subire periculum, vis ita viventem videre? *Id. ho.* v, *in Ep. ad Colos.*

Considerare, quam *gloriosum, et honorificum,* ab ejusmodi superstitionibus abstinere, easque contemnere. Quemadmodum enim SS. Martyribus valde gloriosum fuit præoptare cedi flagris, torquerique, quam falsos deos honorare, ab iisque auxilium petere, vel sperare; ita non minus honorificum erit, malle torqueri a morbis, aut aliis afflictionibus, quam ad ejusmodi superstitiosas artes confugere, et per illas opem a dæmone emendicare. (*Ibid.*) Quæ omnia fusius prosequens S. Chrysostomus, cum ejeceris, ait, incantationes multa cum contumelia ex ædibus tuis, omnes hoc audito collaudabunt, mirabuntur, et inter se dicent : Ille ægrotans pluribus hortantibus, incantantibus, consulentibus, ut magicis quibusdam incantamentis uteretur, non assentit, sed respondit : satius est, hoc pacto mori, quam deserere pietatem. Ad hæc consequentur multi plausus ab his, qui audierint, cunctis stupentibus, Deumque glorificantibus. Hoc quot statuis tibi erit honorabilius? quot imaginibus magnificentius? omnes laudabunt, omnes tuam felicitatem prædicabunt, omnes te corona dignum judicabunt. Præterea ipsi quoque meliores fient, ac vicissim tuum exemplum æmulabuntur, imitabunturque fortitudinem, et si quis alius tale quidpiam fecerit, tu mercedem feres, qui exempli fueris auctor. *Idem or.* v, *contra Jud.*

Considerare, quanto *majorem consolationem* ex contemptis superstitionibus, quam admissis, habituris sis : nam, ut sapienter advertit S. Chrysost. etiamsi millies exurat febris, anima tua quovis liquore, quavis irroratione meliorem, utilioremque mitigationem adducet. Quemadmodum enim, postquam acceperis mutationem, sanusque factus fueris (per magicas artes) miserior factus es iis, qui febre laborant, dum tecum reputas peccati magnitudinem; sic nunc quoque, etiamsi febriciteris, innumeraque patiaris mala, repulsis impiis illis, quovis anno melius eris affectus animo, gestiente præ gaudio conscientia, ac laudante te, probanteque, ac dicente : Euge, euge, heus homo, Christi servus, vir fidelis, Athleta pietatis, qui malueris molestiis immori, quam deserere tuam pietatem, proximo secundum Martyres loco stabis illa die. *Ibid.*

ASCETICA.

Tria sunt, quæ præcipue circa hoc vitium ab Asceta observanda sunt. Primum est, ut bene cognoscat fallaciam harum artium magicarum, ideoque illud S. Augustini semper ob oculos habeat : Fatendum, quando ab illis (Astrologis) vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod cum ad decipiendos homines sit, Spirituum seductorum operatio est : quibus quædam verba de temporalibus rebus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientia callidiore propter magnam longitudinem vitæ, partim a S. Angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam jussu ejus sibi revelantibus, qui occultissimæ justitiæ severitate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi Spiritus, etiam, quæ ipsi facturi sunt, velut divinando prædicant. S. Aug. *de vera relig.*, c. xvii.

Secundum est, ut bene cognoscat radicem, ac causam, ex qua ejusmodi superstitiones oriuntur, quam quidem idem S. Aug. sequentibus verbis assignavit : Homines negligentes, et faciles, languida desideria, et fidem desidem habentes, etiamsi incipiant, non diu perseverant, in operibus Dei; sed ubi se ante dictis sacreligiis abstinuerint, vel unam diaboli nequitiam pertulerint, se ad Dominum conversos esse, et machinamenta diaboli reliquisse, iterum revertuntur ad observationes auguriorum velut canis ad vomitum suum. Unde suadet, ab initio semel, iterumque fortiter repellendos, qui ad ejusmodi artes impellunt : si enim semel, inquit, aut secundo nequitias, quas diabolus immiserit, cum animo, et tota fide contempseritis, ita ipsum diabolum postea a vestra infestatione Deus dignabitur repellere, ut numquam possit vos sua calliditate decipere. S. Aug. *s.* ccxli, *de temp.*

Tertium est, ut bene sibi, aliisque persuadeat, quod diabolus nemini plus nocere possit, quam Deus permitttat, uti iterum S. August. præclare his verbis docuit : Illud ante omnia scitote, Fratres, quod nec vos ipsos, nec eos, qui ad vos pertinent, vel in parvis rebus diabolus potest lædere, nisi quantum a Deo potestatem acceperit. Quomodo nec S. Job facultatem ausus fuit subvertere, nisi Domino permittente. Et sicut in Evangelio legimus, quando ab hominibus expulsi sunt dæmones, rogaverunt, ut vel in porcos ire permitterentur; si in porcos non sunt ausi intrare dæmones, nisi a Deo permissionem acciperent, quis ita erit infidelis, ut eos bonos Christianos credat posse lædere, nisi Deus propria dispensatione permitteret. Permittit autem hoc Deus ex causis duabus, ut nos probet, si boni simus, aut corrigat, si peccatores. *Ibid.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis. *Non declinetis ad Magos, neque ab Ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos :* (Luc. xix, 13.) ostendi potest, quam fœde, multipliciterque polluantur, qui magicas artes exercent, aut ab aliis exerceri petunt. 1. Quoad *corpus :* dum ad turpissimos quosque corporis abusus incitantur per dæmones, maxime in nocturnis conventiculis, uti ex variis historiis patet. 2. Quoad *animam :* dum ab uno peccato gravissimo in aliud præcipitantur. 3. Quoad *famam :* cum velut turpissima dæmonis mancipia, Deo, hominibusque fiant exosi : Vide Fabrum conc. iv, in Epiph., n. 3.

Ex occasione thematis : *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum :* (*Eph.* iv, 17.) demonstrari potest, cur magis ad Deum pro auxilio; et solatio confugere debeamus, quam ad dæmones, nimirum 1. Quia Deus potest *universaliter* juvare : diaboli vero non, nisi quantum illis a Deo conceditur. 2. Quia Deus *vere*, et *absque fallacia* juvat. Dæmones autem plerumque decipiunt, aut destituunt invocantes se, ut ex multis historiis liquet. 3. Quia Deus *sincere*, id est, optima intentione juvat : Dæmones autem nequissimo animo, ac voluntate succurrunt, scilicet ut per ejusmodi auxilium in laqueos suos trahant incautos, misereque perdant. 4. Quia Deus *constanter* juvat, cum motivum juvandi, scilicet bonitas ipsius, semper idem sit; Dæmones vero non nisi tamdiu juvant, quamdiu voto suo necdum sunt potiti; ubi autem semel in pedicas suas, et desperationem perduxerint, sponte deserunt.

Ex occasione thematis : *Nolite locum dare diabolo :* possunt fraudes dæmonis explicari, quas erga ejusmodi superstitiosos homines exercet. 1. Quia promittit sæpe, quæ dare non potest, sicut Christo dixit. Hæc omnia tibi dabo; cum tamen ad eum non pertinerent. 2. Quia falsas divitias, et voluptates pro veris offert; hinc sæpe constat stercus pro auro, mures pro avibus, cadavera pro vivis pulchrisque corporibus, ab eo fuisse oblata. 3. Quia in prædictionibus plerumque mendacia miscet, aut certe amphibologiis utitur, ut facilius decipiat, quæ omnia fusius videri possunt explicata apud Fabrum conc. IV, in Festo Epiph. n. 2.

Ex occasione thematis : *Auferam maleficia de manu tua, et divinationes non erunt in te :* (MICHEA V, 11.) potest concionator dicere, se quoque omnes superstitiones, quantum in ipso erit, de cordibus auditorum ablaturum, ideoque varias observantias quæ plerumque in figuris, verbis, diebus, omnibus, somniis, rebus sacris, etc., committi solent, relaturum, earumque vanitatem ostensurum, prout fuse fecit Faber per totam conc. V., in Epiph.

Ex occasione thematis : *Non inveniatur in te, qui ariolos sciscitetur :* (*Deut.* XVII, 10.) possunt in primis varia divinationum genera ex astris, elementis physiognomia, somniis, circulis, explicari. Deinde vero ostendi, quam sit impium, stultum, et periculosum ejusmodi divinationes usurpare, aut expetere. De qua materia Fab. per totam conc. IV et VI, in Epiph. agit.

Ex occasione thematis : *In manibus tuis sortes meæ :* (*Ps.* LVI, 16.) possunt in primis varia genera sortis, scilicet divisoriæ, consultoriæ, et divinatoriæ, explicari, et quousque licitæ sint, ostendi. 1. Vero demonstrari, quam fallaces, noxiæ, et vanæ sint sortes, quæ a fortuna, aut dæmonibus petuntur : atque adeo multo melius, et sapientius faciant, qui cum S. Davide dicunt : In te, Domine speravi : Dixi, Deus meus es tu; in manibus tuis sortes meæ. Per hanc enim sortem semper obtinetur optimum, quod desiderare possumus, scilicet id, quod divina de nobis voluntas disposuit, quodque non potest non esse optimum. Vide Fabrum conc. VI, in Epiph., n. 6.

Ex occasione thematis : *Maleficos non patieris vivere :* potest institui judicium super maleficos, et I, quidem gravitas peccati ab eis commissi ostendi per hoc, quod ejusmodi peccatum sit contra omnes primarias virtutes tam theologicas, scilicet fidem, spem, et charitatem, quam morales, prudentiam, justitiam, temperantiam, fortitudinem. Ne inauditi damnentur, possunt eorum excusationes audiri, et refutari, quod scilicet etiam Christus, et Apostoli satanæ imperaverint; ut aliquid faceret : quod talia media reipsa comprobentur, effectum suum habuisse : quod meræ res sacræ adhibeantur etc., quæ omnia fusius apud Fabrum conc. IV, v. 3, refutata videri possunt.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Apud Lygureos Thraciæ populos, Antistites Oracula reddituri, multo prius vino se ingurgitabant. Contra vero apud Clarios futura prædicturi aquam prius large hauriebant. *Texto in offic.*, c. XXXIII.

Olim idolorum sacerdotes antequam responsa ab oraculis peterent, altius proclamabant : Procul hinc sit lotus, et unctus, christianus scilicet aqua baptismali lotus, et oleo chrismatis in confirmatione unctus. Hinc sacrificanti quondam Juliano omnia irrita cedebant, quia christianus, qui gentilis, credebatur, intererat. *Fab. conc.* IV, *in Epiph.*

FUGA. — Cassandra Priami filia, cum Appollini copiam sui corporis promisisset, ab eodem vates facta est : cum autem non stetisset promissis, iratus Deus fecit, ut ejus vaticiniis fides non haberetur. An non autem hoc magis dæmoni convenit. *Textor.*, c. XXXIII.

Phavorinus apud Gellium, fidem divinationis non esse adhibendam, hoc discursu suadere conatus est : Aut adversa eventura dicuntur, aut prospera? Si adversa, et mentiantur, miser frustra fies timendo : si non mentiantur, jam inde ex animo fies miser, antequam e fato fias. Si prospera, et fallunt, miser fies frustra expectando : si non fallunt, expectatio rei suspensum fatigabit, et futurum gaudii fructum spes ante defloravit. *Idem*, c. XXII.

Damnum. — Damna per artes magicas creari solita, recte antiqui per figmentum Medeæ explicare conati sunt. Ut enim illa Draconem custodem velleris aurei sopivit, ita magia conscientiam gratiæ custodem. Ut illa pallam veneno infectam Creusæ misit, eamque interemit, ita magia suis muneribus animam necat. Et tandem, ut Medea filios ex Jasone susceptos interemit; ita magia fructus omnes bonorum operum perimit. Ovid., l. II, et *Senec. in Media.*

AUCTORES.

Joannes Busæus in Panario. V. eodem.

Josephus Langius in Polyanth. V. eodem.

Matthias Faber conc. IV, V et VI, in Festo Epiphaniæ.

Jacobus Marchantius in horto Pastorum tr. III, lect. II.

Christophorus Lehemann in Florilegio part. IV. V. eodem.

TACITURNITAS.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est virtus immodicum loquendi appetitum refrænans; ita ut, quemadmodum B. Albertus Magnus loquitur, non tantum ab illicitis, sed licitis, etiam verbis abstineamus, juxta illud S. Davidis : Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis. *Ps*, XXXVIII, 3. *In Parad.*, c. XXXI.

Divisio. — Dividitur a nonnullis in Taciturnitatem proprie dictam, seu *oris;* et minus proprie dictam, seu *operis;* per priorem a verbis proprie dictis, per posteriorem ab æquivalentibus verbis, seu actionibus quietem turbantibus abstinemus. Hinc etiam hæc vetant in suis regulis Camaldulenses Monachi, dum aiunt : Quoniam vero silentium non solum loquendo frangitur, sed etiam, et magis, aliquo sonitu, fragore, vel strepitu, ideo inviolabili observatione caveatur, ne unquam horis silentio deputatis, aliquid in cella, vel extra cellam monachi, vel conversi in officinis operentur, quod sonitum aliquem, aut strepitum possit causare. Nigronus, *in Reg.* XXVI, n. 45.

Actus. — Præscripta silentii tempora diligenter observare : ita ut, quemadmodum Societas Jesu suis præscribit, extra tempora recreationis assignata, nemo loquatur, nisi obiter, et perpaucis, aut de rebus necessariis. *Reg. con.* XXVI.

Etiam temporibus collocutioni concessis ad audiendum magis, quam loquendum inclinare, juxta illud S. Jacobi monitum : Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. *Item* I, 19.

Non respondere, prius quam alter sermonem absolverit, et perfecte quis audierit : ita Ecclesiasticus monet dicens : Priusquam audias, ne respondeas verbum; qui enim prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum. *Eccl.* II.

Inter ipsa colloquia brevem potius quam longum sermonem amare, sibique de suo sermone dictum credere, quod S. Thomas Aquinas de concionibus dixit : Sermones breves valde accepti sunt, quia si sunt boni, avidius audiuntur, si mali, parum gravant. *In illud D. Pauli, Perpaucis scripsi vobis.*

Non contendere, aut rixari cum altero, cum quis ad iracundiam, vel rixas incitatur : exemplo S. Davidis de seipso dicentis : Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. (*Ps.* XXXVI, 5.) Hinc antiquum illud monitum natum. L. III, *de imit.*, c. XLI, § 1.

Contra verbosos noli contendere verbis.

Etiam injuria accepta silere, ac nemini, nisi Deo, et Sanctis queri de offensa, nam juxta verius effatum :

Lædi, et silere, Summa est fortitudinis.

Revela ergo Domino viam tuam, et ipse faciet. (*Psalm.* XXXVI, 5.) Sic pius Asceta in Christi persona monet dicens : Erige cor tuum ad me in cœlum, et non contristabit te contemptus hominum in terris. L. III, *de imit.* c. XLI, § 1.

Gradus. — Primus est, ab illicitis, et otiosis verbis abstinere, memoremque esse sententiæa Christo prolatæa : Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Matth. XII, 36.

Secundus est, a licitis etiam, et bonis verbis abstinere : nam, teste Smaragdo, qui taciturnitatis virtutem veraciter amat, necesse est, ut ad tempus etiam a bonis locutionibus taceat, ut virtutes cæteras ad tempus tacendo nutriat, quas nutritas iterum tempore congruo, sapienter proferat. Smaragd. *in reg. S. Bened.*

Tertius est, a necessariis quoque verbis, quietis et virtutis amore, abstinere : maxime si ad propriam defensionem pertineat; uti exemplo suo Christus docuit, dum coram Pilato gravissime accusatus tacuit, ita ut ipse præses vehementer miraretur. Marc. xv, 5.

Ex SACRA SCRIPTURA.

Qualitas. — Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium. Isaia, xxxii, 17.

Aurum tuum, et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos, et attende, ne forte labaris in lingua tua. *Eccl.* xxi, 29.

Sit sermo vester, est, est, non, non : quod autem his abundantius est, a malo est. Matth. v, 37.

Homo sapiens tacebit usque ad tempus : lascivus autem, et imprudens non servabunt tempus. *Eccl.* xx, 7.

Necessitas. — Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. *Prov.* xiv. 23.

Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, hujus vana est Religio. Luc. i, 26.

Numquid qui multa loquitur, non, et audiet? aut, vir verbosus justificabitur? Job. xi, 2.

In multiloquio non deerit peccatum : qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. *Prov.*x, 19.

Qui multis utitur verbis, lædet animam suam. *Eccl.* xx, 8.

In multis sermonibus invenietur stultitia. *Eccl.* iii, 2.

Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. *Num.* xix, 15.

Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio. *Prov.* xxix, 20.

Utilitas. — Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se. Thren. iii, 28.

Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. *Ibid.* 26.

Qui custodit os suum, custodit animam suam : qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. *Prov.* xiii, 3.

Qui vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo. I. *Petr.* iii, 10.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum Regem. *Prov.* xxi, 10.

Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. *Prov.* xxv, 11.

Hæc dicit Dominus Deus, Sanctus Israel, si revertamini, et quiescatis; salvi eritis, Isaia xxx, 15.

Dignitas. — Est tacens, qui invenitur sapiens : et est odibilis, qui procax est ad loquendum. *Eccl.* xx, 6.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potens etiam fræno circumducere totum corpus. Jac. iii, 2.

Qui moderatur sermones, doctus et prudens est : et pretiosi spiritus vir eruditus. *Prov.* xvii, 27.

Honor, et gloria in sermone sensati : lingua autem imprudentis subversio illius. *Eccl.* v, 15.

Tacitus, et sensatus honorabitur. *Eccl.* xxi, 31.

Jucunditas. — Tibiæ, et psalterium suavem faciunt melodiam et super utraque lingua suavis. *Eccl.* i, 41.

Lætatur homo in sententia oris sui, et sermo opportunus est optimus. *Prov.* xv, 23.

Beatus vir, qui non est lapsus in ore suo. *Eccl.* xv, i.

Et lætati sunt, quia siluerunt, et deduxit eos in portum. *Ps.* cvi, 30.

EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Alliga sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciviat, et multiloquio peccata sibi colligat. Si restrictior, et ripis coerceatur, cito lutum colligit amnis, et undas. Jugum sit verbis tuis, et statera, atque mensura, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus. S. Ambr. l. I, *de offic.*

Ingreditur mors per ostium tuum, si falsa loquaris, si turpiter, si procaciter; postremo si ubi non oportet loquaris. S. Ambr. l. II, *de Virg.*

Tempus tacendi, et tempus loquendi. Discreta vicissitudine pensanda sunt tempora ne aut, cum restringi lingua debet, per verba se inutiliter solvat; aut, cum loqui utiliter potest, semetipsam plene restringat. S. Greg. l. VII, *mor.*

Discreta quippe vicissitudine pensanda sunt tempora, ne aut, cum restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat; aut, cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat; ait S. Gregorius : Idque illustrat aliqua similitudine allegata ex Psalmista, desumpta a janua, seu ostio, quod non semper tenetur clausum, sed tempore convenienti aperitur, et clauditur : quod bene Psalmista considerans dicit : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis?* non enim poni ori suo parietem, sed ostium petit, quod videlicet aperitur, et clauditur, unde et nobis caute providendum est; quatenus et os discreto et congruenti tempore vox aperiat, et rursum congruo taciturnitas claudat. Tetigit quoque hoc punctum S. Ambrosius, cum ait : Quid igitur? Mutos nos esse oportet? Minime : est enim tempus tacendi, et tempus loquendi : deinde si pro otioso verbo reddemus rationem, videamus ne reddamus, et pro otioso silentio. Jam cap. antecedenti asseruerat Sapientia Dei dicens : *Dominus dedit mihi linguam eruditionis, ut sciam, quando oporteat sermonem dicere :* merito ergo sapiens, quia a Domino accepit, quo tempore sibi loquendum sit; unde bene ait Scriptura : *Homo sapiens tacebit usque ad tempus.* S. Greg. l. III, *Pastor. admon.* xv.

Qui taciturnitatis virtutem veraciter amat, necesse est, ut ad tempus etiam a bonis locutionibus taceat, ut virtutes cæteras ad tempus tacendo nutriat : quas nutritas iterum tempore congruo sapienter proferat. Smaragd, *in reg. S. Ben.* c. xi.

Diu considera quid loquendum sit, et adhuc tacens provide ne quid dixisse pœniteat. Hieron. *in Epist.*

Silendi patientia, opportunitas loquendi, et contemptus divitiarum, sunt maxima virtutum fundamenta. Ambr. *in Offic.*

Necessitas. — Cito insidiator pudoris verbum excipit, quod revocare desiderat. Si Evæ clausa fuisset janua, nec Adam deceptus fuisset, nec respondisset, hoc est, per Evæ ostium. S. Ambr. l. III, *de Virg.*

In nullo statu, et ordine stabit pax, et disciplina, si non adest censura silentii, quietis amica, quæ est devotionis nutrimentum, et contentionis obturatio. Thom. Kemp. s. iv, *ad Nov.*

Quæ murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis, et cum se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit, quam tanto ille sine labore superat, quanto et ipsa, quæ vincitur contra semetipsam per multiloquium pugnat. S. Greg. l. c.

Mens, quæ non habet murum silentii, de facili penetratur jaculis inimici, et ideo dicit Augustinus, murum debet esse os hominis, nisi ad tria, scilicet ad laudem Dei, et accusationem sui, et utilitatem proximi. S. Bonav. *in reg. nov.* c. xxv.

Quid præ cæteris debemus discere, quam tacere, ut possimus loqui, ne prius me vox condemnet mea, quam absolvat aliena? scriptum est enim : *Ex verbis tuis condemnaberis.* Quid opus est igitur, ut properes periculum suscipere condemnationis loquendo, cum tacendo possis esse tutior. S. Ambr. l. I, *de offic.* c. ii.

Vere in magno periculo sunt homines sine silentio, ut equitantes equum rabidum sine fræno : in domo succensa sunt sine obstaculo; in via in qua est fovea; abyssalis sine operculo, sunt ut castrum sine clausura : sunt ut urbs sine porta, ut navis sine anchora, ut vinea sine sepe. Bellovac. *spec.* l. III, epist. iv, p. 1.

Levis quidem sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat : leviter transit, sed graviter urit : leviter penetrat animum, sed non leviter exit : leviter profertur, sed non revocatur; facile volat, ideo charitatem facile violat. S. Bern. *in serm.*

Non frustra lingua in udo est, qua facile labitur. S. Aug. *in Ps.* xviii.

Necessarium est silentium perpetuum, quousque per illud a vitio petulantiæ in dicendo faveatur, et in otio discere possint; quid, quomodo, quando loqui oporteat. S. Basil. *in Reg. brev.* cviii.

Multus sermo, mentem immoderate distrahens non solum otiosam in spirituali exercitatione efficit, sed etiam dæmoni acediæ eam prodit, qui eamdem rursus immoderate relaxans, ac dissolvens, dæmonibus iracundiæ, ac doloris præsidibus tradit. S. Diadechus, c. xcvi.

Quid autem præ cæteris debemus discere, quam silere, ut possimus loqui, ne prius me condemnet vox mea, quam absolvat aliena? S. Ambr. I, *de offic.* c. ii.

Religa linguam tuam, si vis esse Religiosus, quia sine linguæ religatione vana est.

S. Bern. *ad Nier. dectr, ascet.* viii, t. II, c. i.

Ubi non est taciturnitas, ibi homo de facili ab adversario superatur; sicut enim urbs patens, et absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. B. Albert. Magn. *l. de virt.* c. xxxi.

Utilitas. — Quia neminem sciebat (David) castum os servare posse (ait Sanctus Ambrosius) ab immunditia sermonis, ipse sibi silentio legem imposuit innocentiæ, ut tacendo culpam declinaret, quam vix effugere posset, loquendo. S. Ambr. l. c.

Silentuim, docente Isaia, *cultus justitiæ, et bonum est expectare;* ut docet Jeremias, *salutare Dei cum silentio;* ad hunc ergo justitiæ cultum, ad hanc omnium virtutum matrem, nutricem, custodem, et te, et alios, quicumque tui similes proficere cupiunt in virtutibus, invito, et provoco. S. Bern. *epist.* xxix.

Est magnum, et negotiosum silentium, ut erat Susannæ, quæ plus egit tacendo, quam si esset locuta; tacendo enim apud homines, locuta est Deo; nec ullum majus indicium suæ castitatis invenit, quam silentium. In eodem capite prosequendo silentii laudem, ait: Et cui nisi unicuique nostrum scriptum est: *Sepi possessionem tuam spinis, et aurum, et argentum tuum alliga, et ori tuo fac ostium, et vectem, et verbis tuis jugum, et stateram.* Possessio tua mens tua est, aurum tuum et argentum tuum, eloquium tuum est; eloquia Domini argentum igne examinatum: bona etiam possessio mens bona. Denique possessio pretiosa homo mundus. Sepi ergo hanc possessionem, et circumvallato. S. Ambr. l. III, *de off.* c. iii.

Præclara res est silentium, et nihil aliud, quam mater sapientissimorum cogitatuum, S. Diadochus, *ap. l. c.*

Per silentium conscientia serenatur, pœna vitatur, pax conservatur, et mens per contemplationem expeditus elevatur. Umbert. *epist.* iii, *vot.* l.

Silentium bene servando, obedientiam etiam servas, humilitatem retines, verecundiam adornas: senibus reverentiam exhibes, juvenibus exemplum præbes, levibus, et dissolutis timorem incutis, extranei bonam famam, intraneis pacem, et concordiam generas. Thom. Kemp. *de silent.*

Obstructo inutilium verborum meatu, inclusus amoris ignis cogitationes modificat, compungit animum, fugat vitia, lacrymarum educit fontes; custodit ostia, sectatur pacem, sursum cor erigit Deoque conjungit. Tunc composita proferuntur eloquia, sale condita, et considerate circumspecta. S. Laur. *Just. in se amo.* xxi.

Discamus, et nos prius non loqui, ut postea ad loquendum ora reseremus. Sileamus certo tempore, ad præceptorum eloquia pendeamus, nihil nobis videatur rectum esse, nisi, quod discimus, ut post multum silentium de discipulis efficiamur magistri. S. Hier. *Eccl.* iii.

Dum strepitus humani cessant alloqui, construitur in se per silentium templum Spiritus Sancti: Hinc est, quod de Isralitici templi constructione sacra testatur historia, quia malleus, et securis, et omne feramentum non sunt audita in domo Domini, cum ædificaretur. Templum quippe Dei per silentium crescit, quia, cum mens humana per exteriora verba se non diffundit, in sublime fastigium spiritualis ædificii structura consurgit, tantoque succrescens in altiora sustollitur, quanto per custodiam silentii externi sese fundere prohibetur. Custos enim justitiæ silentium. S. Petr. *Damian. ep.* cxxx.

Est multum pro honore vestro, et fama ordinis, si pro reverentia hospitium in præsentia eorum verecundi et taciturni appareatis; plus enim ædificas bonis moribus, quam curiositate sermonis. *Rem. f.* 4, *ad Novitios.*

Silentium, cum tanto splendeat decore, mater jure merito censetur virtutum Monachorum. B. Antiochius *ho.* ciii.

Dignitas. — Majus est, linguam refrænare, quam capere civitatem; quia illud insultat exterius; sed istud interius. S. Aug. *apud Man. tr.* lxxxviii, *di.* c. viii, n. 4.

Facilitas. — Numquid non laboriosius est linguam per tot prolixæ loquacitatis verba discurrere, quam in suo quietam silentio permanere? unde non immerito de quibusdam per Jeremiam dicitur: *Docuerunt linguam suam loqui mendacium: ut inique agerent, laboraverunt:* laborasse namque dicuntur, ut nequiter agerent, qui tacendo sine peccato utique melius quievissent. S. Petrus *Dam. s.* xxxiv.

Malum hominem tacendo potius quam respondendo superabis. S. Chrys.

Recte scit dicere, qui ordinate scit tacere. Greg. iii, *Mar.*

Si vindicare vis, sile et funestam ei dedisti plagam. S. Chrys.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas. — Maximi Sanctorum humana consortia, ubi poterant, vitabant, et Deo in secreto vivere eligebant. L. I, xviii, § 1.

Facilius est omnino tacere, quam verbo non excedere. *Ibid.* § 2.

Vellem, me pluries tacuisse, et inter homines non fuisse. L. II, x, § 1.

Necessitas. — Dixit quidam : Quoties inter homines fui, minor homo redii. Hoc sæpius experimur, quando diu fabulamur. L. V, xx, § 2.

Nemo secure loquitur, nisi qui libenter tacet. *Ibid.*

Qui intendit ad interiora, et spiritualia pervenire, oportet eum Jesu a turba declinare. *Ibid.*

Utilitas. — In silentio, et quiete proficit anima devota, et discit abscondita scripturarum. L. I, x, § 6.

Si te subtraxeris a superfluis locutionibus, et otiosis circuitionibus, nec non a novitatibus et rumoribus audiendis, invenies tempus sufficiens, et aptum pro meditationibus insistendis. *Ibid.* § 1.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas. — De Christi silentio testatur S. Bernardus; dum tractans illa verba : Ipsum audite : sic loquitur : Ecce Domine Jesu, vel jam nunc loquere. Quousque siles? quousque dissimulas? diu tacuisti, et valde diu. Vel jam nunc habes loquendi licentiam a Patre. (Ser. i, *de Epiph.*) Et Isaias : Non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. Isa. liii, 7.

B. Virgo, teste S. Bernardo, in omni textu Evangeliorum non nisi quatuor loquens auditur. Primo quidem ad Angelum, sed cum jam semel, atque iterum allocutus eam fuisset. Secundo ad Elisabeth, quando vox salutationis ejus Joannem exultare fecit in utero, et ea magnificante Mariam, ipsa magis Dominum magnificare curavit. Tertio ad Filium, cum jam esset annorum duodecim, quod ipsa, et Pater ejus dolentes quæsiisset. Quarto in Nuptiis ad Filium, et ministros. (S. Bern. s. *in signum magnum.*) Sed et Nicephorus, Erat, inquit, Maria in rebus omnibus honesta, et gravis, pauca admodum, eaque necessaria loquens; ad audiendum facilis; et perquam affabilis, honorem, et venerationem omnibus exhibens. S. Bernardus quoque idem confirmans sapientissima Virgo, ait, ornata erat discretissima taciturnitate; nil enim locuta, quod non præmeditata. Numquam tamen silentii amorem magis declaravit, quam cum S. Josepho dimittere eam volente, tacuit, suamque causam, et defensionem Deo commisit. L. ii, *hist.* c. xxiii.

Susanna, teste S. Ambrosio, tacebat in periculis, et gravius verecundiæ, quam vitæ damnum esse putabat; nec arbitrabatur periculo pudori tuendam salutem. Deo soli loquebatur, qui poterat casta verecundia eloqui. II. *Offic.* 18.

S. Franciscus, ut S. Bonaventura de eo scribit, evangelicum a fratribus observari volebat silentium, ut videlicet ab omni verbo otioso omni tempore abstinerent solicite, tamquam reddituri in die judicii de hujusmodi rationem : Sed et si quem invenisset fratrem verbis assuetum inanibus, graviter arguebat. *Vit.* v.

Palladius refert, sub abbate Ammona fuisse tria millia monachorum, tantumque exercuisse silentium, ut viderentur esse in solitudine, unoquoque occulte peragente suum vitæ institutum, solum autem specie quadam in mensa sedisse, conantes se invicem latere. *Hist. Lum.* xlviii.

S. Hieronymus testatur, se invenisse aliquot eremi Patres tam observantes silentii, ut justo septennio, ne unicum quidem verbulum sibi passi sint excidere. *In reg. Mona.* i.

B. Maria Magdalena de Pazzis, si qua novitia violasset regulam silentii, præter severam pœnitentiam, quam ei injungebat ipsa, quoque tempore, quo licebat colloqui, servabat silentium pro novitia, dicens : Volo, ut Religio habeat plene, quod suum est.

S. Thomas Aquinas, tam studiose observavit silentium, ut ea de causa bos mutus a commilitonibus diceretur. Surius *in vit* vii, *Mart.*

S. Romualdus jam Senex per septennium inclusus in Scythia inviolabiliter tenuit silentium. S. Dom. *in vita.*

S. Andronicus cum S. Athanasia uxore sub virili habitu pariter monastico, nec illi cognita de facie, tum ii longissima peregrinatione Jerosolymitana, tum in eadem cella duodecim annos Athanasiæ rogatu penitus silentium observavit. S. HIER. *in reg. Monac.* XXII.

Agatho toto trienno lapidem in ore gestavit, ut silentium facilius observaret. *Vit. Patr.*

Severus Sulpitius in senectute a Pelagianis deceptus, et agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, et tacendo penitus emendaret. *Gennad. in Catal. vir. illust.*

B. Godefridus Ambiani Præsul, quotiescumque iter faciebat, comites semper præcedere jussit. Causam hujus moris rogatus respondit : ne otiosis sermonibus occasio detur. *Drex. in Phaet.* XLI, § 4.

S. Theresia in cœlo jam gloriosa volebat, ut suæ filiæ silentio essent addictæ; unde si quando aliquæ, tempore silentii, loquebantur, audiebant tres ictus super portam cubiculi, atque si Theresia illos admoneret silentii religiose, integreque servandi *Ribera in vit.* l. V, IV.

Cum quidam sub charitatis colore infirmum visitare, et eo tempore, quo tacendum erat, colloquio recreare vellet, diserte vox e Crucifixi Christiore audita dixit : Non placet mihi ista charitas. *Eeberbit in medit.* c. XXIV.

Pambo Abbas, cum illum psalmi trigesimi octavi versum : Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea : audivisset, Satis est, inquiebat, reliqua audiam, cum hoc opere implevero. Multo deinde tempore post reversus, cum interrogaretur, cur ad magistrum redire tamdiu distulisset? nondum se illud, quod diceret perfecisse dixit, scriptum autem esse ab Apostolo : Estote factores verbi, et non auditores tantum.

De hoc Abbate nonagenario tria commemorat Heraclides, quod scilicet numquam mentitus sit, numquam alicui maledixerit, numquam citra necessitatem locutus sit. *Hist. Laus.* l. X, LIV.

S. Lucas Evangelista evangelico suo penicillo Mariam Magdalenam in domo Simonis Pharisæi depinxerat initio peccatricem. *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix :* Surrexit illa nihilominus a pedibus Salvatoris munda, et sancta, et quidem sanctitate eminentis perfectionis. *Dilexit multum*, scitisne causam? charitas patiens est; sed in qua re eluxit hæc charitas patientiæ? quando audivit impropria, et opprobria Pharisæi, non aperuit os suum, nec minimum defendit se, imo causam suam, ad pedes Saltavoris peroravit silentio. In alia pariter occasione, quando in Bethania Martha soror ejus ipsam reprehendit, quod non se occuparet quoque in parando convivio, sed tacita ad pedes sui cœlestis Magistri sederet, ipsa nec verbulum respondit, ac propterea Christum habuit sui defensorem, ipsam hisce laudantem verbis : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea :* Alia quadam vice, quando pretiosissimum illud profudit unguentum supra Caput Christi, de quo strenue contra ipsam murmurabat Judas, nullum prorsus legimus prolatum ab ipsa verbum; et totum hoc singularis suæ virtutis, ac perfectionis erat indicium. MANSI, *dis.* II, n. 4.

S. Gregorius Nazianz. per integram Quadragesimam penitus tacuit, cujus rei rationem ipse reddit his verbis : Tum denique piorum virorum præscriptis obtemperans, labia mea quasi pessulo quodam obdidi : cujus facti mei si causam quæris : idcirco a sermone prorsus abstinui, ut sermonibus meis moderari discam. Postea : Nam qui res parvas assequitur, non satis certus est, an magna quoque, etiamsi impense cupiat, assecuturus sit. At qui in majoribus rebus superior existit, perspicuum est sane, eum minores quoque, si ita libeat, egregie confecturum. Atque hæc mihi causa fuit, cur sermonis vim omnino constringerem; sic enim fore speravi, ut non jam ex ore meo sermo immodicus exundet. S. GREG. *tr. in sile. Quadrag. jejuni.*

Quodam die in conventu fratrum quidpiam prolocuturus S. Arnulphus non potuit more Francorum exacte verbum exprimere : Dixit ergo ei Abbas, ut ad horam sileret, ne utilitas causæ differretur. Quod silendi mandatum ille corde simplici, et veræ obedientiæ zelo per menses aliquot observavit, donec a fratribus nunciatum est Abbati. Qui cognovit ex eo, causam diuturni silentii fuisse, quod ipse eum tacere jussisset : et admirans in eo renovatam Pauli simplicitatem, præcepit, ut ædificationis causa fratribus interdum mutuæ collocutionis officium exhiberet. LAUR. SUR. *in vit.* c. VI, XV, *Aug.*

Paulus monachus cognomento simplex, cum quæsisset, essetne Christus prior Prophetis, insulsam interrogatiunculam silentio diluere jussus per triennium nemini quicquam præloqui est ausus. *Marull.* l. II.

Beon Abbas in Thebaidis deserto habitans in summo silentio vixit, ita ut perquam raro loqueretur, nec nisi quantum auditoris exigere videbatur necessitas, taciturnitatem eadem opera servans, et simul officio fungens charitatis. *Id. ibid.*

Theon quidam in cellula sua clausus annos triginta silentii habuit continentiam, et quantum ea re profecit, miraculis postea ostendit, neminem non sanum dimittendo, qui æger ad eum curationis gratia accessisset. *Ibidem.*

In illo Tabernensi Monasterio quod in eremo Scythiotica positum erat, Ammos Abbas mille quingentis Monachis præfuisse dicitur; et cum tot essent horæ, quibus silentium indictum erat, sæpe numero, advenæ locum adeuntes, neminem ibi adesse putaverunt, donec interius ingressi, illos unumquemque sensim in suis cellulis orantem, aut aliquid aliud facientem conspicerent, adeo non strepitus aliquis, non susurrus, non saltem screatus audiebatur, denique multitudo solitudinem taciturnitate æquavit.

Necessitas. — S. Jordanes, qui Dominico proxime in gubernatione ordinis successit, dicere solitus erat suis, studioso perfectionis non modo verba otiosa, et quæ ad rem non pertinent, esse vitanda; sed etiam, quæ res serias continent, et ædificant, si multa sint, et diutius pertrahantur. Nam homini loquendi avido proclive est ex bonis sanctisque colloquiis, si longiora fuerint, in otiosa prolabi, et inde in noxia decidere. Quemadmodum in concentu musicorum accidit, in quo cantorum voces ex arte symphoniam inchoantes paulatim a regula, mensuraque deflectunt, vel mentis inconsideratione, vel defatigatione gutturis, unde necesse est a chori magistro ad leges musicas, et harmoniam symphoniacos ab errore lapsuque revocari. Quod si non ob aliud, certe ob longitudinem, peccatur : quia, ut ait verus auctor epistolæ ad Demetriadem, quod laudabile est in genere suo, sit de nimietate sua culpabile. *Ferd. Cast.* p. 2, *hist. Præl.* l. II, c. I.

Abbas Pastor quæsivit ab Abbate Vestorio, unde tantam acquisiverit virtutem, ut, quando Abbas aliquid injungeret in monasterio, ipse non loqueretur. Ait adjuratus : Quando intravi in monasterium, dixi; tu et asinus unum estote, et sicut asinus verberatur, et non loquitur, injuriam patitur, et non respondet, sic et tu; sicut in Psalmo legitur : *ut jumentum factus sum apud te. Bellov. spec.* p. 1, l. III, *dist.* IV.

Homo quidam magnæ experientiæ et spiritus dicere solebat, quod ad reformandam Religionem aliquam sufficeret, eamdem reformare in silentio; quia, dum quilibet sibi attendit, cessant lamentationes, et murmurationes, cessant circuli, conversationes, ac tempus utiliter impenditur orationibus et studiis. Mansi, *dis.* IV, n. 2.

Vidimus alium non procul a civitate in solitudine, nomine Theona, virum sanctum, in domuncula seorsum inclusum, qui tempore viginti annorum silentium exercuerat : is cum plurimas virtutes perageret, habebatur pro Propheta. Exibant enim ad ipsum multitudo ægrotantium, quibus manus imponens per fenestram, dimittebat eos abire salvos. Licebat videre ipsum habentem vultum Angeli, lætis oculis, et totum plenum maxima gratia. *Vit. PP.* l. VIII, c. I.

S. Certrudis de seipsa testata est, numquam sibi vel ad ictum oculi subtractam per novem annos Christi præsentiam, nisi per undecim dies, ob mundialem quamdam, ut ipsa loquitur, sermocinationem. L. II, *In-fin.* III, et XXIII.

Alia vice intellexit divinitus, quod, cum homini libuerit videre, vel loqui verbum, in quo parvus, vel nullus est fructus, si hoc statim perficit, et pro nihilo reputat, sicut, ex vase perforato effluit dilectio Dei; si vero propter Deum continere proponit, tantum ea crescit in corde, quod vix superare valet. *Ibid.* l. III, XXX.

Duranus Episcopus vanis, et ridiculis verbis assuetus, quia ad monitionem Abbatis Hugonis resipiscere noluit, post mortem apparens, gravissime se in Purgatorio levitatem illam luere confessus est. Nec liberatus prius est quam Monachi septem per integram septimanam silentium pro illo tenuerunt. Vincent. *Bellov. in spec.* l. XX, c. V.

Ezechiel Propheta ad loquendum missus a Deo, septem diebus sedens mœrensque tacebat; hinc S. Gregorius ab eo argumentatus : Si, inquit, qui ad loquendum missus est, tamdiu tacuit, pensandum nobis est, quanta culpa sit ei non tacere, quem nulla necessitas cogit loqui. *Hom.* XI, *sup. Ezec.*

UTILITAS. — S. Arsenio quærenti, qua ratione proficeret ad salutem, vox cœlo delapsa dixit : Fuge, tace, quiesce, hæc sunt principia salutis. S. EPHR. *tr.* XII, *in apophth.*

Radulphus monachus postquam sexdecim annorum spatio, nec syllabam quidem pronuntiarat, excitato incendio dicens : sta ignis hac hora : flamma penitus conquievit : statim ignem extinxit, quæ virtus silentio ejus attributa est. TH. CANTRIPRAT. l. II, *apum.* XIV, § 4.

Cum duo monachi Cluniacenses capti a militibus barbaris, noctu silentii tempore loqui nollent, dux militum equo halerociter in illos irruit, sed equus phaleratus in latus resiliens sessorem humo affixit, quem secuta febris lethalis omnimo extinxit. Missæ subinde sortes; ut unus eorum pro duce necaretur numquam in viros Dei ceciderunt, unde obstupefacti milites liberos eos dimiserunt. *Spec. Exemp. distinct.* IX, p. 17.

Cum B. Maria Œgniacensis aliquendo a festo S. Crucis usque ad Pascha Domini, ne unum quidem verbum locuta esset, tam gratum id Deo fuit, ut ex Spiritus S. revelatione didicerit, eo vel maxime se impetrasse, ut sine pœna Purgatorii migraret ad cœlum. SUR. XXIII, *Jan.*

JUCUNDITAS. — S. Gertrudis de seipsa sic loquitur : Dedisti mihi intelligere, quod tu, o unice cordis mei a diversis hominibus convitia, et persecutiones passus, expeteres a me domicilium cordis, ad requiescendum in eo. Hinc per tres illos dies (Bacchanaliorum) quoties ad cor meum redis, videbaris mihi ad similitudinem languentis supra pectus meum decumbere. Per totos illos tres dies nihil investigavi, quo tibi gratiorem refectionem possem monstrare, quam ut orationibus, silentio, et cæteris afflictionibus pro emendatione hominum insudarem. L. I, *insi.* XIV.

DIGNITAS. — De Monasterio Claravallensi sub S. Bernardo scribit vitæ hujus S. auctor, quod media die mediæ noctis silentium a supervenientibus inveniebatur, præter laborum sonitus, et si Fratres in laudibus Dei occuparentur. Porro ipsius silentii ordo, et fama tantam apud sæculares homines supervenientes sui faciebat reverentiam, ut, et ipsi non dicam prava, vel otiosa, sed aliquid etiam, quod ad rem non attineret, ibi loqui vererentur. *Vit.* l. I, VII.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius, teste Cornelio a Lapide, tria dabat signa ex quibus quis perspiceret an in monasterio aliquo vel collegio bona esset disciplina claustralis, scilicet si bene servaretur, clausura; si omnia loca essent nitida, et composita; si bene servaretur silentium, non essent fabulæ strepitus, clamores. Hinc si strepitum, aut sermonem tempore silentii ipse audiret, mox delinquentem ad se vocabat, et monebat. *In* XXX, *Isaia.*

B. Aloysius observantissimus erat legis silentii. idque duplici ex causa. 1. Quia apud Deum offendere verebatur; hinc illud crebro usurpabat : Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir. 2. Quia cœlestes mentis deliciæ, quibus assiduo fruebatur omnem lætitiæ cupiditatem, quæ ex mutuis colloquiis hauritur, pœnitus extinguebant. Hinc longe jucundius illi erat tacere, quam loqui. *Vit.* l. II, I.

Jonnes Berchmannus interrogatus, quomodo silentii lex perfecte servari posset? respondit : Ego, si quis obvius mihi venit, submisse saluto : si quid interrogat, verbo unico respondeo, et vel alterum supervacaneum adiicere caveo. (*Vit.* p. 1 f. 36.) Unde numquam veteranus cum separato locutus est, numquam legem silentii fregit. (F. 66.) Aliquando vero, cum pater quidam peregre adventans, longius sermonem protaheret, negavit, se habere facultatem diutius loquendi, ideoque eam petiturus superiorem adivit. (P. 2, f. 37.) Inter tria, de quibus superiori singulis hebdomadis rationem reddebat, erat, an silentium servasset? (F. 133.

Joannes Antonius Apulus Novitius, ut silentii legem servaret, sæpe in ore calculum gestabat. *Hist. Sec.* p. 1, l. II, 18.

P. Hieronymus Ocellus ut silentium accuratius custodiret, si qua re indigebat, schedulæ eam inscribebat, eique a quo accipere posset, dedit. P. GREG. ROSEFF., s. III, *in M. S.*

Mortuus erat prope Neapolim Theologus quidam ex nostris, qui post mortem apparuit cuidam intimo suo socio, dixitque, se in Purgatorio graviter vexatum esse quod olim in Sacro aliquantulum confabulati essent, nec confessi; ipse proinde adhuc confiteretur. *Ann. Col. Nea. pol.* 1605.

EXEMPLA PROFANA.

Diogenes ad quemdam, qui se contentiose Philosophum profidebatur : Vah miser, inquit, cum id, quod optimum est in vita Philosophi, corrumpas, verbis tamen audes te Philosophum jactare : est autem Philosophi etiam munus tacere, cum res responsione digna non est. STOBÆUS, *in ser. de tacit.*

Æschines Socraticus reprehensus de silentio, cum Socratem præceptorem habuisset : Non loqui solum, dixit, a Socrate, sed etiam silere, didici. In eodem sermone recenset, quod occurrit Soloni, homini pariter sapienti : Solon inter pocula tacitus, interroganti Periandro, an propter inopiam verborum, aut ob stultitiam taceret, respondit : Atqui nullus stultorum in convivio silentium præstare potest. Ex hisce veterum Philosophorum, aliisque similibus, quæ referre possem, responsis, aperte colligitur, ipsos etiam majorem partem perfectionis collocasse in custodia linguæ. *Ibid.*

Aristoteles Callisthenem auditorem suum ad Alexandrum mittens monuit, ut cum eo quam rarissime, aut quam jucundissime loqueretur, quo scilicet apud regias aures vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior. PLUTAR. *in vit. Alex.*

Tradit Seneca, Gentiles in egressu templorum suorum hanc adhibuisse diligentiam, publice nimirum curabant proclamari, et divulgari silentium, acclamando : *Favete linguis, silentium observate.* SENECA. *de vit. beat.*

Refert Jovius in vita Solimani Turcarum Imperatoris, quod ipso ingrediente Rodhos urbem principalem Liciæ cum exercitu triginta millium militum, nec unus ex illis loqui ausus fuerit, ob prohibitionem ab Imperatore factam; unde hostiliter quidem currebant per urbem, at sicut monachi silentium tenentes. MANSI, disc. VII, n. 8.

Cum quidam ad Cleanthem dixisset : Tu quid taces? atqui jucundum est cum amicis confabulari. Jucundum quidem, respondit Cleanthes, sed quod jucundum est, eo magis in hoc amicis oportet concedere. STOB. S. XXXIII.

Refert Plutarchus, Catonem, cum ei diceretur : Improbant istam tuam taciturnitatem; sapienter conformiterque proposito nostro respondisset : Dummodo vitam non improbent : Ego vero tum demum taciturnitatem meam abrumpam, cum talia dicere valebo, quæ non sunt digna taciturnitate. POCT. *apud Man. disc.* X, n. 3.

Xenocrates apud Stobæum, singulis negotiis diei partes assignans, silentio quoque suam partem dabat. Harpocratem Philosophum, qui rebus omnibus silentium anteponebat, tamquam Deum Græci coluerunt, eumque digito labra comprimentem fingebant. Quantum cordi esset Pythagoræ, legistis. Corroborat hanc rationem naturalem Salomonis locus de tempore duplici tacendi, et loquendi, numquam satis laudatus. Ad hoc incitamentum referre placet quam paucissimis, decem rationes colendi silentii, quas fusius explicat Turrecremata. Prima, quia vitantur peccata, quæ a loquacitate oriuntur. 2. Vitantur scandala dissentionum, et pericula, in quæ loquaces incurrunt. 3. Quia convenit statui discipulorum, silere, quales sunt religiosi, qui exercetur assidue in schola virtutum. 4. Juvat homines ad perfectionem, in qua Philosophi ipsi requirebant silentium. 5. Operatur ad veritatem Religionis, quæ sine silentii ratione aliqua vana reputatur. 6. Roborat hominem, cum portam obstruit hostibus. 7. Adjuvat pacem societatis, quæ in claustris maxime necessaria est. 8. Præparat ad contemplationem, et collocutionem cum Deo. 9. Conservat fervorem devotionis. 10. Signum est sapientis, et argumentum prudentis viri. Ex his rationibus aliquot exemplificatæ sunt a me ; nonnullæ in fructibus continentur, reliquæ sunt assidua meditatione dignissimæ. STOB. *Ser.* CXXVI, *Lud. Vives in* l. III, c. V, *de Civ. Dei.*

Pythagoras legem dedit suis Discipulis, ut per quinque annos tacerent, sicque loqui adsiscerent, et tu, inquit S. Bernardus, non vis tacere, cui virtus silentii propria est. S. BERN. *de ord. vita.*

Plinius de palatio Trajani Imperatoris loquens sic ait : Magna ante te, magna post te, juxta tamen maxima quies. Tantum ubique silentium, tam altus pudor, ut ad parvos Penates, et Larem angustum, ex domo Principis, modestiæ, et tranquillitatis exempla referantur. *In panegyri Trajani.*

Apollonius Thyaneus, quod tacere nesciret, quinquennale Pythagoræ silentium sibi indixit, servavitque tam exacte, ut Imperatori interroganti, non voce, sed scripto, responderet. NIGRONUS, *in reg.* XXVII, *com.*

Zeno, cum Legatos Antigoni Regis missos

Athenas cum nonnullis Philosophis ad cœnam invitasset, ac cæteri omnes verborum multitudine doctrinam suam ostentarent, solus ipse tacuit. Silentii causam percontantibus Legatis respondit, longe difficilius esse tenere, quam proferre sermonem. Text. *in offic.* l. V, c. xxxvii.

Grues Taurum montem transituræ, ne Aquilarum illic degentium insidias incurrant, et clamore se prodant, lapillo sibi os obturant. Plutarch. *de Solert. animal.*

Hirundines in Oppido Alviano, cum S. Franciscum concionantem, sua garrulitate impedivissent, illo silentium imperante, mox conticuerunt. *Vita* c. xxii.

Alibi, cum plurima ranarum turba religiosæ plebis auribus obstreperent, Sacerdos Dei præcepit ut conticerent, et reverentiam sacræ orationi deferrent, ad quod imperium mox omnes accuratissimum servarunt silentium. S. Ambr. l. III, *de Virg.*

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut Auceps non dimittit Falconem, donec Ardeam videat : Nec venator canem, usque dum feram conspiciat; ita nec oris laxandum est frœnum, verbaque emittenda, donec utilitas appareat. Drex. *in Phaeth.* c. xli, § 4.

Sicut artifex peritus jaculandi statim scopum petit; ita qui artem loquendi, et silendi didicit, non multis verbis utitur, sed pauca ad rem pertinentia loquitur. Plutarc. *in mor.*

Sicut loculos argento plenos, non nisi, cum manifesta necessitas, utilitas, aut charitas id exigit, reseramus; ita nec os, ubi unus ex prædictis titulis non apparet aperire debemus. S. Doroth.

Sicut sine clave aperiri nequit janua occlusa; ita oris nostri ostium numquam aperire poterimus sine clave rationis; si illud servaverimus occlusum, muniti hac clave numquam errabimus. S. Chrys. *in Ps.* cx.

Sicut navigamus, aliquando velis naves explicantes, aliquando anchoris frænantes retinemus; eadem gubernatio ob linguam adhibenda est, ut aliquando silentio reprimamus. Plato apud Mansi, *disc.* X, n. 6.

Necessitas. — Sicut qui thesaurum custodire cupit, ostium claudit; sic qui cupit animam suam custodire, os suum claudere debet. Hinc Sanct. Chrysostomus dixit : Os nostrum perpetuo custodiamus, ei rationem quasi clavem adhibeamus. S. Bernardin. viii, 5, *in die Cin. S. Chris. in Ps.* cxl.

Sicut avis solo pedis ungue illaqueata, licet totum reliquum corpus liberum habeat, nihil ei libertas talis prodest, cum totum adhuc corpus retineatur; ita quamvis Religiosus reliquos omnes astuti serpentis fugiat laqueos, nisi tamen omni diligentia simul custodierit linguam, seducit cor suum; nisi refrænaverit linguam suam, hujus vana est religio. S. Ephrem. *de malig. ling.*

Sicut fornax, cujus os semper apertum est, non potest in se retinere fervorem; sic nec cor devotionis in se poterit gratiam conservare, cujus os non fuerit gratia silentii reclusum. Eamdem hanc similitudinem in alio quodam auctore expressam reperio hisce verbis : Sicut clibani ore obstructo calor intrinsecus confovetur, ita servato silentio gratia Spiritus Sancti in animo conservatur. S. Bern. *S. de Orb. vit.*

Sicut qui vult aliquem audire, a tumultu, et strepitu remotum esse oportet; ita qui Dei inspirationes, et illapsus divinos percipere cupit, colloquia, et conversationem cum hominibus fugere debet. Rodri, q. p. 2, tr. ii, c. v.

Sicut urbs patens, et absque murorum ambitu; ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Prov. xxv, 27.

Sicut qui equum regere cupit, frenum ei circumdare debet; ita qui linguam suam moderari, et a damnis inferendis cohibere desiderat, frœnum silentii adhibeat, oportet. *Anonym.*

Sicut qui calorem hypocausti conservare vult, raro, nec sine necessitate, januam aperit; ita internus animi fervor, non sine oris accurata custodia, silentioque conservatur. S, Bern. *de pass. Dom.* c. xxi.

Utilitas. — Sicut ignis, quando magis in unum colligitur, tanto amplius nutritur, et sursum flammas magis projicit; ita et mens quæ diutius intra se commorata fuerit, ardentius per amoris incendium in se uritur, et per desiderium elevatur in Deum; sed si tunc verba quædam protulerit, tota ignita, sapientiæ, nectare condita, veritatis splendore irridiata, et divinorum laudum suavitate plena erunt. S. Laur. *Justin. de discipl. monast.* c. xv.

Sicut Matris officium est, non solum fœtum concipere, sed etiam alvo retinere, animare, et nutrire, ut in lucem suo tempore perfecte prodeat; ita prudentiæ quoque officium est, non solum imperare sermonem, sed prius eumdem per silentium excoquere. Hinc Salomon ait : Os justi parturiet sapientiam. NIEREMB. *in doctr. ascet.* VIII, l. II, c. L.

Sicut is, qui diversas inter se cogitationes agitat, facile decipitur; attentus vero ad unum, difficillime; ita prefractor silentii dæmonum illusionibus obnoxius est, non item taciturnitatis amator, et sedulus custos. RODR. p. 2, *de petr. tr.* II, c. VI.

Sicut ii, qui canes latrantes, aut alvearia cum silentio transeunt, illesi manent; secus vero, qui cum iisdem altercantur; ita nullum ad se contra mordentium aculeos defendendum efficacius remedium est silentio. Hinc S. David dixit : Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui, et humiliatus sum. DREXE. *in Phaet.* c. LII, § 6.

Sicut, si ager aliquis, hortus, vel pomarium sepe aut muro circumdatum est, adest spes, colligendi fructus non, ita, quando cujusvis transeuntis rapinæ expositum est; hoc idem accidit in custodia linguæ; si refrænetur, si reprimatur discreto decentique silentio, copiose inde sperari possunt virtutum, ac meritorum fructus. MANSI *dis.* I, n. 5.

ÆQUITAS. — Sicut pater familias habens canem, qui dimissus, alios, imo et ipsum dominum, graviter læderet, haud dubie firma catena alligaret, aut cavea concluderet; ita cum sciamus, quanta damna cujusque lingua possessori suo intulerit, et etiam nunc inferat, merito eam intra duas januas oris, et dentium conclusam tenere debemus. *Anonym.*

Sicut Rheda Principis, aut Regis diligenter custoditur, caveturque sedulo, ne aut luto aut alia simili re inficiatur : ita qui firmiter credit, linguam suam esse vehiculum, per quod SS. Christi corpus in ventrem devehitur, merito operam dabit, ne per immoderatas, aut minus honestas locutiones deturpetur. *Anonym.*

MOTIVA.

Necessitas : Ob periculum peccandi (in multiloquio enim non deerit peccatum, teste Salomone) (PROV. X, 19.) aliaque damna incurrendi, qualia sunt devotionis, quietis, temporis, et sæpe etiam famæ jactura; ut enim, si dolium clarum, et multum sonum edat, cum percutitur, arguitur vino carere; ita plerumque vacui virtutibus creduntur, qui garrulitati sunt obnoxii. Hinc S. Bernardus dicens : nemo sibi de Religionis habitu blandiatur, qui adhuc linguam suam non didicit religare; religa tuam linguam, si vis esse Religiosus, quia sine linguæ religatione Religio vana est : Unde Patres sanctissimi Religionum Institutores, et eorum sequaces sapientissime (sicut a spiritu sapientiæ docti fuerant) districte instituerunt observationem silentii, non ignorantes, quia sicut urbs patens, et absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo spiritum suum cohibere. Hinc omnes boni tanto magis student silentium servare, quanto virtutum culturæ viciniores existunt; unde de fratre quodam, qui discere volebat, et quasi in usum reducere linguæ correctionem, legitur, quod per triennium quemdam lapidem portabat in ore; de alio vero, quod triginta annos non fuerat locutus quicquam. S. BER. *de pass.* c. XXVII.

Utilitas multiplex 1. *ad perfectionem assequendam*, de qua sic loquitur Cassianus : Observare igitur in primis, et maxime tu Joannes, cui magis ad custodienda hæc, quæ dicturus sum, ætas adhuc adolescentior suffragatur : ne studium lectionis, ac desiderii tui labor vana elatione cassetur, ut indicas summum ori tuo silentium. Hic est enim primus disciplinæ actualis ingressus, omnis quippe labor hominis in ore ipsius; et ut omnium seniorum instituta, atque sententias intento corde, et quasi muto ore, suscipias, ac diligenter in pectore tuo condens, ad perficienda ea potius, quam ad docenda, festines. (CASS. *col.* 14, c. IX.) 2. *Ad Religionem conservandam* , uti sapienter advertit Gerson dicens : Religionum fundatores considerantes multiplex in linguæ vitio pendere animæ periculum, sanxerunt providentissime pro summo remedio juge pro loco, et tempore suis sequacibus silentium, certas pœnas, in robur sanctionum suarum, contra transgressores adjicientes. Et clarum est experientia docente, quod ubi censura hæc silentii servatur arctius, ibi religio viget laudabilius, et perfectius. 3. *Adorationem fructuosius instituendam*, quam utilitatem S. Basilius sic proponit : Levavit se super se : se elevat supra se, quia Deum esuriens anima a terrenis se rerum obtutibus erigit, et in divinæ contemplationis arce suspendit. Huic conformis est doctrina S. Bernardi : Est fructuosum, inquit, et negotiosum silentium ; tacendo enim apud homines melius loquimur Deo ; multæ enim contemplationes sunt, quibus anima Deo, tacendo mirabiliter pascitur. 4. *Ad dæmonis insidias, et insultus superandos* : Nam, ut Sanct. Climacus advertit, silentium cum prudentia, seu scientia conjunctum, non solum animam ab hostibus defendit, sed hostes nec accedere quidem proprius permittit. 5. *Ad artem loquendi addiscendam ;* id quod Salomon Eccles. c. III. indicavit ; dum non ait : tempus loquendi, et tempus tacendi : sed *tempus tacendi, et tempus loquendi,* quia prius in silentio forma loquendi sumitur, quæ postmodum tempore loquendi in voce teneatur. Hinc et Ezechiel Propheta, antequam prædicationis officium sumeret, revelationum mysteria vidit, et Dominum audivit ad se loquentem verba hæc : *Fili hominis, omnes sermones meos, quos loquor ad te, assume in corde tuo, et auribus tuis audi, et vade, ingredere ad transmigrationem ad filios Israel, et loqueris ad eos, etc.* Propterea quicumque sapientiæ verba utiliter fari desiderat, in silentio prius discat intus, quod postmodum viva voce foris loquatur ; Re quippe vera nullus scit fructuose loqui, qui ignorat prudenter tacere ; taciturnitas namque bene loquendi principium est. HUGO DE S. VICT. c. XVI, *in lit. Monast.*

Brevius hæc utilitas sic proponi potest, quod faciat tum ad devotionem conservandam, et augendam (nam ut S. Laurentius Justianus ait, libenter se infundit Verbum expectanti, et tacenti) tum ad virtutis studium, ac profectum promovendum (nam silentium, et preces maxima virtutum arma sunt, teste Thalassio) tum ad artem loquendi addiscendam (nam, secundum S. Laurentium Justinianum,) regula prima bene loquendi est, ut prius discat quisque tacere, quam loqui, tum ad disciplinam domesticam conservandam ; (*In ligno vitæ cr. de orat.* c. V, *hom.* II, *de Annunt. cent.* I, 67.) (ad quam P. Hieronymus Natalis Societ. Jesu Sacerdos introducendam primarium putabat esse instrumentum,) (*apud Rodr.* p. 2. tr. II, c. VI) tum ad scientias, et sapientiam addiscendam, nam juxta S. Diadochum, silentium est Mater sapientissimorum cogitatuum.

Jucunditas : quia, ut impossibile est, teste B. Magdalena de Pazzis, ut anima religiosa, quæ non delectatur silentio, gustet res Dei, (*Vita cap.* XLIV.) ita nemo aptior est ad divinas consolationes percipiendas, quam silentii custos, juxta illud Jeremiæ : Sedebit solitarius, et tacebit. et levabit supra se. (TREN. III, 18.) Id quod aliqui similitudine linguæ bovinæ probare conantur ; ut enim hæc, quamdiu vivat in ore bovis, hispida, et gustui insuavis est, at ubi excocta, et dulci jusculo condita fuerit, non modicam gustui voluptatem creat ; ita et humana lingua quamdiu mortificata non fuerit, mentem potius ingrata amaritudine, quam suavitate replet, secus vero si per silentium mortificata, et dulci charitatis divinæ brodio fuerit dulcorata.

Æquitas : Ut enim quo plures in aliqua civitate thesauri, aut incolæ præstantes reperiuntur, tanto accuratius portæ custodiuntur ; ita quanto quisque majoribus virtutibus, meritisque est præditus, tanto majorem linguæ custodiam, silentiique studium adhibere debet.

Dignitas : Quia ut lubricitas, et garrulitas linguæ hominem virtutibus inanem arguit ; ita virum perfectum et qui etiam reliquas potentias velut fræno circumducere queat, lingua continens probat, teste Sanct. Jacobo ; (JAC. III, 2.) Nam, teste S. Hieronymo, tanto hujusmodi libido mentes hominum invasit, ut etiam, qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum laqueum diaboli incidant. (S. HIERON. *ad Celan.*) Unde Aristoteles interrogatus a quodam, quis arcanum sermonem retinere posset ? respondit, qui carbonem quoque ignitum lingua retinere potest. Sed et Chion rogatus (sic legitur in Laertio) quid esset difficile ? Arcanum, inquit, reticere ; tanta est linguæ maxime volubilis incontinentia, cum alloqui videatur facilius, quam silere. Quanto ergo difficilior est hæc virtus, tanto etiam præstantior merito censetur.

MEDIA.

Familiaritas cum Deo ; nam qui gaudet alloquio unius Principis, et cum eodem discurrit de negotiis alicujus momenti, vel etiam familiariter cum eo conversatur, is aliis loqui, aut Principis alloquium declinare non audet ; summa enim ea esset inurbanitas. Idem dici potest in casu nostro ; qui Dei lumine præditus est, intelligitque quod orare est tractare cum suprema illa Majestate, quam adorant Dominationes, tremunt Potestates, is ad aliorum se non convertet colloquia. MANSI, *disc.* IV, n. 2.

Christi exemplum ob oculos habere; quod medium Guerricus Abbas, postquam dixerat : Verbum æternum sub silentio se premit : converso ad Religiosos suos sermone, sic proponit : vobis tamen, fratres, istud silentium Verbi loquitur, vobis clamat, vobis utique disciplinam silentii commendat, *In silentio enim, et spe erit fortitudo vestra,* sicut Isaias promittit, qui cultum justitiæ silentium definivit : sicut namque puer ille conceptus in utero, ad maturitatem partus sub alto, et diuturno profecit silentio, sic spiritum hominis disciplina silentii nutrit, format, et roborat, et quanto occultus, tanto tutius, et salubrius incrementum præstat. Nescit homo animalis qui non percipit, quæ sunt spiritus Dei, quæ sit via spiritus, et quomodo compingantur ossa in ventre prægnantis; sed non est occultatum os meum a te, ait Sanctus Deo, quod fecisti mihi in occulto mentis sub secreto silentii. Sed nec a vobis occultatum est hoc mysterium, fratres mei, quorum experientia, et confessio testis mihi est, quomodo quietus, et modestus spiritus sub silentio roboretur, pinguescat, et floreat; quomodo e contrario per verba, velut quamdam paralysin, dissolvatur, et defluat, quomodo marcescat, et aridus decidat. Denique si in silentio fortitudo non esset, Salomon nequaquam dixisset : *Sicut urbs patens, et absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest cohibere spiritum suum.* GUERRIS. t. III, *de Annunt.*

Affectuum moderatio; nam; ut recte Stobæus advertit, continentia linguæ non exigua virtutis pars, rationi subjici, et morigera fieri non potest, nisi quis multo studio, cura, et industria pessimos effectus, qualis ira est, devicerit. STOBÆUS *ser.* XXXIII.

Amicitias particulares devitare, ut quæ sunt magnum obstaculum taciturnitatis; nam hæ, ut recte S. Laurentius Justin. advertit, secum gerunt lethale venenum, et simplicium animas valido perditionis mucrone confodiunt. Semper hujusmodi discurrunt, semper similium consortia quæritant, in angulis, et latibulis silentii tempore, ut plurimum confabulari appetunt. Et post : Hic amor cum in corde imprudentis exortus radices mittere, ac pullulare cœperit, corporalem quærit dilecti præsentiam, cum eodem cohabitaret cum eodem loqui desiderat : sicut autem ex ipsius gaudet aspectu, ita absentia contristatur. Solus vult cum eo, quem sensualiter diligit, loqui etc. S. LAUR. *Just. l. de discip. et pers. mon.* c. XXII.

Orationis studium : Nam, ut bene advertit Rodr. (p. 2, tr. II, c. VI.) sicut silentium est causa sanctæ contemplationis, ita et hæc vicissim est causa silentii, quemadmodum Moyses suo exemplo testatus est, dum dixit : Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris, et tardioris linguæ sum (EXOD. IV, 10) Nec enim, ut S. Laurentius Justinianus ait, potest panem sæculi cupere, qui suavi gustu reficitur Salvatoris.

Examen particulare accuratum : Sic Frater Juniperus integrum sex mensium silentium a se impetravit, dum primo die proposuit non loqui ad honorem æterni Patris, et sic reliquis diebus ad honorem aliarum Personarum, et Sanctorum. (*In ligno vit. tr. de orat.* c. V, *Rodr.* p. 1, tr. VII, c. VII.

Considerare, quod os sit consecratum Deo ad laudes ei dicendas. (ROCR. p. 2, tr. II, c. XII.) Quod remedium suggessit S. Bernardus dicens : Inter sæculares nugæ sunt : in ore Sacerdotis blasphemiæ. Consecrasti os tuum Evangelio, talibus jam aperire illicitum : assuefacere sacrilegum est.

Ponderare frequenter commoda silentii : Nam studiosus silentii appropriat Deo, ipsique jugiter in abdito cordis assistens, illustratur ab eo, ut S. Climacus loquitur. (*Grad.* XI.) Et, ut Joannes de indagine pronuntiavit, per silentium prohibetur animus exire foras, et intus ire compellitur, seipsum bene intueri, considerare, et spiritualibus exercitiis proficere. L. I, *de pers. ord. Carthus.* c. XXIV.

Curiositatem audiendi tollere : Sic Joannes Abbas ex Cytico docuit dicens : Qui continere vult linguam, obstruat aures, ne multa audiat. JO. EVIRAS, *in prat.* c. CLXXXVII.

Radicem garulitatis evellere : Quam recte indicavit Thomas de Kempis, dum ait : Idcirco tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab invicem consolari quærimus et cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare. Et multum libenter de his, quæ multum diligimus, vel cupimus, vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui, et cogitare. L. I, c. X.

ASCETICA.

In primis natura hujus virtutis bene cognoscenda est, quæ non in eo consistit, ut nihil quis loquatur, sed potius ut sciat, quando loquendum sit, et tacendum; uti recte S. Laurentius Justinianus advertit dicens : Silentii virtus hæc est, non semper tacere, sed illa sola, quæ loqui non licet. Hanc namque discretionis regulam multi ignorantes graviter delinquunt. Quidam enim istorum extremo se restringunt silentio, et solam taciturnitatem virtutem esse putant. Tacent ut illa proferent iis, quibus prodesse valerent, et interdum necessaria proximis interrogantibus respondere negligunt. Regium silentii iter patefacit sanctus Propheta, cum dicit in Psalmo *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea;* non ut taceam, inquit, sed ut non delinquam. (S. LAUR. JUST. c. XV, *dæmonas.*) Quæ omnia pulchre confirmans S. Chrysostomus : Non est, inquit, omne silentium pulchrum, sed in solum, quod a mala abducit oratione, quod justi a Deo precibus postulant, quemadmodum ipse quoque David dicens. *Pone, Domine, custodiam ori meo, et portam attentionis circa labia mea*, ostendens autem, se orasse, silentium a dictis nefariis, statim subjunxit : *Ne inclines cor meum in verba malitiæ.* S. CHRYS. *in Ps.* XXXV.

Bene cognoscere debet, quibus potissimum in locis speciatim observari silentium oporteat, nimirum 1. *In templo*; nam Ecclesia est locus Angelorum, locus Archangelorum, regia cœli, cœlum ipsum. Quemadmodum igitur, si cœlum quispiam in angustum redactum illuc inducat, etiam si patrem, etiam si fratrem videas, tamen præ stupore non alloquare, sic neque hic aliud quicquam quam sancta sonare decet. Num, et hic cœlum dubitas? mensam istam vide, cujus gratia constituta sit, et quapropter cogita, quis hic sit progressurus : ante progressum certe horrebis. Juverit hunc impulsum consideratio reverentiæ, silentiique ab Judæis in templo Jerosolymitano servati, quod nostrarum Ecclesiarum figura fuerat. (*Idem ho.* XXXVI, *in* I, *Cor.*) De quo Aristeas : Silentium vero tantum inest, ut, cum septingenti fere ministrorum continenter adsint, et offerentium libamina multitudo ingens; ne unum quidem hominem in loco versari putes. Summa namque veneratione cuncta, et magna Dei pietate, perficiuntur. (ARIS. l. de LXX, *inter.* c. VII.) Hinc merito S. Ambrosius : An quidquam, ait, indignus est, quam oracula divina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur; circumsonari Sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cum Gentiles idolis suis, reverentiam tacendo deferunt? (S. AMBR. l. III, *de virg.*) Certe Cassianus de sui temporis monachis testatur, quod, cum solemnitates, quasi ipsi synaxes vocant, celebraturi conveniunt, tantum a cunctis silentium præbeatur, ut, cum in unum tam numerosa fratrum multitudo conveniat, præter illum, qui consurgens Psalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adesse credatur; ac præcipue cum consummatur oratio, in qua non sputum emittitur, non excretio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta dissutis malis, et hiantibus trahitur. Nulli gemitus, nulla suspiria, etiam astantes impeditura, promuntur : nulla vox præter vocem Sacerdotis precem concludentis auditur. CASS. L. II, c. X.

2. *In Sacristia;* uti Synodus Trevirensis indicavit dicens : Dum Sacerdos Missam celebraturus se preparat, et in sacrario vestibus sacris induitur, summum ibi silentium omnes observent : ne quovis modo, vel causa celebrantis devotio interturbetur, et tremendum illud mysterium summa, qua fieri potest, devotione conficiatur. SYNODUS TREVIR.

3. *In Refectorio*, uti S. Isidorus monuit dicens : Tempore convescentium fratrum omnes disciplinæ gerant silentium, Apostolo obtemperantes, qui dicit : *Cum silentio operantes suum panem manducent.* (S. ISIDOR. *reg.* c. IX. Certe de Essenis Josephus scribit : Velut in sanctum quoddam templum in cœnaculum veniunt, quibus ibi cum silentio residentibus, pistor quidem panes ordine, unum autem vasculum ex uno pulmento singulis coquus apponit. JOSEPH. *de Bello jud.* lib. II, c. VII.

4. *Ante focum, vel fornacem tempore hyemis*; nam, ut S. Bonaventura bene advertit, usitatum est hosti, homines ad prunas seducere; Dominum sprevit Rex Joachim, negavit Petrus. S. BONAV. p. 1, *spec.* p. 4, c. VI.

5. *Inter labores, aut ordinarias occupationes*, de quibus sic loquitur S. Laurentius Justin. In sanctis cogitationibus occupanda mens est, cum corporale fit opus, ut pariter cordis, et corporis gratum Altissimo offeratur holocaustum. Quod si hoc fieri nequit, pronuntietur verbum ædificationis, vel vocalis saltem non deseratur oratio, ut Domi-

nus dupliciter laudetur. Possunt etiam interdum, quamvis raro, cum communia fiunt exercitia, quædam humana, et jocosa proferri verba, pro propria, aut pro fratris sublevanda fragilitate, et deprimenda tristitia. Paucorum enim est rigorem ubique servare silentii. S. Laur. Just. c. xxi, *de discip.*

Scire debet, quod silentium non modo voce, sed etiam strepitu, lædatur, uti recte Camaldulenses notarunt dicentes : Quoniam vero silentium non solum loquendo frangitur, sed etiam, et magis aliquo sonitu, rumore, vel strepitu : ideo inviolabili observatione caveatur, ne umquam horis silentio deputatis aliquid in cella, vel extra cellam monachi, vel conversi in officinis quidquam operentur, quod sonitum aliquem, aut strepitum possit causare. Inde ortum aliqui putant silentiariorum officium, non infimum in palatiis Imperatorum, quorum ministrorum munus erat curare, ne quies Principis, sive dormientis, sive comedentis, sive alia negotia tractantis, ulla ratione turbaretur. Camald. *consist.* c. xlii.

Bene apprehendere debet necessitatem, et utilitatem hujus virtutis. Et necessitas quidem ex eo oritur, quod cum homo ex una parte sit animal sociabile, ideoque vel ipsius naturæ instinctu incitetur ad mutuam confabulationem ; ex altera vero parte ob vitiatam naturam non modice inclinetur ad vanam recreationem ex superfluis, aut vanis colloquiis capiendam, merito admodum cautus esse debeat, ne in ejusmodi vitium a lingua præcipitetur. Ob quam causam Salomon dixit : Omne aurum, et argentum conflandum, frenosque ori rectos faciendos per silentii custodiam ; ut enim nullus equus etiam modestissimus, dum sessorem recipit, sine fræno dimittitur ; ita, quantumcumque quis sibi prudens, et cautus videatur, sempe silentii fræno opus habet. (Nigr. *in reg.* xxvi, *com.* n. 2.) Utilitatem vero cognoscet ex eo maxime, quod silentium merito ab Ascetis reputetur inter præcipua instrumenta tum perfectionis assequendæ, tum disciplinæ publicæ conservandæ, uti patet tum ex exemplo antiquorum Eremitarum, et testimonio Thomæ Kempensi dicentis : Maximi Sanctorum humana consortia, ubi poterant, vitabant, et Deo in secreto vivere eligebant : tum ex Religiosarum Familiarum constitutionibus, quæ omnes præcipua cura præcipiunt, et urgent silentii observationem. L. I, c. ii, § 1.

Pariter cognoscere debet causas potissimas, cur silentium tam strictum semper fuerit requisitum ab omnibus tum sapientiæ, tum perfectionis magistris. Quam quidem geminam assignat S. Basilius. Prior est, ut hac ratione loqui recte discamus, quæ ars ob tot circumstantias ad eam requisitas merito difficillima judicatur. Unde non perinde ut aliæ artes exercitando, sed abstinendo, discitur ; quia, cum homo non sit assuetus tot circumstantiis, quæ ad istam artem requiruntur, sed temere effutire soleat, quæ in mentem, et linguam veniunt, silentium, ut bene observat citatus S. Basilius, duo ad hunc finem commoda præstat, nempe, ut et oblivionem ex desuetudine pariat, et ad ea, quæ recta sunt, discenda otium suppeditet. (S. Basil. *in Reg. funor.*) Hinc recte S. Greg. dixit : Ille loqui veraciter novit, qui prius bene tacere didicerit. Posterior causa est, ut hac ratione solitudini mentis assuescat, et ad majorem cum Deo, et Sanctis familiaritatem disponatur. (*Hom.* ii, *in Ezech.*) Hinc recte pius Asceta : Si te subtraxeris, inquit, a superfluis locutionibus, et otiosis circuitionibus audiendis, invenies tempus sufficiens, et aptum pro bonis meditationibus insistendis. Lib. I, *de imit. Christi* c. xx, § 1.

Scire debet facilem, et efficacem praxim pro hac virtute obtinenda : quæ quidem praxis in duobus præcipue capitibus consistit. 1. Ut post accuratam meditationem, qua commoda silentii observati, et damna violati, bene ponderentur, præmissam, firmissimum fiat decretum non loquendi, nisi cum necessitas, utilitas, et charitas requirit. 2. Ut studeat quisque quotidie in rerum spiritualium usu, et gustu proficere ; per hoc quippe medium radix vitiosæ ad confabulandum inclinationis tollitur, et fit (ut S. Laurentius Justinianus prudenter advertit) ut, dum illo (scilicet Verbi Divini consortio) pascitur, terrenum pabulum non requirat.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo.* (Joan. ii, 15.) potest garrulitatis vitium, in templo maxime committi solitum, exagitari. 1. Itaque dicat concionator, sibi videri nunc denuo contingere, quod tempore Christi contigit, ut magis in templo vendentes, et ementes (vanos scilicet rumores, et fabulas) quam orantes inveniantur ; proinde, cum concionatori præcipue incumbat, honorem Dei, templique reverentiam vindicare; facturum se funiculum, ex tribus offensis, quibus ejusmodi blateratores Deum, proximum, et seipsos offendunt, demonstrantis confecturum, eosdemque e templo ejecturum. 2. Ergo incipiat singulas offensas demonstrare, et in primis quidem ab offensa Dei faciat initium, ostendendo, quod gravem committant *blasphemiam* (uti S. Bernardus testatus est, dicens : Nugæ inter sæculares nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemiæ : quidni etiam in ore garrientis in templo; dum si non verbo, opere certe, quod plus est, Deum reverentia indignum ostendit) *sacrilegium* (juxta eumdem S. Bernardum, dicentem : Consecrasti os tuum Evangelio : talibus aperire illicitum, assuefacere, sacrilegium. Vere enim, et tales tempore ad sacra exercitia deputato abutuntur ad profanas confabulationes) *idololatriam*, dum abominationes pessimas, ut Deus apud Ezechielem quæritur, faciunt, et loco Dei vanitates, quibus delectantur, et de quibus loquuntur, adorant. (c. VIII, v. 7.) Deinde ostendatur, quantopere proximus offendatur, Angeli scilicet præsentes, et summam ex tali irreverentia displicentiam concipientes : Homines pii, quibus summum impedimentum orandi, et dolor ob talem irreverentiam creatur : Parvuli scandalizati, et similia facere discentes, juxta antiquum proverbium : *Wit die Alten sungen, sopfiffeten die Jungen.* Denique etiam demonstret, quantopere seipsum offendat, dum patitur jacturam favoris, et gratiæ divinæ, ut non dignetur Deus sacrificium nostrum aspicere : meriti, et benedictionis, quam Dominus orantibus largiri solet : Famæ, dum ostendit nihil boni sibi inesse, ut S. Chrysostomus egregie probavit, dum ait : Si videro aliquem non amantem orandi studium, nec hujus rei fervida, vehementique cura teneri, continuo mihi palam fit, eum nihil egregiæ dotis in animo possidere.

Ex occasione thematis : *Homo sapiens tacebit usque ad tempus* : (*Eccl.* XX, 7.) explicari potest natura, et praxis silentii, eumque in finem dici, sicut histriones interdum seras ori dexteritate sua, agilitateque affigunt; ita etiam quivis suo ori seram appendere debeat, et quidem talem, quæ ex rotulis varias litteras continentibus constans, nonnisi cum certa verba per conjunctionem litterarum prodeunt, reseratur; verba autem hæc non alia esse debere, quam quæ monachus quidam januæ suæ adscripsit, necessitas, utilitas, charitas, ut ex eorum lectione memineris, numquam ex cella sua egredi; nisi cum una ex his causis ipsum impullerit. Ostendatur ergo 1. quomodo necessitas locutionem exigat, nempe quando Deus benedicendus, peccata confitenda, nostræ necessitates explicandæ etc, 2. Quando utilitas locutionem suadeat, nempe quando augmentum gloriæ divinæ, aut nostræ, vel alienæ salutis promotio notabilis speratur, aut officii nostri ratio, vel etiam rei familiaris incrementum, commercium cum aliis requirit. 3. Quando charitas ad silentium non observandum nos impellat, nempe quando instruere, corrigere, solari, adhortari, aut corrigere proximum ex charitatis fraternæ officio debemus, quæ omnia facile particularibus casibus, aut exemplis fusius probari possunt.

Ex occasione thematis : *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei :* (THOM. III, 26.) possunt ostendi, et explicari commoda silentii per aptitudinem ad finem triplicem viæ purgativæ, illuminativæ, et unitivæ, facile, perfecteque obtinendum. Et 1. quidem ostendatur : quam multa peccata vitentur per silentium, cum pleraque peccata a nobis in conversatione cum hominibus committi soleant : Quantum deinde etiam frænum injiciatur inordinatis passionibus per silentium, ut quæ non modice per mutua colloquia irritantur, id quod per passionem amoris, odii, gaudii, tristitiæ, iræ etc. demonstrari potest. 2. Quantopere conducat ad viam illuminativam, dum juxta SS. Patres inter præcipua instrumenta ad virtutes comparandas numeretur, id quod per virtutes humilitatis, modestiæ, castitatis, et similes confirmetur. 3. Quam specialiter conducat ad unionem cum Deo, et familiaritatem per exercitia spiritualia procurandam, cum silentium sit mater orationis, et optimum medium ad hoc, ut homo se super se elevet, sicut supra ex S. Scriptura et SS. Patribus ostensum est.

Ex occasione thematis : *Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter est egestas :* (PROV. XIV, 21.) ostendantur damna silentii violati per varias egestates, quas garruli incurrunt. Nam 1. pati coguntur egestatem *famæ;* quia vix unquam homines judicant, eum egregias dotes possidere, quem garrulitati vident obnoxium; sciunt quippe, vasa, quo magis inania sunt, tanto sonantia magis esse. 2. Egestatem etiam *virtutum* patiuntur : quia verum est Salomonis effatum : Vidisti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est, quam illius correptio, et profectus in virtutibus. 3. Egestatem pariter *cœlestium consolationum* incurrunt : quia Spiritus Sanctus auctor earum consolationum cor quietum, et humile, ac tremens sermones Dei quærit. Hinc, et Christus orbem suo adventu consolaturus, sub noctis silentium continerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens de cœlo a regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminii terram prosilivit. SAP. XVIII, 14.

Ex occasione thematis : *In multiloquio non deerit peccatum* : demonstretur, quam multis malis, et peccatis obnoxii sint silentii violatores. Nam 1. committunt plerumque peccatum *Vaniloquii*, de quo Christus dixit : Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. (MATTH. XII, 30). 2. Peccatum *Murmurationis* contra Deum et homines : cum, teste Thoma Kempensi, de iis plerumque libenter loquamur, quæ nobis adversaria sentimus, et per mutuas locutiones ab invicem consolari quærimus. (L. I, c. X, § 1.) 3. Peccatum *Detractionis :* cum experientia probet, nullos magis huic vitio obnoxios esse, quam garrulos : nec ullam colloquiis materiam aptiorem plerumque videri, quam alienos defectus, et vitia. 4. Peccatum *Levitatis :* cum ejusmodi homines communiter leves sint in moribus, atque adeo ex abundantia cordis os loquatur. 5. Peccatum *Jactantiæ*, quo nihil est usitatius in colloquiis, maxime apud eos, qui in humilitate non sunt fundati. Ab his autem omnibus et pluribus peccatis aliis, cum præclare silentium defendat, juxta Salomonem dicentem : Qui custodit os suum, custodit, animam suam : qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiat mala, id est, peccata ; an non hoc solo titulo silentium singulari cura observandum erit? PROV. XII, 3.

Ex occasione thematis : *Tempus tacendi, tempus loquendi* : (*Eccl.* III, 7.) ostendi potest, quibus potissimum temporibus tacendum sit. Nimirum 1. in *templo :* Hic quippe memorem esse oportet templi Salomonici, cum summo silentio ædificati, ita ut malleus, securis, et omne ferramentum non sint audita. (III. *Reg.* VI, 7.) Item Christi vendentes, et ementes templo ejicentis : et tandem saluberrimæ adhortationis a S. Bernardo factæ : Parce Dei gloriæ, et parce alienæ conscientiæ, parce saluti propriæ etc. 2. Tempore, quo peccator consistit adversus nos, juxta exemplum Davidis : Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. (*Ps.* XVIII, 2.) sic enim ventus contradictionis altera janua, id est, ore, clausa, facilius quiescet. Consistit autem peccator adversum nos, quando in consortio impudica loquentium, detractorum, aut convitiantium, litantiumve versamur. 3. Quando Deus adversitatem immittit : Tunc enim iterum exemplum S. Davidis ob oculos habendum est, de seipso dicentis : Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti. (*Ib.* 10.) Si enim dum principes, dum medici aliquid circa nos statuunt, mox acquiescimus, et silemus, quanto magis, si sapientissimus, et nostri amantissimus Deus aliquid de nobis disponat, cum silentio acquiescendum erit? Certe Mariam Diazam quoniam de frigore querentem his solis verbis compescuit Christus : Ego hoc frigus feci, et tu quereris?

Ex occasione thematis : *Qui custodit os suum, custodit animam suam :* (*Prov.* XIII, 3.) comparari potest silentium janitori, diligentem custodiam oris velut januæ habenti : sicut ergo honoratiores domus plerumque januas domus clausas habent, aut certe janitorem apponunt ostio ; ita et viri perfectionis studiosi silentium velut sedulum janitorem ori suo adjungunt, præcipue tamen ob tres causas. 1. Ne exeat devotionis fervor, et tepor in orationis studio succedat ; constat, quippe nulla re magis, quam frequentibus colloquiis devotionis spiritum imminui. 2. Ne exeat virtus, et vitia subintrent ; in multiloquio enim non deerit peccatum, et qui multis utitur verbis, lædit animam suam. Hinc nonnemo recte dixit : Quoties inter homines fui, minor homo redii. (L. I, VIII, § 2.) 3. Ne exeat fama, et infamia subintret, nam, ut recte Thomas de Kempis advertit ; sæpe accidit, ut persona ignota ex bona fama lucescat, cujus tamen præsentia, et collocutio oculos intuentium, et colloquentium, audientiumque obfuscat.

ALII CONCEPTUS.

Qualitas. — Observastisne in Canticis labia sponsæ assimilari vittæ : Sicut vitta coccinea labia tua. Richardus de S. Victore exponit Mysterium : Labia sponsæ, inquit, vittæ comparantur : quia sicut vitta constringit crines, ne dissolute diffluant : ita devota anima labia sua ligat, et cohibet, ne mala, vel inutilia loquantur. Verum advertendum, sponsum non dixisse dumtaxat : *sicut vitta,* sed adjunxisse, *coccinea,* alludendo ad charitatem, quæ exprimitur colore rubeo, quo voluit nobis simul indicare, quod silentium alicujus animæ perfectæ, virtuteque præditæ procedere debeat ex motivo charitatis, non ex quadam causa politica : debeat habere pro objecto amorem Dei, et proximi, ad hoc ut sit actus virtutis, et meriti : ac propterea addit idem Richardus : Quæ vitta coccinea dicitur, quia per coccinum charitas intelligitur, quo labia hæc ligantur. (Richard de S. Vict., *th.* c. iv. *Cant.*) Huic nostro proposito inservit quoque textus ille Apostoli ad Thessalonicenses : *Iis autem qui ejusmodi sunt, denunciamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent.* In Greco textu, loco dictionis hujus, *silentio,* legitur : *Cum quiete operantes, suum ipsorum panem edant.* Ex quo colligitur relatio, quæ est inter silentium, et pacem, et quietem.

Stobæi verba sunt : Aut dic aliquid silentio melius, aut sile. (Stob,, *s.* xxxiv.) Pythagoras dicere solebat : Aut oportet silere, aut afferre meliora silentio. Aut silentium tempestivum, aut orationem utilem habeat.

Dion Philosophus dicere solebat, naturam probe egisse, quæ geminas aures, et linguam unicam nobis fabricavit : ut ad audiendum essemus, quam ad loquendum, promptiores. Mansi, d. ix, n. 51.

Necessitas. — Dixit quidam expertus : Quidquid boni tacendo colligo, hoc fere totum loquendo cum hominibus dispergo. Docet experientia, quod in domibus Religiosorum, in quibus regularis viget observantia, silentium excitet spiritum devotionis, virtutis, perfectionis, et edificationis; adeo ut quia nullus ibi strepitus, sed magna quies, et mentis recollectio advertitur, de iisdem verificari possit : *Vere Dominus est in loco isto, non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli. Id.*, n. 6.

Consilium, quod D. Chrysostomus hac in materia valde utili, et necessaria posteritati consecravit, fuit illud : Magis quam pupillam oculi, linguam tuam custodias. Ecquis ignorat, oculi pupillam obfuscari, et obtenebrari quocumque etiam minuto pulveris atomo? Ad eumdem modum, inquit, et infert S. Doctor : Puritas animæ, et conscientia nostra unico solo verbo malitioso, aut malitiose prolato, maculari potest. Ad hæc notetur dictio illa : *Magis,* etenim si obscuretur oculi pupilla, deperditur lux corporalis : at si obtenebretur lux animæ, nempe gratia, amittitur æterna salus; Ecce quantus ignis quam magnam sylvam incendit. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata a gehenna, ait S. Jacobus. S. Chrys. *h.* lii *in Matth.*

Portatis, fratres mei, vobiscum, portatis clavem cellulæ, portate, et clavem linguæ : Opponitis pessulum ostio, adhibete retinacula salubriter ori vestro. S. Petrus Dam., *ser.* lxxiv.

Æquitas. — Anima nostra superni Regis est sponsa, cui, accepto pignore Sancti Spiritus, signaculo fidei est desponsata. Maneat ergo in suis penetralibus virgo, non indecenter in publicum prodeat, non per oris limen egressa in supervacua se verba, ac sæcularia effundat, ne, si deviare eam sponsus a modesta suæ pudicitiæ gravitate conspexerit, quandoque objurgans dicat : *Si ignoras te, O pulchra inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum.* In cubiculo igitur suo, virginali more, resideat, oris ostium clausum teneat, et numquam, nisi quæ ad expectandum pertinent Sponsi cœlestis adventum, locutura procedat, sub umbra silentii se reprimat. *Idem.*

Utilitas. — Quando Zacharias ab Angelo felix illud, faustumque recepit Evangelium, de nativitate Joannis Baptistæ, silentium simul eidem intimatum fuit : *Et ecce eris tacens, et non poteris loqui.* Et cur in summo gaudiorum apice bonus, et sanctus hic senex affligitur, privatur usu loquelæ, ac mutus efficitur? omnia in figura contingebant illis : Partus in lucem edendus qualis erat? *Vocabis nomen ejus Joannem,* quod interpretatur Gratia, idest ad hanc assequendam optima dispositio silentium est. De quo S. Antoninus discurrit in hunc modum : Gratiam positive gignit, in cujus figuram Zacharias tacens, Joannem, qui interpretatur *Gratia,* genuit. Mansi, d. i, n. 1.

Multa jurgia cessare facit, qui tacet. Cuo conformiter proposito Drexelius facetam refert historiam : Mulier quædam confessario suo dolenter exponebat multa jurgia, et rixas, quas cum marito suo frequenter habebat, eo quod hic domum rediret semper ebrius, et quotiescumque ab ipsa reprehenderetur, toties ille majori accensus ira pessime ipsam tractaret. Confessarius tales excipiens querelas, pro remedio suggessit mulieri, ut aquam videlicet ex certo quodam fonte haustam tamdiu in ore teneret, donec maritus, ebrius domum rediturus, obdormivisset. Obedivit illa; cumque aliquot vicibus eo remedio usa fuisset, bonum cessantis litis effectum, quem inde experiebatur, acceptum referebat virtuti talis aquæ, non reflectens se ad silentium, a quo procedebat. Quam opportune, et apposite ei dici poterat : *Qui dimittit aquam caput est jurgiorum. Id.*, d. II, n. 6.

Notanda sunt vera illa Jer. Proph. c. VIII. *Ingrediamur civitatem munitam; et sileamus ibi :* quæ comparatio inter silentium, et civitatem munitam? si dixisset : dormiamus sine periculo, sine timore vivamus, transire posset; at sileamus, cum quo hoc concordat? In sensu mystico si intelligamus verba Prophetæ, alludit ad animam, quæ bene custodiat linguam; quamdiu hæc taciturna est, non est quod vereatur insidias, aut assultus antiqui adversarii, secura vivit, ac si munitam inhabitaret arcem. Celebre est illud Agathonis Abbatis exemplum in vitis Patrum. Tribus annis ille gestavit in ore lapillum, ut silentii, et custodiæ linguæ acquireret habitum; quæro, cur in hunc effectum elegerit sibi lapidem potius, quam lignum, vitrum aut ferrum aliquod, vel plumbum, aut aliud quid simile? omnino mihi imaginor, et credo, eum alludere voluisse ad mysterium muri reprimentis hostis assultus, puta ad taciturnitatem, et silentium : quis ignorat, murum ædificari ex lapidibus? ergo si murus est, videlicet silentium, ædificimus, in se ipso sanctus ille senex dicere poterat. *Id.*, d. VII, n. 4.

DIGNITAS. — Nihil tam cognatum sapientiæ, quam locis, et temporibus aptare sermones, personarum, quæ aderunt, æstimatione in medium vocata. MACROBIUS *in Satur.*

JUCUNDITAS. — Quidam frater interrogavit senem, usquequo servandum est silentium? Resp. senex : Usquequo interrogeris; in omni enim loco, si taciturnus fueris, requiem possidebis. *Vita PP. in* l. VII, XXXII.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Seneca salubriter monet : Summa ergo summarum hæc est, tardiloquum te esse jubeo. *Epist.* XL.

Aut dic aliquid melius silentio, aut sile.

Expers periculi est præmium silentii.

Dicebat olim Vetus Iambus.

Xenocrates, cum maledico sermoni interesset, quæsitus cur aliis loquentibus ipse taceret? Resp. Quia dixisse me pœnituit aliquando, tacuisse numquam. VAL. MAX., l. VII.

Cleantes rogatus, an non jucundum esset confabulari cum amicis? cur ergo ipse assiduo taceret? Resp. Jucundum quidem, sed quo jucundius est, eo magis oportet in hoc amicis concedere. STOBÆUS, *s. de tacit.*

Socrates admonebat discipulos suos, ut tria præcipue semper observarent, in animo prudentiam, in vultu verecundiam, in lingua silentium. MAX., *s.* XII.

Aut silentium tempestivum, aut orationem utilem habeas. Verba silentio, silentium tempestivitate claudas. STOBÆUS, *s.*

Cato adhuc puer, cum silentii causa carperetur : carpant, respondit, taciturnitatem, modo vitam probent. Et addidit : Tum demum abrumpam hoc meum silentium, cum ea loqui potero, quæ sunt indigna silentio. PLUTARCH. *ap. Lang. in Polia.*

Epictetus in omni negotio nihil adeo prospiciendum dicebat, quam ut tutum, securumque sit, quod agitur. Est autem tutius, inquiebat, tacere, quam loqui. *In Ench.*

Cum Careo loquaculus ab Isocrate oratore instrui cuperet : faciam, is inquit, sed duplicem a te mercedem postulo, unam, ut loqui; alteram, ut tacere, te doceam. STOBÆUS.

Dæmon, qui omnes carnes Jobi consumpsit, integra tamen labia reliquit, ut pronam peccandi occasionem relinqueret. Hinc ipse Job dixit : Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes. Cap. XIX, 20.

Pythagoricum olim ænigma erat : hirundinem in domum non suscipiendam, id est, garrulos, et verbosos sub eodem tecto non habendos, ut S. Hieronymus interpretatur. *In apol. ad v. Rus.*

Quod ostreis cancer facit, dum incaute se aperientibus lapillum injicit, ut claudere se non possint; hoc diabolus loquacibus facit, dum scilicet per violationem silentii garrulitati assuescere eos facit, sicque efficit, ne deinceps os claudere amplius possint. PLUTARCH.

Nihil æque proderit, quam quiescere, et cum aliis minimum loqui, plurimum secum. SENECA. *Ep.* CIII.

Ænea turris omnibus silentium est :

Silentium rebus gerendis omnia est :
Utilior haud est ulla res silentio.

David tam multa arcana in secreta mansione cognovisse dicitur, quia amicum Chusi, qui idem, ac silentium significat, habuerat.

Secundum Thalassium, silentium, et preces maxima virtutum arma sunt, mentem enim simul purificant, ac perspicaciorem reddunt. (*Hom.* II, *de Annu. hom.* CII.) Juxta S. Gregorium Nazianzenum continentiæ, et castitatis est mater silentium.

Recte cecinit nonnemo Poeta :

Nobile lingua bonum, si fari in tempore novit :
Nobile lingua malum, si fari in tempore nescit.
BARBONIUS.

Augustus Imperator ita filiam, et neptes instituit, ut nihil agerent, nihilque loquerentur, quod non in diurnos commentarios referri posset. SUETONIUS, *ap. Drex. in Phaetont*, c. XLI, § 4.

Omnis institutionis ratio, inquit Simplicius, eo refertur, ut et a rebus externis, et a brutis suis affectionibus, et à corpore ad seipsum animus avocetur, ut suo modo, eodemque perpetuo tenore vivat. Quam ad rem silentium plurimum confert. Ut enim sensus animum ipsos auscultantem ad exteriora effundit, cujus effusionis remedium est silentium. *Enchir. Epict.*

Tyrannus quidam Tryzus, ut occasiones conjurationum præcideret, vetuit lege, ne incolarum quisquam alteri, vel publice, vel privatim loqueretur. Igitur incolæ nutibus, et vultu animi sensa mutuo insinuabant. Sed, et illud Rex ubi intellexit, cavit alia lege. Tum quidam, tyrannide nimia offensus acrius in forum progressus est; Ibi stans fervide lacrymatus est : quem multitudo confluens secuta, in fletum publicum erupit. Quo intellecto, Tyrannus festinaturus, ut etiam id prohiberet, cum suis stipatoribus armatis advolaret ad sedandas lacrymas; cives a longe illo viso, eripientes arma militibus, Tyrannum interfecerunt. ÆLIANUS, l. XIV, XXII.

UTILITAS. — Papyrius prætextatus, patris in Senatum comes, a matre ad prodenda consilia solicitatus, dixit : consultum in senatu esse, utrum videretur utilius reipublicæ, unusne vir duas uxores, an una duos viros habeat. Quo audito mater cum aliis matronis Romanis cum ad curiam lacrymabunda venisset, fides Papyrii ita enituit, ut ei soli liceret curiam intrare. GELLIUS, l. I, c. XXIII.

DIGNITAS. — Magna sapientia est tempestivum silentium, et omni certe sermone longe præstantius. PLUT. *in opusc.*

Recte dixit Salomon : Stultus quoque si tacuerit sapiens reputabitur, et cum compresserit labia sua intelligens. (*Prov.* XVII, 28.) Hinc Alciatus quoque sic cecinit.

Cum tacet, haud quidquam differt sapientibus [amens.
Stultitia est index, lignaque, voxque suæ.
Ergo premet labia, digitoque silentia signet,
Et sese Pharium vertat in Harpocratrem.

Quidam a Pythagora quærens, quomodo inter sapientes discipulos computari posset? hoc ab eo responsum audivit : Serva silentium, donec necessarium tibi sit loqui. Si nihil dixeris, nisi quod bene scieris; si gesseris optima, et locutus fueris pauca. PYTHAG. *in suis præc.*

NECESSITAS. — Vetus antiquorum effatum erat : Non ulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. CATO, l. II, *dist*, XII.

Hypocaustum calidum sine ostio, vas vinarium sine operculo, lingua sine silentio : nec illud calorem, nec istud odorem, neque hæc animi fervorem conservabit. DREX., *in Ros.*, p. 1, c. III, § 6.

Abbas Sisoy dicebat : Crede, quia ecce triginta annos habeo, quod non deprecor Deum propter peccatum, sed orans hoc dico : Domine, protege me a lingua mea. Et usque nunc per singulos dies corruo per ipsam, et delinquo. *Vitæ PP.*, l. V, *libelli* IV, n. 59.

Dicente quodam Fratre : Desidero custodire cor meum : respondit Abbas Sisoy : Et quomodo possumus custodire cor nostrum, si lingua nostra januam apertam habeat? *Ibid.*, l. XI, n. 27.

Jucunditas. — Angeronam silentii Deam ore obsignato repræsentarunt prisci, et in templo Volupiæ, quæ delectationis, et gaudii Dea fuerat, collocarunt, ut tacite, significarent, eum, qui silere nosset, ingenti delectatione, ac voluptate profusum iri. Macrob., l. I. *Satur.*

AXIOMATA.

Vetus Germanorum proverbium est: Duorum sapientior tacebit prius. Drex. *in Phaet.*, c. LXII, § 6.

Lædi, et silere, summa fortitudinis est. *Idem in Rosis*, p. 1.

Alium silere cum voles, prius sile. Seneca *in Hypolit.*

AUCTORES.

Alphonsus Rodrigu. de perfectione, p. 4, tr. 2, c. 4 et 5.

Nicolaus Lancizius opusc. 5, num. 46, et opusc. 9, c. 6, n. 135.

Julius Nigronus in reg. 26, communium Soc. Jesu.

Jeremias Drexelius in Rosis, p. I, c. III.

B. Alb. Magnus in Paradiso animæ, c. XXXI.

Eusebius Nieremberg, in doctrina Ascetica 8, c. I et II.

Jacobus Alvarez, t. II, l. III, c. IX, § 13.

Josephus Mansi Bibl. mor. tr. 88.

TEMPLUM.

Definitio. — *Est locus sanctis operibus destinatus, scilicet orationum frequentationi, lectionum recitationi, divinæ laudis dedicationi: et veri sacrificii oblationi.* (S. Bonav. *ser.* I, *de ded. Eccl.*) Quod confirmans S. Bernardus: quis, inquit, Ecclesiæ parietes sanctos dicere vereatur, quos manus sacratæ Pontificum tantis sanctificavere mysteriis? Ex tunc quoque, et deinceps inibi lectionum resultare frequentia, sanctarum orationum devota murmurare susurria, sanctarum reliquiarum honorari beata præsentia, sanctorum spirituum indefessa noscitur custodia vigilare. S. Bern. *ap. Mansi*, tr. XX, d. II, n. 1.

S. Carolus Borromæus finem Templorum fusius declarans sic loquitur: Quod si homines in actionibus, et negotiis mundanis non casualiter, aut modo fortuito agunt, sed per judicium, et prudentiam se gubernantes, optime id, quod faciunt, considerant: sicut et finem, ob quem ita faciunt, ut eam operi faciendo adhibeant diligentiam, et industriam, quam operis qualitas, et momentum requirit; quanto est rationabilius, quod, quando ad Ecclesias et stationes, et indulgentias (tantæ nimirum considerationis negotia) contenditis, bene consideretis, quid facturi sitis, aut quo fine illud facere debeatis? Ecclesiæ eo præcipue fine visitantur, frequentanturque Domini nostri, et sanctorum solemnitates, ut mysteria illarum solemnitatum colantur, et venerentur reliquiæ, ad participandam earum virtutem, et efficaciam, ut per illas ad sanctorum excitemur exempla, ut dies illi sanctificentur, ut Sanctis illis mediantibus peccatorum veniam, aliasque a Deo gratias, obtineamus. Item Ecclesiæ eo fine frequentantur, ut venerando, et tremendo altaris sacrificio præsentes adsimus; ut fructum mortis, et passionis Christi participemus; ut psalmodiam, et hymnos ad divinæ Majestatis laudem, et gloriam decantatos auscultemus; Ad Ecclesiam ideo accedetis, ut orationes vestras simul cum precibus totius Ecclesiæ Catholicæ a sacerdotibus oblatis conjunctas divino conspectui præsentetis; Ideo eo contenditis, ut sanctorum intercessiones pro vobis procuretis; ut pro peccatis vestris misericordiam, a tribulationibus, et ærumnis mundi hujus liberationem, in necessitatibus vestris divini auxilii subsidium, contra tentationes victoriam, et pro virtutibus acquirendis gratiam postuletis. Qua igitur ratione possibile erit, quod ad fines hosce prædictos Ecclesiam adeuntes, nullam prorsus detis operam, ut in ea reverenter, devote, silenter, in vobis metipsis recollecti, et ad omnia, quæ in illis fiunt, aut dicuntur, prompti, et parati, divinis officiis assistatis, et sequamini præceptum Sapientis, qui dicit: *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei;* refrænando videlicet omnes tuos affectus, cavendoque, ne quidquam loquaris, aut committas, quod loci illius sanctitati repugnet. Carolus *in act. med.*, p. 2, f. 10.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domiomnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus. *Ps*. XXVI.

Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum. *Ps*. XCII.

Domus mea, domus orationis vocabitur. MATTH. XXI.

Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam. *Ps*. V.

Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ; ubi habitans glorificaris, inquit interlinearis, ut non sibi, sed tibi detur gloria, et ideo non simpliciter habitationis, sed ubi habitat gloria, dicitur. *Ps*. XXV.

Dominus in templo sancto suo; sileat a facie ejus omnis terra. HABACUC., l. II.

Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. *Ps*. V.

Introibo domum tuam, in holocaustis reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. *Ps*. VI.

Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. *Ps*. CXXXI.

Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam, pavensque, quam terribilis est, inquit, locus iste! Non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli. *Gen*., c. XXVIII.

Ne appropinquas huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est. *Exod*., c. V.

UTILITAS. — Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum. *Ps*. XIV.

Si deprecati te fuerint in loco isto, dimitte peccata servis tuis, et doce eos viam bonam, per quam ingrediantur. II. *Par*. VI.

Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. *Ps*. XLIX.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum : concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini : Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum : Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus, et Deus meus : Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. *Ps*. LXXXIII.

JUCUNDITAS. — Adducam eos in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ, holocausta eorum, et victimæ, eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. ISAIÆ, c. LVI.

Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? et quis est locus quietis meæ *Ib*., c. LXVI.

Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Ps*. XLII.

IRREVERENTIA. — Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? JEREM. c. II.

Incenderunt igni sanctuarium tuum, polluerunt tabernaculum nominis tui. *Ps*. LXXIII.

Respexistis ad amplius, et factum est minus et intulistis in domum, et exsufflavi illud; quam ob causam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, et vos festinastis unusquisque in domum suam. *Agg*., c. I.

EX SS. PATR., ET DOCT.

QUALITAS. — Hinc, et illud quoque accidet, ut omnium pene mentibus insitum sit, naturaliterque persuasum, quæ Deo semel dedicata sunt, ea neque prophanari, neque ulla hominum insolentia, divina obnitente, posse attingi; quo enim pacto fieri queat, ut ea polluantur, quæ suapte natura semper sunt munda, cæteraque emundant omnia? *Conc. Eph*., l. V, c. XXI.

Maxima reverentia exhiberi debebat in loco, ubi talis manifestatio Dei in signo fiebat, et sic nos, cum in omnibus locis deputatis ad cultum Dei, eum colamus, nullus tamen est locus, in quo magis eum in reverentia magna habere debeamus, quam ubi est sacratissimum Corpus Redemptoris, cum nihil sit, in quo manifestior Dei præsentia appareat. ABULENS. *in* c. XXXIV, *ex*.

Quippe si orationis domus est, id tibi oportet agere quod vocatur, id est, orare, psallere, peccata confiteri, amaris oculorum lacrymis, et mentis gemitibus peccata abluere, et fiducialiter veniam de commissis culpis implorare; est quippe ibi specialiter respectus divinus. Assistunt ibi Angelici ordines pro populo deprecantes, qui preces nostras ad aures proferunt Domini Sabaoth. MANSI, d. III, c. III.

Omnes ad orandum in eumdem locum convenite, sit una communis precatio, una spes in charitate, et fides inculpata in Christum Jesum, quo nihil præstantius est, omnes velut unusquispiam ad templum Dei convenire, velut ad unum altare, ad unum Jesum Christum Sacerdotem. S. IGN. M. *in ep. ad Magn*.

Non autem in hoc solum divini timoris

officium est ad domum Dei corporaliter convenire, et visibiliter genuflectere : sed animam supplicationis affectu, impetrationis fructu dignam facere, et ad exorandum fide, et operibus præparare. S. Euch. *ho. oportet semper orare.*

Filiationem vestram, charissimi, commonemus, ut convenientes ad sacratissimum Dei templum, id diligenter pertractare studeatis, ad quod venistis; si enim veraciter creditis, templum Dei esse illud, ad quod convenitis, id proculdubio inibi operari debetis, quod ei placeat, cujus templum est, ad quod convenitis. Cum enim ubique Deus sit, in suo tamen templo specialiter debet requiri, et quantum ipse inspirare dignatus fuerit, inibi quod ei placet, debet expeti. *Concil. quoddam ap. Mansi,* tr. XX, d. IV, n. 9.

Nolens aliquid in domo sua terrenæ negotiationis, ne ejus quidem, quæ honesta putarerut, exhiberi, dispulit neotiatores; Quid ergo, fratres mei putamus, faceret Dominus, si rixis dissidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere reperiret irretitos, qui hostias, quæ sibi immolarentur, ementes in templo vidit, et eliminare festinavit? V. Beda, *in cap.* II, *Joan.*

Quid facis homo? mulieris speciem curiosus in Ecclesia perscrutaris, nec horrescis, tanta templum Dei afficiens contumelia? Postribulumne tibi videtur Ecclesia, et foro ignobilior? Nam in foro erubescis, etiam times, ne quis te videat mulierem sectari; in Ecclesia vero Dei, cum ipse Deus te alloquatur, et ab istis deterreat, eo ipso tempore maxime fornicationi, et adulterio vacas, quo tibi magna voce intonatur, ut ab his fugias, nec horrescis, nec stupes. S. Chrys. *hom.* LXXIV, *in Matth.*

Adombrat locus iste (*facies et labrum æneum*) examen, quod quisque facere tenetur, cum ingreditur domum Dei, ut non nisi lotus ingrediatur : sed timendum valde est, ut Augustinus notavit, ne maculas a corpore extergas, et laves, non autem a mente. Mirum valde est, quod non audens illotis manibus, aut ore Ecclesiam intrare, audeas vero illota mente, et plenus perjuriis, et adulteriis, et id genus aliis peccatis, Ecclesiam introire. Si macula in corpore, aut in veste apparet, non audes intrare; si vero sordida mens, et conscientia, nihil times. Specula mandat Dominus poni juxta fontem aquæ : specula vero tua, mandata sunt Dei; *Tunc,* ait Justus, *non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* Oleaster, c. XXX, *ex.*

Restituat Dominus fidelibus suis tam pie, tam hilariter, tam devote ista operantibus, ut eos quoque ipso in suæ fabricæ constructione componat; quo currunt lapides vivi, fide formati, spe solidati, charitate compacti ; ubi sapiens ille Architectus Apostolus fundamentum posuit Christum Jesum; fundamenta ergo in cordibus vestris Apostolica, et Prophetica monita jacite; humilitatem sicut pavimentum sine offensione prosternite; salutarem in corde vestro doctrinam orationibus, ac sermonibus tanquam firmis parietibus communite; divinis eos testimoniis tamquam luminaribus illustrate; infirmos sicut columnæ sufferte; inopes sicut testo protegite, ut vos Dominus in æternum perfectos, dedicatosque possideat. S. Aug. *s. de dedic. Eccl.*

Terribilis plane locus, et dignus omni reverentia, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli sancti frequentant, quem sua quoque præsentia Dominus ipse dignatur. S. Bern. *ap. Eng. Dom.* IX, *post Pent.*

Est locus Angelorum, locus Archangelorum, regia cœli, cœlum ipsum : Quemadmodum igitur si cœlum quispiam in angustum redactum illuc inducat : etiamsi patrem, etiamsi fratrem videas, tamen præ stupore non alloquaris : sic neque hic aliud quidquam quam sancta sonare debent. (*Ibid.*) Idem S. Nilus inculcat, ut templum aditurus, se cœlum ingredi cogitet : Ecclesiam, inquit, non secus, ac cœlum frequenta, nihilque in ea aut loquere, aut age, quod terram sapiat.

Templum Dei fidelis quisque est. Greg. *super Etec. Hom.* XI,

Templum Dei est conscientia. *Ibid. super Ev. ho.* XVII.

Templi decor est pia habitantium religiositas. Bern.

Templum Dei facit is, cujus non est deprecatio, voluntas perversa, inquinata memoria. *Idem in Ded. Eccl. s.* II.

Utilitas. — Inter sævientes, turbidosque aerearum potestatum, ac spiritualium nequitiarum insultus, inter crebra periclitantis mundi discrimina, summus Architector Jesus domum struxit, æternis basibus stabilitam, quæ euntibus in ipsam esset in domum refugii, in asylum protectionis tutissimum. Gerson. *Dom.* X, *post Pent.*

Crux, et Crucifixus nonne loquuntur, ut pœnitentiam agamus? cum talem ipsum Christum ante oculos statuant, quo nullus unquam acerbius doluit, non pro suorum, sed pro nostrorum satisfactione peccatorum. Sanctorum rursus, sanctarumque imagines idem suadent, ingerentes memoriæ nostræ quod per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Denique tumbarum sculpturæ magnis nos vocibus, et lamentis in pœnitentiam provocare non cessant, ingerentes quid illæ sunt, quid fuerunt, quid nobis meruerunt, quid exigunt ut suum, quorum corpora incinerata tegit tellus. *Idem de vit. cleric.*

Habes Ecclesiam, sacrificium, quod proficitur, habes Patrum orationes, habes Spiritus Sancti domum. Martyrum memorias, et Sanctorum congregationem, multaque alia, quæ sunt hujusmodi, quæque possunt te a peccatis ad justitiam revocare. S. Chrys. t. I, *hom.* LXIX.

Vitæ diligentiam, et puritatem nihil sic efficit, et corrigit, ut continua in templis conversatio, et alacre ad audiendum verbum Dei studium. *Ibid. ho.* LIX.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas. — David Rex supra omnes veteris testamenti sanctos hoc encomio insignitus, et nobilitatus fuit, ut ab illo vocaretur vir secundum cor Dei : *Inveni virum secundum cor meum ;* sed quonam merito hoc sibi privilegium præ omnibus aliis comparavit? Certe non alio, quam quia præ cæteris honorem, et decorem domus Dei zelavit; quis enim alius per tot sæculorum curricula de erigenda Dei domo, Ecclesia, vel templo aliquo adeo sumptuoso cogitavit, aut solicitus fuit, quam ipse, qui pro hoc ædificio ad honorem Dei erigendo tot auri, et argenti milliones congregavit, cui operari adeo intentus erat, ut pro vehementia solicitudinis oculi ejus somnum vix capere possunt : *Sicut juravit Domino, vatum vovit Deo Jacob, si introiero in tabernaculum domus meæ ; si ascendero in lectum strati mei ; si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* (Mansi, d. I, n. 2.) Destinavit autem pro sumptu templi, et reliquit centum, et octo millia talenta auri, argenti vero decies centena, et septemdecim millia. Hæc omnia auri, et argenti talenta pene ter millies decies centena millia nummorum nostrarum aureorum conficiunt, hoc est ter mille milliones. Cornelius a Lapide ait : Salomoni pro Templo reliquit Pater bis mille, et quadringentos milliones auri. Ratione monetæ Italicæ facit auri, et argenti Ducatos 3282 milliones : insuper centum triginta quatuor millia, et viginti quatuor. Ad calculum Hispanicum facit ea summa 2812 milliones, octo millia, trecentos septuaginta quinque Ducatos Hispanicos. Ad Gallicum calculum 2745 milliones; unum, et quinquaginta millia, sexcentos et sexaginta sex aureos nummos Gallicos. (Drex. p. III, c. I, *Aurisod.*) Hanc auri summam, ut tota ex auro sit, non ferrent decem millia curruum nongenta, et octoginta, quamvis singuli currus caperent ducenta, et quinquaginta millia aureorum, ut ait Salianus *de amore Dei* lib. VIII, c. VII, *in fine.* In hoc Templo ædificando laborarunt hominum supra centum sexaginta quinque millia. Præfectorum tria millia trecenti : proselytorum in monte onera portantium septuaginta millia : Latomorum, et saxa Templo parantium octoginta millia. Ita Cronicon Regum.

De Matre S. Gregorii scribit Nyssenus, quod in conventibus, locisque sacris nunquam illius vox audita sit, necessarias tantum illas, et mysticas excipio, ut nullum ab illius ore verbum in Ecclesia prodierit, nisi quod cum lacrymis Deo funderet. Plus ille dicit de religiosissima matre sanctissimus filius : venerandæ mensæ nunquam terga vertit, nec divinum solum conspuendo inquinavit. Tam urbana erat erga sacram aram, ex qua panis, qui de cœlo descendit, dispensabatur, ut religioni duceret, dorsum illi obvertere, ipsum autem pavimentum templi sic devenerabatur, ut labem fœdam sacro loco afferre putaret, si vel expueret; rusticam etiam profanationem, aut profanam rusticitatem arbitraretur, nisi mutuo silentio, et toto ad reverentissimam observantiam composito corpore locum cœlestem, solium permagnificum, imperialem thronum augustissimæ omnipotentiæ Dei quam urbanissime coleret. O divina mulier! si insolentias, vanitates, impietates, quæ in templis Dei a nobis hoc tempore exercentur, videres, vivere dolor non sineret. Did. Nyss. p. II. § 5, *Dom. ult, post Pent.*

S. Hieron. de seipso scribit : Quando iratus fuero, et aliquid mali meo animo cogitavero, et me nocturnum phantasma deluserit, Basilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus, et corpore, et animo contremisco. S. Hieron. *contra Vigilan.* l. III, 4.

S. Nilus in epistola quadam ad Anastas. de D. Chrysostomo Missam celebrante ita scribit : Cum cœpisset sacrificium, plurimæ statim ex illis Virtutibus, e cœlo descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari, magno cum silentio, et reverentai, quoad venerandum illud mysterium expletum fuerit, circumsteterunt. S. Nilus, *in ep. ad Anaet.*

Amphilochius de S. Basilio M. refert, quod vix unquam celebraverit, quin semper cœlesti aliqua visione frueretur : semel tantum culpa Diaconi cujusdam, qui ei assistebat, illa privatus remansit, eo quod Diaconus ille lascivum in mulierem oculum defixisset, tunc enim subito Angelici Spiritus disparuerunt, quem tamen mox ut a se removit, pristivos vicissim favores experiri cœpit. Amphil. *in vit. S. Basil.*

De Abulensi Leontio in Prato spirituali refertur, quod Angelum dextero altaris cornui assistentem conspexerit, sibi dicentem : Ex quo sanctificatum est altare istud, ego jugiter illi adstare jussus sum. Mansi, d. iii, n. 3.

Drexelius scribit, Philippum II, dum rei sacræ regio stipatus comitatu interesset, duos de suis magnatibus sibi vicinos familiarius inter se fabulantes observasse, redeuntem vero in conclavi, illos ipsos atroci vultu notasse, ac dixisse : Vos a conspectu meo posthac abite; quo velut fulmine icti, ita perturbati sunt, ut alter mœrore sensim contabuerit, alter emota mente, attonito similis, in omnem vitam manserit; quid erit ab aspectu Dei, in quem desiderant Angeli prospicere, et in quo omne bonum contemplantur, in æternum arceri? quod Isaias prædixit olim populo sacrilego : *In terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.* Drex. l. II, *Tribun.* c. ix, § 1.

S. Franciscus Xaverius memor Apostolici dicti, levabat ubique manus suas in oratione, sed nihilominus, quum in templi adorandi, exorandique Dei copia dabatur, in ea se libentissime abdebat, et noctes insomnes ante aram traducebat : certe templum illi Goæ pro conclavi fuit, in quo quietem in precibus caperet, nihilque illis demeret, nisi quantum sibi ineluctabili somnus raperet necessitate. Jo. Rho. l. III, c. vii, n. 2.

Carolus Scribanius a Societate Jesu, vir rebus agendis, et litterarum studiis, scribendisque libris occupatissimus, pro festis tamen diebus aras, et potius templi ornatum ipse per se componere consueverat. Haud satis erat homini religiosissimo auctoritate, qua plurimum valebat, apud viros principes, ac ditissimos mercatores satagere, ut magnifice templa omni sacra supellectili instruerentur, nisi suam quoque operam adjungeret, ac laborem ; quod tanto est laudabilius, quanto in hujusmodi occupatis, ac litteratis hominibus rarius videtur. *Ibid.* n. 4.

Jacobus Granadus ex eadem Societate, sacras Deo ædes, luteas scilicet has nostras cœlestium templorum imagines, quum præter transiret, aperto capite, ubi primum fuerat conspicatus, incedebat; in peregrinationibus vero, quum oppidorum procul turres, et tecta summa cœperunt apparere, tum prima Granado cura templi oculis pervestigandi, quod mox detecto ad reverentiam capite, sacris hymnis, ac precibus consalutaret. Quorum vero templorum curatio Societati obvenisset, ea quam magnificentissime splendere cupiebat, et quidem quam rem ad ipsum spectaret, ne quidquam ad ornatum, elegantiamque desiderari posset, nulla sumptuum habita ratione procurabat. Enim vero si Domini est aurum, illi jure optimo redditur. *Ibid.* n. 6.

Superiori seculo, in solo Regno Mexicano, vix tum ad Christi fidem traducto, fuere extructa octoginta Religiosorum domicilia : Deinceps autem, hoc est, ab ejusdem sæculi anno septuagesimo numerata sunt septuaginta, et eo amplius templorum millia, a Castellæ Regibus ibidem condita; in quibus sunt quadraginta amplissimi et ditissimi Episcopatus. Scriban. *in polit. præfat.*

Jacobus Rex 2009, templa B. V. ædificavit. Berrr *in Parad.* n. 3, c. vi, *de vot.* viii.

Reges Hispaniæ in solo occidente supra septuaginta templorum millia ditissima pietate erexerunt. Jac. Henr. *in Missa.*

Templum S. Sophiæ Constantinopoli ea fuit majestate, ut cum dedicatio ejus celebraretur primo, exclamasse feratur Justinianus Imperator : ενίκησά σε Σαλομόν : Superavi te, Salomon. Unde et in ejusdem templi pariete quasi victus, et mœstitia perfusus, pictus erat Salomon, seu victum sese a Justiniano doleret, si viveret, ac videret Sophiæ templum. S. Chrys. n. 18.

Ferdinandus Magnus Castellæ Rex cum mortem propinquam sentiret, Sacrum fieri jussit in æde S. Isidori Hispolensis, in eoque sacra se communione refecit. Die sequenti, vocatis Episcopis, Abbatibus, et viris religiosis ad Ecclesiam diademate coronatum, et regali cultu fulgentem deportari se jussit, cumque ad S. Isidori tumulum venisset, coram eo adstans, clamavit ad Dominum alta voce : Tua est provincia, tuum est regnum, Domine, tu es super omnes Reges, tuo imperio omnia subjecta, quod te donante accepi, restituo tibi regnum, tantum animam in æterna jubeas luce collocari. His dictis exutus regalibus ornamentis pro venia exorabat : Et recepta ab Episcopis pœnitentia, et extrema unctione, indutus cilicio, et cinere conspersus, duobus diebus in pœnitentia supervixit. THOM. BLANCK. *in Psal.* II, n. 92.

Franciscani cum initio in tugurio derelicto extra urbem Assisium habitarent, et libris ad psallendum carentes, rogarent Patrem unum eruditum, quid de cruce Christi jugiter eis habebat sermonem, ut ipsos doceret orare, dixit : cum orabitis, dicite, *Pater noster*, et Adoramus te Christe, ad omnes Ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per crucem tuam sanctam redemisti mundum. Docuit præterea Deum laudare in omnibus, et ex omnibus creaturis præcipue honorare Sacerdotes. Servabant illi hæc diligenter, et ad omnes Ecclesias, et cruces, quas e longinquo videre poterant, se humiliter prosternebant. *In hist. Seraph. Relig.* l. I, c. IV.

S. Bruno ex Ragspurgensium familia post P. M. Leo IX, dictus, Norimbergam iturus a duobus nobilibus viris a Schwarzenburg invitatus, ut sacellum, quod in transitu esset situm, consecraret, ducta manu in modum crucis, sic ut equo, insedit, nulla alia admota cæremonia nobiles dimisit ; illi haud dum rati sacellum consecratum una manus inflexione, rogaverunt, ut dignaretur in ipso templo consecrare templum. At ille, si non omnes consecrationis notas reversi in sacello videritis, revocate me, inquit. Nobiles reversi, omnia pro more indicia consecrati templi reperere. Templum scilicet, oleo delibutum, cruces, litteras in pulvere etc., cœlitum utique ministerio. BAVAR., *Sanct. vel* I.

B. Bertha Henrici Hilpolsteinii, et Berthæ filia, cœnobium, quod Biburgi exstruxit, ipsa adjuvit manuum labore lapides, et cœmenta nudis pedibus apportando. Idem legitur de Matre Eberbardi Biburgensis Abbatis, post etiam Archiepiscopi Salisburgensis, quod exemplum plurimæ fœminæ tunc secutæ, utrique se socias addidere. *Ibid.*

Narrat Sigonius fluvium Athesis anno 589, in Urbe Veronensi adeo inundasse, ut ad Ecclesiam S. Zenonis usque pertigerit, ubi tametsi portæ paterent, ipseque fluvius ad fenestras usque Templi intumuisset, ipsum tamen templum minime ingredi præsumpsit. Sic quoque S. Greg. Thaumaturgus montem quemdam, qui Ecclesiæ cujusdam, quam dictus Sanctus moliebatur erigere, fabricam impediebat, retro cedere, sufficientemque muris Ecclesiæ fabricandis situm, et spatium indulgere jussit. CAR. SIG. *in ann.* 589, *in Italia.*

Est in oppido Mitivo templum S. Petro sacrum, quod dicitur Boemice Silwice, quod latine sonat in Silva : iverunt plures : quia illud templum magno miraculo numquam ita potest hominibus repleri, quin plures capiat. Ejus stupendi miraculi modum deprehensuri ; nonnulli Nobiles conspirarunt, et subditos suos ad multa millia ad certum diem adduxere. Templum ipsum ferrea catena circumdederunt, visuri, num forte parietes discederent, ut tanto populo locus superesset. Sed immota catena, immotisque parietibus, ingresso populo illo universo, superfuit locus pluribus ingressuris. In eo templo statua est S. Petri lapidea olim e terra eruta, quæ interdum dicitur fieri tam gravis, ut a nemine loco moveri possit : alias templo illo egressa, viatoribus in viis publicis occurrebat. PATER ALBERTUS KANOBSC. c. IX, *Notat.*

S. Clemens tertius Pontifex summus lib. I. Recognit, circa finem, testatur, se cum S. Petro visitasse sepulchra civitatis Jerusalem, quorum in uno duo Fratres Martyres erant sepulti ; quod per singulos annos ipso die natalis eorum mirabiliter sponte sua dealbatur. *In Bapt. Signius de SS. Relig.* c. XXV.

Cum Petrus Apostolus multos a variis languoribus Antiochiæ contra Simonem Magum curasset, tantam Spiritus Sanctus in illa die gratiam suæ virtutis ostendit, ut omnes a minimo usque ad maximum una voce confiterentur Dominum, et ne multis immorer intra septem dies, plus quam decem millia hominum credentes Deo, baptizati sunt, et Sanctificatione consecrati; ita ut omni aviditatis desiderio Theophilus, qui erat cunctis potentibus in civitate sublimior, et domus suæ ingentem Basilicam Ecclesiæ nomine consecraret, in qua Petro Apostolo constituta est ab omni populo cathedra, et omnis multitudo quotidie ad audiendum verbum conveniens, credebat sanæ doctrinæ quam sanitatum efficacitas affirmabat. CLEMENT. ROM. l. X, *Recogn. sui sin.*

In quodam loco ruris angusti, cum res posceret templum construi, rupes quædam vicini montis ex parte orientis abjecta, ex alia vero præterfluens fluvius spatium quantum Ecclesiæ sufficeret, denegabat. Et cum alius omnino non esset locus, omnesque mœstitiam gererent, quod solum ad construendum templum non haberent, Gregorius Neocæsariensis Episcopus fide plenus pernoctasse in oratione dicitur. Et Dominum Jesum promissionis suæ admonuisse fideliter, qua dixit. Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Tolle te, et mitte te in mare, et fiet utique. Cumque hac plena fide atque devotione deposceret, ad lucem coeuntibus populis, inventa est rupes importuna secessisse tantum, quantum spatii ad condendam quærebatur Ecclesiam. EUSEB. l. V, *Hist. Eccl.* c. XXVI.

Thomas Boxius Eugubius congregationis oratorii presbyter scribit B. Mariam Magdalenam, et B. Martham ejus sororem, Massiliam profectas, duo templa, quæ dicuntur adhuc ibi extare, alterum Christo, B. Mariæ Virgini alterum erexisse. BOX. *de Sign. Eccles.* l. IX, c. VI.

Constantinus Magnus Imperator, cum cognovisset, eos olim, qui idolorum errore tanquam furoris intemperiis vecti fuerant, salutiferum monumentum defodisse, aggere multo molem altissimam excitasse, Calvariæ, et resurrectionis vicinum circum circa locum occupasse, ut lapidibus ingentibus solum ejus constravisse, et oblivioni monumenta memoriæ sempiternæ mandarent, et templum præterea impudicæ deæ Veneris statuamque ejusdem ibi collocasse, virgineo partui illudentes : ut qui eo loco debitum Christo honorem sibi præstandum statuissent, simulacro ei exhibere viderentur, processuque temporis oblivio veram premeret atque occultaret causam, quod nemini libere eo commeare, aut aliis rem indicare fas futurum esset : funditus templum ipsum eruere, aggeremque egestum quam longissime a civitate projicere, ut qui sceleratis Sacrificiis contaminatus esset, jussit templum illud pulchritudine præcipue amplissimum magnificentissimumque extruere præcepit. Cujus ædificationis institutionem Macario ejus templi Antistiti per litteras commisit. NICEPH. CALIST. l. I, *Hist Eccl.* c. XXVIII.

UTILITAS. — S. Maria Ægyptiaca vitam duxerat lubricissimam et libidinosissimam, et tamen quando Hierosolymis templum. S. Crucis ingressa fuit, non tam ut adoraret, quam ut ab amasiis suis adoraretur, Deus ibi cor ejus tetigit, mox ut pedem suum sacro templi illius limini intulit. Unde licet Psalmista dicat : *suscepimus misericordiam tuam in medio templi tui,* attamen peccatrix illa, ut ipsamet Zosimo sanctissimo Monacho retulit, dum in pressura ingentis cujusdam multitudinis hominum, urgendo templum ingredi conaretur, et juxta templi portam posita nulla ratione penetrare posset, quin potius se invisibili quadam virtute bis, terve ab Ecclesiæ foribus retrahi, et dimoveri experiretur, tandem in limine Ecclesiæ divinam erga se experta est pietatem, siquidem ad semetipsam conversa, suamque indignitatem considerans, atque ab invibili quodam divinæ misericordiæ radio tacta, suscepit misericordiam suam, non in medio, sed in ingressu templi sui, docuit eam viam bonam, per quam ingrederetur, nam intrinsecus in corde suo compuncta vitam suam pro viribus emendare decrevit, pectusque suum percutiens et peccata sua amare deplorans ingressa est, talemque in se mutationem experta fuit, ut ex tunc vitam pœnitentem rigidam, et immaculatam, ut omnibus constat exorsa fuerit. MANSI, d. VI, n. 3.

IRREVERENTIA CASTIGATA. — S. Athanasius circa annum trecentesimum quinquagesimum sextum refert, quod Constantio Imperatore Ariano Imperii habenas gubernante, multi dissoluti juvenes Alexandrinam ingressi fuerint Ecclesiam, quorum unus ingenti cum petulantia in throno Episcopali se ad sedendum collocavit, ac demum eumdem contemptibiliter a loco suo dimovere conatus fuit : omnes autem fornicarios ronchos, nulla majestatis loci sacri ratione habita ducebant e naribus : sed non diu adfuit ultrix Dei manus. Nam ut Azotii olim ausi Arcam tangere interibant, sedium tormentis prius excruciati, ita quoque miser iste ausus sedem convellere fragmento ligni inde in ventrem ipsius resiliente, et quasi ab ipsa ultione impacto, sua intestina perforarit, et eadem vi, qua solium disrumpere conobatur, rupta alvo suo intestina effudit. S. Athan. *ep*, *ad solitarios*.

S. Greg. Turonensis alteri cuidam e prophanatoribus, irrogato supplicio testimonium per sequentem perhibet a se conscriptam historiam : Cum Chilperici milites in homines passim desævirent, multi ad eorumdem declinandam barbariem, in Basilicam S. Vincentii confugientes, in eadem securos se futuros esse credebant. Milites autem in eamdem Basilicam nusquam invenientes aditum, primo quidem Basilicæ foribus ligneis ignem admoverunt, qui, dum omni sua activitate destitutus, nihil eis commodi præstaret, illas securi confregerunt : direptisque quæ in Basilicam intulerant, cunctis eorum bonis, gladio tandem omnes in Basilica repertos trucidarunt; sed non diu hæc remanserunt inulta, alii a dæmone correpti, nonnulli in flumine Garumnæ necantur, multi etiam a frigore occupati, diversis in partibus diversorum morborum genere vexabantur. S. Greg. *Tur*. c. ci, *de gl. Mart.*

Aretas Archiepiscopus circa annum 912, de Alexandro Imperatore scribit, quod ingentem die quadam ex naribus, et secretioribus corporis sui partibus sanguinis copiam egesserit, indeque mortuus sit, eo quod arroganter, et ex mero contemptu, contecto capite, Ecclesiam fuerat ingressus; Et quia alias sacram mensam, in templo spoliaverat, in mentis incidit delirium, a quo vix unquam postea sibi plene restitutus fuit. Mansi *loc. cit.* n. 13.

Narrat P. Thomas Blanch, cum iter per varias Provincias faceret, et doleret plurimum, in templis, jam nullam esse Christianorum modestiam, sibi ab insigni Societatis nostræ viro, qui P. Thomæ super ea re dolorem non ignorabat, sequens factum fuisse narratum : Cum Pater ille ante annos aliquot Tuli conciones haberet, rogatum se a Præfectis classis maritimæ, ut Turcam induceret ad fidem Catholicam amplectendam; erat is captivus, et ob egregiam indolem, ac fidelitatem omnibus carus. Pater, qui multos hæreticos ad fidem reduxerat, aggreditur Turcam, quanta potest humanitate, num velit se de rebus Christianis edocentem audire ; libertatem pollicitus, si Christo se adjungeret; At is actis modeste gratiis de sua cura, atque studio, libere ei respondet, se jam prope statuisse fieri Catholicum; sed postquam in templis Christianorum tantam vidit licentiam in multis, quas obibat, urbibus, certum sibi nunc esse, eam religionem non sectari; ubi Deus cœli, et terræ villifieret, etiam in locis cultui suo dedicatis. Si (addebat) in nostris Moschæis, in quibus tamen non profitemur modo tam singulari, uti apud vos, Deum coli, levissime in modestiam, et reverentiam loci peccaremus, nemo nostrum graves admodum pœnas effugeret. Quæ reverentia, quam in religione nostra Divinitati tribuimus, me convincit : ibi plus esse lucis cœlestis, ubi plus, et modestiæ, ac venerationis. Thom. *Blanch. de Christ. modest. in temp.*

EXEMPLA PROFANA.

Oblata S. Francisco ovis ad B. V. de Portiuncula, fuit ei percara, eam monuit, ut laudibus divinis intenderet, et ab omni Fratrum offensa caveret. Ovis autem jussa miraculose executa est. Nam audiens Choro cani, adfuit, et sponte genua curvavit, balans ante Aram B. Virginis, velut eam salutaret; sub elevatione item genua flectebat, idque nemine docente. *Vita Franc.*, l. I, viii.

S. Ambrosius scribit, Alexandro sacrificante Macedonum Rege, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderat, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu, tanta in puero barbaro fuit disciplina reverentiæ, ut naturam vinceret; atque ille non deos qui nulli erant, sed Regem timebat. Quid enim timeret, eos qui, si idem ignis eos contigisset, arsissent? S. Ambr. *l.* III, *Virg. prop. init.*

Seneca testatur, ipsa quoque collapsorum templorum rudera, lapides, et cœmenta, a cæcis gentilibus in summa habita fuisse veneratione : Non magis, inquit, contemnitur sapiens, cum jacuit, quam sacrarum ædium ruinæ calcantur, quas religiose, æque, ac stantes adorant. *Seneca ad Alb.* xxxi.

S. Hieronymus Philosophos, Platonicos, et Stoicos, ut majorem in virtutibus moralibus facerent progressum, in domibus, quæ sacris locis vicinæ erant, commorari solitos fuisse, his verbis scribit : Platonici et Stoici in templorum locis, et porticibus versabantur, ut admoniti angustioris habitaculi sanctitate nihil aliud, quam de virtutibus cogitarent. S. Hier. l. II, *cont. Jovin.*

De Turcis refertur, quod cœnaculum montis Sion, in quo sanctissimum altaris Sacramentum institutum fuit, ingressuri, præ reverentia, qua locum illum venerantur, sese discalceant, nudisque illud pedibus ingredientes, interdictum sibi esse persuadeant, ne oris sui salivam in illud expuant; habetque hæc veneratio suam ab antiqua quadam traditione originem, quæ inter Turcas circumfertur, quod nimirum Christus eodem in loco olim solemnem quamdam instituerit Cæremoniam. *Novarin. ap. Mansi d.* n. 7.

Cyrus Rex Templum Jerosolymitanum denuo in honorem Dei fabricari, et restaurari præcepit, eumque in finem plurima subsidia subministravit : Protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, et posuerat ea in templo Dei sui, omnia vasa aurea, et argentea, quinque millia quadringenta, I. *Esdra.* v.

Darius pariter Cyri exemplum imitatus, licet, et ipse idolatra esset, idem Dei templum honoravit, illud suis sumptibus perfici curando. Mansi, l. c. n. 8.

De Alarico Gothorum Rege in Annalibus Ecclesiasticis refertur, quod, tametsi in cunctis aliis actionibus barbarus esset, attamen, postquam post diuturnam obsidionem urbem Romanam potestati suæ tandem subjecisset, vetuit per edictum publicum, ne ulla iis inferretur molestia, qui securitatis causa ad loca sacra, et præcipue in SS. Petri, et Pauli confugissent Basilicam. Accidit autem, ut, dum potens quidam Gothus per urbem oberrans in certa quadam domo Virginem sacram provectæ ætatis invenisset, omne aurum, et argentum ab ea sibi extradi postularit. Cui Virgo constanti fide, animoque, magnam auri argentique sibi quidem copiam esse, respondit, eamdemque ei videndam ob oculos posuit (erant enim vasa sacra penes ipsam majoris securitatis causa in custodiam deposita, quæ haud sine divina inspiratione barbaris revelanda esse censuit) cumque barbarus hic Gothus ingentem hunc thesaurum summo stupore vidisset, Virgo Christi : En, inquit, hæc sunt vasa sacra S. Petri Apostoli, rape illa, si audes, et videbis, quis inde tibi eventus sit secuturus; ego interea, quæ ad hunc thesaurum a raptoribus tuendum minime sufficio, illa quoque mihi reservare non præsumo. Barbarus autem hæc omnia ad Alaricum retulit, qui omnia prædicta vasa sacra ad Basilicam Principis Apostolorum sine mora deportari, præfatam quoque virginem, et omnes Christianos, qui prædicta vasa sacra ad Basilicam usque S. Petri comitarentur, cum omni securitate ab omnibus injuriis immunem tutari mandavit. Magna igitur cum pompa omnia illa vasa aurea, et argentea a diversis super caput imposita prolixo itinere (cum domus præfata ab Ecclesia S. Petri procul posita esset) deportata fuerunt, stipantibus utrumque portatorum latus plurimis militibus, districtum in manu sua gladium tenentibus, decantatisque publice tam a Romanis, quam a Barbaris, in honore Dei hymnis, et canticis. Baron. ann. 410, *v.* 21.

Idem de quodam Maurorum belli Duce, viro sagaci, et experto, cui nomen Gabaon erat, refertur, eum suorum nonnullis præcepisse, ut, si Wandali exercitum moventes, aliquas orthodoxorum Ecclesias profanarent, ipsi easdem ab hostibus dehonestates repararent, et ad cultum Deo in iis debitum exsolvendum disponerent; dicebat enim, Deum Christianorum, qui ab orthodoxis colebatur, utique castigaturum iniquos, qui illum offendunt, et auxiliaturum iis, qui ipsi fideliter serviunt : Cum igitur Wandali, Ariena labe respersi Ecclesias Catholicorum contaminassent, Gabaoni militantes exercitus iis recedentibus, easdem Ecclesias sic profanatas mundabant, et expoliebant, gratisque, et odoratis suffitibus adimplebant, ipsos quoque Catholicos Sacerdotes suis denuo honoribus, et Ecclesiis restitutos, in pristinum dignitatis, et auctoritatis gradum reponebant; qua executione per suos facta, Gabaon adversus inimicos suos exercitum movit, magnamque in illis stragem edidit, adeo ut pauci ex iis ad domum propriam reverti possent. *Ap. Mansi*, xi, n. 18.

Orosius, et ex ipso S. Bernardinus de Pompeio Magno scribunt, quod, postquam viginti duos in Oriente Reges debellasset, multosque de omnibus inimicis suis, contra quos dimicaverat, retulisset gloriosos triumphos, tandem quoque Hierosolymam arcta obsidione diu cinctam invaserit, omnesque qui ad templum confugerant, occiderit illudque in stabulum equorum convertens, suos in eo equos collocarit : unde divino judicio factum est, inquit S. Bernardinus, ut qui ante in omnibus victor erat, post hoc infeliciter victus fuerit. *Oros. et S. Bern.*

In quadam urbe Regni Regu vidit Rever. P. Mendozius Idolum, quod dictum est Deus, somni, quia sub capite habebat 48, pulvinaria e saxo, fuit idolum longum 90, pedes, et jacens uno brachio faciem tegebat. Rogati incolæ, cur Deos tam magnos effingerent, respondérunt, quia Deus ipse esset magnus, decere eum magnis rebus repræsentari. In eo Regno templum est cujus idolum dicitur ab incolis esse Deus centum, et decem millium Deorum Dominum, dicuntque esse inibi totidem Deorum simulacra, quæ tamen numerare Patrem, qui inibit fuit, pingebat. *Ex litt. Malaca datis an.* 1554.

Templum Dianæ Ephesinæ 220. annis a tota Asia ædificatum est, in quo aliud quoddam miraculum erant columnæ 127, a singulis Regibus factæ, 60, pedum altitudine. *Majolus in canit. col.* XXV, f. 971.

Templum Upsalæ tantæ erat venustatis, ut pavimentum, muri, columnæ auro tectæ, ipsum quoque tectum ex auro confectum fuerit, et catena insuper aurea totum templum ambiverit. *Ibid.*

Vespasianus Imperator in restitutione combusti Capitolii ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit. *Suetonius in vit.* VIII.

In eo diplomate, quo Sinarum, ac Tartarorum Rex Xunchi anno 1600, templum a P. Adamo Schall Pecchini extructum honoravit, et legem Christi approbare se dixit, laudare, tandem subjungit : Ideoque ad perpetuam hujus rei memoriam hunc illius Ecclesiæ Titulum præfigo : Tun hiven hia Kim, id est, excellens penetrando cœlo locus. *Kircerus in China illustri* p. 2, c. VIII.

Adstabat Christianorum sacrificio Rex Christianæ adhuc mansuetudinis ignarus, et quamquam sub ramalibus a sacerdote fieret, majestas nihilominus et latens mysterii Divinitas attonitum habebat, animoque suspensum. Inter hæc nobiles Ephebos ante mapallis ostium perstrepentes audit : ratusque violatam, ut non inepte interpretabatur, præsentis Numinis majestatem non nisi adolescentium cæde posse expiari, rapi illico ad supplicium jubet. Luissent sanguine irreverentiam adolescentes, nisi Lucitanus docuisset, Deo, utiquam maxime cordi sit reverentia, magis tamen adhuc mansuetudine illum delectari eo præsertim sacrificio, quod incruentum esse sancivit. Jo. *Rho.* l. III, c. I, n. 7.

SIMILITUDINES.

Sicut cœlum Empyreum est locus contemplationis; ita Ecclesia materialis est locus orationis, non quod oratio, et contemplatio de necessitate determinent, vel exigant locum, sed quia sic decet, ut in loco altissimo habitent, qui Deo fruuntur, et in locum consecratum conveniant, qui Dominum deprecantur. *Dion. Carth. in* LVI, *Isa.*

Sicut is, qui eodem tempore, quo Henrico III, memoriale præsentabat, cultrum quoque in eum stringens, ipsum contrucidavit, parricida erat; ita quoque, si is, ad Ecclesiam orandi causa accedit, eodem tempore per irreverentiam, dissolutionem, et scandala sua, domum orationis profanat, Deum utique mortaliter offendit. MANSI d. IV, n. 9.

Sicut in Paradiso terrestri Deus vitæ arborem plantavit, qua mediante, homo in longissimum usque tempus producturus fuisset vitam quandam inalterabilem, et felicem ; ita quoque divina, et infallibilis Providentia in Paradiso Ecclesiæ suæ, ad spiritualem, et immortalem animarum nostrarum vitam promovendam, et confirmandam, arborem veræ vitæ plantavit : *Ego sum Panis vivus qui de cælo descendi : si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* De qua arbore multi servi Dei participantes ad nostram utilitatem quotidie multa operantur mirabilia. *Idem disc.* VI, n. 5.

Sicut arca Domini, et Dagonis idolum, sese mutuo in uno eodemque templo non compatiebatur; ita quoque quando sublata a locis sacris debita reverentia, diabolo potius, quam Deo, in iisdem servimus, a Deo protinus deferuntur, quia domum Dei decet sanctitudo. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ soeietas lucis ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? Idem disc.* XIII, n. 1.

MOTIVA.

Angelorum exemplum; de quo sic S. Bonaventura locutus est; Debet enim reverentia ipsis adstantibus exhiberi, et gloriosi angelici spiritus nobis adesse credendi sunt, cum divinis mancipamur obsequiis, vel officiis. In eodem sermone subjungit dicens : Non dubitare licet, ubi Dominici Corporis, et Sanguinis mysteria geruntur, supernorum civium adesse conventus, qui monumentum, in quo venerabile Corpus positum fuerat, et jam resurgendo abscesserat, tam sedulis excubiis servaverunt; debet igitur eis adsistentibus reverentia exhiberi. S. Bonav., c. I, *de del.*

Paganorum exemplum; nam, ut Concilium Ephesinum ait, si falsa veterum paganorum religio, quæ, quidvis obvium pro Deo colebat, adeo superstitionis suæ servans fuit, ut altaria non quibusvis, sed sacerdotibus dumtaxat ad hoc institutis, committeret, neque fana sua rursum ubilibet, sed in arcibus, aliisque munitioribus locis tantum erigeret, ibique idola sua magna cum veneratione adoraret; quanto magis par est, nos religionem nostram, ut omni cum observatione, pietate, ac diligentia observare, tuerique nitamur, ad quos Deus ipse cum vero religionis cultu, cœlo interim non deserto, descendit. *Conc. Eph. h.* v, c. xxi.

Dæmonum exemplum; nam, teste Chrysostomo, domum, ubi repositum fuerit thus, timet diabolus, nec audet accedere; multo magis ubi reponitur Corpus Christi, et celebrantur divina mysteria : Idem quoque sanctus Doctor, Dæmones Ecclesiam ingredi minime præsumere, dicit : Extra Ecclesiam, inquit, stat diabolus quippe sacrum istud in ovile non audet intrare; ubi enim Christi grex est, lupus non comparet, sed foris stat. S. Chrys., *h.* v. c. xxi.

Brutorum exemplum; quod S. Ambrosius sequentibus verbis ob oculos ponit : Frequens sermo est, cum plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse, ut conticerent, et reverentiam sacræ deferrent orationi, tunc subito circumfusos strepitus quievisse. Silent igitur paludes; homines non silebunt? Et irrationabile animal per reverentiam recognoscit, quod per naturam ignorat, hominum tantam esse immodestiam, ut plerique deferre nequeant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati. S. Ambr., l. III, *de Vir.*

Utilitas; quam paucis explicavit S. Carolus Borromæus his verbis : Hæc sacra loca elegit Deus, ut in iis fidelium orationes exaudiat; ut mediis Sacramentis suam nobis largiatur gratiam; ut mediante sacrosancto verbo suo prædicatu donis nos spiritualibus locupletaret. In sacris hisce locis per sacerdotes, aliosque ministros ecclesiasticos cœlestis beatorum Angelorum, et Sanctorum hierarchia repræsentatur; eo fideles concurrunt, ut in una fide, in uno spiritu, et quasi uno eodemque ore, tamquam unius ejusdemque Ecclesiæ membra orationes suas unanimiter persolvant. Hæc et alia multa bona in Ecclesiis copiose recipimus. (S. Car., p. 7, *act. Med.*, fol. 1040.) Cui consentiens S. Chrysostomus : Qui huc, inquit, cum fide, ac studio ventitat, innumeris thesauris ditatus abscedit, et si tantum os aperuerit, omni suavitate continuo, ac spiritualibus opibus complebit illos, qui congressu ejus fruuntur, et si sexcentæ ingruerint calamitates, omnes æquo animo feret, utpote qui ex scripturis divinis patientiæ, philosophiæque sufficientem occasionem hinc acceperit. Et iterum : Neque vero tantum ex admonitione, sed etiam ex precibus, ex paterna benedictione, ex communi conventu. Fratrumque charitate, atque aliis sexcentis ex rebus, multa utilitate, atque omni oblectatione percepta, solet discedere, atque innumera bona domum reportare. S. Chrys., t. I, *h.* lix.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta causas, ob quas præcise templa intramus, quas S. Bonaventura his verbis indicat : Quatuor de causis intramus Ecclesiam : ut laudemus Deum, unde hoc : *Laudate servi Dominum;* quandoque, ut oremus : *Domus mea domus orationis;* quandoque, ut instruamur : *Venite ad me, et ego docebo vos;* quandoque ut reficiamur susceptione Sacramenti, quod in Ecclesia præsentatur. S. Bonav., *in Ps.* cxvii.

Nosse debet, cur Ecclesia domus orationis vocetur; nimirum ob octo causas ab eodem Sancto indicatas; *Prima* est, quia ibi peccator recte orans obtinet peccatorum remissionem. *Secunda*, quia tentatus, ibi recte orans, obtinet liberationem. *Tertia*, quia contra sterilitatem obtinet ejusdem fœconditatem. *Quarta*, quod infirmus impetrat salubritatem. *Quinta*, tristis consequitur jucunditatem. *Sexta*, alienigena impetrat prosperitatem. *Septima*, conversus ad Deum habebit victoriam. *Octava*, quod captivatus adipiscetur incolumitatem, et quidem, ut idem Doctor Seraphicus notat, omnes hæ utilitates, quas in domo Dei consequimur, a Salomone III. *Reg.*, c. viii, et II. *Par.*, c. vii, speciatim expressæ fuere. Et pro his octo beneficiis, inquit idem Seraphicus, quæ conferuntur in domo orationis, celebravit Judas Machabæus per osto dies solemnitatem dedicationis, sicut dicitur. I. *Machab.* IV. *Idem s.* IV, *de dedic.*

Nosse debet, cur Ecclesia sit aptior ad preces Deo offerendas; id quod Hugo Card. sequentibus verbis indicavit : Notandum, quod locus sacratus Deo, et benedictus, aptior, et utilior est ad orandum. Primo, quia ibi magis excitatur devotio, et ferventior fit oratio. Item benedictio Episcopalis, et oratio ejus majorem efficaciam confert orationi ad impetrandum, quia associatur orationibus Ecclesiæ generalis : item quia Dominus domum sibi dicatam, et habitantes, et psallentes in ea, quadam speciali gratia custodit, et visitat. (Hug. Car., *in* c. IV. *Jo.*) Cui consentiens Gerson : Sanctius inquit, et Deo placentius, et fructuosius est regulariter orare Deum in templis, et locis sibi dicatis, quam in aliis; hujusque asserti sui rationem his verbis assignat. Valor quippe orationum ibi factarum cumulatur ex oratione generali, et loci majestate, ex qua fit devotionis major incitatio, propterea non absque grandi ratione sedula religio Patrum nostrorum particularia oratoria vetabat. Gers., t. II, *de vit. Cl.*

Nosse debet, Christum, dum jussit, ut in cubiculum pro oratione intremus, non præjudicasse Templorum frequentationi; nam ut S. Bernardinus bene advertit, ille cubiculum suum intrat, qui omnes humanos sensus ad interiora revocat : ille quoque ostium suum claudit, qui cordis cogitationes, ne extra vagentur, frænat; Unde hisce verbis Christus uniuscujusque privatam (quoad faciendam orationem) nequaquam domui Dei preferre voluit. S. Bern., t. II, s. x, art. 3, c. 1.

Nosse debet, cur templa auro, et aliis rebus pretiosis ornanda sint, id quod Rupertus Abbas his verbis indicat. Auro, et argento, lapidibus petiosis, pro posse fidelium, singulis in locis splendet festiva devotio; quæ, cum in sæcularibus ambitionis insignia sint, in Ecclesiasticis, et divinis rebus pietatis officia sunt; non quia Deum, quia spiritus est, plus aurea, quam lutea, plus gemmata, quam nuda, delectent corpora; sed quod homines, quod diligunt, cum Deo libenter offerunt, dilectione Dei, qua illud a se separant, quidquid illud sit, Deo pretiosum efficiunt. Rupertus Abb., l. I, *de div. of. ho.*, c. XXIII.

Nosse debet, quod magis decor, et ornatus interioris templi, seu animæ, procurandus sit, uti recte S. Augustinus monuit dicens : Decorem domus Dei, et locum Tabernaculi claritatis ejus diligimus, et nos ipsi sumus; quid enim decor est Domus Dei, et locus Tabernaculi claritatis ejus, nisi templum ejus, de quo Apostolus dicit : *Templum enim Dei Sanctum est, quod estis vos;* sicut ergo in fabricis, cum eleganter, et magnifice construuntur corporalis noster mulcetur aspectus; ita cum lapides vivi corda fidelium, charitatis vinculo contineantur, decor est Domus Dei, et locus Tabernaculi claritatis ejus (S. Aug. *S.* CCLVII, *de temp.*) Et alibi. Quamvis sancta sint templa, quæ videmus de lignis, et lapidibus fabricari, tamen plus apud Deum pretiosa sunt templa cordis, et corporis nostri, quia illa fiunt ab homine carnali, ista ab artifice mundi. (*Idem* S. CCLV, *de temp.*) Hinc, et Rupertus Tuitiensis Abbas circa populum Hebræum e Babylonia redeuntem observat, quod reversus de Babylonia populus altare tantum fecerat fortuitis (ut ait Hieronymus) et impolitis lapidibus, absque templo, et putabant minorem esse cultum religionis, quia templo ornatus deerat; nec intelligebant, omnipotentem Deum non aurum, gemmasque, et hostiarum multitudinem quærere, sed offerentium voluntatem. Rupert., l. I, *de div. offic.*, c. XXIII.

MISCELLANEA, ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas. — Quærunt nonnulli, cur potius Seraphini, qui supremæ hierarchiæ, et celsissimi chori eminentissimi Angeli sunt, tam ab Evangelista, quam a Propheta Evangelico, visi fuerint; et non potius alii spiritus inferiores, maxime quando de obsequio, et reverentia Deo, in throno majestatis confidenti exhibenda agitur? Sed facilis est responsio, si consideremus, quod quanto magis lumen est quod habent Angeli, tanto pariter magis in ipsis proportionaliter crescat, et augeatur eorum erga Deum reverentia. Et ideo observandum, quod de Angelis, qui Dominationibus comparati, minorem Dei habent cognitionem, dicatur, quod laudent Deum *(quem laudant Angeli)* Dominationes vero, quæ minus illuminatæ sunt, quam Potestates, adorare Deum dicantur : (*adorant Dominationes*) at vero Potestates, quæ in cognitione Angelis, et Dominationibus superiores sunt, tremere dicantur : (*tremunt Potestates*) ac proinde Seraphini, qui cunctis spiritibus Angelis in lumine, seu cognitione infinitæ illius Majestatis præcellunt, merito Isaiæ adeo venerabundi, et obsequiosi ante thronum Dei in templo residentis, exhibiti fuerunt, ut nimirum ab ipsorum Angelico exemplo discamus, quam sit immensa, et inexcusabilis irreverentiæ nostræ enormitas, et gravitas, qui non solum Angelis, quibus loca divino cultui consecrata plena sunt, nullum respectum deferimus; verum etiam ne ipsum quidem Deum, quem adorant Dominationes, tremunt Potestates, prout par est, reveremur et colimus, et tamen Christiani sumus magnoque fidei lumine illuminamur, ac proinde mirum non est, si suo quoque tempore rigidius puniamur; unde cuilibet illorum Christianorum dici poterit : *Sicut lumen ejus, ita et tenebræ ejus.* MANSI, *disc.* III, n. 10.

Alia quæstio est, cur Seraphini, quos vidit Isaias, faciem velarint; hi vero quos Joannes viderat, id minime faciebant, et tamen utroque in loco Seraphini clamabant : *Sanctus etc.* et respondetur diversitatis rationem esse, quia Joannes Seraphinos illos ante thronum Dei in cœlo Empyreo circumstantes conspexit : Isaias vero illos vidit in templo Hierosolymitano; illi autem, qui in Paradiso erant, nullam habebant faciem suam velandi causam, eo quod nihil ibi videatur, quod offendere possit : *Nihil coinquinatum intrat in Regnum cœlorum.* In templo autem plurima ejusmodi offendicula conspiciuntur, et ideo purissimi illi Spiritus suam obtegebant faciem : ne populi illius in Ecclesia irreverentiam, scandala, dissolutiones videre cogerentur, de quo populo idem Isaias ait : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate!* In medio populi polluta labia habentis ego habito. *Ibid.*

B. Albertus Magnus quatuor templi Hierosolymitani atria fuisse observat, videlicet atrium interius, in quo altare holocaustorum positum erat, in quod solis Sacerdotibus, et Levitis ingredi licebat. Secundum erat, in quod sæculares illi, qui mundi erant, solum ingrediebantur, ut ad prædicti atrii fores suas Deo oblationes immolarent. Tertium atrium illud erat, in quod etiam mulieribus, quæ mundæ erant, ad faciendas orationes suas, aditus liber patebat : Quartum atrium immundorum, in quod etiam Gentiles aliquando intrabant, et in illo animalia vendebantur jussu Sacerdotum; adeoque hic vendentium, et ementium mercatus, ex Sacerdotum, non tam permissione, quam jussu, non fiebat in sanctuario, nec in atrio inteteriori, sed in ultimo, et infimo instituebatur. Et tamen idem Albertus ait : Non erat licitum, quia Domino fuit dedicatum; unde facile arguere licet, quantum divina punitione justius corripiantur fideles Christiani, qui Deum in ipsomet Sanctuario, in illo scilicet loco, in quo jam non Arca, sed sanctissimum Corpus Christi a cælestium Spirituum hierarchiis cum metu, et tremore adoratur, aspernantur, vilipendunt, variisque irreverentiæ, et scandali generibus contumeliantur. B. ALBER. M. *in Joa.*

In Levitico pœna quædam describitur, quam divina Justitia Nadab, et Abiu summi sacerdotis Aaronis filiis, immisit : Dum enim hi in ministerio suo se exercentes, ut Deum pro suis, aliorumque peccatis placarent, ad incensum Deo offerendum (quod ad sacerdotum munus proprie pertinebat) sese accingerent, accidit, ub ab igne cœlitus descendente vivi combusti, et consumpti fuerint : *Egressusque ignis a Domino devoravit eos.* Sed quodnam, obsecro, delictum eorum fuit, ob quod tanta cum severitate a Deo castigati fuerunt? Nimirum pro adolendo incenso igne prophano, et communi, non vero sacro usi fuerant : Et hoc proprie est delictum, quod hodie singulis diebus multi Christiani parum timorati committunt, tametsi enim in Ecclesiis frequenter esse, inibique longam moram trahere videantur, attamen fulminum indignationis, et iræ divinæ rei fiunt. Et causa est, quia qui cordium suorum thuribulis ignem sacrum, id est, desideria, et affectus pietatis, religionis et devotionis immittere, eoque fine Ecclesias ingredi debeant, ut divinæ majestati cultum, et obsequium debitum exhiberent, atque ex bonis, quæ ibi dispensantur, eximie proficerent, corda sua e contra lascivo, et impuro amore succendunt, nec quicquam aliud cogitant, quam ut carnales appetitus suos nutrire, et fovere possint. Deum interea, ejusque Sacramenta parum, aut nihil curantes, qui proinde ab ira Dei valde sibi cavere debent. MANSI, *disc.* XVI, n. 11.

Difficulter quidem credi potest, quod de antiquo Salomonis templo narratur; verumtamen, quidquid Sacra Scriptura perhibente asseritur, in dubium vocari penitus nequit. In illa namque fabrica ter milleni, et trecenti opificum Magistri, et octuaginta tria millia artificum, quos Rex Tyri miserat, et totidem ab Ægypti Rege missi laborabant et tamen in hac innumerabili murariorum, lapicidarum, et fabrorum ferrariorum multitudine, in tam varia tot instrumentorum ex ferro, et chalybe confectorum, limarum, martellorum, serrarum, trullarumque congerie, unicus duntaxat, Regis nutus sufficiebat, ut ne vel minimus uspiam audiretur laborantium strepitus : *Malleus et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur.* At vero dicite fideles, numquid verum est, quod *ecce plusquam Salomon hic?* Et tamen Redemptor noster per tot decreta, tot Canones Synodos, Concilia, Leges Ecclesiasticas a fidelibus suis hactenus obtinere non potuit, ut in Domo sua linguas suas refrænarent, caverent garrulitatum strepitus, et venerabundi inibi, et reverenter morarentur. Qua in re Pagani nos utique confundunt, de quibus Seneca scribit, quod eo tempore, quo divina Diis suis obsequia persolvebant, præconis officium fuerit, ut omnes divinis assistentes, fanum circumeundo, modestiæ, et silentii his verbis commonefacerent : *Favete linguis, silentium observate. Ib., disc.* XVII, n. 1.

Rupertus Abbas prolixo quodam discursu detonat adversus templum Jerosolymitanum, utpote quod cum omni sua magnificentia, divitiarum amplitudine, et infinita, quam penes universum mundum habebat, veneratione, postquam tanto cum dispendio, ingentiumque thesaurorum plusquam regio sumptu fabricatum fuisset, impedire nequivit, quin illud per manum exercitus Babylonici accenderetur, et penitus conflagraret. Erudiendus namque erat mundus, inquit venerabilis hic Abbas, eatenus juvenis, et luxuriosus, ne putaret, quod habitator cœlorum Deus auro templi manufacti, vel civitatum opibus delectetur, et non potius hominum fide, et bonis operibus, quibus intus in anima templum illi præparatur, quo solo delectetur, ubi adoretur, in quo videri, præsens agnosci dignetur, sine quo frustra foris lampadibus, vel auro templi manufacti requiratur. Rupert., l. I, *in* c. II. *Jerem.*

Observant aliqui, quod S. Petrus aliquanto spatio a Salvatore super mare ambulante remotus, postquam magna cum fiducia dixisset : *Jube me ad te venire super aquas;* liquidum illud elementum generosa fide calcare cœperit, cumque ad Christum propinquius accessisset, impetuosum quemdam, validumque ventum sentiens, metu gravi percussus fuerit : propter quod Christus illum increpavit dicens : Modicæ fidei quare dubitasti? ubi D. Chrysostomus ait : Magna cum fiducia in aquas descendit, ad ventorum autem impetum, animi magnitudinem retinere non potuit, præsertim cum jam prope Christum esset : maxime autem proposito nostro deserviunt sequentia ejusdem sancti Doctoris verba : Nihil certe prodest, loco juxta Christum esse, si fide non sis; quid enim prodest, si domum Dei frequenter visites, ubi Sacramenta administrantur, ubi cœlorum thesauri dispensantur, ubi signatura est gratiæ, ubi Deus ipse corporaliter præsens assistit, si qui eo accedere debeas, ut bonis hisce locupletaveris, eo te cum intentione Deum per scandala, et dissolutionem injuriis afficiendi, Domumque ejus sanctam prophanandi, conferas? S. Chrys. *hom.* LI *in Evan.*

TEMPUS.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est juxta Aristotelem, numerus motus secundum prius, et posterius; seu, ut alii explicant, est quantitas continua certo partium numero circumscripta, per se apta mensurare motum. (Arist., l. IV. *Physic.*) Unde veteres pinxerunt tempus super globum stans, quia semper rotatur : alas in plantis gerens, quia semper avolat : novaculam in manu gerens, quia omnia conficit : fronte capillatum, et retro calvum, quia instans solum capi potest, elapsum autem revocari nequit. *Fab. conc.* VI, *in festo S. Cath.*

Divisio. — Dividitur in *Præteritum, Præsens, et Futurum,* de quibus Apostolus locutus est dicens : quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis. Philipp. III, 13.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Ecce nunc tempus acceptabile : ecce nunc dies salutis. II. *Cor.* VI, 2.

Tempus breve est : reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, sint, tamquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi. I. *Cor.* VII, 29.

Senectus autem venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata : cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. *Sap.* IV, 8, Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. *Eccl.*, c. III.

Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio. *Ibid.*, c. VIII.

Non est vestrum, nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. *Act.* I.

Est tacens non habens sensum loquelæ; et est tacens, sciens tempus aptum. *Eccl.*, c. XX, 6.

Vocavit adversum me tempus. *Thren.*, c. I.

In timore incolatus vestri tempore conversamini. I. *Petr.*, c. I.

Utilitas. — Momentaneum hoc, et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. II. *Cor.*, c. IX.

Temporis usus. — Videte, Fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt (id est miseri, et ærumnosi.) *Ephes.* V, 15.

Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te prætereat. *Eccl.* XIV, 14.

Filii conserva tempus, et devita a malo. *Ib.* IV, 15.

Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei. *Gal.* VI, 10.

Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. *Ib.* XII, 35.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Quid familiarius, et notius commemoramus, quam tempus! et intelligigimus utique, cum id loquimur : intelligimus etiam, cum alio loquente id audimus. Quid ergo est tempus? si nemo ex me quærat, scio : si explicare velim quærenti, nescio. S. Aug., l. I, *conf.*, c. I.

Nihil pretiosius tempore, et heu nihil hodie vilius reputatur. Transeunt dies salutis, et nemo recogitat. Nemo sibi perire diem, et numquam rediturum causavit : sed, sicut capillus de capite, sic nec momentum peribit de tempore. S Bern., *s. ad Scholar.*

Quid est redimere tempus; nisi, cum opus est, etiam detrimento temporalium commodorum, ad æterna quærenda, et capessenda, spatia temporis comparare? S. Aug. *ho.* I, *in* tr. L.

Ne dicas, priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt : virtutes faciunt dies bonos, vitia malos. S. Hier., *in* c. XIV. *Eccl.*

O vita præsens, quam multos decipis, quæ dum cognosceris, nihil es; dum videris, umbra es; qui te quærunt, non te cognoscunt; et qui te cognoscunt, non te quærunt; qui te fugiunt, ipsi te intelligunt. Vera non est via, quam tu ostendis, fugitiva est velut somnium. Aliis ostendis te longam, ut perdas in finem; aliis largam, ut faciant, quæcumque volunt; aliis angustam, ut non faciant bonum; aliis tristem, ut non consolentur de bono. Hæc sunt duodecim pericula, quibus Psalmista in persona hujusmodi peccatoris dicit, *pericula inferni invenerunt me*. S. Bern., t. I, s. XIII, art. 3.

Unaquæque res eo magis diligenda est, quo pluris esse cognoscitur; præstat quippe æstimationem rei ipsius agnita virtus, quæ tunc apparet amabilis, cum primæ innititur veritati, et quæsu suo locupletes suos esse facit in cœlo. Hinc indulti temporis pretiositas commendatur. S. Laur. *Just. de vit. solit.*, c. X.

Dissipat substantiam suam, scilicet tempus, quod est majoris pretii omnibus aliis rebus mundi, quia tempus tantum valet, quantum Deus; quia si Diabolus haberet unum modicum tempus, in quo posset pœnitere, sicut nos, ipse salvaretur, et acquireret Deum, et per consequens tantum valet tempus, quantum Deus. S. Bern., t. IV, *serm.* XVIII, p. 1.

Tam pretiosum est tempus, quod damnati darent omnes thesauros mundi, si haberent in potestate sua, pro habendo momentum temporis, in quo possent pœnitere, et evadere tantas pœnas. S. Antonin., p. 2, t. IX, c. XIV, § 1.

Heu! quam mortalium est ista plangenda conditio, detestanda cœcitas, infelicitas fugienda. Abutuntur perversi homines naturalibus bonis; veniæ tempus otiose conversando consumunt. O si agnoscerent, quanti æstimandum sit, quod sine consideratione amittunt. Cæterum quid pretiosius tempore? quid, quæso illo fructuosius? quid carius? quid excellentius? quidve amabilius? sed, proh dolor! pene ab omnibus nihil habetur vilius, nil tractatur inutilius, nil indignius possidetur. S. Laur. Just. l. c.

Vita nostra quasi mercatus est, cujus tempus cum abierit, tempus amplius non erit emendi, quæ velis. Non debemus perdere occasionem redimendi tempus, quando nobis offertur, secus incurremus periculum perdendi lucrum, quod facere possumus, quod est omnium maximum, ac propterea *dum tempus habemus, operemur bonum*. S. GREG. NAZIAN. *apud. Mansi dis.* XIV, n. 7.

Ineffabilis Dei pietas humano providebat generi, breviter laborare, et æternaliter coronari; ideo pretiosa nobis debent esse tempora, ne perdamus per negligentiam, quod per bonæ vitæ exercitium habere poterimus æternum. ALCUIN. *ep.* I.

Cætera, quæ habemus in mundo, a nobis aliena sunt, tempus autem proprium nostrum est, si tamen illo utimur ad salutem. Illud siquidem divina nobis clementia contulit, ad plangendum errata, ad pœnitentiam faciendam, ad promerendam indulgentiam, ad virtutes acquirendas, ad multiplicanda merita, ad vindicandam gratiam, ad inferni supplicia evadenda, ad æternam gloriam consequendam. S. LAUR. JUST. l. c.

Ille prudentissimus est, qui sic scit transeunda in usum vertere, ut tamen non norit in eorum defectu mentem a sua stabilitate inclinare, omnia enim suo tempore bene utenti sunt bona. HUGO DE S. VICTOR. *ho.* XIII, *in Eccl.*

Frustra est tristitia temporum labentium perditorum (ita discurrit Simon de Cassia), reprehendi solum possunt, aut in tabula damnata depingi tempora vacua, quæ præteritum in suo jure suscepit; corrigi autem numquam, nec in charta satisfactoris adscribi. Potius, male actum, per pœnitentiam sequentem diluitur, quam recuperari possit bonum, quod excidit ex incuria, aut negligentia, vel quomodolibet prætermissum. Non ergo prætereamus horam nostram, quia nescimus horam divinam. Hora nostra est actionis, dijudicationis est hora divina; ait enim ipse Salvator : Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. SIMON DE CASSIA l. XIII.

Si tibi vinum minuatur in utre, tristaris, diem perdis, et gaudes. S. AUGUST. *ser.* XVII, *de verb. Do.*

Illum diem vixisse te computa, quem non malitia, non invidia, non superbia commaculavit, qui peccato non cessit, qui Diabolo repugnavit. EUCHERIUS AD MONACHOS.

Tempus amissum difficulter recuperatur. CHRYSOLL.

Sæpe Tempus remedium affert rebus immedicabilibus. BERNARD. *ad jol.*

Tempora non fortuito, sed Dei providenti alabuntur. AUGUST. *in Epist.* XXIX.

Homini crescenti non adduntur, sed subtrahuntur anni. *Idem sup. Ps.* LXV.

Nil longum quod finem habet; æternitati comparatum omne tempus breve est. HIERONYM. *in Jerem.* II.

Discernendum est quid præcedat æternitate, quid tempore, quid electione, quid origine, æternitate sicut Deus omnia, tempore sicut flos fructum, electione sicut fructus florem; origne sicut sonus cantum. AUGUST. *in quod sermone.*

UTILITAS. — Quis mente assequatur, ut pretiosum est tempus? aut quis lingua charitatem ejus explicet? norunt, qui amiserunt, hi enim grato animo erogarent opes; honores, delicias, et quidquid est voluptatis pro una horula; nam exiguo illo tempore possent iram, ac furorem divinæ justitiæ sedare, Angelos exhilarare, flammis æternis se eripere, et cœleste regnum adipisci. S. LAUR. JUST. *de vit. solit.* c. X.

Nemo vestrum parvi æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens, quid amittat. Libet fabulari, aiunt, donec hora prætereat. O, donec hora prætereat! quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio Conditoris indulserat. O, donec transeat tempus! quo divinam propitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. S. BERN. *s. ad Scholares.*

Vide, peccator, temporis pretiositatem, quia modico tempore potest homo lucrari veniam, gratiam, et gloriam. S. BERNARDIN. FER. IV, *post. Dom.* I. *Quad.* c. IV.

Tempus tantum valet, quantum Deus : quippe in tempore bene consumpto comparatur Deus. *Idem* I, *Quad.* c. IV.

DAMNUM. — Si non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur; fur etiam ad hoc venit, ut thesaurum indiligenter custoditum tollat. Thesaurus utique indiligenter custoditus est pretiosissimum tempus, quod merito Dominus peccatori tollit, quia illud male vivendo in lucro non ponit. (S. BERN. t. I, *ser.* XIII, art. 3, c. IX.) Unde Matth. XIII, inquit benedictus Jesus : *Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo.* (MATT. XIII, XII et XXV, 29.) Habet utique justus tempus, quod bene expendit; huic tempus habenti, tempus in fine datur, et spatium cogitandi, et etiam purgandi conscientiam suam; et abundabit, scilicet plenitudine vera, venia magna, gratia larga, et gloria infinita. Ille vero non habet, qui male vivendo amisit pretiosissimum tempus; et divino judicio, et diabolico opere fit, ut, sicut peccator stulte tempus, cum viveret, amisit; sic stultissime in incerto tempore mortis speret, Ita, quod, dum tempus pœnitendi in fine se sperat habere, digno judicio Dei per inexpectatam, vel subitaneam mortem spatium pœnitendi non valeat obtinere.

USUS. — Cur tibi adhuc proferenda tam longa temporum promittis spatia imo etiam si vel unam horam in hac vita facias? An forte mente excidit, quod Salvator in Evangelico dicit, *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam?* Quapropter discute corporis inertiam, semperque memento, quia regnum cœlorum non tepidi, non molles, non desides; sed violenti, atque ferventes diripiunt. S. ISIDOR. *l. de confict. vitior. et virt.*

EXEMPLA CATHOLICA.

QUALITAS, ET ÆSTIMATIO. — Sanctus Augustinus, quanti faceret tempus, ipsemet testatus est, dum dixit : Caro mihi valent stillæ temporum. (S. AUG. l. I, *conf.* c. XXI, Alicui hæc verba scripsit :) Sed mi Frater, et tu, credo, quod noveris, quanta sint in manibus meis, quibus ob diversas curas, quas nostræ servitutis necessitas habet, vix mihi paucissimæ guttæ temporis stillantur, quas aliis rebus si impendero, contra officium meum mihi facere videor. *Idem ep.* CXXXVI.

S. Bernardus, ut redimeret præteritum tempus, sic alloquebatur Deum : De mea misera vita sume obsecro residuum annorum meorum; pro his vero, quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum, et humiliatum ne despicias. CANT.

S. Barlaam senex, cum rogatus a Josaphat Principe, quot annorum esset? respondit, annos, ni fallor, quinque, et quadraginta natus sum. Rursus vero miranti Principi responsum tale, dixit : Si annos meos ab ipso vitæ ortu nosse quæris, recte sane eos plus, quam septuaginta, esse conjecisti, at mihi quidem nullo omnino modo inter vitæ annos censentur, qui in mundi hujus vanitate consumpti sunt. S. DAM. *in vit.*

Clemens VIII. variis de jactura rerum suarum conquerentibus respondisse fertur, eam jacturam rei gravissimam esse, quæ semel amissa recuperari non potest, eamque temporis esse. ENGELGR. *in Cœlo Emp.* § 2, *in Festa Novi anni.*

Quidam miles, cum Antuerpiæ in Nosocomio lecto affixus contabesceret; cum nec Rosarium nosset recitare, doctus est ita id recitare, ut singulis, quibus vixit diebus (erat autem sexagenarius) unum Rosarium responderet; incepit ergo triginta diebus singulis Rosaria recitare, et eo numero post biennium completo e vivis excessit. *Ibid.*

Mulier quædam Japonensis nomen Amidæ sui singulis diebus 14000. pronuntiare, et ad hoc a Dæmone bene mane excitari solita, postea ad fidem Catholicam conversa, toties SS. Jesu, et Mariæ nomina recitavit, atque ad hoc facilius præstandum ab Angelo bono excitata est. *Ibid.*

Cum vir quidam Religiosus audivisset horribilem ejulatum, quærens, quis, et qua de causa sic lamentaretur? audivit, se unam ex animabus damnatis esse, nihilque se, et alios damnatos lugere magis, quam temporis jacturam. *Ibid. ex Humberto de* VII, *donis.*

S. Franciscus Salesius de se ipso scripsit : Ah! quando considero, quibus hactenus impenderim tempus Dei, magnis premor angustiis, timens, ne me velit excludere ab æterna gloria; hanc enim non nisi tempus bene impendentibus communicare intendit. Ex quibus hoc jam conficio argumentum : quanto majorem illi habebunt occasionem timendi Deum, qui tempus inutiliter profundunt in ludos, recreationes, convivia, ac similes dissolutiones, suntque hostes laboris? S. FRANC. *Salesius* l. VII, ep. XI.

Domina de Cantal fuit primogenita spiritualis filia S. Francisci de Sales, nec non prima petra fundamentalis, cujus opera ille instituit Ordinem Visitationis; de ista in vita sua legitur l. I, pag. 28. quod toto tempore viduitatis suæ numquam visa, aut inventa fuerit otiosa, in ipsismet conversationibus non abhorrebat laborem. Cuidam illam roganti, ut spiritum nonnihil relaxaret, et arcum nimia occupatione tensum tantisper remitteret, gratiose replicans dicebat : Si unicum momentum temporis perderem, furti me ream existimarem, illud enim Ecclesiæ, et pauperibus totaliter dedicavi. *Vita* l. I. *f.* XXVIII.

Servus Dei Juvenalis Ancinæ, dignus filius S. Philippi Nerii, de cujus Beatificatione jam agitur in congregatione Rituum, erat inimicus otii; Unde in ejus vita legitur, quod, cum frater ejus illi scripsisset, ut inter domesticos computus inquireret, et videret, quanta esset summa pecuniæ, quam quidam deberet, ut illam exigere posset, respondit : Sufficit; ego non habeo tempus inquirendi hujusmodi quisquilias; malo fraudem pati, quam tempus pretiosissimum conterere. *Vita* l. III, c. XIV.

Beati Cœlites inter cœtera S. Mechtildi dixerunt : Si homines pretium temporis, et quot uno die, bono ejus usu, meritorum cumulos exaggerare possent, bene apprehenderent, continuo, ubi mane evigilarunt, in labores pro Deo incumberent, nec momentum infructuose præterlabi sinerent. PETR. *Pennequin* p. 3, *Isagogæ* c. IV.

Cum Episcopum quemdam virum probum in extremis agentem adiisset Cardinalis doctus simul, et sanctus, rogassetque, qui animo valeret, respondissetque ille, Bene, nullius enim, inquit, peccati, quod sanguine Christi abluere non sim conatus, me remordet conscienta. Bene habet, inquit Cardinalis, et verum te loqui arbitror; si de peccatis omissionis examen Deus instituat, quid respondebis? Heu me, intulit ille cum alto suspirio, et lacrimis; si omissiones meas appendere voluerit Deus, quo ibo ? *Ibidem.*

P. Paulus Barry narrat, Dæmonem fassum, si Deus illi post diem judicii indulgeret unicum punctulum temporis ad promerendum cœlum, facturum se plus pro Deo, quam fecerint omnes Sancti. Alius jussus dicere, quod tormentum sit summum apud inferos? dixit : jactura temporis. BARRY *in solit.* CCLVI.

Vir quidam admodum religiosus, qui toto triennio acutissimos podagræ dolores pertulit usque ad obitum, mortuus cuidam viro spectabilem se dedit, dixitque. Si tantillum sibi adhuc temporis superesset æternitati vitæ novæ exercitiis curandæ, et in hac vita merendi, quod sufficeret ad recitandum unum *Ave,* se libentissime altero iterum triennio acutissimum quodvis podagræ genus ultro toleraturum; modo tantillum temporis tantis doloribus emere posset. LYRCUS *de Chryst. patient.* l. I, c. VIII.

Cum quidam dives Clericus vigilaret Parisiis ad fenestram studens, et quidam cantaret in vico quamdam cantilenam, quæ dicebat Gallice : *Tempus vadit, et ego nihil feci; tempus venit, et ego nihil operor :* incepit recogitare circa dulcedinem cantus, et post circa verbi sententiam cogitans, quod sibi competeret, quasi sermonem a Deo sibi missum illum recipiens, in manu omnia relinquens, Ordinem Fratrum Prædicatorum intravit. BELLOV. *spec.* p. 6, l. III, disc. VI.

Magnus quidam vir toties suspirabat, quoties audivit signa sonantis horologii; interrogatus, cur suspiraret toties, sapienter respondit, non parum se inde affligi; quod sciret, se Deo redditurum rationem, quo videlicet modo tempus impendisset, nec non de omnibus defectibus ab eo tempore commissis, quo rationis usum habere cœpisset. MANSI d. V, n. 9.

EXEMPLA PROFANA.

Similius, cum plures annos in Præfectura invitus, septem vero dumtaxat ultimos in suburbano prædio cum quiete, transegisset, sepulchro suo inscribi jussit : Similius hic jacet, cujus ætas multorum quidem annorum fuit, septem tamen dumtaxat annis vixit. *Dio Cassius in vita Adriani.*

Simonides rogatus, quot annis vixisset, respondit; Tempus quidem exiguum, annos vero multos. STOBÆUS s. XCVI.

Titus Vespasiani Filius, cum quadam nocte recordaretur, se eo die amicis nullum beneficium contulisse, cum gemitu dixit : Hodie diem perdidi. S. HIERON. *in ep. ad Gal.* VI, 10.

Alexander Magnus cum quidam diceret, se granum ciceris per foramen acus, quoties vellet trajicere posse, graviter ei succensuit, quod re tam vana discenda tantum temporis perdidisset. ÆLIAN. l. I, c. XIV.

Cato Uticensis numquam sine libro Curiam adire solebat, ut illud temporis, quo Senatus coit, fabulis non consumeret, otiosus non permaneret. VAL. l. VIII, t. VI.

Platonis ea constantia fuit in legendo, ut moriens Sophronem Poetam Syracusium capiti suppositum habuerit. *Idem* c. II.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut unda undam perpetuo propellit; ita dies diem trudit. ROTEROD. *in simil.*

Sicut a currente flumine tantum habes, quantum hauris; ita ex annis semper euntibus nihil accipis, nisi quod in res duraturas collocaris. *Idem.*

Sicut ciconias nemo advenire sentit, sed advenisse, nemo discedere, sed discessisse eo quod clanculum faciant utrumque; ita tempus juventutis non sentimus advenire, sed advenisse, tempus senectutis non sentimus discedere, sed discessisse. *Idem.*

Usus Temporis. — Sicut Sartor, quando parum habet panni ad conficiendam vestem, tunc antequam eam scindat, sedulo metitur per ulnas, et nihil temere abjicit, sed, quibus potest, modis extendit; ita, quoniam scimus, pauculos esse dies nostros, sedulo eos metiri, nihilque perdere, sed omnes horas utiliter collocare debemus. Faber *conc.* vi *in Festo S. Cath.* n. 1.

Sicut das nummos, et panem emis, aut vinum, aut aliud quidpiam; sic perde nummos, ut emas tibi quietem, id est, tempus Deo, et tibi vacandi. S. Aug. s. xxiv, *de verb. Apost.*

Sicut nemo balsamum, vel aliud pretiosum unguentum abjicit in cloacam, vel calceis inungendis impendit; sic neque tempus abjicere, aut rebus inutilibus impendere oportet. Beyrlinck *in theat. v. eod.*

Sicut merito graviter culpandus censeretur cellarius, qui epistomium dolio non diligenter applicaret, et pretiosissimum vinum in terram effluere sineret; ita non minus reprehensione dignus censeri debet, qui tempus, quo nihil est pretiosius, sine fructu elabi sinit. Anonym.

Sicut Telonarii nullum viatorem transire sinunt, a quo telonium non exigant; ita neque homo ullum deberet tempus transire sinere, a quo non telonium boni operis petat *Idem.*

Sicut si pauperi thesaurus regius aperiretur cum facultate eo die, quidquid posset, exportandi, nec momentum is sine exportatione abire sineret; ita cum jam merendi tempus habeat homo, nullum negligere deberet. *Idem.*

Sicut Mercatores Nundinarum tempus accuratissime observant; ita non minus tempus hujus vitæ, quod nundinis comparant SS. Patres, diligenter observari oportet; monente Ecclesiaste : Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare. c. ix, v. 10.

MOTIVA.

Ad Tempus utiliter collocandum. — *Brevitas temporis :* hinc Seneca dicere solebat : Eo magis indignor, aliquos ex hoc tempore (quod sufficere nec ad necessaria quidem potest, etiamsi custoditum diligentissime fuerit) in supervacua majorem partem erogare. (Seneca ep. xlix.) Ejus brevitatem etiam S. Jacobus insinuat dicens : *Quæ est vita nostra? vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur.* (S. Jacobus, iv.) Et confirmans id ipsum S. Augustinus, Recole, ait, annos ab Adam usque in hodiernum diem : percurre Scripturas. Heri pene Adam ille de Paradiso delapsus est, tot sæcula emensa voluta sunt. Ubi sunt præterita tempora? Sic pauca, quæ restant, utique pertransibunt. Si toto illo tempore viveres, ex quo Adam de Paradiso dimissus est, usque in hodiernum diem, certe videres, vitam tuam non fuisse diuturnam, quæ sic avolasset. Unius autem cujusque hominis vita quanta est? Adde quantoslibet annos, duc longissimam senectutem, quid est? Nonne aura est matutina. S. Aug. *in Ps.* xxxvi.

Nobilitas temporis : de qua recte concionator quidam hortatur : Cogita de tempore, quod perdis, quod illi qui in inferno sunt, darent totum mundum, si haberent, pro eo. Engelgr. *in Festo Novi anni.*

Irrevocabilitas : nam, ut recte Seneca dixit, Nemo annos, nemo tot dies optimos restituet, nemo iterum tibi reddet. (Seneca *de brev. vit.* c. ix.) Hinc illa cujusdam lamentatio.

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum.
Rex poterit rebus succurrere; nemo diebus.

Quia tempus molæ simile est versatili, cui si materiam utilem proterendam, et frumentum, hordeum, aliudve hujuscemodi subjeceris, non sine fructu eam tibi restituet; sin vero arenam, aut paleam, et illam corrumpes, et fructu, quem alioquin colligere poteras, tua incuria, et vecordia carebis. Ap. Drex. *ocult. aurif. Penneq. diss,* c, n. 10.

Quia exempla agricolarum, vinitorum, institorum, pauperum, tempus sementis, putationis, nundinarum, eleemosynæ accipiendæ, tam studiose observantium *excitare deberent.* S. Bern. *de tripl, cust.*

MEDIA.

Ad eumdem finem. — *Intentio bona :* hæc enim est, quæ tempus redimit, ne sine fructu transeat. Hinc S. Hieronymus ait : Quando tempus in bono consumimus, emimus illud, et proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat, sicque dies malos in bonos vertimus, et facimus illos non præsentis sæculi, sed futuri. S. Hier. *in* c. v, *ep. ad Eph.*

Ordinis diurni exacta observatio : sic enim fiet ut a passionibus non abripiamur ad multa otiosa, et inutilia opera perpetranda, cum animus semper certo operi affixus sit.

Gratiæ, et gloriæ divinæ digna æstimatio : hæc quippe faciet, ut non minus avide harum lucrum quæsituri simus, quam mercatores lucro temporalium divitiarum inhiare soleant.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, cur tantopere æstimandum sit tempus; id quod S. Bonaventura his verbis indicavit : Ecce tempus, quo nihil pretiosius; quapropter magnopere pensandum, qualiter dispensandum, ne fortassis indecenter in defectibus expendatur. Et nota quod tempus plangendi, tempus acquirendi, et tempus custodiendi; quorum primo nihil pretiosius pœnitenti, secundo nihil pretiosius perficienti, tertio nihil pretiosius pervenienti. S. Bon. *in Ps.* cxviii.

Nosse debet; quinam sint dies mali, de quibus Apostolus Eph. c. v, *dixit : Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt :* Nimirum, ut Dionysus Carthusianus interpretatur, dies mali sunt, non quod dies in se mali sint, sed quia mala insunt hominibus in diebus sæculi hujus viventibus; Scriptura enim tempora ea adscribit, quæ fiunt in tempore; quemadmodum I. Machab. inducitur : *Videns Jonathas, quia tempus eum juvat.* Hinc enim Salvator, *Sufficit,* inquit, *diei malitia sua*; et in Genesi Jacob asseruit : *Dies peregrinationis meæ mali, et parvi.* Dionys. *Carth. in cit. loc.*

Nosse debet : quod nullum tempus æstimandum sit, nisi quod in bonis operibus consumptum est. Hinc Saul duobus dumtaxat annis regnasse dicitur, quia, licet multis annis regnaverit, illis tamen solis regnasse dicitur, in quibus innocens, et humilis fuisse perhibetur, ut ait S. Gregor., qui et addit : Illo ergo solum tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter, et humiliter viximus; nam illa tempora, quæ in sæculi vanitate, et fluxu carnis vita consumpsimus, quasi perdita minime memorantur. (S. Greg. *in* I, *Reg.* c. XIII.) Unde, et Rich. Victorinus : Melior est, inquit, senectus morum, quam annorum; meritorum, quam temporum. (Richard. Vict. *tr. de diff. sacr.*) Perfecta est ætas, ubi perfecta virtus est. (S. August. *ep.* XVI, *ad Paulin.*) Nec male Poeta.

> Vive precor, sed vive Deo : nam vivere mundo
> Mortis opus; una est vivere vita Deo.

Nosse debet, quomodo præteritum tempus redimere queat; id quod præclare S. Th. ostendit, dicens : Contingit quandoque, quod aliquis per magnnm tempus vitæ vivit in peccato, et hoc est tempus perditum : sed quomodo redimet, cum homo non sufficiat ad debita persolvenda? respondeo : dicendum est, quod tanto magis debet vacare operibus bonis, quanto prius instituit malis. (S. Th. *in epist. ad Eph.* v, c.) Nam, ut S. Hieron. ait, subitus calor longum teporem vincit. Hinc cum quondam S. Gertrudis peteret a Deo, et Sponso suo Christo, ut peccatorum suorum, et defectuum non recordaretur amplius, rapta est a Christo in cœlum, et cum veste laciniis, et centonibus consuta coram Patre cœlesti apparuit; ubi quamprimum Christus pro ea peroravit, et pretium vitæ, ac sanguinis obtulit, de repente vestis illa, in qua omnes illius defectus distincte repræsentabantur, lamina aurea, instar chrystalli lucida, cooperta fuit. (S. Hier. *in epist. ad Paulin. Insin.* l. IV, c. 28.) Hinc S. Bernardus ait : Tempora, quæ infructuose expendistis, reparentur per fructuosissimam occupationem temporis præsentis, atque restantis, quatenus priores negligentias, et impietates recompensetis per ardentissimam conversationem temporis nondum elapsi, quo estis victuri, ne inter impios numeremini, de qui bus canit Psalmista : *Viri sanguinum etc.* (S. Bern. *ad tripl. Cust.*) Quod confirmans S. Anselmus : Tempus, inquit, redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus; dum enim male agimus, tempus, in quo bene operari deberemus, ammittimus; sed damnum temporis redimimus, si ita vitam commendamus, ut ea bona, quæ olim facere negleximus, et ea, quæ nunc facere debemus, faciamus. S. Ans. *ap. Mansi* d. xiv, n. 4.

Nosse debet, non male impendi tempus, cum relaxationi honestæ impenditur : Nimirum omnium rerum vicissitudo jucunda est, teste Aristotele; quia, quod semper est idem, in exuberantiam transit, et præsentem habitum corrumpit. Hinc, et Seneca, Inter se, inquit, ista scilicet, quies, et actio miscenda sunt, et quiescenti agendum, et agenti quiescendum; cum rerum natura delibera, illa dicet tibi, se diem fecisse, et noctem. (Aristot. l. II, *Rhet.* c. ccxxxviii. *Seneca Ep.* iii.) Unde Religiosum ex Ordine Cisterciensi Robertum nomine, quem nimia animi applicatio rationis usu dejecerat, apud S. Birgittam pro ejus valetudine deprecantem condemnat Deus, hac in medium allata similitudine : Unus aliquis ad excolendam vineam conductus fuit, quæ, cum plurium dierum laborem exigeret, ille lucri captus cupiditate, totam culturam uno die voluit absolvere, ac nimia laboris contentione in morbum incidens, et vineam majori ex parte incultam reliquit, et mercede fraudatus est; hoc scilicet damnum intulit indiscreta cupiditas; ego tamen tuis precibus inclinatus hominem pristinæ sanitati restituam. (S. Birgit.) Recte ergo S. Bernardus Sponsæ exemplum adducens : Ut potita, inquit, votis anima, aliquatenus tanto ardentius redeat in idipsum, quanto infructuosius intermisisse meminerit : et iterum sumpto contemplationis gustu, valentius ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat. S. Bern. *ser.* lvii, *in Cant.*

Nosse debet, quomodo ejusmodi tempus utiliter usurpari queat; scilicet ut, quemadmodum Plato monuit, medicinæ loco adhibeatur. Medicina sumitur in remedium restituendæ sanitatis per labores debilitatæ, ut nimirum pristinis recuperatis viribus rursum operari possimus; ita fiat in honestis recreationibus, omnesque, qui virtutem amant, semperque se fatigare conantur, cogitent necesse est; etenim *Spiritus quidem promptus est : caro autem infirma;* ut igitur in cursu perfectionis perseverare, tentationibusque resistere, ac majori conatu in servitio proficere valeant, refocillatione opus est. Verum illud quoque observandum, quod, quemadmodum medicina nociva esset, nisi potio sumenda sit limitata, et moderata juxta morbum, et complexionem sumentis; ad eumdem modum recreationes, quibus timorati vacare cogitant, intra convenientes subsistant limites, oportet. Attendendum (ait S. Thomas) sicut in omnibus humanis actibus, ut congruat personæ, loco, tempori, et secundum alias circumstantias debite ordinetur, ut scilicet sit tempore, et homine dignum. Plato, l. VIII, *de repub.* c. iv.

Nosse debet fontes, ex quibus malus usus temporis oritur, quos Petrus Pennequin indicavit, dum citans S. Bernardum dicentem. Esse aliquos semper, quod non habent, cupientes, et quod habent, fastidientes, et propterea in neutro proficientes : Ait, hoc ex tribus inconstantiæ fontibus oriri, vel ex impatientia laboris, quem supra vires assumimus; vel ex levitate naturæ (ut enim recte notat idem Sanctus : Pusillanimitas facit propositum relinquere, levitas mutare) : vel denique ex naturæ nostræ ad vicissitudinem propensione. Hac animi nostri ad mutationem inclinatione, ad labefactandam in rebus bene constitutis constantiam, utitur Dæmon, ac meliorum specie præsentia corrumpit : ordineque perturbato, pacem etiam animi, et res agendas perturbat, et evertit : frænandi omnes impetus, et naturæ mutabilitas coercenda, imitandusque insignis, et a S. Ephrem laudatus eremi Athleta Abrahamus, qui eumdem temporis ordinem, actionumque canonem totis quinquaginta annis, quibus in eremo vixit, constanter tenuit. Penneq. p. III, *Isag.* c. iv, n. 6.

Nosse debet, et firmiter statuere, reliquum vitæ tempus bene impendere, eumque in finem meminerit, vitam nostram, teste S, Gregorio Nazianz., quasi mercatum esse, cujus dies cum abierit, tempus non erit emendi. (S. Greg. Nazianz., *de sentem.*) Dicat proinde cum S. Chrysologo : Vivamus Deo paululum : qui sæculo viximus totum : dedimus corpori annum, demus animæ paucos dies, tempus est, ut aliquando domui tuæ provideas. S. Chrysol. s. xxii.

Nosse debet modum legitimum tempus suum dispensandi, quem quidem jam pridem Bias Philos. docuit, dum dixit : Ita metiendum cuique esse tempus, quasi diu, et parum victuri simus.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Fili, conserva tempus, et devita a malo* (*Eccl.* ix, 23) : potest ostendi, quod vita nostra sit telonio similis, cum semper transeat tempus, a quo telonium boni operis petere jubemur; de quo quatuor partes nobis relinquit, scilicet fructum meritorium, satisfactorium, impetratorium et consolatorium, seu gaudii, quod ex bono opere patrato sequitur; solam quintam, ut olim Joseph Patriarcha fecerat, sibi reservat, scilicet fructum laudis, et gloriæ, quam alteri non dabit. Unde duo potissimum corollaria deducentur. 1. Quanta bona ex tempore bene impenso sperare quis possit, utpote de quo tot partes ipsi a Deo relinquuntur. 2. Quam gravis culpa, et negligentia censenda sit eorum, qui tempus inutiliter consumunt; si enim Telonarium illum merito culpabilem diceremus, qui nullam telonii, quantumvis levis, rationem haberet, quanto magis culpandus censebitur, qui tam pretiosi telonii curam non habet?

Ex occasione thematis: *Videte, Fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus* (Ephes. v, 15): potest ostendi, vitam nostram mercatui similem esse; atque ideo 1. inferri, quanta cura habenda sit temporis, utpote in quo opera nostra tam caro vendere, et tam pretiosas merces comparare possimus. 2. Quas potissimum merces emere, aut vendere, debeamus, scilicet optimas quasque; id quod faciemus, si multum pro Deo patiamur, et agamus: opera nostra cum magno fervore peragamus: purissimam iisdem intentionem præfigere studeamus.

Ex occasione ejusdem thematis potest ostendi, quomodo tempus redimere possimus: plerique enim clamare coguntur cum Poeta:

> O mihi præteritos referat si Jupiter annos!

Id autem obtinere possumus. 1. Si tantam jacturam patienter feramus; sic enim forte ut Jobo Deus duplicia restituet. 2. Si vitam præteritam amare defleamus, nam, ut S. Anselmus ait, tempus redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus. 3. Si ex occasione præteritæ negligentiæ causam majoris fervoris in servitio Dei arripiamus, eorum viatorum more, qui, ubi in via se tardius, progressos advertunt, gressum fortius celerant. (S. Ans. *in ep. ad Eph.*) Sic, teste S. Chrysost.: Hemorrhoissa, licet ultima venerit, curata recessit, quia etsi ægritudine tardabatur, fidei tamen voluntate volabat. Et multi, ut S. Gregor. loquitur, dum se errasse conspiciunt, damna præterita lucris sequentibus compensant; dum consummati brevi explent tempora multa. Sic S. Paulus, juxta S. Thomam, novissimus in ordine, primus in meritis est: quia extremus licet, plus omnibus laboravit. Et hoc modo, dicit S. Doctor, fieri potest, ut ex fervore recuperetur res prius amissa. S. Thom. *in* c. xx, *Matth.*

ALII CONCEPTUS.

De tempore dixit Aretius: Qui illud vendit, furatur; qui illud emit, decipitur; qui desuper facit contractum, est usurarius; qui tempus promittit, mendax est; qui illud donat, est stolidus, et stupidus; qui illud acceptat, deluditur; totum hoc ideo, quia tempus non habet pretium, neque est vendibile, neque ullius contractus potest esse materia: Et tamen illud est, quod cæteris omnibus rebus confert, et aufert pretium. Aretius, *ad Mansi*, d. iii, n. 4.

Non male de tempore abutentibus discurrit Seneca: Omnia licet, quæ unquam ingenia fulserunt, in hoc unum consentiant, nunquam satis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur. Prædia sua occupari a nullo patiuntur, et, si exigua contentio est de modo finium, ad lapides, et arma discurrunt; in vitam suam incedere alios sinunt, imo vero ipsi etiam possessores ejus futuros inducunt. Nemo invenitur, qui pecuniam suam dividere velit; vitam unusquisque quam multis distribuit? Adstricti sunt in continendo patrimonio; si autem ad temporis jacturam ventum est, profusissimi in eo, cujus unius honesta avaritia est. Seneca, *de brev. vit.* c. iii.

Aversamur, et detestamur Domitianum Imperatorem, quod plurimos dies vitæ suæ consumpserit muscas pugione insequendo, et transadigendo; Ast quot, et quanti hisce reperiuntur temporibus majori correpti dementia? Domitianus namque homo infidelis, et gentilis, nec æternam gloriam, nec tempus datum esse ad illam promerendam credebat; At quot sunt, qui Christiani professione censentur, et nonnisi muscas capiendo tempus insumunt? telas araneæ texuerunt. Eviscerat se aranea, ut telam conficiat ad capiendas muscas; hoc idem multis contingit, qui cum magno sudore annos vitæ suæ transigunt; at fini temporali, et suis phantasiis intenti, ut capiant muscas. De Artabo Rege Hircaniæ legitur, quod talpas capiebat; et de Biante Rege Lidiæ, quod filo inserebat ranas; et quis hujusmodi fatuitatem, et stultitiam in talibus hominibus, qui regnorum administrationi invigilare debebant, non abominaretur? sed quid? An non quoque detestanda est multorum Christianorum stultitia, qui a Deo creati sunt, et redempti propter Regnum cœleste, et tempus ad hoc concessum expendunt in capturam ranarum? an non sunt talpis cæciores? Quot et quanti sunt, qui totum tempus matutinum in poliendo sese, comedendo, et fumificando consumunt? Quot sunt, qui dies suos in jocos, ludos, venationes, et similes occupationes expendunt. (Mansi, d. ii, n. 7.) Hinc S. Bernardus : Considerate, ait, quam multi modo moriuntur; quibus si hæc hora ad agendum pœnitentiam concederetur, quæ tibi concessa est, quomodo ad altaria, et quam festinanter currerent, et ibi flexis genibus, vel certe toto corpore in terram prostrato tam diu suspirarent, plorarent, orarent, donec plenissimam peccatorum veniam a Domino consequi mererentur? Tu vero comedendo, bibendo, jocando, et ridendo tempus otiose vivendo perdis, quod tibi indulserat Deus ad acquirendam gratiam, et promerendam gloriam. S. Bern. c. lxiii, *de domo intern.*

Nonnumquam continget, quod mercator toto die, vel etiam septimana stabit in sua officina, et nullas prorsus divendet merces; at talis postea poterit accidere etiam occasio, quod suffragante fortuna, ac propria industria, transcendente lucro antecedens resarciat damnum. Multi fortassis sunt, qui vixerunt otiosi, dissoluti, pigri in via Dei, et profectu animæ suæ; Ast cum postea se convertunt, tanto cum fervore spiritus cooperantur divinæ gratiæ, tantaque cum virtute præteritæ negligentiæ excutiunt somnum, ut brevi temporis spatio, plurimum proficiant in spiritu, et perfectione, et proficiendo superent multos, qui diuturno tempore in divino servitio se fatigarunt. Mansi, d. xiv, n. 7.

Si fructum percipere de novo anno (idem est de alio tempore) vis, hoc facito, ubi annum expletum videris, gratias age Domino, qui te ad hanc annorum circuitionem perduxit; vitæ tuæ tempus tecum reputa, tecum ad hunc modum verba facito : Dies prætereunt, anni finiuntur, magnam vitæ nostræ partem confecimus; quid boni a nobis factum est? Judicium Dei præ foribus est, et reliquum vitæ tempus ad senectutem vergit. S. Chrys. *in Cal. Ian.*

S Anselmus : Negligentes tempus imitantur, ait, pauperes insipientes : Siquidem pauper insipiens, cum obolum acquirit, aut aliud quid parvi munusculi, dicit : Ad quid illud tantillum servarem? non propter hoc dives ero; expendam itaque hoc in pomis, aut nucibus, aut qualibet alia re mihi delectabili : Non enim illud custodiendo solicitus haberi volo. Sic stolidus, dum parvipendit minora, numquam proficit ad majora : Sapiens autem pauper parva, quæ nanciscitur, custodit, et quo minus se habere considerat, eo magis retinere desiderat, quatenus ex parvulorum congerie ad majora queat quandoque pertingere. S. Ansel. *in simil.* c. cxxxv.

Ducem Albanum in conflictu Caroli Quinti cum Principibus Germanis Lutheranis, in quo dux Saxoniæ, et Landgravius Hessiæ victi, captique fuere, cum a Rege Franciæ interrogaretur, an vere duo soles tum in cœlo paruisset, respondisse ferunt, ita se tum occupatum in prælio, cujus primos ordines ducebat in terris, ut ad ea, quæ in cœlo parebant, non attenderit; quam vereor, ne plerique eorum, quos res publicæ ita captivos tenent, fateri aliquando, et Christo rerum gestarum rationes reposcenti idem, sed sero, respondere cogantur, nempe se pro accessorio principale, pro mundi applausu animi culturam, pro terra cœlum neglexisse. Penner. *in l. c.* n. 19.

Genesis c. l, parentarunt Jacobo Ægyptii pene per quintam anni unius partem, diebus videlicet septuaginta : *Flevit eum Ægyptus septuaginta diebus*, *v.* 3, e contra Filii non nisi hebdomadem dedere luctui, teste Moyse c. eod. *v.* 10. *Fratres vero impleverunt septem dies.* Quid hoc? magisne amarunt advenam Ægyptii, quam fillii patrem? absit, luctus non a tempore, sed a vehementia doloris æstimetur, ait Nyssenus : ad quam alludens vehementiam sacer Historicus : *Celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi, impleverunt;* quasi dicat : Septuagies major fuit dolor filiorum, quam externorum : ideoque amplius isti præstitere diebus septem, quam illi diebus septuaginta. Sepelimus et nos hunc annum, et deflemus damna dierum; fiet autem si planctus magnus sit ut ultimis quatuor quadrantibus horæ impleamus quatuor anni quadrantes. (*Ibid. Harrunk con. rust. in Dom. infra Nativ.* § 7.) Magnis solum opus est desideriis; sicut enim, juxta S. Thomam, unus ab altioris sanctitatis gradu incipit, quam sit summum alterius, ad quod per totam vitam suàm alter pervenit, ita et fieri potest, ut in fine anni tantum Deo quis placeat, quantum alter priori tempore toto. Quod idem etiam ad alia tempora applicari potest. S. THOM. *opusc.* XVII, c. III.

S. Bernardus expendens illud Enochi elogium, Sap. IV. *Consummatus in brevi explevit tempora multa,* non longævitate, ait, sed longanimitate explevit, quanta sane tempora non dierum numero, sed mentis devotione, et inextinguibili proficiendi desiderio percurrere potuit, tanta sibi in meritis non immerito vindicavit; Retinet quidem virtute, quod amisit in tempore. *Ibid.* § 6.

Quidam ingeniosum emblema excogitarunt, quo Sionis filiæ super flumina Babylonis sedebant, et flebant, explorantium vero lacrymis, clepsydræ ad horarum dimensionem fiebant cum lemmate : *Nos flendo reducimus horas. Ibid.*

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Infinita est velocitas temporis, inquit Seneca, quæ magis apparet respicientibus, nam ad præsentia intentos fallit. SENECA, op. XLIX.

Nec male Poeta.

Fugit irreparabile tempus.
Omnis quippe dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit.

Et Ovidius.

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
Et fugiunt fræno non remorante dies.
OVID. l. III, *Fast.*
Nec quæ præteriit, rursum revocabitur unda :
Nec quæ præteriit, hora redire potest.
Idem, l. VI, *Fast.*
Tabida consumit ferrum, lapidesque vetustas,
Nullaque res majus tempore robur habet,
Idem, l. IV, *Pont.*
Hoc etiam sævas paulatim mitigat iras,
Hoc minuit luctus, mæstaque corda levat.
Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas.
L. IV, *erist. elog.* VI.

UTILITAS. — Thales rogatus, quod esset in rerum natura sapientissimum? tempus, respondit; docet enim, eruit, et invenit omnia. (BEYRL. *in theatr. V. eod.*) Hinc dicere solemus : tempus docebit. Et Psalmista ait : Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. *Ps.* XVIII, 3.

USUS. — Falcones Norvegiæ, quia brevissimi ibi dies sunt, magna cum velocitate prædantur, ne a noctu præveniantur, quanto magis homo brevitate temporis concessi uti debet? FAB. *conc.* VI, *in Feste S. Cath.*

Ita fac, mi Lucili, inquit Seneca, vindica te tibi, et tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige, et serva. Persuade tibi, hoc sic esse, ut scribo; quædam tempora surripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt; turpissima tamen est jactura, quæ per negligentiam fit. Et si volueris attendere, maxima pars vitæ elabitur male agentibus, tota vita aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem estimet? SENEC. l. V, *Epist.*

Cum Poeta quidam solem in theatrum induxisset, sublimi quadriga splendentem, a duodecim Nymphis alatis (quæ veloces horas referebant) tractum, quæsitus, cur alias minores, alias majores induxisset? respondit, parvas designare horas orationis, mediocres negotiorum, longissimas somni, prandiorum, ludorum, compotationum etc. ENGELGR. *Domin.* IX, *post Pent.* § 1.

Nihil turpius est, quam grandis natu senex qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, præter ætatem. SENEC. l. III, *de tranq.*

Longa est vita, si plena est. Quid illum sexaginta anni juvant per inertiam acti? non vixit ille, sed in via mortuus est : nec sero mortuus est, sed diu. At ille obiit viridis, sed officia boni civis, boni amici, boni filii executus est, in nulla parte cessavit, licet ætas ejus imperfecta sit, vita perfecta est. *Id. ep.* XXXI.

Non ætas rejicitur florentior, ubi morum est senecta. Theclam non senecta, sed virtus probavit. S. AMBR. *ap. Eng. in festo S. Luc.*

Recte in eumdem finem Martialis.

Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus, hoc est
Vivere bis, vita posse priore frui.
MARTIAL. l. X, *epig.* XXII.

AXIOMATA.

Omnia alia aliena sunt, solum tempus nostrum est. SENEC. ep. IX.

Sæpe, quæ ratione sanari non poterant, sanata sunt tempore. *Idem, l. de morib.*

Omnia tempus habent (*Eccles.* II, 1); seu, ut alius ait,

Tempora gaudendi, sunt tempora certa dolendi.
FLORILEG. *polit.*

Omnia fert tempus. *V. eod.*

Ipsa dies, quandoque Parens, quandoque Noverca est. *Ibid.*

Occasio calva est.

Miserum, venire post Festum.

AUCTORES.

Henricus Engelgrave in Cœlo Empyreo Festo S. Lucæ. Et p. I, Luc. Evang. embl. XXXVII, Dom. IX, post Pent.

Mathias Faber conc. VI, in Festo S. Catharinæ.

Jeremias Drexelius in Aurifondina c. ult.

Josephus Largius Polyant. V. eod.

Laurentius Beyrlinck in Theatro vitæ humanæ. V. eodem.

TENTATIO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est dictum, vel factum ad capiendum de aliquo experimentum, juxta Laurentium Beyrlinck. (BEYRLINC. *in theatro Vi. Hum. V. eod.*) Secundum Petrum Chrysologum vero, est species fallens, quæ prospera in adversis, adversa occultat in prosperis, humanamque ignorantiam dolosos educit in lapsus. PETRUM. CHRYS. s. LXXI.

DIVISIO. — Dividi potest 1. in Divinam, diabolicam, et humanam. *Divina* est, qua Deus hominem tentat, ut probet; qua ratione Salomon ait : Quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. (*Sap.* III, 5.) Et Moyses ad populum dixit : Tentat vos Deus vester? (DEUT. XIII, 3.) Nec huic contrarium est, quod S. Jacob dicit, Deum neminem tentare (S. JAC. ep. I. 13); hoc enim dumtaxat de tentatione ad seductionem intelligendum est. Tribus modis autem, ut ait S. Gregorius : Nos Conditor noster interrogare consuevit, cum aut flagelli districtione nos percutit, et, quanta nobis insit, vel desit patientia, ostendit : aut quædam, quæ nolumus, præcipit, et nostram nobis obedientiam patefacit : aut aliqua nobis occulta aperit, et aliqua abscondit, et nobis mensuram humilitatis nostræ innotescit. Tentare quippe Dei est, nos magnis jussionibus interrogare. Scire quoque ejus est nosse nostram obedientiam nos facere. (S. GREG. l. XXVIII, *mor.* c. V.) *Diabolica* est, qua dæmon nos tentat, quod teste P. Cornelio Vischavæo Soc. Jesu Sacerdote, tribus etiam modis facit, *hasta*, cum quasi eminus rerum externarum specie objecta solicitat : *gladio*, cum per corpus nostrum nos cominus aggreditur : *seipso*, cum phantasiam ipsam invadit, eamque varie movet, et hoc certamen tertium est gravissimum, quo maxime viros deditos pietati oppugnat, hæcque non ultima causa est, cur viros bonos e sæculo Deus ad Religionem vocet, ut Magistri, quorum hac in pugna institutio, directioque est necessaria, suppetant, quorum ductu a præstigiis tuti, expeditum in virtutis stadio tentant cursum. (*Hist. Sac.* l. III, n. 38.) Porro circa hanc, et priorem tentationis speciem recte notat S. Ambrosius, quod aliter Deus, aliter diabolus tentet. Nam diabolus tentat, ut subruat : Deus, ut probet, et coronet. (S. AMBR. *de Abrah.*) Unde David rogat : Proba me Deus, et tenta me. (*Ps.* CXXXVIII, 23.) *Humana* est, qua ab homine tentamur, et apud Magistros spirituales frequens est. Paulo aliter humanam explicat S. Gregorius, dum ait : Mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cum pulsat, sed cum hanc sibi per delectationem subjugat. Hinc etenim Prædicator egregius dicit : Tentatio vos non apprehendat nisi humana : Humana quippe tentatio est, qua plerumque in cogitatione tangimur etiam nolentes, quia ut nonnumquam, et illicita ad animum veniant, hoc utique in nobismetipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Jam vero dæmoniaca est, et non humana tentatio, cum ad hoc, quod carnis corruptibilitas suggerit, per consensum se animus constringit. S. GREG. l. XXI, *mor.* c. III.

Aliam divisionem S. Basilius assignat his verbis : Duplex est tentationum genus : nam vel corda hominum, tanquam aurum in fornace, per patientiam in rebus adversis probantur, quæ ipsorum declarant probitatem; aut certe ipsa vitæ prosperitas tentationis loco est; æque enim durum videtur, in rerum difficultate minime dejici, ac in felicitate non extolli ad irrogandam contumeliam. S. Bas. h. vi, *in Luc.*

S. Bernardus quoque aliam assignat, dum ait : Quoties importune (ut assolet), carnalis cogitatio mentem pulsat, certum nobis sit, esse spiritum carnis, qui loquitur, et tamquam adversarium repellamus eum, dicentes : Vade retro Satana, quoniam non sapis ea, quæ Dei sunt, sed magis sapientia tua inimica est Deo. Cum autem non de illecebris carnis, sed de ambitione sæculi ; de jactantia, et arrogantia, cæterisque similibus, cogitatio vana versatur in cordibus nostris, spiritus mundi est, qui loquitur, longe perniciosior hostis, et majori sollicitudine repellendus. Interdum vero satellitibus istis terga vertentibus, Princeps ipse, habens iram magnam, tamquam leo rugiens insurgit adversum nos, cum videlicet non ad voluptatem carnis, aut sæculi vanitatem, sed ad iram, impatientiam, invidiam, amaritudine animi provocamur, importune ingerendo, si quid minus amicabiliter, minus diserte factum videtur, aut dictum; si qua denique, aut in signo, aut in opere quolibet data videtur indignationis occasio, est materia suspicionis. Huic ergo cogitationi non aliter, ac ipsi dæmoni resistendum est; nec aliter ab ea, quam ab ipsa perditione, cavendum. S. Bern. s. vii, *de sept. Spirit.*

Adhuc aliam divisionem idem Sanctus indicat, dum ait : Quotquot degimus in regione umbræ mortis, in infirmitate corporis, in loco tentationis, si diligenter advertimus, triplici hoc incommodo miserabiliter laboramus; nam et faciles sumus ad seducendum, et debiles ad operandum, et fragiles ad resistendum. Itaque si discernere volumus inter bonum, et malum, decipimur : si tentamus facere bonum, deficimus : si conamur resistere malo, dejicimur, et superamur. Nec mirum, quia ut dicitur a Job : Non est potestas super terram, quæ possit ei comparari. *Idem, s. de consid.*

Gradus. — Primus est *suggestio :* a quo vix ullus hominum ratione præditorum liber est. Hinc quidam Sanctorum, teste Sophronio, dixit : Cum oramus ad Dominum, ne nos inducas in tentationem; non, ut non tentemur, oramus, hoc enim possibile non est, sed, ne a tentatione absorbeamur; si aliquid agimus, quod displicet Christo, hoc enim est, ac intraremus in tentationem. Sancti enim martyres tentati per supplicia, nec superati, non intrarunt in tentationem, sicut neque qui pugnat cum bestia, quousque devoratur ab ea. Sophron. cap. cc, *Prat. spir.*

Secundus est *delectatio,* aut *displicentia :* quem, uti, et reliquos gradus, pulchra similitudine S. Franciscus Salesius declarat, dum ait : Cogitatione tibi finge juvenculam aliquam Principem sponso suo, et marito Principi percharam; et simul imaginare scelestum aliquem, qui eam ad secum adulterandum invitet, infamem aliquem amoris internuntium; qui fœdam illius intentionem novæ nuptæ communicet, mittere. Primo itaque Nuntius hic Domini sui amorem Principis aperit; deinde hæc in illa petitione, propositioneque sibi complacet, aut displicet; tandem consensum ei præbet, aut prorsus dissentit. Consimili modo diabolus, mundus, caro animam Deo desponsatam avertere volentes, primo ei peccatum proponunt, in quo illam delectationem, vel complacentiam ostendit; et demum etiam consensum, vel dissensum præbet. S. Franc. *Sales. in introduc.* p. 4, t. III.

Tertius est ipse *consensus* vel *dissensus,* de quo dixit S. Bernardus : Non nocet sensus, ubi non est consensus; imo quod resistentem fatigat, vincentem coronat. (S. Bern. *de domo inter.* x.) Et S. Jacobus : Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus : Deinde concupiscentiam cum conceperit (per delectationem) parit peccatum : peccatum vero cum consummatum fuerit (per consensum in opus) generat mortem. Jac. 1, 14.

EX. S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. *Ibid.*

Creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium *Sap.* xiv, 11.

Tentatio vos non apprehendat nisi humana; fidelis autem est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. I. *Cor.* x, 15.

Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. *Eph.* VI, 12.

Sobrii estote, et vigilate : quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide. I. *Petr.* V, 8.

State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparationem Evangelii pacis : in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. *Eph.* VI, 14.

Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret vos sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficeret fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. LUC. XXII, 31.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos; (ubi alii cum S. Ambrosio legunt : Ecce palæstras posuisti dies meos.) *Ps.* XXXVIII, 6.

NECESSITAS. — Qui non tentatus, quid scit? vir in multis expertus cogitabit multa. *Eccl.* XXXIV, 9.

Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem. *Eccl.* II, 1.

Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. TOB. XII, 13.

Militia (vel ut alii vertunt, tentatio) est vi ta hominis super terram. JOB, XII, 1.

Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium. MATTH. X, 34.

Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. *Rom.* VII, 23.

UTILITAS. — Omne gaudium æstimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. JAC. I, 2.

Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis. *Eccl.* VI, 7.

Beatus vir, qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. JAC. I, 12.

Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, ut me colaphizet. II. *Cor.* XI, 7.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. *Apoc.* II, 7.

DIGNITAS. — Quoniam Deus tentavit eos, et invenit eos dignos se. *Sap.* III, 5.

Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. *Apoc.* II, 17.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius : et scribam super eum nomen Dei mei. *Ibid.* III, 12.

DIGNITAS. — Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. *Ibid.* 21.

JUCUNDITAS. — Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis. JAC. I, 2.

Vincenti dabo manna absconditum. *Apoc.* II, 17.

EX SS. PATRIBUS

QUALITAS. — Duplicem aciem producit mundus contra milites Christi : blanditur enim, ut decipiat : terret, ut frangat. Non nos teneat voluptas propria, non nos terreat crudelitas aliena, et victus est mundus. Ad utrosque aditus occurrit Christus, et non vincitur Christianus. S. AUG. *in s. de S. Vincent.*

Hostis noster, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit; eos enim pulsare negligit, quos quieto jure se possidere sentit. S. GREG. *hom.*

Humanum est, in corde tentationem perpeti : dæmoniacum vero est, in tentationis certamine, et in operatione superari. *Idem in Pastor.*

Quis sit Spiritus, qui loquitur, ipsa suggestio declarabit, semper enim Spiritus carnalis mollia, Spiritus mundi vana, Spiritus malitiæ semper amara loquitur. *Ibid.*

Antiquus hostis ex proprio certamine, dum se succumbere considerat, ad alia tentationum bella restaurat. Intuetur humani generis uniuscujusque mores, cui vitio sint propinqui, et illa opponit ante faciem, ad quæ facilius novit inclinare mentem, *Ibid.*

Potest inimicus excitare carnis motum,

sed in te est, si volueris dare, vel negare consensum. S. BERN. s. XXXIX.

Bellum grave, quia occultum : quia cum fortiore, quia hostis insidiæ non videntur : quia adversarius, nec labore deficit, nec victus aliquando discedit, sed tanto atrocior redditur, quanto eum per divinam gratiam debellari posse contigerit. *Cassiod. sup. Ps.* XI.

Noli ergo timere, permissum facere aliquid tentatorem; habes enim misericordiosissimum Salvatorem. Tantum permittitur ille tentare, quantum tibi prodest, ut exercearis, ut proberis, ut, qui te nesciebas, a teipso inveniaris. S. AUG. *in Ps.* LXI.

Tentationes non sentire, est angelicum : tentationes sentire, et vincere, est christianum : tentationibus consentire, et ex malitia delinquere, diabolicum est. S. ANSEL. *ap. Drex. in Palæst.* p. II, V, § 3.

Recte Myrmicoleon, id est, leo, et formica dicitur : formicis enim leo est, volatilibus formica; quia nimirum antiquus hostis, sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim ejus suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest : si autem resistitur, quasi formica atteritur. S. GREG. l. V, *mor.* XVII.

Ecce permissionem verberis comitatur custodia protectionis, et electum suum divina dispensatio custodiendo deserit, deserendo custodit, alia illius prodit alia protegit. Si enim Job totum desereret in manu tanti adversarii, homo quid esset? in ipsa ergo justitia permissionis miscetur quædam libra pietatis, quatenus in uno eodemque certamine, et servus humilis ex oppressione proficiat, et hostis superbiens ex permissione succumbat. Idem ergo in manu Dei, idem in manu diaboli est, quia tenuit, quem concessit, et dando non dedit; quem adversarii sui jaculis ejiciens abscondit. S. GREG. l. III, *mor.* III.

In omni tentatione Christianus non cadit, etsi impellitur; nam quadratum lapidem quocumque verteris, stat; sic ergo conquadramini, ad omnes tentationes parati : quidquid impulerit, non vos evertat : stantem te inveniat omnis casus. S. AUG. *ap. Lanc. opusc.* X, n. 108.

Indicitur tibi bellum non solum adversus suggestiones diaboli, sed adversus teipsum : in teipso est flagellum tuum; sic rixa tua tecum : sic vindicatur in rebellem adversus Deum, qui pacem noluit habere cum Deo. *Idem ib.* n. 102.

Sed dicit aliquis : Si alligatus est (diabolus) quare adhuc tantum prævalet? Verum est, Fratres carissimi, quia multum prævalet, sed tepidis, et negligentibus, et Deum in veritate non timentibus. Alligatus est enim tamquam innexus canis catenis; et neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate conjunxerit. Jam videte, Fratres, quam stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates, et cupiditates sæculi noli conjungere; et ille ad te non præsumit accedere; latrare potest, solicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem : non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet a nobis consensum; sed petit. *Idem* s. CXC, *de temp.*

Tentatio ad probationem non ad desolationem est. BERN. *sup. sp.*

Hostis nostri malitia tanta arte se palliat, ut plerumque ante deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingat, ut inde quisque quasi expectet præmia, unde æterna dignum est invenire tormenta. S. GREG. *in mor.*

Tentationibus nemo se crebro objiciat, sed oremus potius, ne intremus in tentationem. S. BAS. *in sum. mor.*

In tentationibus armatura, deprecatio est. S. CHRYS. *sup. Act. Ap. ho.* XXX.

UTILITAS. — Sancti viri, cum multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quodam supernæ dispensationis moderamine exerceri etiam tentationibus exultant : quia tanto robustius acceptam virtutum gloriam custodiunt, quanto tentationis impulsu concussi, infirmitatem suam humilius agnoscunt. S. GREG. *in mor.*

Ad magnam utilitatem Fidelium materia est reservata certaminum; ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas. S. PROSP. *de vocat. gent.*

Molesta est lucta, sed fructuosa, quia si habet pœnam habebit et coronam : non nocet sensus, ubi non est consensus, immo quod resistentem fatigat, vincentem coronat. S. BERN. *de domo int.* X.

Præmonitos vos esse volo, neminem super terram absque tentatione victurum, ut cui forte tollitur aliqua, alteram securus expectet. Qua in re consideranda nobis est tam benigna divinæ pietatis dispensatio, ut quibusdam nos tentationibus patiatur diutius occupari, ne forte periculosiores occurrant :

ab aliquibus vero citius liberet, ut possimus in aliis, quas utiliores nobis prævidit fore, exerceri. *Id.* s. XV, *in Ps.* LXXX.

Deus te hactenus ut Mater brachiis gestavit : nunc vero in aquas abjecit, ut tuo disceres natare cortice; hæc probandam fidem, ad exercendam virtutem, ad augendum meritum fiunt. S. CHRYS. l. I, *de pr. Dei.*

Ne existimemus esse signum, quod nos dereliquerit, et despiciat Dominus, si tentationes nobis inferantur; sed hoc maximum sit nobis indicium, quod Deus nostri curam gerat; nam et si habeamus peccatorum sarcinas, quæ nos premant, poterimus magnam patientiam, et gratitudinem declarando leviores eas facere; et si non multa habemus peccata, iterum majore fruemur gratia, si grato animo tulerimus. *Idem in Gen. ho.* XXXII.

Tentationes signum sunt, quod Deus nostri curam habeat. S. CHRYS., *sup. Gen. ho.* XXXIII.

Tentationibus resistendo victoria acquiritur. S. BERN., *de quadr. serm.* V.

NECESSITAS. — Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine peccato, sine tentatione, quia profectus noster sit per tentationem, nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus : nec potest coronari, nisi vicerit : nec vincere, nisi certaverit : nec potest certare, nisi inimicum, et tentationes habuerit. S. AUG., *sup. Ps.* LX.

Vinci, vel vincere nonnumquam in nostra est potestate, cæterum tentari in potestate tentantis est; si enim Salvator tentatus est, quis potest esse securus, intentatum se hujus vitæ maria transire? S. HIER., *in* c. VI, *ep. ad Galat.*

Donec in carne est anima, inter spinas profecto versatur, et necesse est, ut patiatur inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos. Quod si lilium est, juxta Sponsi verbum, videat, quam vigilem, solicitamque esse oporteat super custodia sui, septa, undique spinis hinc inde aculeos intendentibus; nec enim, vel levissimam spinæ punctionem ullatenus sustinet floris teneritudo, sed mox, ut modice premitur, perforatur. O tener, et delicate flos, o candens lilium, increduli, et subversores sunt tecum, vide, quomodo caute ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis; in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt. Versari in his, et minime lædi, divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. Etsi igitur undique tibi prospicias tribulationum tamquam tribulorum aculeos intendi, non turbetur cor tuum, neque formidet, sciens, quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Considera lilia agri, quomodo inter spinas vigent, et nitent. S. BERN., *s.* XLVIII, *in Cant.*

DIGNITAS. — Nullum certius argumentum est, quod dæmones victi sint a nobis, quam si nos accurrime impugnant. S. CLIM., *ap. Rod.*, p. 2, tr. IV, c. III.

Hoc generosæ, ac Deum amantis animæ officium est, afflictiones, et adversitates ferre. Cæterum generose tolerare tentationem, atque insuper ei gratias agere, qui se tentari permittit, id demum summa fortitudinis merito videri potest, animæque vigilantis, et quæ omnibus humanis affectibus sit superior. S. CHRYS. *in dictum Apost. Habentes autem eumdem spiritum.*

JUCUNDITAS. — Quia Deus noster liberalis est, et nostræ salutis curam gerit, ea de causa quasi luctam, et exercendi materiam nobis proponit, ut si, quod nostrum est declaremus, largiore dignetur nos cura. Quod cum scimus, ne tristemur in tentationibus, seu gaudeamus cum B. Paulo dicente : Nunc enim gaudeo in afflictionibus, si autem in afflictionibus gaudebat, quomodo unquam potuit in tristitia esse? S. CHRYS., *ho.* XXXII, *in Gen.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

QUALITAS. — Initium omnium malarum tentationum, inconstantia animi, et parva ad Deum confidentia. L. I, c. XIII, § 5.

Per solam fugam non possumus vincere : sed per patientiam, et veram humilitatem, omnibus hostibus efficimur fortiores. *Ibid.*, § 3.

Vigilandum est præcipue circa initium tentationis, quia tunc facilius hostis vincitur, quando ostium mentis nullatenus intrare sinitur. *Ibid.*

Primo occurrit menti simplex cogitatio : deinde fortis imaginatio : postea delectatio, et motus pravus, et assensio, sicque paulatim ingreditur hostis malignus ex toto, dum ei non resistitur in principio. *Ibid.* § 5.

Non debemus desperare, cum tentamur, sed eo ferventius Deum exorare, quatenus nos in omni tribulatione dignetur adjuvare, qui utique, secundum dictum Pauli, faciet cum tentatione proventum. *Ibid.*, § 2.

Quidam a magnis tentationibus custodiuntur, et in parvis quotidianis sæpe vincuntur, ut humiliati numquam seipsos in magnis confidant, qui in tam modicis infirmantur. *Ibid.*, § 2.

Scito, quod antiquus inimicus omnino nititur impedire desiderium tuum in bono, et ab omni devoto exercitio evacuare, a Sanctorum scilicet cultu, a pia passionis meæ memoria, a peccatorum utili recordatione, a proprii cordis custodia, et a firmo proposito proficiendi in virtutibus. Multas malas cogitationes ingerit, ut tædium tibi faciat, et horrorem, ut ab oratione revocet, et sacra lectione. Displicet illi humilis confessio, et si posset, etiam a Communione cessare faceret. L. III, c. VI, § 4.

Certa tamquam miles bonus, et si interdum ex fragilitate corruis, resume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia mea.

Necessitas. — Fili numquam securus es in hac vita, sed quoad vixeris, semper arma spiritualia tibi sunt necessaria. Inter hostes versaris, et a dextris, et a sinistris impugnaris. Si ergo non undique uteris scuto patientiæ, non eris diu sine vulnere. Insuper si non ponis cor tuum fixe in me, cum mera voluntate cuncta patiendi propter me, non poteris ardorem istum sustinere, nec ad palmam pertingere Beatorum. L. III, c. XXXV, § 1.

Quamdiu in mundo sumus, sine tribulatione, et tentatione esse non possumus. Unde in Job scriptum est : Tentatio est vita hominis super terram. L. I, c. XIII, § 1.

Non est homo securus a tentationibus, quamdiu vixerit : quia in nobis est, unde tentamur, ex quo in concupiscentia nati sumus. *Ibid.*, § 3.

Nullus Sanctus fuit tam alte raptus, et illuminatus, qui prius vel postea non fuerit tentatus; non enim dignus est alta Dei contemplatione, qui pro Deo non est exercitatus aliqua tribulatione. L. II, c. IX, § 7.

Quidam in principio conversionis suæ graviores tentationes patiuntur, quidam autem in fine, quidam vero quasi per totam vitam suam male habent. Nonnulli satis leniter tentantur secundum divinæ ordinationis sapientiam, et æquitatem, quæ statum, et merita hominum pensat, et cuncta ad electorum suorum salutem præordinat. L. III, c. XIII, § 6.

Utilitas. — Sunt tentationes homini sæpe valde utiles, licet molestæ sint, et graves, quia in illis homo humiliatur, purgatur, et eruditur. *Ibid.*, § 2.

Ignis probat ferrum, et tentatio hominem justum. Nescimus sæpe quid possumus, sed tentatio aperit, quid sumus. *Ibid.*, § 5.

In tentationibus, et tribulationibus probatur homo quantum profecit, et ibi majus meritum existit, et virtus melius patescit. *Ibid.* § 8.

Jucunditas. — Solet sequentis consolationis præcedens tentatio esse signum; nam tentationibus probatis cœlestis promittitur consolatio. Qui vicerit, inquit, dabo ei edere de ligno vitæ. L. II, c. IX, § 7.

EXEMPLA CHRISTIANA.

Qualitas. — Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei : Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. Matth. XIV, 3.

Tentavit Deus Abraham, et dixit : Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi. *Gen.* XXII, 1.

Tobiæ seniori ideo suam tentationem, quæ per cæcitatem obvenerat, permisit fieri Deus, ut posteris daretur exemplum patientiæ illius. Tob. II, 12.

Job variis modis tentatus a diabolo, qui plenam in eum potestatem, excepta anima, acceperat : generose tamen omnes tentationes sustinuit, et in omnibus non peccavit labiis suis, nec stulte quidquam contra Deum locutus est. Job. I.

Dixit Dominus ad Philippum : Unde ememus panes, ut hi manducent? hoc vero dicebat tentans eum. Job. VI.

S. Macarius vidit aliquando dæmonem fratres tentaturum, veste linea indutum, et pluribus ampullis, in quibus varias tentationum materias habere se dicebat, instructum. *Spec. Ex. disc.* II, *ex.* 185.

Quidam Frater tentatus, ut exiret e Monasterio, semper vesperi dicebat : Cras abibo. Mane autem facto, dicebat : Extorquebo, ut etiam hodie maneam propter Dominum. Et sic novem annis faciens, tandem liberatus est a tentatione. *Vit. PP.*, l. IX.

Anachoreta quidam ab Angelo circumductus, cum supra monasterium innumera diabolorum agmina, super portam civitatis vero unicum dæmonem otiosum vidisset, quærens ex Angelo causam visionis, intellexit, ideo unum toti civitati sufficere, quod plerique jam alioqui ipsi devoti, et obedientes essent; Religiosos autem, cum jurati dæmonum hostes sint, integris agminibus expugnari debere, et tamen vinci vix posse. *Spec. Ex.*

Euphrasia Virgo, cum in sacro Parthenone humilibus officiis se totam impenderet, diabolus odio illius accensus fecit, ut, dum hauriret aquam, in puteum decideret, sed casu innoxio; nam quia funem situlæ apprehendens opem sororum inclamaverat, ab iis incolumis extracta est. Illa vero jam extra puteum subridens dixit : Vivit Christus, quia non vinces me, diabole, nec cedo tibi. Hactenus unam tantum hydriam culinæ detuli, verum ex isto die laborem multiplicabo, et post hac duas afferam. Quod dixit, fecit. *Vit. ap. Rosweid.*, c. II.

B. Macarius, cum carnis rebellionem sentiret, sex mensibus in palude vestibus rejectis sedit, et vesparum morsibus se exposuit; quæ adeo eum vulnerarunt, ut aliis leprosus videretur, e sola voce agnitus. PALAD., c. XX.

S. Catharina Senensis, cum die quadam molestissimam turpissimorum phantasmatum, cogitationumque luctam superasset, et Christus præsentia sua omnes virgineæ mentis nebulas disjecisset : Heu me! inquiebat ad Sponsum suum, ubi eras, mi Domine, cum tam nefandæ animum meum imagines sollicitabant? Cui Christus : In corde tuo spectator aderam, mea Catharina. Cumque illa ulterius diceret : Et qui fieri potuit, ut esses in corde tam sordidis cogitationibus infesto? Subdidit Christus : Placebantne cogitationes istæ? respondente vero illa : Absit, o Domine, absit; nihil gravius, aut molestius mihi accidere potuisset; dixit ille : Atque hoc ipsum est, quod mea præsentia effecit, sine qua facile consensum spurcitiis illis præbuisses. *Sur.* XX. *April.*

Abbatissa Sara tredecim annis a fornicationis Spiritu impugnata, nunquam oravit, ut recederet ab ea hujusmodi pugna, sed hoc solum dicebat : Da mihi fortitudinem Deus. Cum vero aliquando infestior esset illi inimicus, illa ascendit orare super lectum suum; ubi apparuit ei corporaliter spiritus fornicationis, et dixit ei : Tu me vicisti, Sara. Cui illa respondit : Non ego te vici, sed Dominus meus Jesus Christus. *Vita PP.*, l. VI.

S. Antonius, cum diaboli, varias formas bestiarum induti, ipsum cingerent, et velut jamjam laceraturi terrerent, impavidus ad eos dixit : Si quid virium haberetis adversus me, unicus sufficeret; quid ergo opus apparatu tanto? En adsum, lacerate me, si permissum est vobis : sin minus, frustra est rabies vestra. *Surius in Vita* XVII. *Jan.*

Smaragdus Abbas narrat, aliquando vidisse Religiosum quempiam duos dæmones inter se fabulantes, quorum alter : Heus, ait, ut tibi succedit cum tuo Monacho? Ex sententia, respondit alter : Nam, quidquid ipsi suggero, arripit, et cogitando fovet, et dum postea relegit, et ortum, occasionem, progressum, moram inquirit, misero cerebrum perturbo, et ad insaniam prope redigo. At ego, inquit alter : Cum meo Monacho admodum nihil promoveo, quia, quamprimum ipsi cogitationem pravam injicio, mox ad Deum, aut aliam cogitationem recurrit, unde nullus mihi ad eum accessus patet. RODR. p. 2, tr. IV, c. IX.

Cum B. Abramius barbarorum atrocitatem, et furorem diu, multumque sustinuisset, nec ob id, alios convertere, et instituti sui gratiam servare deterreretur, videns satanas, quod in tantis afflictionibus, quas adversus eum excitaverat, non valuisset virum Dei lædere, neque in segnitiem eum trahere, neque in aliquo mentem ejus a bono proposito abducere, ac sicut aurum in fornace, ita ipse inter pressuras magis resplendesceret, ampliusque ad multorum salutem in patientia, et in Christum charitate atque alacritate proficeret : vehementer honestatis inimicus adversus B. Abramium exacerbatus, venit ad eum magno cum phantasmate, ut saltem sic terrorem ipsi incutiens, facilius decipere eum posset. Cum igitur media nocte sanctus staret ac psalleret, repente lux magna in cella ejus refulsit, et vox quasi multitudinis cujusdam audita est dicens : Beatus es, Domine Abrami, vere, inquam, beatus es : quoniam nullus in cunctis recte factis inventus est, sicut tu : Subito autem vir beatus dolum maligni cognoscens, exaltavit vocem suam, et dixit : Tenebræ tuæ tecum sint in perditionem, o plene dolo atque fallacia homo; enim peccator sum ego; quia tamen charitatem Dei mei habeo, et spem in ipsum atque auxilium, in nullo ego te tuasque insidias pertimesco, neque plurima tua phantasmata ac spectra terrorem mihi incutiunt. Pro muro siquidem munitissimo atque tutissimo est mihi nomen Domini mei, et salvatoris Jesu Christi, quem dilexi, ac diligo : in quo te nomine increpo, immundissime canis ac miserabilissime. Quæ cum ipse diceret, illico instar fumi a conspectu ejus evanuit : Beatus autem Dei famulus multa cum alacritate tranquillo animo benedicebat Deo, tamquam qui nullum prorsus phantasma conspexisset. S. Ephr. *Syrus in vita ejus.*

Dum idem Abramius aliquando noctu oraret tenens securim, satanas cœpit cellam ejus evertere, cumque jam eam videretur perforasse, magna exclamavit voce : Festinate celeriter o amici ! Festinate introeuntes, cito eum suffocate. B. autem vir Dei, contra ad illum : Omnes, inquit, gentes circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum eos. Ille vero protinus, hac voce audita, evanuit.

Circa annum Domini 1200, tempore Innocentii Papæ III, vixit magnæ sanctitatis vir nomine Joannes Bonus, civitate Mantua oriundus. Eum in eremo viventem luxuriæ inquinamento impugnare cœpit adversarius : mulieris formam ei objiciendo, quam aliquando conspexerat. Cum autem sic vehementius incenderetur, doloris incendio carnis extinxit incendium; nam accipiens arundinem, et in multas partes acutissimas dividens, eas sub unguibus posuit, elevansque manum super lapidem ita percussit, ut ad extremam digitorum partem penetrarent; unde præ nimio dolore, in terram lapsus, tribus diebus, ac noctibus semivivus permansit. Non deseruit sersum suum pius Dominus, pro quo ne tanto cruciatu offenderetur se dedit, videndum : in somnis enim apparens, dixit : Quia bene cepisti bene perseverabis, et optimam tuam consummabis vitam. Quia vero ita viriliter contra tentationes dimicasti de cætero non tentaberis. Qui statim excitatus sanum se conspiciens gratias retulit. Salvatori. D. Ant. *e. p. Hist.*, tit. IV, c. xiii.

Utilitas. — Cum Senex quidam stimulatus a tentationibus desperaret, et ad sæculum redire statueret, vocem audivit : Tentationes, quas novem annis sustinuisti, coronæ tuæ erunt; revertere ergo in locum tuum, et sublevabo te a cogitationibus tuis. *Vita PP.*, l. IX.

Canon Alexandrinus castimoniæ amantissimus Sacerdos, licet de cœlo animatus vocem audivisset dicentem : Tolera, et persevera : adeo tamen a tentationibus carnis impetebatur, ut locum mutandum decerneret, fecissetque, nisi S. Joannes Baptista tutelaris ejus Divus se cum his vocibus objecisset : Si aversaris pugnam, perdidisti coronam. Resumpsit ergo animos, et fortius pugnavit, feliciusque vicit. March.

Discipulus quidam Religiosi senis in Thebaide, cum semel circa serum vesperem a Magistro suo pro more instructus, eo obdormiscente, et ipse pariter ad somnum capiendum septies tentatus, toties constanter, fortiterque restitisset, eadem adhuc nocte Senex evigilans, et meditationi insistens ad cœlum raptus est, ornatissimumque solium, et in eo septem coronas vidit, Discipuloque suo paratas intellexit. Quare interrogato postea Discipulo, quid egisset? ubi, quo res erat, audiit, facile septemplici certamini easdem coronas in præmium præparatas advertit. Rosweid *in Vita PP.*, fol. 590.

S. Thomas Aquinas, postquam procacem fœminam titione fugavit, Angeli per quietem baltheo renes in signum concessæ celitus perpetuæ continentiæ strinxerunt. *Surius in vita* vii. *Mart.*

S. Benedictus, quia vehementissime tentatus carne, in sentes se abjecerat, numquam amplius deinceps tentatus est. S. Gregor. *in Vit.*

Discipulus quidam graviter a spiritu fornicationis impugnatus, cum a sene suo interrogatus fuisset, an luctam hanc a Deo per preces amoveri optaret? Respondit : Equidem laboro, Pater, ut vides, conflictorque haud modice, sentio tamen hoc lucri mihi accedere, quod sæpius ad Deum per orationem mortificationemque recurro. Quare Deum potus ora, ut mihi patientiam, et constantiam largiatur, ut incruentam ex hac tentatione victoriam reportem. Recreatus hoc responso senex : Nunc demum cognosco, inquit, fili mi, quantas in via virtutis progressiones facias; nam dum quis infesto cuipiam vitio strenue it obviam, manet humilis, solicitus, anxius, his augustiis, laboribusque sensim ad consummatam animi puritatem pertingit. S. dorot., *doct.* xiii.

S. Ephrem in summa animi malacia, ac tranquillitate Deo supplicavit, ut sibi pugnas tentationum pridem pugnatas, instauraret, neque materiam meriti, ac triumphi denegaret. S. Clim., c. xxix.

Cum quidam Abbatem Pastorem conveniens dixisset : Pater, ecce jam tandem pugnas mihi Deus abstulit, optatissimaque pace commutavit. Cui Abbas : Ocyus, inquit, ad Dominum redi, pugnasque tibi ut restituat, ne socors fias, ora. Abiit Frater ad Dominum, qui et imperium senis approbavit, et fratrem pristinis tentationibus subjecit. RODR., p. 2, tr. IV, c. VIII.

Cum miles quidam, et dominus castri cujusdam sancto cuidam Patri confessus, variis pœnitentiis velut impossibilibus recusatis, tandem hanc unam acceptasset, ut in Ecclesia per unam noctem in oratione perseveraret, ad istam se conferens, quater a dæmonibus, nunc speciem Sororis valde ipsi gratæ, nunc Uxoris dilectæ, nunc Sacristani ignem templo subjectum mentientis, nunc Sacerdotis matutinum dicere volentis, ideoque ipsum velut excommunicatum abire jubentis, ad exitum tentatus, semper immobilis perstitit. Unde revelatum postea fuit sanctis Patribus, quatuor ipsum insignes coronas per quadruplicem victoriam retulisse. *Spec. Exempl. V. Pœnitentia ex.* IX.

EXEMPLA DOMESTICA.

QUALITAS. — S. Ignatius aiebat, valde a dæmone observari nocturnum tempus, cum quis excitatur a somno, ut fœda statim objiciat, priusquam a Deo sanctis occupationibus occupetur. Tentationis vero tempore valde juvari aliquem, si semper habeat, a quo consiliis sustentetur. Proprium etiam esse divinæ bonitatis, eo vehementius defendere, quo acrius a diabolo impugnamur, et resistendi molestias sequenti consolatione compensare. RIBAD. *Vit.*, l. V, c. X.

P. Petrus Faber nulla animi ægritudine tentatus fuit, quin simul divinitus doctus fuerit modum curandi illam afflictionem. In dijudicandis autem vel suis, vel aliorum tentationibus, motibus, artibus Satanæ, et spiritibus dignoscendis, numquam meminit se deceptum. *Vita*, l. II, c. XX.

P. Leo, Rector Collegii Conimbricensis, vidit aliquando diabolum inter Fratres sub specie Ethiopis, singulorum pulsum explorantem, qui, cum cujusdam fratris pulsum tetigisset, vehementer exultavit; constituerat autem frater ea nocte ex societate aufugere. *Ex M. S. l. Ingolst.*, c. XIII, § 33.

P. Thomas Sanch. si tentabatur, tantum hæc verba proferre solebat : Jesus Crucifixus, SS. Sacramentum, Virgo Maria; et statim a tentatione liberatus est. *Ex Epist. Hisp. etc. ann. Granat.* 1610.

Michael Sartre Coadjutor ruris habitans, cum sæpe gravissime contra castitatem tentaretur, statim in genua procidens vota sua renovavit, et statim a tentatione liberatus est. *Ann. Lug. Col. Ave.* 1598.

Laureti magister quidam, cum humanioribus litteris insudaret, dæmon eidem in specie S. Pauli apparuit, hortatusque est, ut relicto vano illo litterarum studio suas potius Epistolas pervolveret. Ratus magister hanc vocem S. Pauli esse, protinus Tullium abjicit, S. Pauli Epistolas arripit, easque cum diu legeret, superioribus omnino insciis, eo tandem progressus est, ut Societate exiverit, infelici prorsus eventu. *Hist. Sol.*, l. XV, n. 14.

Panormi novitius contra vocationem mire tentatus, Rectorem adiit, eique tentationem aperuit, a quo cum S. Ignatii imaginem oblatam osculari jussus fuisset, statim ab omni tentatione liber novitius evasit; quo remedio plures Rector ille curavit. *Ann. Sic.* 1594.

Coadjutor quidam ita perturbatus erat, ut omnino constituerit e Societate egredi. Incidit tandem uni ex Patribus, ad S. Ign. esse confugiendum. Persuasit igitur fratri, ut vel unicum Pater, et Ave ante imaginem S. Ignatii oraret; orat ille, magis importunis precibus, quam spe ulla remedii adductus. Finita oratione, ad cubiculum redit; sed cum eo pristina tentatio tam fortiter, ut aliis noctu dormientibus, ipse cubiculo expulsus in hortum proruperit, crebros ad Deum cum lacrimis clamores effundens. Hic, sese S. Ignatius paulo sublimior obtulit, clarissima circumfusus luce, blandeque alloquens, perseverantiam in Societate sic persuasit, ut illico omni perturbatione evanescente, nihil illo tranquillius esset. *Ann, Boen. Coll. Panorm.* 1601.

Joannes Verdolajus, qui tanta doctrina, et auctoritate apud omnes erat, ut eum S. Pater Ignatius ipse datis litteris ad Societatem invitarit. At ille, vivente S. Ignatio, rem distulit : Eo mortuo ingressus est, tamquam columna subducta, auctoritate sua Societatem sustinens. Sane hæc vox populi crebro audita erat, esse debere aliquid in Societate, cur tam sanctus vir senex quasi ingredi illam voluerit. Perstitit aliquamdiu hic cum magno gaudio, dein scrupulis agitatus est, et oborto super evangelizandi labore tædio, simulque a regendo abhorrens, nec de summo bono contemplando sat temporis nactus, ad Carthusianos transit. Rogatus dein, quo abundaret tempore ad contemplandum, ingemiscens respondit, se octonis horis quotidie cantando fatigari, reliquum tempus non ad contemplationem, sed quietem, requirere. Idem dein viro nobili Religionem meditanti, consulentique, quid suaderet, iis verbis Societatem persuasit, ut nostri pudoris sit referre. *Hist. Soc.*, p. 2, lib. VIII, n. 134.

Biturgis in Societate nostra adolescens quispiam suaviter errati cujusdam a Præside admonitus, denuo reciderat. Arripuit hominis tentandi ansam dæmon, sistit se illi P. Ministri specie, ait, eum ad Societatem ineptum esse paucis proin diebus adhuc retentum iri. Mirari hic noster tam subitam denunciationem, eam tamen adhuc velut experiendi sui causa factam patienter ferre. Rediit dæmon, jam litteras, inquiens, dimissorias a P. Provinciali allatas, quibus dimitteretur, prævertere ergo ultro dedecus, et prius dimissorias chartas a Præside peteret, officio interim suo abstineret. Cum vero noster per oblivionem idem officium repeteret, denuo se illi Cacodæmon eadem forma sistere, et jam clare apparens dicere, eum ad Societatem ineptum esse. Permotus his noster rem Patri spirituali aperit, ille P. Rectori, Rector P. Ministro, qui, cum negaret, verbulum de hac re se fecisse, dæmonis astus apparuit, qui magno jam vulnere affectus, nostro vehementer exprobavit, quod rem tam levem vulgasset. Jusserat P. Rector venienti dæmoni os conspuere, qui tamen, ubi hæc improperans rediit, adolescens, velut obriguisset, nihil contra movere potuit. Ultimam ergo machinam dæmon adhibiturus, die quo nostri vota renovaturi erant, juvenem accendens, P. Rector, ait : Vult te unum abesse a Conventu Sociorum; cogita igitur placere Deo, reliquorum pro te, et in tuam quasi vicem facta vota. Hic noster animosior factus arreptum aquæ lustralis urceolum in veteratoris faciem impingit. Quo facto evanuit ille, ac numquam deinceps rediit. *Ann. Fr. Coll. Biturig.* 1613.

JUCUNDITAS. — Pater Joannes Hieronymus stupendæ sanctitatis et eruditionis vir, cum quondam ad Inquisitionem citaretur, ea ipsa hora in oratione erat, super hac re cum Deo agens, cumque post longas preces, tandem se Deo ad hanc publicam infamiam (erat enim publicus Principissæ concionator) integre resignasset, magno perfusus gaudio, tum demum citatur ad Inquisitionem, sed mox honorificentissime absolvitur; nam cum summo mane se ad iter pararet, nuntius affertur, Pontificem decessisse. Sic ergo mansit. Do. *Prof. Hisp. An. Bot*, 1605.

Novitio cuipiam Landspergæ, cum nescio quo mærore affligeretur, noctu dormienti Christus apparuit; duasque coronas e sentibus, quarum altera perquam horrida erat, manibus gestans, alterutram eligere eum jussit; qui cum horridiorem elegisset, ab eo tempore mira semper animi suavitate repletus est. AN. GER. *sup.* 1588.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut Uva, et Oliva, quamdiu pendent in vite, et arbore non premuntur, sed nec vinum, aut oleum præbent; ita homines in sæculo sine pressura tribulationum libertati suæ relicti, modicum, aut nullum fructum ferunt. S. AUG. *in Ps.* LXXXIII.

Sicut tot amnes, tantum superne dejectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium non mutant saporem maris, nec remittunt quidem; ita tentationum impetus viri fortis non mutant animum. Manet in statu, et quidquid evenit, in suum colorem trahit; est enim omnibus externis potentior. SENEC. *l. de prov.* c. I et II.

Sicut pharmacopolæ inaurant catapotia, seu pilulas, ut avidius glutiantur; ita diabolus inaurat ea, quæ doctis persuadere cupit. DREX, *in palæst.* p. 3, c. VI, § 2.

Sicut fures faliqui holosericis vestibus induti incedunt, ut omnem furti suspicionem amoveant, facilioremque ad homines accessum habeant; ita diabolus omnem mentitur humanitatem, ut facilius admittatur ad hominem, et decipiat. *Ib.* § 3.

Sicut in naviculam evangelicam mox, ut a portu solvit, venti procellosi quasi signo dato irruerunt, ac tantum non obruerunt; ita cum anima nostra in corpore velut nave male materiata naviget, perpetuis tentationum procellis est obnoxia. RODR. p. 2. tr. IV, c. I.

Sicut venatores non cicuribus armentis boum, et ovium, sed cervis, et pernicibus damis insidiantur; ita demon iis, quorum Ceus perfecit pedes tamquam cervorum, et quos super excelsa virtutum statuit, imminere solet. *Ibid.*

Sicut stimulus citra noxam, et vulnus propellit pecus; ita tentatio non nocet, sed alacrius tantum in via virtutis progredi facit. *Ibid.* VII.

Sicut fœmina cum viro rixans, si hunc conspexerit erecto, et constanti vultu sibi obsistere, abjicit illico animum ac terga vertit; sin vero timidum, fugacemque esse animadvertit, in extremam surgit audaciam, et illum ferociter invadit; sic et dæmon animo, et robore plane destituitur, quoties spiritualem athletam imperterrito corde, ac fronte ardua, tentationibus videt reluctari; sin autem trepidet ad primos motus sustinendos, et quasi animum despondeat, nulla est bestia super terram inimico illo efferatior, acrior, et pertinacior in hominem, ut cum pernicie nostra, malignæ, obstinatæque mentis suæ desiderium adimpleat. S. IGNAT. *in reg.* XXII, *per. mor. anim. discern.*

Sicut aucupum princeps cura est, ut, quæ aves quibus escis delectentur, probe calleant, quo eas facilius illaqueent; ita dæmon præcipue studet cognoscere, quibus potissimum rebus quisque afficiatur, et per has in laqueos suos præcipitare cogatur. S. GREG. *apud Rod.* p. 2, tr. IV, c. XVII.

Sicut incus aliqua, licet quidem semper verberetur, non tamen dat tergum, neque concavitatis formam in se recipit, sed eadem semper manet; sic et qui verum se vult gerere Christianum, inter diversas intentiones, atque tribulationes, sive extrinsecus ab homine illatas contumelias, persecutiones, damna, atque alia hujusmodi, sive intrinsecus a spiritibus malignis inductas angustias, unus, et idem maneat oportet, fortiter quæcumque obvenientia perferens. S. EPHR. *de fide.*

Sicut aurum etsi aquis immoretur, propriam præstat speciem; sive in conflatorium ceciderit, splendidius rursum apparet; lutum autem, et fœnum, sive aquis immisceri accidat, hoc quidem marcescit; illud vero dissolvitur, sive in ignem ceciderit, hoc quidem induratur, illud autem comburitur; sic certe Justus, et Peccator; ille quidem, sive remissione fruatur, manet splendidus, sicut aurum aquæ immersum : sive in tentationem ceciderit, splendidior fit, sicut aurum in igne; Peccator vero, sive remissione contristatur, dissolvitur, marcescit, sicut lutum, et fœnum aquæ innatans; sive tentationem sustineat, comburitur, perditur, sicut lutum, et fœnum ab igne. S. CHRYS. *hom.* IV, *pœn.*

NECESSITAS. — Sicut caro, si sale non aspergatur, quamvis sit magna, et præcipua, corrumpitur; ita et anima, nisi tentationibus assiduis saliatur, continuo resolvitur, et relaxatur. ORIGENES *super lib. Num.*

Sicut cista plena vestibus si dimissa fuerit longo tempore, putrefiunt vestes in ea; ita et cogitationes in corde nostro, si non exerceantur, tempore longo exterminabuntur, et putrefient. *Vita PP.* l. XI.

Sicut homo quandoque necesse habet de liquoribus spissis, qui, licet non multum proficiant ad corporis sustentationem, prosunt tamen ad corporis, et cerebri purgationem, et sanationem; sic etiam cogitationes malæ sunt, quia, quamvis non impinguant, et satiant animam, ut oleum bonarum cogitationum, tamen proficiunt ad animæ purgationem sicut sinapi ad purgationem cerebri; nisi enim quandoque intervenirent cogitationes malæ, tunc homo esset Angelus, et non homo et putaret homo omnia habere a seipso. Ita Christus S. Birgittæ. BIRG. *rev.* l. I, c. XXVII.

UTILITAS. — Sicut triticum, quo frequentius per cribrum agitatur, hoc purius efficitur; ita anima tanto magis paleis vitiorum purgatur, quanto crebrius cribro tentationum agitatur. ANONYM.

Sicut si fragmen tegulæ crudæ in fundamento mittatur, ubi juxta sit fluvius, non sustinet unum diem; cocta autem permanet velut lapis; ita est homo, qui carnalem sapientiam habet, et non est tentationum igne excoctus. *Vita PP.* l. XVI.

Sicut lapis in frontispicio collocandus, ipsumque adeo vestibulum ornaturus, debet creberrima tunsione elaborari; ita Christus nova reserandi cœli porta futurus, infinitis ictibus se exposuit, eademque sors electos manet; nam hic mundus est locus, in quo lapides pro templo cœlesti expoliuntur. RODR. p. 2, tr. IV c. IV.

Sicut mare procellosis flatibus impulsum, sordes universas ejectat; sic animus ventis tentationum perflantibus, omni fœce, quam malacia collegerat, liberatur. GERS. *industr.* VI, *de myst. consid.*

Sicut plantas enutriunt venti; ita tentatio confirmat animæ fortitudinem. NILUS AB. *ap. Rodr.* l. c. c. VI.

Sicut hirudo, infirmo applicata, totum, si posset, sanguinem exsugeret, medico interim nonnisi humorem noxium extrahi permittente, ut sanitas obtineatur; ita dæmon omnibus nos bonis spoliare nititur; Deus autem non plus eripi permittit, quam prodesse nobis conspexerit. S. Greg. *ap. eumdem* c. vii.

Sicut nutrix aut mater filiolum pedes promovere addocens, aliquantulo subinde spatio a se removet, sed mox ad se retrahit, nec curat, licet subinde pusillus cadat, satius hoc esse judicans, quam si omnino ambulare non addiscat; sic Deus quasi nutritius Ephraim, ad lapsus electorum suorum ex infirmitate contingentes connivet, ut securius, meliusque in via perfectionis progredi discant. *Ibid.*

Sicut focus positus super terram comburit radices herbarum, ut in loco illo non amplius nascantur herbæ; sic et tentationis ignis positus super carnem comburit radices concupiscentiarum in ea, ut non facile concupiscat. S. Chrys. c. iii, *Matth.*

Sicut cibi quidam sunt concoctu difficiles, sed semel concocti solidissimum præstant alimentum; ita et tentationes nostræ suas difficultates, et morositates a principio exhibent, sed semel evictæ animum nostrum maxime firmant. Langius *in Polyan. th. V. Tentatio.*

Dignitas. — Sicut arboris firmitatem ventorum, tempestatumque impetus, et robur militis arena ostendunt; ita Dei servus non devotionis, tranquillitatisque, sed tentationis tempore virum se probat. Rodr. p. 2, tr. iv, c. vi,

Sicut gubernator ille melior est, qui in tempestate navim gubernat, qui adversus ventos insurgit, renititur adversus fluctus, non timet, vel cum undis elevatur navigium, vel cum ad ima profundi deprimitur; ita et ille laudandus est gubernator sui, virtute superat, secundis non extollitur, adversis non frangitur. S. Ambr. s. viii, *sup. Ps.* cxviii.

Sicut probata amicitia magnam hominibus delectationem afferre solet; sic quoque Deo comperta justi fidelitas in tentatione summopere placet, gratumque illum Deo facit. Rodr. l. c.

Sicut olim tempore Noe multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime; ita aquæ tribulationum, ac tentationum in apice perfectionis constituunt. *Ibid.*

Sicut unguentum etiam in hyeme floridum est, et boni odoris, et homines suo odore delectat, et impinquat, cum ex eo uncti fuerint; sic justus etiam in hyeme tentationis immarcescibilis est, et man et fidelis. S. Chrys. *in cap.* i, *Matth.*

Sicut, qui ludicrum instituit agonem, si cui athletarum jungitur vinculo amicitiæ, numquam eum, nisi descenderit in certamen, coronabit, qui proprium videlicet laborem illius desiderat; et quo magis diligit, eo magis victorem esse cupit; sic et Christus, quo magis quemque diligit, eo magis illum non solum suo auxilio, sed a seipso vult probari. *Idem ho.* lvi, *in Matth.*

Sicut fragilis paries facile ruit, et quacumque machina evertitur, sed fortissimus murus fortiter resistit, et opus est hostibus machinas bellicas adhibere, et mœnia illa validissimis tormentis fortiter concutere; sic diabolus homines fragiles, parumque in virtute constantes, quacumque tentatione evertit; sed ad superandos viros justitia, et charitate munitos variis utitur artificiis, et fortissimis tentationibus. Hector Pintus *in* c. iv, *Matt.*

MOTIVA.

Ad tentationes patienter ferendas. — *Necessitas :* quia teste S. Hieronymo, impossibile est, animam humanam non tentari; unde, et in oratione Dominica dicimus : ne nos inducas in tentationem; non tentationem penitus refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes. (S. Hier. l. IV, c. xx.) Certe ipse Christus tentationum expers esse noluit, et ut S. Chrysostomus affirmat : Nullus umquam ex his, qui Deo maxime cari, ac acceptabiles fuerunt, sine præssuris vixit, etiamsi non ita nobis videatur; nam si B. Paulus tantum negotii sustinuit (nullus vero Paulo major est, aut etiam æqualis) qua tandem ratione alii credantur hujusmodi auxilio non indiguisse? S. Chrys. l. I, *de provid. Dei.*

Utilitas : nam. 1. purgat animum a vitiis, et splendidiorem efficit, sicut ignis aurum excoquit, et fulgentius reddit. 2. Eamdem animam abstrahit a mundo; nam, ut S. Gregorius recte advertit : pio Dei consilio agitur, ut hujus peregrinationis tempore electorum vita turbetur; via quippe est vita præsens, qua ad paradisum tendimus, et idcirco occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. (S. Greg. l. XXIII, *mor.* c. xv.) 3. Cognitionem sui procurat, et sic humilitatem generat; nam, ut idem S. Doctor advertit : mira hoc nobiscum dispensatione agitur, ut mens nostra culpæ nonnumquam pulsatione feriatur. Nam esse se magnarum virium homo crederet, si nullum unquam earumdem virium defectum intra mentis arcana sentiret. Sed cum tentatione irruente quatitur, et quasi ultra, quam sufficit, fatigatur, ei contra hostis sui insidias munimen humilitatis ostenditur; et unde pertimescit enerviter cadere, inde accipit fortiter stare. (*Idem* c. XXXVII.) 4. Amplissimum a Deo præmium, ac coronam obtinet; cuivis enim tentato applicari potest illud Saulis promissum : Virum, qui percusserit eum (Diabolum, mundum, aut carnem) ditabit Rex (cœlestis) divitiis magnis, et Filiam suam (visionem beatificam) dabit ei uxorem. (I. *Reg.* XVII, 15.) Quod ipsum confirmans Cassianus : Majora nobis, inquit, per colluctationem tentationum laudis contulit præmia, benigna erga nos gratia Salvatoris, quam si omnem a nobis necessitatem certaminis abstulisset. Etenim sublimioris, præstantiorisque virtutis est, passionibus, ærumnisque vallatum manere semper immobilem, et acquirere quodammodo de infirmitate virtutem, quia virtus in infirmitate perficitur. CASS. coll. 24, XXV.

Æquitas : quam S. Hieronymus indicans, Legimus inquit, in volumine Job, tentatio, sive (ut melius habetur in Hebraico) militia est vita hominis super terram : ad hoc enim laboramus, et in sæculi hujus periclitamur militia, ut in futuro sæculo coronemur. Nec mirum hoc de hominibus credere, cum Dominus ipse tentatus sit. Et de Abraham Scriptura testatur, quod Deus tentaverit eum. S. HIERON. *ad Demetr. ep.* VIII.

Jucunditas : quid enim jucundius generoso militi accidere potest, quam si frequenter cum hoste congredi magnumque sibi nomen obtenta victoria comparare queat? Hinc Deus in Apocalypsi dixit : Vincenti dabo mana absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. *Apoc.* II, 17.

Dignitas : si enim hostes corporeos, et non admodum fortes vincere in hoc mundo tam gloriosum videtur; quanta gloria, dignitasque obtinebitur per victoriam de hostibus invisibilibus, et quidem tantis obtentam? An non quisque dicat meliori jure cum Azaria, et Josepho : Faciamus et ipsi nobis nomen, et eamus pugnare adversus gentes, quæ in circuitu nostro sunt. I. MAC. V, 57.

Facilitas : etsi enim, teste Cassiodoro, bellum sit grave, quia occultum, quia cum fortiore, quia hostis insidiæ non videntur, adversarius nec labore deficit, nec victus aliquando discedit; paratum tamen a Deo copiosum auxilium est, (CASSIOD. *super Ps.* LI.) fidelis enim Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, inquit S. Paulus : (I. *Cor.* X, 13.) sed faciet etiam cum tentatione proventum, id est, gratiam copiosam dabit, ut possitis sustinere. Hinc olim Moses Abbas Isidoro fugam meditanti, immensam quidem ab initio multitudinem dæmonum ex latere Occidentis ostendit; mox vero etiam ad Orientem respicere jussit, ibidemque majorem longe SS. Angelorum ad auxiliandum ipsi paratorum copiam monstravit. ROSWEID fol. 638.

MEDIA.

AD TENTATIONES SUPERANDAS. — *Fides, seu Fiducia in Deum :* quod medium S. Petrus suasit, dicens : Adversarius vester tamquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret, cui resistite fortes in fide;(I. PETR. V, 8.) nam ideo, teste S. Gregorio, Sanctos tentari permittit, ut dum pulsata mens trepidat, in solo Dei adjutorio, spei pedem robustius figat. S. GREG. l. IX, *mor.* c. XXXVI.

Oratio : sic Christus ipse monuit, dicens : Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem. (MATT. XXVI, 5.) Hinc Joannes Avila dicere solebat : Tentatio ad te, tu vero ad Deum. Quemadmodum pueruli perterrefacti, statim confugiunt ad sinum matris; sic nos cum aliqua tentatione pulsamur, per preces confugiamus ad Deum, inquit S. Chrysostomus. (S. CHRYS. lib. III, *de provid.*) Quem in finem Joannes Abbas versum : *Deus in adjutorium* singulariter commendat; habet enim, inquit, adversus universa discrimina invocationem Dei humilitatem piæ confessionis, habet sollicitudinis, ac timoris perpetui vigilantiam, habet considerationem fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præsentis, semperque adstantis præsidii. Hinc versiculus omnibus infestatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus est, et impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus. Nimirum quivis potest cum optimo Rege Jonatha dicere : In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. (II. PAR. XX, 12.) Sed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Cass. coll. l, 10.

Gladius verbi Dei : sic S. Paulus suasit dicens : Et galeam salutis assumite, et gladium Spiritus, quod est verbum Dei. (Ephes. vi, 17.) Hoc gladio Christus tentatorem superavit. Hoc B. Paula, teste S. Hieronymo; quin S. Gregor. adeo necessarium putavit hoc medium, ut dicere ausus sit : Resistere tentationibus omnino non sufficit, qui hunc verbi Dei gladium, male vivendo, postponit. S. Greg. l. IX, *mor. ult.*

Humilitas : sic enim S. Antonius, dum mundum totum laqueis circumdatum videns quæsivit, quis evasurus sit? Humilis, responsum est. Hinc et S. Laurentius Justinianus dixit : Quisquis trophæum certaminis de malignis spiritibus reportare concupiscit, necesse est, ut duplici armorum genere munitus sit; a sinistris quidem humilitate, a dextris vero oratione se protegat. Nimirum sicut Anthæus ab Hercule superari numquam potuit, quando in terram se prostravit; sic nec humilis a dæmone, quandiu se humiliat. S. Lav. *de cast. connub.* c. i.

Detectio : ita jam olim S. Petrus Apostolus suasit, dicens : Unusquisque, quod eum movet, et partem, quam dolet in animo, fateatur, ut possit consequi medicinam; quæ enim silentio conteguntur, velut multi temporis vitia difficile curantur; et ideo, quoniam tacentibus non potest facile medicina opportuni, et necessarii sermonis adhiberi, proferre debet quisque, in quo animus per ignorantiam languet; tacenti vero dare remedium, solius est *Dei.* (S. Petrus l. III, *recol. Cl.*) Idipsum confirmans S. Cyprianus : facilis, inquit, est cura, ubi plaga perspicua est, et cito ad sanitatem medela subveniente perducitur vulnus, quod videtur. (S. Cypr. de Zelo, et liv.) Uti exemplo proprio didicerunt Serapion Abbas, qui furtum, et gulæ peccatum Abbati coram aliis aperiens, dæmonem in specie lampadis accensæ sinu egredientem videre meruit, et deinceps liber a tentatione mansit. (Cassiod. col. 11.) Item Action M. qui turpem cogitationem Magistro suo Epicteto revelans, vidit puerum nigrum cum facula de sinu egredientem, et hæc dicentem audivit : Confessio tua, Astion, manus meas contrivit, et una oratio vestra me in omnibus inermem ac desolatum fecit. (Rosweid, fol. 215.) Sed et alius quidam senex, cum fratrem quemdam a cogitationibus turpibus, quas ei aperuerat, liberasset, eidem dixit : Non concedas diabolo, nec relaxes animum tuum, sed magis, quoties molestus est dæmon, veni ad me et increpatus abcedet; nihil enim sic extædiat dæmonem fornicationis, quomodo si revelentur stimulationes ejus. (*Vita PP.* l. III, n. 13.) Et nihil eum sic lætificat, quomodo si abscondantur cogitationes; similis nimirum in hoc, quemadmodum S. Ignatius dicebat impuro amatori, qui puellam seducere volens, nihil magis studet, quam ut puella conatus ejus Patrono non indicet. S. Ignat. *in reg. de discret. Spir.* § 13.

Principiis obstare : nam, teste S. Petro Chrysol. diabolus semper primordia boni pulsat, tentat rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu festinat extinguere, sciens, quod ea subvertere fundata non possit. (S. Chrys. *serm.* i.) Hinc S. Hieronymus monet, ut dum parvus est hostis, interficiatur, ut nequitia elidatur in semine. (S. Hieron.) Et sponsus hortatur, ut capiantur vulpes parvulæ, quæ demoliuntur vineas. (Cant. ii, 15.) Beatus enim, teste Davide, qui tenebit, et allidet parvulos Babylonis ad petram. (*Ps.* cxxxvi, 9.) Quod pulchre confirmans S. Augustinus : a Deo, inquit, quid dictum est serpenti? ipsa tuum caput observabit, et tu ejus observabis calcaneum. Diabolus calcaneum tuum observat, quando laberis, ut dejiciat te. Ille observat calcaneum tuum, tu observa caput illius. Quod est caput illius? initium malæ suggestionis illius. Quando incipit mala suggerere, tunc repelle, antequam surgat delectatio, et sequatur consensio, et tunc vitabis caput illius, et non apprehendet ille calcaneum tuum. (S. Aug. *in Ps.* xlviii.) Talis res est malitia, inquit S. Chrysost. si cum primum initium duxerit, non cohibeatur, tamquam ignis arida ligna corripiens, sic in immensam assurgit altitudinem. Imo, ut, scintilla, si forte immensam materiam corripuerit, non ante subsistit, quam totam depascatur; sic et peccati natura, ubi animi cogitationem aliquam adorta est, nec quisquam est, qui malum restinguat, procedens ulterius magis indomita efficitur; qua utique ratione complures videas in omne genus peccatorum imprudentes prolapsos, quod flammam initio exorientem non extinxerint. S. Chrys. *con. gen.*

Fortiter resistere : nam, teste S. Climaco, inimici nostri intuentur animarum nostrarum vultus, et si illos viderint formidare, contrahi, vel immutari, contra nos acerbius armantur. Intelligunt enim versutissime timorem nostrum. Magno igitur animo adversus illos arma capiamus; contra eum enim, qui alacriter pugnat, nullus oppugnando prævalet. (S. CLIM. gr. III.) Quod confirmans S. Bernardus : Videte, ait, quam debilis est hostis noster, qui non vincit, nisi volentem. Potest inimicus excitare tentationis motum; sed in te est, an velis dare, vel negare consensum; in tua facultate est, si volueris inimicum tuum facere servum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum. (S. BERN. s, V, *in qua*.) Hinc Religiosus quidam, cum accerrimas suas tentationes Patri spirituali exposuisset, et remedium petiisset, hoc unum accepit, ut semper diabolo *Nolo* responderet, quod, postquam fecit, brevi omnis tentatio evanuit. (DREX. *palest.* p. 1, c. IV, § 2.) E contrario vero alius quidam frater juvari non potuit, quia in tentatione positus non resistebat, nec ad orationem surgebat; ut fusius Rodriguez l. c. refert. (RODR. p. 2, tr. IV, c. XXII.) Merito ergo S. Jacobus dixit : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. JAC. IV, 7.

Occasionum fuga : nam, ut recte S. Hieronymus dixit, si quis putat, posse se versari in deliciis, et deliciarum vitiis non teneri, seipsum decipit. Quid ergo tibi necesse habes? quotidie aut perire aut vincere; quis unquam juxta viperam securos somnos capit? securius est, perire non posse; quam juxta periculum non periisse. S. HIERON. *epist.* XLVII.

Virtutis contrariæ exercitium : ita Sanctus Ignatius suis suasit, dum dixit : Antevertere oportet tentationes, adhibitis earum contrariis, ut, cum quis ad superbiam animadvertitur esse propensus, exerceri is debet in rebus abjectioribus, quæ ad humiliandum ipsum utiles futuræ videantur; et sic de aliis pravis animæ propensionibus;(S. IGN. p. 3, *const.* c. II, § 18.) nam diabolus, uti Christus S. Brigittæ dixit, est quasi canis venaticus, currens ad te cum tentationibus, et suggestionibus suis; sed si opposueris ei aliquid durum, quo dentes sui doleant, et obstupescant, statim resiliet a te, nec nocebit tibi. Quid vero est durum opponendum diabolo, nisi charitas divina, et obedientia mandatorum Dei, quæ cum viderit diabolus perfecte in te, statim dentes ejus, id est, conatus ejus, et voluntas frustrabitur, quia considerat, te omnia contraria magis velle pati, quam mandatis Dei contraire. L. IV, *revel.* c. XIV.

ASCETICA.

Si ulla alia materia scitu necessaria est Ascetæ, hæc profecto censeri debet, ut ad quem proprie pertinet, non modo quoad se fraudes, et laqueos dæmonis studiose devitare, sed alios etiam ab eorum incursu sagaciter tueri. Unde sicut plurimæ sunt fraudes, et astus dæmonis, quibus decipere conatur; ita non pauciores sunt doctrinæ, quæ ad easdem evitandas observari debent; sed omnes fere ad tria capita reduci possunt, nimirum ut bene sciatur, quid ante, quid in, et quid post tentationem observandum sit.

Ante tentationem itaque tria observanda sunt. 1. Ut certo sibi persuadeat, postquam accessit ad servitutem Dei, animum ad tentationem parandum esse; imo quo plus in sanctitate profecerit, tanto vehementius opugnatum iri, cum, teste S. Gregorio, hostis noster in hac vita positus, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendat. 2. (S. GREG. l. XXIX, *mor.* c. XII.) Ut firmiter quoque credat, Deum, uti S. Paulus (I. *Cor.* X, 13), monet, fidelem esse, atque adeo non passurum, ut supra vires tentetur; si enim, ut recte discurrit S. Ephrem, homines, cum tam parum sciant, sciunt tamen discernere, quantum oneris singula jumenta ferre valeant, tantumque imponunt, quantum eorum vires tolerant; si etiam figulus vasa efformans novit, quanto ea tempore in igne relinqui oporteat, ne, si diutius relinquat, adurantur, si minus, dissolvantur; quanto magis, Deus, cujus est infinita potentia, et sapientia, novit, quibus tentationibus, aut probationibus indigeant animæ ipsi placere volentes, neque majores permittet, quam ipsarum utilitati conducat? Ut pariter firmissime credat, non nocere sensum in tentationibus, si absit consensus; ut enim ignis sub cinere latet, etiamsi cineribus totus videatur sepultus; ita et charitas in corde esse potest, licet ob tentationum gravitatem videatur penitus extincta. S. EPHR. *s. de pat.*

In ipsa tentatione quinque doctrinæ observandæ sunt. 1. Ut non concidat animo, si tentationum procellæ exoriantur; ut enim, si nauta semel a timore occupatus est, ad navim regendam prorsus ineptus evadit, ita animus tentati, si timori cesserit, manifesto victoriæ ammittendæ periculo se exponit, Unde sapienter monet S. Greg. In tentatione deprehensus tenebras mœroris incidene, qui in tanta animi tranquillitate alta de te senseras, in perturbatione quoque deterius cogitationum caligine te confundas. (S. Greg. l. V, *mor.* c. XII.) Ut Christi consilium sequatur dicentis : Vigilate, et orate, ne intretis in tentationem. (Matth. XXVI, 41.) Et vigilantiam quidem etiam S. Paulus commendans : Vigilate, ait, state in fide, viriliter agite, et confortamini : orationi instate, vigilantes in ea? (I. *Cor.* XVI, 3.) Qua ratione autem sucispi debeat hæc vigilantia, pulchre docuit S. Aug. dum sic Evangelium *Vigilate* clausit : Si ergo dormituri sumus, quando vigilabimus? corde vigila, fide vigila, spe vigila, charitate vigila, operibus vigila. Hodie laboramus, et lampades nostræ inter ventos seculi hujus, tentationesque fluctuant, sed ardeat in robore flamma nostra, ut ventus tentationis augeat : potius, quam extinguat. (S. Aug. s. XXII, *de verbis, Dom.* c. X.) Oratio vero quomodo practicanda sit, pulchra similitudine declarat Abbas Joannes dicens : Similis debet esse Monachus homini sedenti sub arbore grandi, qui respiciens feras diversas, et serpentes venientes ad se, cum non possit eis resistere, subit in arborem, et salvatur. Ita, et Monachus sedens in cella, et videns pravas cogitationes, confugiat ad Deum per orationem, et salvabitur. Item similis debet esse homini habenti a sinistra ignem, et a dextra aquam, ut, quoties fuerit succensus ignis, tollet de aqua (puta oratione) et extinguat illam. (*Vita PP. lib.* III, *de pat. et homil.*) 3. Ut initiis tentationum fortiter invigilet, et resistat : quia, ut bene monuit pius Auctor libelli de Christi imitatione, facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus introire sinitur, sed extra limen statim, ut pulsaverit, illi obviatur. (L. V, c. XV, 5). E contrario vero, si tentationi in carne nascenti festine non resistitur, eadem, qua nutritur, hora roboratur, et existens foris in operibus vix prævalet, quia ipsam intus membrorum dominam mentem captivam tenet, ut sapienter notavit S. Gregorius. (S. Greg. *in pastor.*) 4. Ut non obiter, et perfunctorie resistatur tentationi, et hosti, sed penitus, quantum fieri potest, deleatur; quod fiet, si ipsa etiam tentationum radix, et occasio tollatur. Est autem hæc radix non alia, quam concupiscentia, uti clare S. Jacobus indicavit, dicens : Unde lites, et bella in vobis? nonne hinc, ex concupiscentiis, quæ militant in membris vestris. (Jac. IV. 1.) Hæc autem radix tunc tollitur, si a creaturis ad Deum transferetur, juxta doctrinam S. Davidis dicentis : Delectare in Domino, et ipse tibi dabit petitiones cordis tui. (*Psal.* XXXVI, 4.) Et Salomonis : Quorum si specie delectati, Deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est, speciei enim generator hæc omnia constituit. (*Sap*, XIII; 3.) 5. Ut ad pugnam se variis motivis, præsertim Dei, et totius curiæ cœlestis agonem spectantis, et animos addentis præsentia cogitata excitet; quemadmodum S. Steph. exemplo suo docuit, cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris contemplatus, dum lapidibus impeteretur.

Post tentationem tria specialiter sunt observanda. 1. Ut debitæ Deo pro obtenta victoria gratiæ ferventer persolvantur, dicendo cum S. Davide : Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. (*Psal.* CXLI, 1.) Aut : non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. (*Psal.* CXIII, 9.) 2. Ut non putetur debellatum esse, si semel victoria obtenta est; nam, ut sapienter advertit venerabilis Beda, sæpe antiquus hostis, postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit, non ut illatæ malitiæ finem præbeat, sed ut corda, quæ per quietem secura reddidit, repente rediens, facilius inopinate irrumpat. (Ven. Bed. *sup. Luc.*) Huc etiam pertinet, ut non abjiciat animum, aut contristetur, si devictis gravioribus hostibus advertat, se adhuc a minoribus infestari; nam, ut sapienter discurrit S. Greg. hoc divina dispensatione agitur, ne ex omni parte virtutibus splendens in elatione sublevetur : ut, dum in se parvum quid reprehensibile videt, et tamen hoc subjugare non valet, nequaquam sibi, sed Auctori victoriam tribuat in his, quæ subigere fortiter valet. Quod ad hoc agitur, ut ad virtutem mens proficiens justitia sua, melius infirmitate roboretur; et inde verius in bonis luceat, unde etiam nolentem parva reprehensibilia humiliter obscurant. Unde et bene cum Israelitico populo percepto promissionis terra divideretur, Ephraim Tribui Chananæus gentilis populus non occisus, sed factus est tributarius. Recte autem tributarius effici dicitur, quia hac ipsum vitium, quod subigere non possumus, ad usum nostræ utilitatis humiliter retorquemus, ut eo de se mens in summis vilia sentiat, quo suis viribus etiam parva, quæ appetit, non expugnat. Unde et bene rursum scriptum est : Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem. Ad hoc namque quædam minima vitia nostra retinentur, ut sese nostra intentio sollicitam in certamine semper exerceat, et eo de victoria non superbiat, quo vivere in se hostes conspicit, a quibus adhuc vinci formidat. (S. GREG. l. IV, *mor.*) 3. Ut, si quis in tentatione cecidisse, ac succubuisse se advertat, animis non concidat, sed potius salubrem Thomæ Kempensis doctrimam, ac consilium sequatur : Certa tamquam miles bonus ; et si interdum ex fragilitate corruis, resume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia. Nam, ut recte advertit S. Greg. sicut dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter petit, quam illum, qui numquam terga præbuit; sic Deus sæpe illos plus amat, qui post peccatum ferventius illi servierunt, quem qui peccato mortali non commisso, tepidos se in ejus servitio exhibuerunt. S. GREG. *ho.* XXXIV, *in Evang.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc?* (I. *Reg.* XII, 15.) possunt motiva ad tentationes fortiter superandas impellentia proponi, nimirum. 1. *Quod eum ditabit Deus divitiis multis :* puta virtutibus, et meritis; quæ solæ sunt veræ, et præstantissimæ divitiæ. 2. *Quod domum ejus faciet absque tributo* (*Prov.* XII, 21) : id est, liberabit a miseriis, et tristitiis animi, quibus omnes homines subjacere consueverunt; nam justum, qualis est utique qui tentationes omnes ad peccatum fortiter superat, non contristabit, quidquid ei acciderit, Salomone teste. 3. *Quod filiam suam dabit ei :* id est, gratiam, ac gloriam, quæ sunt principales Dei creaturæ, et animam, cui uniuntur, ad summam amicitiam cum Deo, atque adeo etiam dignitatem maximam, evehunt. Quæ omnia facile fusius diduci possunt. Animentur proinde Auditores, ut cum Davide animos sumant, fundam generosæ resolutionis, aut charitatis divinæ cum lapide contemptus illius boni sensibilis, quo allicit, et tentat adversarius, arripiant, et sic in nomine Domini, id est, cum gratia divina audacter aggrediantur hostem, feliciterque sternant.

Ex occasione thematis : *Militia est vita hominis super terram* (JOB. VII, 1) : potest explicari natura, et periculum tentationis idque ex triplici capite ostendi. 1. Ex qualitatibus adversarii, utpote qui est invisibilis, et calliditate utque valet plurimum, quippe qui cum tot, tantisque viris pugnarit, nec raro victor evaserit : præterea sic pollet viribus, ut, teste Job, quasi paleas ferrum, et quasi lignum putridum æs, æstimet. (JOB. XLI, 18.) Sed et tanta est vigilantia præditus, ut dies noctesque impugnet : tanta pertinacia nos obsidet atque oppugnat, ut non uno tantum, vel altero mense, aut anno, sed per vitam universam, hoc prælium continuet. Odio denique insuperabili ad eos potissimum devorandos fertur, qui arctissimis se cum Deo vinculis devinxerunt, ut vere cibus ejus electus, ab Abacuc dicatur. (ABAC. I, 16.) 2. *Ex modo pugnandi :* neque enim sub mænibus, aut destinato ad pugnam certo tempore, pugnandum est, sed semper in armis, et prælio standum, semper aperto campo, et cominus cum hoste pugnandum, ut merito magna semper vigilantia, præparatione, et fortitudine sit opus. 3. *Ex momento pugnæ* non enim hic agitur de pace, aut bonis temporalibus conservandis, sed de salute animæ, et de felicitate, aut infelicitate æterna; si ergo illi, qui vident pro anima rem agi, totis viribus decertare consueverunt; quanto magis quivis Christianus pro anima sua tam pretiosa fortiter se adversariis suis opponere debebit? Ostendatur proinde, quomodo certare debeant, eumque in finem exemplum Christi, triplicem, de hoste victoriam obtinentis, nec aliis armis, quam gladio verbi Dei, utentis, afferatur.

Ex occasione thematis : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi? fidem servavi : de reliquo reposita est mihi corona justitiæ* (II. *Tim.* IV, 7) : potest ostendi, quomodo quivis Christianus pugnare debeat, ut victoriam obtineat. Videlicet 1. contra *unum* dumtaxat, quia juxta commune proverbium, nec Hercules contra duos. Quem in finem serviet tum factum Sciluri Scytharum Regis octoginta filiis fasciculum totidem sagittarum offerentis, et frangere jubentis; cumque id nequiissent, soluto fasciculo singulas cuique sagittas porrigentis, iterumque frangere præcipientis, quod facili labore præstiterunt : tum Horatii militis Romani contra tres Curiatios milites Albanos pugnantis, et quia fugam simulans unum post alterum aggressus est, feliciter superantis. 2. Contra *maximum :* uti olim Rex Syriæ suis præceperat dicens : Non pugnabitis contra majorem, aut minorem quempiam, nisi contra Regem Israel solum. Et David exemplo suo docuerat, dum contra solum maximum Philisthæum pugnando totum exercitum fugavit. Et Judith Holoferne interempto, omnes ejus asseclas in fugam præcipitavit. (II. *Reg.* XXII, 31.) 3. *Magno animo aggrediendo :* quia diabolus est leo, si cedas : si stas, ut musca redit. Quem in finem serviet exemplum de adolescente, qui ab Angelo suo cum magno terribile gigante ei objecto pugnare jussus, cum formidaret congressum, iterum ab eodem Angelo admonitus est, ut aggrederetur, dumtaxat illum, mox enim se auxilio venturum.

Ex occasione thematis : *Certa bonum certamen :* vel *estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente :* (I. *Tim.* VI, 12.) potest pulchre ostendi, quomodo juxta exemplum S. Gregorii possit quisque cum dracone infernali, id est, diabolo, pugnare. *(Eccles. in officio.)* Et in prima quidem parte potest ostendi, quam recte dæmon draconi comparetur, nempe quia, et fœdissimus aspectu est, et crudelissimus, non corporali tantum, sed etiam spirituali vitæ insidians, atque adeo corpus simul, et animam tollens. In secunda parte demonstrari potest, quomodo sit superandus, scilicet *insidendo æquo albo,* de quo pius Auctor dixit : suaviter equitat, quem gratia Dei portat. De hoc enim vere illud Christi verificatur : sine me nihil potestis facere. Deinde lanceam generosæ resolutionis, et cooperationis assumendo, et versus draconem detorquendo. Et tandem lorica firmi propositi non peccandi se armando; his enim armis haud difficulter expugnabitur hic draco. In tertia parte ostendi potest quomodo se quis excitare debeat ad hoc certamen alacriter subeundum, scil. proponendo sibi S. Margaritam Virginem speciosam, quam dæmon nititur, ut per hoc certamen eripiat, animam scilicet propriam, cujus dignitas ac pulchritudo breviter explicari potest.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Cum quidam Senex dixisset ad alium : Ego jam mortuus sum mundo; respondit alter : ne confidas in teipsum, donec egrediaris de corpore hoc; nam etsi tu dicas, quoniam mortuus sum, diabolus tamen necdum est mortuus, cujus innumerabilia sunt satis mala. *Vit. PP.* l. III.

Cum quidam frater interrogaret senem, dicens : Si fuero in aliquo loco, et orta mihi fuerit tentatio, nec habuero, cui me committam, et indicem passionem animi mei, quid faciam? respondit senex : Crede in Deo, quia ipse mittet Angelum suum, et gratiam suam, et ipse tibi est consolatio; si in charitate rogaveris eum. Et addidit dicens : audivi, quia in Scythia erat quidam, qui sustinebat tentationes, et non habens fiduciam in aliquo, cui confiteretur, parabat vespere melotam suam, ut discederet; et ecce noctu apparuit ei gratia Dei in specie virgiuis, et rogabat eum, dicens : Nusquam vadas, sed sede hic mecum, nihil enim ex his male fit, quæ audisti; qui credens verbis ejus sedit, et statim sanatum est cor ejus. *Ibid.* l. III.

Cum Pastorem Abbatem aliquando Abbas Ammon de immundis cogitationibus interrogaret, quæ in corde hominis generantur, et vanis desideriis, respondit ille : numquid gloriabitur securis sine eo, qui incidit illa? et tu ergo non porrigas ei manus, et otiosæ erunt. *Ibid.*

Cum quidam Fratrer ad senem diceret : quid faciam, quia multæ cogitationes solicitant me, et nescio, quomodo repugnem eis? respondit senex : non repugnes contra omnes, sed contra unam; omnes enim cogitationes monachorum unum habent caput; necessarium ergo est considerare, quæ, et qualis sit, et adversus illam reniti; ita enim, et residuæ cogitationes humiliantur. *Ibid.*

S. Leo S. Gertrudem instruebat, ut, quandocumque accedere debet ad aliquem locum, in quo suspicatur occasionem tentationis, semper dicat versum : Fiat, Domine, cor meum, et corpus meum immaculatum. Et post perfectum opus collaudet Dominum pro his, a quibus eam custodivit. L. IV, t. XLIV, *in fin.*

B. Virgo dedit S. Birgittæ tria remedia contra tentationes. Cum tentatione sordida tentaris, dicito : Jesu Fili Dei, omnium Conditor, adjuva me, ut in cogitationibus vanis non delecter. Cum vero delectat te loqui, dicito : Jesu, Fili Dei, qui coram Judice tacuisti, tene linguam meam, donec cogitem, quid, et qualiter loquar. Cum vero delectat operari, vel quiescere, dicito : Jesu, Fili Dei, qui ligatus fuisti, rege manus, et omnia membra mea, ut opera mea tendant ad bonum finem. Et addidit : Quacumque tentatione tentaris, in oratione nihilominus ora, et conare ad orandum, quia desiderium, et conatus bonus reputabitur pro effectu orationis. Et si sordida advenientia menti tuæ ejicere non poteris, tunc ille conatus tibi reputabitur pro corona, modo non consentias, et sint contra voluntatem tuam. *Drex. in palæst.* p. 1, IX, § 3.

Ferdinandus Antellus Dorlani præsidii Præfectus, ut Ambianum Urbem in suam redigeret potestatem, quadraginta milites vestibus rusticanis indutos, sub quibus arma gerebant, et saccis, qui nuces, aliasque rusticanas merces continebant, onustos ad urbem illam misit, ipse interea cum aliis militibus tertio ab urbe lapide sub ruderibus latuit. Postquam ergo milites illi ad portam appulsi saccum nucibus plenum veluti casu solutum effuderunt, quam dum Portæ custodes petulantius colligunt, a personatis militibus confodiuntur, datoque sociis signo Ambianum sine sanguine expugnatur. Simili modo diabolus corda hominum nucibus terrenarum rerum objectis, in suam potestatem redigere conatur. SENEC. *lib. de prov.* c. I.

Numquid vides, inquit Seneca, quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? illi excitari jubent liberos ad studia mature obeunda, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, et sudorem illis, et interdum lacrymas excutiunt; at matres fovere in sinu, continere in umbra volunt, numquam tristari, numquam laborare. Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, et illos fortiter amat : et operibus, inquit, et doloribus exagitentur, ut verum colligant robur.

Sicut Didascali pueros docent in alphabeto unam litteram post aliam, ita et diabolus suos discipulos, ut primo admittant cogitationes malas, dein blandiantur, mox consentiant, dicant, seu ore proferant, exemplis doceant, opere faciant. DREX. l. c. p. 3, c. II, § 1.

S. Franciscus Seraphicus dicere solitus erat, diabolum a nobis filum dumtaxat petere, et ex eo funem nauticum texere.

Cum S. Pachomius dæmoni apparenti exprobraret, quod homines, a quibus læsus non sit die nocteque improbissime infestet, respondit ille : nos ad fores pulsamus, dare aditum, aut negare, penes vos est : si aperitis, mox intro ruimus, et imaginationem occupamus, unde facillimum nobis est, cæcam voluntatem, totumque hominem expugnare. Quod si resistitis, et mox initio prohibetis ingressum, nos victi sumus, et veluti fumus evanescimus. DREX. *in palæst.* p. III, c. II, § 2.

Abbatem Pæmenem cum interrogasset quispiam, quid facere deberet, cum cogitationes iracundæ, et impudicæ invaderent, respondit ille; quid faciebat David, quando ursus, aut leo arietem de medio tollebant? percutiebat, suffocabat, interficiebat illos? ita et tu leonem tuum iracundiam percute submissione, suffoca mansuetudine, ursum; seu carnem tuam in libidinem pronam in laboribus, et jejuniis exarma. *Ibid.* c. IX, § 1.

S. Antonius suis extremum vale dicturus dicebat : Vos, o viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis; varias dæmonum nostis insidias : vidistis eorum, et impetus feroces, et vires effæminatas. Jesum suspirate, et credulitatem nominis ejus vestris figite mentibus et a certa fide universi dæmones fugabuntur. Si alacres in Domino fuerimus, et futurorum bonorum cupido nos succenderit; si semper omnia manibus Dei committamus, nullus dæmonum ad pugnandum valebit accedere. Una est ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, et animæ semper cogitantis Dominum jugis recordatio. S. ATHAN. *in vit.* c. XX et c. XVIII.

De Jonatha dicit S. Scriptura, quod cum audivisset, quoniam regressi sunt principes Demetrii cum exercitu multo, et occurrerit eis in Amathite regione; non enim dederat eis spatium, ut ingrederentur regionem ejus. II. MACH. XII.

Draco a S. Joanne olim visus, cum videret, se nec Matrem, nec Filium devorare potuisse, iratus abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus qui custodiunt mandata Dei. Simili modo dæmon, quia nec Christum velut caput Ecclesiæ, nec totum corpus, quod per mulierem significatur, perdere potuit ad singulos Ecclesiæ filios, eosque meliores tentandos, et affligendos se convertit; sicut enim is, qui cum altero digladiatur, animadvertens, se eum in capite ferire non posse, in corpus ejus reliquum ictus infligit; sic diabolus, quia contra Christum non prævaluit, membra illius, singulos Fideles aggreditur. Apoc. xii.

S. Theresia dicebat : Non habet dæmon potentiam ad generosas, et resolutas animas tentandas; ab illis enim sibi in primis metuit : experientia quippe jam novit, magnum sibi ab illis damnum accidere, et quidquid producit, ac dirigit ad nocendum illis, hoc totum tam in ipsarum, quam aliarum commodum cedere, et se damnum referre. S. Ther. *in init. perf.* c. xxiii.

S. David tentationes dæmonis ad gravia scelera sagittas volantes vocat, quia, cum vitiorum tam sint deformes vultus, curat dæmon, ut cite volent, subitoque ictu, ceu leves sagittæ cruentent, ac saucient, qui enim Christianus patentes eorum aspectus arbitratus, inflecti ad eorum concupiscentiam amoremque possit. Nyssen. *Fer.* vi, *post Dom.* iii, *quadr.* § 6.

Achilles Abbas requisitus, quomodo adversum nos possint dæmones? per voluntates nostras respondit, et adjecit : Ligna Libani dixerunt : Quam grandia sumus, et alta, et parvissimo ferramento incidimur, nihil ergo ei demus ex nobis, et non poterit incidere. Venerunt ergo homines, et fecerunt in securi manubrium, ex ipsis lignis, et inciderunt. Ligna ergo sunt animæ, securis diabolus, manubrium voluntas nostra. Per malas ergo voluntates nostras incidimur. *Vit. PP.* l. VII, c. xxv, n. 4.

Abbas Pimenius rogans Abbatem Abraham, quemadmodum Dæmones nos impugnent, audivit ex eo : Dæmones nobiscum non pugnant, quia voluntates eorum facimus : sed nostræ nobis voluntates dæmones factæ sunt, et tribulant nos. Dæmones pugnaverunt cum Abbate Moyse, nos autem voluntates nostræ impugnant. *Ibid.* n. 3.

Sicut ad ollam succensam muscæ non appropinquant; si vero tepida fuerit, insident in ea, et faciunt vermes, ita, et Monachum succensum igne divini amoris fugiunt dæmones, tepidum vero illudunt, et sequuntur. Ruffinus, l. III, n. 204.

Quidam senex interrogatus, cur a dæmonibus tam graviter impugnemur? respondit, quia arma nostra projicimus a nobis, id est, patientiam, humilitatem, mansuetudinem, atque obedientiam. *Ibid.* n. 173.

Necessitas. — B. Syndetica dixit : Oportet nos adversus dæmones undique armatos existere, quoniam et exterius ingrediuntur, et de intro movent. Sicut enim navis, quæ aliquando exterius mole fluctuum opprimitur, aliquando interius crescente sentina demergitur, sic et nos aliquando operum exterius commissorum iniquitate damnamur ; aliquando vero interius nequitiæ cogitationum addicimur : unde oportet, non solum exterius Spirituum immundorum nos impetus observare, verum etiam interiorum cogitationum immunditias exhaurire. *Vit. PP.*

S. August. supra illud Christi : quod si sal evanuerit, in quo salietur, ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus, ait : quid est conculcari ab hominibus, nisi superari a tentatione? non itaque calcatur, qui persecutionem patitur, sed qui persecutionem timendo infatuatur. Nyssen. *Dom.* xii, *post Pent.* §. 3.

Utilitas. — Regina Chunegundis Henrico conjugi suo virginitatem suam probavit, dum per prunas ardentes illæsa transivit; simili ergo modo, si anima per prunas tentationum illæsa transeat, manifeste declarabit, se nulli alteri creaturæ, præterquam sponso suo Christo, per amorem adhæsisse. *Anonym.*

Cum S. Gertrudis propter minutiorem defectum sese multum arguens, ac reprehendens desideraret, et peteret a Domino, ut illum penitus in ipsa emendaret, atque ab ipsa auferret, Dominus blande illi respondit : Et quare velles, ut ego magno honore privarer, et tu ingenti præmio careres? nam grande nimis præmium lucraris, quotiescumque illum, vel similem defectum recognoscens, proponis de cætero eum vitare : et quandocumque homo studet pro amore meo defectus devincere, tantum mihi honoris, ac fidelitatis exhibet, quantum miles strenuus duci suo exhiberet, si strenue seipsum in bello inimicis opponeret, eosque viriliter expugnaret atque prosterneret. Bloss. c. iv, *mon. spir.*

Anthistenes dicebat : in auctione vas empturus curiose illud inspicis, pulsas, huc, illuc versas, tinnitu exploras, antequam emas; simili modo Deus probare solet eos, quos in amicitiam recipere cupit. Laert. l. XXI, c. viii.

Numertes interrogatus, qua ratione amici fidam probitatem exploraret? per fortunam adversam, respondit. Drex. *in palæst,* p. I, c. iv, § 1.

Cleomenes Rex Spartanus quæsitus, cur Argivos victos non delevisset? Ne desint, inquiebat, qui juvenes nostros exerceant. Plutarc. p. I, *in laconicis,* s. ccxciii.

Dignitas. — Cum lignum in officina statuarii dolandum quereretur, quod tam male a magistro tractaretur, respondit illa injustam esse hanc querelam, eo quod desolatio ista summo honori sit futura, dum ut sic in ara collocandum, et vario cultu afficiendum esset, quem honorem in silva consistens numquam expectare potuisset. Drex. l. c. iii, *prol.*

AXIOMATA.

Tentatio est vita hominis super terram. Job. vii, 1.

Ignis probat aurum, tentatio virum. *Eccl.* i, 5.

Vinum aperit corda, tentatio oculos. *Anonym.*

Major est adjutor, quam tentator. S. Aug. p. 160, t. IV.

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Ovid. l. I, *de amor.*

AUCTORES.

Hieremias Drexelius in Palæstra Christiana.

Alphonsus Rodriguez, p. II, tr. iv, t. I.

Bernardinus Rosignolius l. I, a c. xvii, usque ad xxii, et l. II, c. xxxvi et xxxvii, et l. V, c. xxvii.

Humbertus l. III, de crud. p. 1, 2, 3, 4.

Nicolaus Lancizius opusc. x, cap. v, et opusc. i, c. xvi et xvii.

Josephus Langius in Polyant. V. eod.

Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ V. eod.

Thomas Kempensis l. I, de Imit. Christi, c. xiii.

S. Franciscus Salesius in introductione ad vitam devotam, p. 4, a c. i, usque ad x.

THEOLOGIA.

Placuit, et hunc Titulum libro huic inserere, ut occasio habeatur, quæstiones aliquas a Theologis, vel omnino præteritas, vel certe vix ab uno, alterove resolutas explicandi, quarum quidem plures P. Theophilus Raynaudus in eruditissimis suis Heteroclytis spiritualibus proponit, et resolvit, ex quibus tamen non nisi eas, quæ in praxi frequentius occurrunt, aut scitu digniores videntur, seligam.

DEFINITIO THEOLOGIÆ.

Sicut duplex communiter Theologia, speculativa, et moralis, traditur, ita duplex quoque illius definitio, divisioque assignatur, et Theologia quidem speculativa definitur *Habitus de Deo ex principio revelato discurrens.* Quæ definitio propterea sic formata est, ut abstraheretur a diversitate sententiarum, quæ circa genus, et differentiam Theologiæ Scholasticæ a variis sunt excogitatæ. Hinc dicitur 1. *Habitus*, et non scientia, et sapientia, quia, licet negari non possit hæc prædicata etiam Theologiæ convenire, si latius pro cognitione certa et infallibili, prout abstrahit ab evidentia, vel obscuritate, sumatur; si tamen cum Aristotele pro cognitione certa, et evidente accipiatur, certum est, Theologiam, viatorum saltem, sub scientia, et sapientia non comprehendi. Dicitur 2. *De Deo:* ut indicaretur, quodnam esset objectum attributionis respectu Theologiæ, videlicet ipse Deus; ad hujus enim meliorem cognitionem omnia objecta attributa tam complexa (qualia sunt omnes conclusiones ex principio revelato deductæ) quam incomplexa (qualia sunt res omnes, de quibus eadem Theologia aliquid per principium revelatum probat) tum ex sua natura, tum ex intentione eorum, qui primi hanc Theologiam instituerunt, inferuntur. Ex qua eadem particula ulterius etiam patet, quodnam sit objectum formale, seu ratio formalis *quæ*, ut aliqui vocant, in hac Theologia, scilicet ipsa Deitas, utpote quæ saltem secundum nostrum modum concipiendi est radix omnium attributorum, et relationem divinarum. Dicitur 3. *Ex principio revelato:* et non ex principiis revelatis in plurali, ut abstraheretur ab illa controversia, qua quæritur, an ad conclusionem Theologicam sufficiat una præmissa revelata, et altera naturaliter, aut moraliter evidens, ut non pauci contendunt; an vero utraque revelata esse debeat; uti alii requirunt. Dicitur 4. *discurrens*, per quam particulam indicatur Theologiam non immediate assentiri objecto suo complexo, ut habitus fieri facit, sed mediate dumtaxat, mediante scilicet principio revelato fide divina credito, quod proinde juxta communiorem sententiam pro objecto formali *quo*, seu propter *quam* ipsius Theologiæ assignatur.

Theologia moralis 1. definitur : Habitus supernaturalis ad actus morales supernaturales in genere dirigendos ordinatus : per hoc enim Theologia moralis a reliquis scientiis distinguitur, quod hæ vel non ad actus morales immediate dirigendos sint institutæ, ut Theologia speculativa, Polemica, et Controversa ; vel certe ad eosdem non sub ratione supernaturalitatis ordinentur, ut Ethica; aut saltem circa eosdem in particulari dirigendos inclinent, ut Prudentia; Unde merito Doctores dicunt, Theologiam moralem, et Ethicam medium quasi locum tenere inter Synderesim, et Prudentiam, eo quod omnino circa universalissima principia actuum moralium versentur, ut Synderesis; nec tamen etiam circa singularia occupantur, ut Prudentia. Ex hac definitione facile nunc colligitur, quodnam sit objectum materiale Theologiæ moralis; nempe ipsi actus voluntatis, prout sunt indifferentes ad rectitudinem, vel irrectitudinem moralem, seu quod idem est, bonitatem, vel malatiam; unde hæc moralitas, seu bonitas supernaturalis erit objectum formale incomplexum metaphysicum, cum ipsa sit formalitas seu ratio, quam præcipue Theologia moralis in actus voluntatis introducere intendit, a qua proinde etiam nomenclaturam, et denominationem Theologiæ moralis accepit. 3. Cæterum licet, si hoc modo consideretur, non versetur immediate circa Deum, atque adeo sub hac ratione Theologia vocari non mereatur: quia tamen est pars aliqua Theologiæ strictius acceptæ, ideo adhuc nomen Theologiæ ob conjunctionem, et subordinationem cum illa retinuit; nisi dicere malis, eam pro subjecto habere Deum per actus morales supernaturales eo modo, quo fieri potest, possidendum, cum vere ad hoc sit instituta hæc Theologia moralis, ut actus supernaturales elicere, et per hos ad possessionem Dei velut ultimi finis pervenire tandem possimus.

DIVISIO THEOLOGIÆ.

Dividitur communiter Theologia speculativa, in Theologiam ex principio revelato obscure, et clare cognito discurrentem : ob quam causam Theologiam Beatorum evidentiam in attestante habentium specie, distingui a Theologia viatorum obscure dumtaxat principia revelata cognoscentium, docent Molina, Arrubal, Fasolus, Valentia, et alii. Quod si vero etiam Theologia non sit simplex habitus, sed ex pluribus partialibus compositus, tum utramque hanc Theologiam iterum subdividi in eam, quæ ex utraque præmissa revelata, et eam, quæ ex una dumtaxat revelata, et altera evidente discurrit, atque utramque iterum specie distinctam esse, Molina, Arrubal et Granadus docent. Atque hæc divisio ad Theologiam secundum totum suum objectum complexum spectatum præcipue pertinet; si enim secundum objectum materiale incomplexum consideretur, tum communiter eam Theologi post S. Thomam in tres partes dividunt; in quarum prima de Deo tum in se (id est, secundum naturam, personas, et attributa) tum in suis operibus, præcipue Angelis, et hominibus considerato agunt. In secunda Deum prout per visionem beatificam fruibilis est, considerant; hinc tum ipsius visionis beatificæ naturam explicant; tum, quibus mediis ea obtineri possit, ostendunt. Quia autem ad hoc, ut ea obtinetur, justitia Christiana requiritur in fugiendo malo, seu peccato, et bono faciendo, seu virtutibus exercendis, consistens : horum autem tractatio longa nimis futura videbatur, ideo S. Thomas hanc secundam partem in alias duas partes subdivisit, et in priori quidem (quam primæ secundæ vocavit) de beatitudine, vitiisque, et virtutibus in genere; in posteriori vero, quam secundam secundæ appellavit, de iisdem vitiis, et virtutibus in specie, variisque hominum statibus tractavit; quam subdivisionem etiam moderni Theologi in S. Doctoris reverentiam plerumque observant. In tertia tandem parte de Christo, qui viam nobis ad beatitudinem ostendit, tractant; atque adeo primo Incarnationem illius, deinde Sacramenta ab eo instituta, et tandem finem immortalis vitæ, ad quam per Passionem ipsius, et Resurrectionem, aditus reseratus est, explicant.

Theologia vero moralis non eodem modo

dividitur ab auctoribus, nam aliqui cum P. Hermanno Busenbaum, interna scilicet, duplici actuum humanorum mox a regula seu conscientia, et externa seu inchoante, postea ad præcepta virtutum Theologicarum velut præambula Decalogi, postea præcepta Decalogi, et Ecclesiæ, et tandem præcepta singulorum statuum, ac quæ his opponuntur peccata, explicant, coronidis loco Tractatum de Sacramentis, et censuris adjicientes. Alii cum Laymanno post explicatam conscientiam, et Actus humanos, bonos, et malos in genere, legemque velut regulam directivam illarum, ac pœnas pro transgressione legum Ecclesiasticarum decretas, de virtutibus in specie agere incipiunt, et tandem tractatum de Sacramentis subjungunt. Alii cum Toleto a Sacerdotum officio inchoantes per varias illius potestates occasionem sumunt, varias quoque doctrinas ad Theologiam moralem pertinentes explicandi. Alii aliam divisionem, quam sibi, et lectoribus accomodatissimam existimant, eligunt. Mihi aptissima, et ipsi rei, ac naturæ congruentissima semper visa est divisio, quam S. Thomas in secunda parte suæ Theologiæ, quæ totam fere Theologiam moralem complectitur, observavit; ut scilicet ab initio natura actuum moralium in genere tam bonorum, et malorum explicetur; postea ad actus bonos, seu virtutes in specie fiat progressus, et eodem opere vitia cuique virtuti opposita explicentur, quæque virtutes cuivis hominum statui conveniant, indicetur. Et tandem de Sacramentis velut præcipuo ad gratiam pro actibus moralibus rite dirigendis necessariam obtinendam medio tractetur.

ATTRIBUTA THEOLOGIÆ.

Theologiæ speculativæ Attributa (latius sumendo hoc nomen pro quocumque prædicato accidentali, prout ea Tannerus q. 4, proœmiali, et alii hunc titulum proponentes sumunt) sequentia communius assignantur. 1. Quod sit habitus *supernaturalis,* uti Suarez, et Tannerus contra alios, qui vel omnino cum Vasquez naturalem quoad substantiam; vel certe cum Gillio, et Fonseca quoad modum naturalem esse contendunt, docent, eo quod ad conclusionem Theologicam etiam Habitum Fidei partialiter concurrere existiment. 2. Quod sit *simplex,* et unicus indivisibilis habitus, uti Vasquez, Valentia, et alii apud, et cum Tannero dub. 2. num. 4. contra Suarez, Molinam, et alios, volentes, eam ex pluribus partialibus, et specie distinctis habitibus componi, existimant. 3. Quod sit *speculativus* habitus, uti Sanct. Thomas, et Thomistæ apud, et cum Tannero qu. 3, dub. 3, num. 3, docent, eo quod primarium ipsius objectum scilicet ipse Deus, non sit objectum operabile; licet non neget hæc sententia, etiam particulares aliquas conclusiones v. gr. de actibus humanis, vitiis, et virtutibus, ac Sacramentis practicas habere, ob quam causam aliqui cum Nominalibus eam esse habitum, partim speculativum, partim practivum contendunt. 4. Quod sit *certior* aliis scientiis naturalibus juxta S. Thomæ, et communiorem Doctorum sententiam, eo quod aliæ scientiæ, ut loquitur Sanct. Doctor, certitudinem suam habeant ex lumine naturali rationis humanæ; quæ decipi potest; Theologia vero certitudinem suam ex lumine scientiæ divinæ, quæ decipi non potest, accipiat; licet non negent hi auctores, ut videre est apud Tann. num. 6, quod, si de certitudine adhæsionis sit sermo, Theologiæ assensus cedat naturalibus scientiis; eo quod harum veritatibus ob evidentiam intellectus nullo modo dissentire queat, quum tamen propter obscuritatem veritatibus Theologicis (saltem imprudenter) negare potest, assensum. Non desunt tamen, qui vel cum Vasquezio omnes conclusiones Theologicas, vel saltem cum Vega, et Zumel eas, quæ ex principio revelato, et altero naturaliter evidenti procedunt, certiores esse negant aliis conclusionibus scientificis. 5. Quod sit *dignior* aliis scientiis; uti cum S. Thoma unanimiter docent Theologi, eo quod tam dignitate objecti juxta omnes; tum etiam certitudine assensus juxta plures, tum denique ratione finis, ad quem ordinatur, scilicet æternæ beatitudinis excellentia longe superet omnes scientias naturales. 6. Quod etiam *utilior* sit aliis scientiis, uti vel ex ipsa experientia colligitur, per quam compertum est, quantum detrimentum ex illius studio neglecto passa sit Religio Catholica, et quantum eo restituto Hæresum progressus sint inhibiti. 7. Quod non quidem *simpliciter* sit necessaria ad Ecclesiæ conservationem, cum mille post Christum natum annis, et amplius, nullum viguerit hujus Theologiæ studium, et tamen Ecclesia multo latius, quam nunc, fuerit propagata, atque in sua incolumitate conservata; secundum quid tam recte necessaria ad hunc finem dicatur;

cum constet, nullo magis, quam hujus scientiæ Doctores pro Ecclesiæ Catholicæ conservatione laborare, ut merito hi Doctores sexaginta fortissimis, qui circumstant lectulum Salomonis, comparari mereantur, utpote qui, et ipsi omnes tenent gladium ancipitem locorum Theologicorum ex Verbo Dei scripto et non scripto (ad quæ Bellarminus, omnia argumenta proprie Theologica revocari posse existimat) aut certe ex Verbo Dei (ad quod Scriptura sacra, Traditione, Summorum Pontificum, et Conciliorum decisiones, SS. Patrum, Doctorum, et Fidelium in doctrina ad Religionem pertinente unanimis consensus revocantur) et veritate naturali evidenti fidei articulo conjuncta confectum.

Theologiæ vero moralis primum attributum est quod sit *supernaturalis* habitus; hoc enim prædicatum omnino ei concedendum esse, ut Ethica distinguatur, quæ ad eosdem actus morales dirigendos ordinatur, jam supradictum est.

Secundum attributum est, quod sit vera *scientia*, cum vere conclusiones plurimas certas, et evidentes habeat. Quales sunt v. g. conscientiam erroneam non esse sequendam, licere secundum probabilem opinionem operari, etc. Licet autem de facto multas opiniones probabiles dumtaxat, atque adeo falsitati obnoxias tradere soleat, hoc tamen illi non per se, sed per accidens dumtaxat ob imperfectum modum, quo plerasque scientias in hac vita possidemus, et res ipsas cognoscimus, convenit, atque adeo ipsi Theologiæ secundum se, et suam perfectionem connaturalem consideratæ obesse non debet, quo minus veræ scientiæ prædicatum obtineat.

Tertium attributum est, quod sit *simpliciter practica*, per hoc enim a Theologia Scholastica potissimum distinguitur, quod illi speculativas quæstiones discutiendas relinquat, ipsa vero practicas doctrinas tradendas assumat; unde licet interdum etiam definitiones certorum objectorum tradat, has tamen potius ab ipsa theologia accuratius examinatas mutuatur, quam ut ipsa ex instituto easdem conficiat.

Quartum attributum, quod sit *simpliciter necesssaria* ad Ecclesiæ administrationem, et conservationem; cum enim administratio hæc Pastoribus præcipue conveniat, hi autem sine morali theologia munere suo convenienter fungi non queant, merito concluditur, Ecclesiam absque auxilio hujus theologiæ legitime administrari non posse; hinc de facto multis, quidem, qui theologiam scholasticam non audiverunt, nulli autem, qui theologiæ morali non studuerit, cura animarum committitur.

Quintum attributum est, quod sit *utilior* non aliis dumtaxat profanis scientiis, sed ipsa etiam theologia Scholastica, eo scilicet modo, quo plerumque dicimus, medicum, qui in medicinis practice adhibendis excellit, utiliorem esse eo, qui sola speculatione magnam scientiæ famam est assecutus. Certe experientia quotidiana constat, illos animarum curatores, qui theologiæ moralis sufficientem notitiam cum insigni zelo conjunctam habent, plus in salute animarum procuranda proficere, quam eos, qui speculationibus solum scholasticis assueti, in doctrinis theologiæ moralis memoriæ imprimendis minus studiose se exercuerunt.

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ SELECTIORES VARIÆ.

QUÆSTIO.

An uni Personæ Trinitatis magis obstricti simus, quam alteri, ob speciale beneficium collatum?

Cum Theophilo Raynaudo in Heteroclytis par. I, f. 11, nos nulli divinarum Personarum obligari specialiter ob aliquod beneficium, nec ullum in nos collatum externum bonum, cujus collatione dici possimus obligari, pendere revera ab ulla persona, prout persona est formaliter, sine ratione ejus, quod habet essentiæ superadditum saltem per conceptum explicitum. Id enim aliud non est, quam relatio, quæ non est aliquid operativum, sed pure respectivum. Totum autem, et unicum operandi, et bona in nos conferendi, atque adeo nos obligandi, principium est, potentia divina per voluntatem liberam applicata, quæ in omnibus personis est plane unica. Neque ulla persona quicquam operatur ad extra absque alia, ut latissime tradit Fervad; et optime Fulgentius fragment. 1. ex opere in Fabianum. Itaque personis divinis, sive omnibus, sive singulis nihil debemus, si spectentur formaliter, quoad id, quod habent supra essentiam, saltem conceptu distinctam, quia sub ea consideratione nihil sunt, nisi relationes, per quas præcise spectatas nihil in nos confertur, sed quidquid in nos dimanat, ratione cujus dici possumus Deo obstricti, præstatur per intellectum, voluntatem, atque potentiam ad essentiam pertinentes. Nulli ergo Personæ specialiter obstringimur, neque ab ulla Persona pendet operatio externa, ratione cujus contrahimus obligationem erga Deum.

Objicies 1. Historia, quæ a Collectore Speculi Exempl. V. Confessio, exemp. XXIX, refertur de juvene discolo, cui graviter decumbenti objecta primum est species antiqua dierum, post longam beneficiorum impensorum enumerationem, et expensarum ingratitudinum exprobrationem, denuntiantis Juveni, quod esset filius mortis perpetuæ. Deinde objecta est eidem species juvenis, caput sentibus horrens præferentis, longa trabe humeros gravati; qui per corpus vulneribus lacerum manabat ubertim sanguine. Is ægrum percontatus, quem se esse putaret, denique Christum se esse professus est, secundam divinæ Triadis Personam, cujus misericordissima pietate redemptus esset. Sed quoniam tantam charitatem ingratissime repulisset, nihil ei superesse, nisi æternum interitum; ac collecto in manu cava sanguine, qui e perfosso latere manabat, projecit in faciem decumbentis, et videri desiit. Tandem ab ægri germano admodum pio ad fratris casum accito, et visione illa edocto, audita Spiritus Sancti benignitate, etiamsi a Patre primum Æterno, mox a Filio gehennæ filium se renunciatum diceret, tamen spem sibi a Spiritu Sancto superesse intelligens, animatus ad concipiendum de Dei bonitate, ac ineffabili misericordia pium sensum, nec non fratris allocutione ad confessionem, et Spiritus Sancti humillimam advocationem flexus, sequenti nocte recreatus est objecto viso tertiæ Personæ, cujus humero dextro nivea columba insidebat, et se Spiritum Sanctum professa, peccatorum detersionem plenam, et post triduum certam gloriæ aditionem per felicem obitnm spopondit : quam sponsionem mors post triduum (uti pronunciatum erat) consecuta firmavit. Obstrictissimum se Spiritui Sancto, patri pauperum, solatori mœrentium, perditorum dulci refugio, æger oratione ad Spiritum Sanctum versa quam demississime professus est; quippe qui se a Patre, et a filio repudiatum, a solo Spiritu Sancto susceptum agnosceret. Resp. Hanc historiam prudenter esse accipiendam : Sanctificatio enim peccatorum, cum sit opus ad extra, non minus peragitur a Patre, et filio, quam a Spiritu Sancto, neque contrarium tulit imaginaria illa apparitio, qua significatum dumtaxat est, ægrum illum justa omnipotentis Dei indignatione conterendum ob ingratitudinem de beneficiis creationis, ac redemptionis Patri, et Filio appropriatis, sola Dei bonitate, et amore cujus via procedit Spiritus Sanctus, et idcirco ei appropriatur, pœnitentiæ secunda tabula donandum esse, et æterna clade eximendum. Si plus voluit, qui visum illud descripsit, non est audiendus ; quia, ut præmisi, estque certa theologorum omnium doctrina, omne beneficium a Deo nobis collatum ad omnes æque divinas personas est referendum ; nec pro eo ulli plus personæ, quam alteri, possumus nos obstrictos agnoscere.

Objicies 2. Redemptionem nostram plus pependisse a personalitate Verbi, imo certa quadam ratione plene, ac integre ad eam esse referendam ; quatenus sola Verbi Persona terminavit humanitatem, quæ per eam suppositionem digna facta est, ut per ejus actiones, et satisfactiones redimeremur. Actiones enim puri hominis non fuissent commensæ, ut assumerentur in librum nostrum, juxta illud Psaltis ad id aptatum a S. Basilio : Frater non redimit, redimet homo ; non dabit Deo placationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ, et laborabit in æternum et vivet adhuc in finem. Et hac ex causa Eunomius apud S. Gregorium Nyssenum Orat. IX (verius XII), in Eunom. Plus a nobis deberi Verbo, quam reliquæ Trinitati, contendebat.

Resp. Negando, nos propterea plus debere Personalitati Filii, ut sic spectatæ ; neque ab ea præ aliis Personalitatibus nos obstringente, prodiit nostra redemptio. Quod enim Verbum terminaverit humanitatem absque conterminante alia Persona, fuit aliquid mere extrinsecum Verbo ; neque idcirco Verbum aliquid erga nos præstitit operando, ratione cujus dici possimus ei obligari, vel debere. Nam debere, sive obligari, supponit libertatem benevolam ejus, qui alium demeruit, et sibi debitorem ac abstrictum fecit. Quis enim obligatur, aut debet aliquid alteri, nisi supponatur libere operatus, aut libere præstitisse, quod præstitit, cum posset non præstare? et hæc causa, cur nihil debeamus Deo, quia non fecit nos bestias, contra stultam imaginationem gratias Deo agentium de eo (ut putant) beneficio.

Nihil item debemus Deo Patri, quia ab æterno produxit Filium sibi consubstantialem; hæc siquidem non fuere libera Deo, atque adeo per ea non obstrinxit nos sibi, neque demeruit. Similiter ergo etiamsi Filii Personalitas terminavit humanitatem, et ejus operationes ad immensam dignitatem provexit, nullam tamen obligationem contraximus erga benignitatem Verbi, ut sic; sed obligatio consecuta est terminationem humanitatis, prout libere factam interventu divino voluntatis, et potentiæ, ad nullam personam specialiter spectantis, sed inclusæ in essentia Personis omnibus identificata, et æque communi.

QUÆSTIO II.

An opera nostra ex Christi operibus dignificentur.

Ut sensus hujus quæstionis melius intelligatur, sciendum est, esse non paucos, qui multum se honorare arbitrentur, sibique non exiguum fructum creare; siquas pias actiones exercent, eas in unione similis cujuspiam operis meritorii olim a Christo exerciti elicere se dicant v. g. si jejunantes intendant eam carnis suæ macerationem assumere in unione jejunii, quod Christus pro nobis per quadragenam obivit; aut si orent, et orando intendant orationem fundere in unione orationis, qua Christus Patrem in horto est precatus : qua veluti perfusione operis nostri, per Christi opus, cum quo in unam quasi massam formatur, ingens decus, et uberrimum meritum operi accedere, persuasum habent, ut qui eam operandi in unione operum Christi rationem commendant. Hoc supposito.

Resolutio.

Resp. cum Raynaudo l. I, s. I, p. 5. et Vasquez, ac præpos. ib, cc. Nihil nunc a Christo quantumcumque operemur, ut ejus membra, rependi nobis supra conditionem operis adæquate spectati, attentis omnibus ejus principiis, et circumstantiis; quia eo pacto justificaremur, et bearemur ex parte, citra dispositionem nostram. Aliud ergo non occurrit, quod dici possit solide, et fructuose intendere, qui operantur in unione operum Christi, et sic operandi praxim commendant, quam si dicantur rogare Deum, ut per meritum Christi similem operationem quandoque operari, dignetur acceptam habere rationem nostram, sicut acceptam habere dignatus est similem illam pueri, et Christi sui actionem : et nævos eidem actioni per nostram incuriam obventuros prævenire dignetur, ac condonare jam contractos. Itaque operari actiones suas in unione operum Christi, nihil aliud esse posse videtur, quam orare ad modum prædictum, tametsi qui hac praxi commendanda delectantur, videntur latibulum modi illius loquendi, in unione operum Christi captare voluisse, ut praxis, pro qua satagebant, esset vendibilior, plurisque fieret, cum non statim appareret, esse simplicem precationem, qualem expressimus.

QUÆSTIO III.

Cur Spiritus Sanctus Christi Pater non dicatur, cum tamen de eodem conceptus fuerit.

Antequam ad hanc quæstionem respondeatur, aliqua vel ex fide, vel certe communiori SS. Patrum et DD. sensu præsupponenda sunt.

Et 1. quidem supponendum est certum ex fide, in Christi productione nullum virile semen intervenisse, innumeris, et Scripturæ, et Patrum testimoniis, adversus omnis generis adversarios, id confirmat Canisius l. II. Marc. a cap. IV, ad IX. Ex Scriptura vulgatissimus locus est Genes. III, ubi Christus serpentem contriturus, vocatur semen mulieris, quia ex sola muliere absque viro erat proditurus. Decuit autem Christum ea formatio, quod ab illuvie peccati originalis, et concupiscentiæ parentum fœdis motibus esset eo pacto removenda, juxta præclaram S. Augustini doctrinam l. I, de nup. et concupisc. c. XII. Quotquot enim ex viri, et fœminæ societate procreantur, cum ea parentum confusione, et pudoris protritione generantur : ac etiamsi speciali prærogativa, possent jam ex utero matris, ac etiam ex puncto animationis mundari : tamen debitum saltem peccati contrahunt, quia ex Adami stirpe vitiata propagantur : Unde ratione virtutis activæ, per quam procreati in Adamo peccatore præextiterunt : quia quam gignendi virtutem habuit Adamus, eam immediate filio, et per eum reliquis posteris communicavit, atque ita qui naturaliter ex maris et fœminæ societate procreantur, virtute seminis virilis, eo modo præextiterunt in radice corrupta (hoc est, in Adamo) tamquam effectus præexistunt in causa; indeque hauserunt virulentiam peccati originalis, qua carerent, si ex sola fœmina nascerentur, quia fœmina non fuit caput humani generis, ut egregie ratiocinatur S. Anselmus lib. II. Cur Deus homo cap. xvi et lib. de concept. Virg. c. xiii.

Secundo supponendum est, exclusa patris humani opera a Christi generatione, et quod Daniel prænunciarat, lapidis de monte sine manibus abscissione, hoc est, Virginis utero, non adventitio, sed indigena puerperio fœcundato, ut scite dixit S. Augustinus Epist. iii, addendum est; Spiritum Sanctum virilem efficientiam per se ipsum supplevisse : indeque Christum de Spiritu Sancto conceptum dici. Nam præpositio illa, de, supplementum illud operæ paternæ designat, sicut particula, ex, maternam subministrationem materiæ, ut Tertullianus patenter disserit : Eamdem Spiritus Sanctus efficientiam in Christi conceptione expressit Gabriel; Lucæ i. Verbis illis ad Virginem; Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : Quæ virtus est Spiritus Sancti, ita ut hoc, quod de Altissimi virtute dicitur, sit repetitio ejus, quod præmissum fuerat de superventu Spiritus Sancti in Deiparam, ad obumbrandum illi. Quo verbo juxta aliquos, ut Eusebius demonstr. cap. ultimo notat, significatur absconsio conceptus Virginei, ut lateret dæmones. Juxta alios significatur protectio ab æstu libidinis inter concipiendum, juxta illud : *Scapulis suis obumbrabit tibi;* id est, proteget te : quæ est Bedæ interpretatio. Luc. i, nec non Auctoris libri de oper. Christi Card. Serm. de nativit. Christi, cum ait : Spiritu Sancto obumbrante incendium originale in Virginis conceptu activo extinctum esse.

Resolutio.

His notatis, negandum est, Spiritum Sanctum esse Christi Patrem, solamque Spiritus Sancti personam aliquid circa Christi formationem præstitisse, quod æque aliæ duæ Personæ non præstiterint. Spiritus enim Sanctus non potest dici Pater Christi, quia, ut recte philosophatur S. August. cap. xxxviii et xxxix. Enchir. non contulit aliquid de sua substantia, per quod fœtus constitueretur, ut confert is, qui in humanis pater dicitur. Id enim fecisse Spiritum Sanctum, ne sustinere quidem valent aures Catholicæ, ait D. August. cap. illo xxxviii. Nihil vero præstitisse Spiritum Sanctum circa Christi formationem, quod non æque præstiterint aliæ Personæ augustissimæ Trinitatis inde certissimum efficitur, quod opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Cum enim ratio agendi non sit personalitas, quæ mere terminat, sed natura; hæc autem sit omnibus personis æque communis, merito agnoscimus, omnes æque personas ad Christi formationem efficiendam intervenisse. Et ita tradi Concil. Lateran. sub Innoc. III. in confessione fidei, ac pulchre Hugo Victorinus l, II, de Sacramentis p. 1, c. iii, et Cassianus lib. VII, de incarnat. c. xxvii, cujus argumentatio est in hanc rem luculenta : Quod ais (inquit. Nestorium compellans) quia humanitatem ejus Spiritus S. crearit, possemus id nos simpliciter intelligere, si agnosceremus, te id non infideliter protulisse; Neque enim nos conceptam ex Spiritu Sancto Domini carnem negamus : sed ita tamen conceptum corpus cooperante Spiritu dicimus, ut creatum tamen sibi a Filio Dei, hominem suum esse dicamus, dicente ipso in Scripturis sacris Spiritu Sancto, atque testante : Sapientia ædificavit sibi domum. Vides ergo, quod id, quod conceptum est a Spiritu Sancto, ædificatum a Filio Dei, atque perfectum est; Non quia aliud opus Filii Dei, aliud Spiritus Sancti; sed quia per unitatem Divinitatis, ac Majestatis, et operatio Spiritus ædificatio Filii Dei sit, et ædificatio Filii Dei cooperatio Spiritus Sancti. Et ideo non solum Spiritus Sanctus in Virginem supervenisse : sed etiam virtus Altissimi obumbrasse Virginem, dicitur, ut, quia Sapientia ipsa plenitudo Divinitatis est, Sapientiæ sibi domum ædificandi omnem Divinitatis plenitudinem nemo ambigeret affuisse.

QUÆSTIO IV

An de fide sit B. Virginem esse sine macula conceptam.

Ita quidem Clictovæus, Joannes pius Carthusianus, Pelbartus, Gabriel, Michael de Palatio apud Raynaudum. l. I, nu. 31, sensere, moti triplici argumento, 1. Decreto Concilii Basiliensis Sess. xxxvi, quod definivit sententiam de immunitate Virginis a peccato originali esse piam, et consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæ rationi, et Sacræ Scripturæ; ideoque ab omnibus Catholicis amplectendam, et approbandam, nullique de cætero licitum esse, contrarium prædicare, et docere. 2. Auctoritate Julii II, qui dum regulam Monialium sub Titulo immaculatæ Conceptionis approbavit, hoc ipso etiam sententiam de immaculata Conceptione approbasse videtur. 3. Decreto concilii primi Apostolici, quod dicunt Granatæ Anno 1596. repertum in libro plumbeo, ut refert Moral. lib. III, in Matth. tract. II, in fine. Verba decreti ista sunt : Illa Virgo, illa Maria, illa sancta præservata fuit a peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis; et libera ab omni culpa, et qui ita non senserit, non consequetur salutem æternam. Alii excommunicationis fulmen in decreti contemptores vibratum addunt, ut videre est apud Pelinum L. de Conception. distinct. 7, c. I, nu. 1.

Resolutio.

Sed rectius Raynaudus lib. IV, num. 44, censet, non modo sententiam nostram de immaculata Conceptione non esse certam secundum fidem, defectu definitionis ecclesiasticæ, sed neque definitum esse ab Ecclesia, eam esse magis piam, ac tutam. Quod enim Pontifices festum Conceptionis immaculatæ religioso cultu transigendum proponunt; et id pie, ac secure faciendum docent, satis subsisteret, posita nostræ sententiæ probabilitate, quia cultus ex eo probabili, atque adeo practice certo judicio præstitus, pius est, ac securus, et errore practico vacans : ita ut, etiamsi ad eum præsupponeretur error speculativus, eo quod Conceptio reipsa fuisset maculata : tamen judicium prudentiale concludens ratiocinationem, cui error ille speculativus intexeretur, non destitueretur veritate practica, et morali, sufficiente ad fundandam religiosam honestatem actionis per eam regulatæ. Itaque quod Pontifices in re definiverunt, illud dumtaxat est : sententiam de Conceptione immaculata ita esse piam, et tutam, ut tamen non sit de fide, neque contraria sit formaliter hæretica, aut vice versa, eo quod neutra sit contra Verbum Dei per Ecclesiam propositum, et neutra quoque tamquam a Deo revelata sit fidelibus proposita per Ecclesiam. Et quamvis certum existimem, alteram earum esse a Deo revelatam re ipsa, saltem virtualiter, et implicite, quantum necesse est, ut possit ab Ecclesia definiri; ideoque concedam, Ecclesiam posse alteram e duobus illis sententiis pugnantibus definire ex fide credendam : tamen quamdiu Ecclesia neutrum definit, neutra est de fide, vel contra fidem.

Neque obstant argumenta in contrarium allata. Nam ad 1. respondet Raynaudus, præterquam quod Concilium Basileense, quoad omnia decreta post depositionem Eugenii : inter quæ est illud, reprobatum est in Concilio Lateranensi sub Leone X. Sess. XI, ideoque non potest facere certam fidem, nihil video in iis, quæ ex ejus Decreto retuli, quod ferat definitionem de fide. Posset enim opinio pia, cui subscripsimus, omnibus illis titulis decorari, tametsi non definiretur, Et revera hoc tempore per constitutiones Pauli V, et Gregorii XV, quibus interdicitur promulgatio cujuscumque sententiæ statuentis, Conceptionem Deiparæ esse maculatam, et Decreta Sixti IV, et Concilii Trident. rata habentur; videtur Ecclesia omnia illa tradere de pia sententia, quæ tradidit de ea Concil. Basileense : et tamen Ecclesia in Decretis Pauli, et Gregorii, diserte contestatur, se eam non definire tamquam de fide. Itaque neque innitendum est ei Decreto Basileensi, quasi faceret rem de fide, neque in illud conclamandum est.

Ad secundum respondet idem Raynaudus n. 42. quamvis communiter recte statuatur, Pontificem non posse errare in approbatione status religiosi, ac regulæ cujuspiam : tamen hoc intelligitur quoad substantiali status spectantia ad mores Christianos, et perfectionem, v. g. quod licitum sit vovere talem abstinentiam, aut profiteri talem observationem. Nihil autem necesse, omnia quomodolibet in regulis approbatis memorata censere definita ex fide; Quod etiam ut regula, observationem aliquam indicens, approbetur specialiter, satis est, quod ea observatio ex prudenti judicio usurpetur, sitque pia, et bona, quod optime potest reperiri in observatione nixa notitiis speculative falsis, nec nisi practice veris. Itaque, etiamsi approbata directe esset regula inducens cultum Conceptionis immaculatæ, non sequeretur, talem regulam vacare errore speculativo. Multo magis idem dicendum est de regula indicente alium aliquem actum, ob extrinsecum finem honorandi immaculatam Deiparæ Conceptionem. Quare ex approbatione regulæ sub honore immaculatæ Conceptionis, non sequitur, eam esse ex fide credendam.

Ad Tertium respondet idem, Decretum illud Apostolicum, aut authenticum non esse;

alioqui impossibile foret exponere, quomodo ejus doctrinæ auctoritas non collidatur cum responsis Pontificum; quæ ferunt, nihil hactenus ab Ecclesia definitum esse hac in parte, quod diserte habet Pius V, in Extrav. de hac materia, et Sixtus IV, in Extrav. Grave nimis, et passim Pontifices posteriores, aliis de hac re decretis. Cur autem Ecclesia catholica hactenus non definierit, hanc sententiam esse de fide; rationem ipsa B. Virgo aperuit, dum B. Birgittæ apparens, dixit, se esse sine macula conceptam, et hoc non definiri ab Ecclesia, ut fideles magis habeant occasionem suum erga ipsam affectum ostendendi, ut Bernardinus de Bustis S. VII, p. 1 circa finem refert.

QUÆSTIO V

An immaculata Conceptio B. Virginis sit materia sufficiens ad votum, vel juramentum pro ejus defensione faciendum.

Ratio dubitandi est, quia, ut res aliqua sit materia voti, aut juramenti, debet esse vera, et certa, et non probabilis tantum : sed immaculata Conceptio Beatæ Virginis non est vera, et certa, sed probabilis tantum; ergo. Min. prob. quia concessione Summorum Pontificum potest quis actu interno pro suo libitu utramque partem sentire.

Hoc tamen non obstante rectius affirmativa tenetur sententia, et ex ipsis conditionibus ad votum requisitis probatur; quia ad hoc, ut opus aliquod possit esse materia voti etiam jurati, tres conditiones secundum doctores communiter debet habere. Prima, ut sit in libera nostra potestate. Secunda, ut sit opus bonum. Tertia, ut sit melius, quam oppositum : atqui immaculata Conceptio B. V. habet has tres conditiones; ergo. m. p. de tertia; de primis enim duabus res clara est, quia id est melius, quam ejus oppositum, cui favent Pontifices suprema auctoritate utentes, cujus oppositum prohibent prædicare, laudare, et defendere; in ejus honorem indulgentiæ, et confraternitates conceduntur, quod denique dignitatem, et excellentiam redemptionis Christi, et Deiparæ magis exaltat : sed Immaculatæ Conceptio hæc omnia habet, ut patet ex Bullis Pontificum; ergo.

Ad argumentum vero adversariorum resp. cum Azorio tom. I, l. XI, c. I, § 5. sufficere ad jurandum (et consequenter etiam ad votum) ut, quod asseritur, ipsum verum sit, et qui jurat, ita esse arbitretur, non levi conjectura ductus, sed certa (qualis saltem moraliter est sententia de immaculata Conceptione) aut verisimili, aut probabili.

QUÆSTIO VI.

Ex quo prædicato mensuranda sit B. Virginis dignitas.

Resolutio.

Respondetur breviter cum Theophylo Raynaudo in Dipthyca Mariana cautione III, num. 1. Ratum est apud omnes, perfectiones B. Virginis ad Maternitatem Dei esse admetiendas. Hæc enim est radix prima supernaturalium donorum : quia, cum quisque prudenter operatur, muneribus, quæ committit, adaptare perfectiones, et dotes illis muneribus convenientes, dubitare non licet; quin Deus, qui summam sapientiam ubique prodit, tam sublime munus, et tam proxime ipsum contingens, munus, inquam, et dignitatem Maternitatis divinæ Virgini Beatissimæ decernens, consentaneis quoque tanto muneri prærogativis eam voluerit exornatam. Et ita servatum videmus in minoribus muneribus, et Præcursoris, et Apostolorum. Quia enim Jo. Baptista assumptus est ad munus Præcursoris præeuntis ante faciem Domini, parare vias ejus, conveniens fuit, eum sortiri dona cœlestia ei muneri proportionata, et ita plane est factum. Apostoli quoque primitias Spiritus acceperunt, et supernaturalibus opibus ditati eximie sunt, quia delecti erant ad munus arietum gregis Christi. Similiter ergo quia Deipara delecta erat ad munus sublimissimum Maternitatis, conveniens, ac necessarium fuit, idem multo magis circa eam servari, ea, inquam, decora illi a Deo conferri, quæ haberent cum fundamentario illo munere proportionem, et tantam matrem decerent. Hoc perspicientes Patres, quoties de aliqua Dei erga B. Virginem largitate incidit sermo, ad maternitatem Dei, tamquam ad radicem divinæ erga illam beneficentiæ, rem totam referunt, ut videre est apud Augustinum l. de natura, et gratia, c. XXXVI, cum de excludendo a B. Virgine quocumque peccato disserit, consentiuntque S. Ildephon. lib. de perpet. B. Mar. Virg. cap. I, S. Ansel. de Concept. Virg. cap. XVIII, et passim alii.

Ex eodem principio ratum præterea apud omnes est, B. Virginis perfectiones esse perfectionum plenitudinem, id est, esse in se, ac absolute longe maximas, et comparative majores perfectionibus aliorum Sanctorum, ac nulla ex parte deficientes; hæc omnia ex jacto fundamento perspicue sequuntur. Nam cum nullum sit divinum munus puræ creaturæ concessum, quod Maternitatem æquet; quippe quæ fines Divinitatis attingit ut loquitur D. Thomas 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. dubitare non licet, quin muneri sublimissimo perfectiones longe maxime sint adjunctæ, spectando eas absolute; et hoc supponunt Patres, quoties de B. Virginis perfectionibus agunt. Sic Sophronius serm. de Assumpt. descripta eximia Dei in B. Virginem largitate. Talibus, inquit, decebat Virginem oppignorari muneribus, ut esse gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum. Perfectiones enim longe maximas complexus est per illam gratiæ plenitudinem, quam Gabriel Virgini gratulatur. Hinc gratiarum Mater vocatur, in quam rem Petrus Chrysologus Ser. CXLVI, accomodat illud : congregationes aquarum appellavit Maria. Denique idem liquet de perfecta extensive decorum Virginis ubertate, quam item ratam esse apud omnes concessimus : alioqui enim decederet aliquid de illa gratiæ plenitudine, quam in B. Virgine celebrant Patres, quod per partes datum est aliis, totam simul venit in Mariam gratiæ plenitudo. Unde merito S. Fulbertus serm. de Assumpt. ait : Loquamur aliquid de laudibus sanctissimæ Virginis. Sed quid non tantillum, quid non pusillum, quod in ejus laudibus diceremus; cum etsi omnium nostrum membra vertentur in linguas, eam laudare sufficeret nullum? Altior cœlo est, de qua loquimur : abysso profundior, cui laudes dicere conamur. Et infra. Sed quid dicam pauper ingenio, cum de ea quidquid dixero, minor laus est, quam dignitas sua meretur? Si cœlum te vocem, altior es; si matrem gentium dicam, præcedis; si formam Dei appellem, divina existis; si Dominam Angelorum vocitem, per omnia esse probaris. Quid ergo de te digne dicam, quid referam, cum non sufficiat lingua carnis tuas exercere virtutes?

QUÆSTIO VII.

An gratia B. Virginis in prima sanctificatione concessa excesserit gratiam consummatam omnium hominum, et Angelorum collective sumptorum.

Ita probabiliter senserunt P. Francis. sect. XXVII, num. 75. Guerra to. II, tr. III, disc. I, frag. 4. Carthagena, Suarez, et alii a Guerra cit. probantque tum auctoritate S. Gregorii l. I, c. I, ubi in illa verba Isaiæ etc. Et erit præparatus mons Domini in vertice montium, ait : potest ejus montis nomine B. Virgo designari; in vertice autem montium fuisse, intelligi potest, quia gratia, quæ in aliis fuit finis, et terminus, illi initium, et fundamentum fuit. Tum ex eo, quod B. Virgo in instanti suæ creationis plus amabatur a Verbo, quam ullus Angelus, aut homo beatus, quia tunc amabatur ut futura Mater Dei : sed gratia correspondet amori, et est quasi objectum ejus, quia, ut advertit S. Thomas de Villa Nova homil de S. Joanne Evang. Deus, quos diligit, diligendo optimos, et illustres facit, quia divina voluntas formaliter, et summe bona est honorificans, ut ita dicam, omne, quod amat; ergo B. Virgo plus gratiæ accepit in prima sanctificatione, quam ullus Angelus, aut homo beatus in patria babet.

Confirmant vero eamdem sententiam 1. ex illo S. Hieronymi Serm. de Deipara : In Mariam vero totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter, quia in Christum ex jure, et sine alterius merito, in B. Virginem ex privilegio, et ex merito Christi; sed in Christum ex jure tanta venit plenitudo gratiæ in instanti Conceptionis; ergo etiam in B. Virgine tanta plenitudo gratiæ venit ex privilegio, et meritis Christi : ut eadem omnes Sanctos simul superarit : Ex quo tamen non inferendum, in B. Virginem sic venisse gratiam consummatam, sicut in Christum, quia gratia consummata videtur repugnare B. Virgini, tamquam puræ viatrici. Unde bene dixit S. Bernardus Serm. de Nativit. B. Virg. Christum fuisse plenum gratia ut fontem, Mariam ut aquæductum, alios ut rivulos. Et Dion. Cart. lib. I, de Præconio Virg. c. VIII, Palam est, Christum sine mensura omnis gratiæ plenitudinem sortitum, huic plenitudini gratiæ Maria vehementer appropinquat. Confirmat. 2. Quia B. Virgo in illo instanti jam erat decreta Mater Dei, et consequenter in supremo ordine puræ creaturæ constituta : sed dona, et gratiæ superioris Ordinis incomparabiliter in perfectione superant dona, et gratias inferioris Ordinis; ergo Beata Virgo in primo instanti perfectiorem gratiam accepit, quam omnes Angeli, et Beati simul, et collective habeant.

Resolutio.

Negat tamen non minus probabiliter hanc doctrinam Raynaudus Dyptyc., p. 2, qu. 5, n. 8, eo quod nullo solido fundamento probetur; neque comparatio aliqua inter Christum, et B. Virginem sit facienda, cum Christo talis excessus gratiæ supra omnes Sanctos collective acceptos conveniat ratione unionis hypostaticæ, ob quam quilibet illius actus quamtumvis minutus exornabatur vi meritoria infinita, cui quamtumcumque adensati actus purarum creaturarum erant improportionabiliter, et inæquabiliter impares. At B. Virgo erat pura creatura, nec refundebat in actus quoscumque suos, nisi finitum, et limitatum favorem.

Neque obstant contraria fundamenta, quia ad summum probant, nullam gratiam alicui Sancto fuisse concessam, quæ non et ipsi fuerit concessa, quodque ratione Maternitatis constituta sit in superiori ordine a nulla creatura pura adæquabili, quod tamen nihil facit ad præsentem controversum. Sicut nec illud, quod ex amore, quo Christus Matrem prosequitur, deductum est argumentum; nam ut Raynaud, part. II. Dipt. num. 15, docet : Imprimis non est certum, quod Christus Matrem seorsim plus diligat, quam totum reliquum corpus Ecclesiæ, cum Abulensis prolog. I, in Matth. q. 19, id neget. Et licet demus, id admittendum esse, Christo ut homine prosequente Matrem in amore naturali, quem filius ei debet, a qua accepit esse; inde tamen nihil concluditur circa gratiæ Virginis comparationem cum gratia Sanctorum omnium; quia Christus vi tituli prædicti non debet plus Matri, quam omnibus, nisi in iis, quæ spectant ad esse naturale, cujusmodi non est sanctitas, et gratia. Itaque pro excessu gratiæ comparative cum omnibus omnino Sanctis collective sumptis nihil proferri video, quod eum inter solida Virginis decora recensendum evincat.

QUÆSTIO VIII.

An B. Virgo per singulos actus duplicatam meruit gratiam, et præmium.

In hanc Virginis Deiparæ æstimationem, et honorem augendum, non parum concernente controversia, non possum non verba ipsa P. Gaspari Tausch de Matre dolorosa lib. I, c. IV, § 2 et 3, sic discurrentis referre. Qua in re pia, et singularis est sententia P. Suarez eximii cultoris, atque amatoris B. Virginis, cujus ope ac beneficio, eam, quam in illo miramur, doctrinæ copiam, et præstantiam est consecutus. Is, ut probet, Deiparam plus acquisivisse gratiæ, ac gloriæ, quam sit, aut futura sit omnium Sanctorum, non tantum seorsim sumptorum, sed etiam si simul omnium in unum coacervaretur hominum Beatorum, et Angelorum (quam ille assertionem in scholas invexit, eamque deinceps, multi præsertim ex Societate nostra secuti sunt) ut, inquam, hanc assertionem firmet, pro fundamento ponit, Virginem tantos progressus, atque incrementa in actibus amoris erga Deum continue fecisse, ut is actus, qui primum sequebatur, duplo esset intensior illo, et isto tertius quadruplo, et hoc quartus octuplo, et sic deinceps (quæ secundum probabilem, et hodie passim receptam sententiam fuit septuaginta duorum annorum) singulos actus ita processisse; ut posterior actus meritorius, aut charitatis, anteriorem in dupla proportione superaret. Ratio ipsius est, quia semper operata fuit secundum omnem intensionem charitatis, et gratiæ, ita ut verissime dicere posset : Gratia Dei in me vacua non fuit. Ergo si in primo instanti habuit v. g. gratiam, et charitatem ut 100, eliceret tunc actum charitatis ut 1000, per quem meruit gratiæ, et charitatis augmentum, itidem ut 1000, atque ita in eo instanti jam hoc adepta fuit, ut haberet charitatis bis mille gradus. Sequenti igitur actu charitatis, cum itidem secundum totam intensionem charitatis operaretur, acquisivit charitatem, ut quatuor millia, et ita consequenter, ut paulo ante dictum est.

Quæ suppositio, et discursus immensam, et a nobis prorsus incomprehensibilem, non tantum divinæ gratiæ copiam adstruit, sed etiam divini amoris intensionem. Sane Mathematicus quidam hunc inivit computum : Si verum est, inquit, quod nonnulli asserunt, augustissimæ Deiparæ gratiam (idem est de meritoriis, aut amoris Dei actibus) proportionalia, et dupla per singulos actus habuisse incrementa; post 64, actus creverat ea proportione, quam habent, 13446744073709551615, ad unum. Quam ingens hic numerus! Quid igitur si nos ab uno actu unius gradus intensionis ad 64, numerum per proportionalia dupla incrementa procedamus; imo ne a mille quidem dumtaxat gradibus, sed incipiamus a mille millionibus, et vel per unum diem, non dico ad 64, numerum, sed ad milliones numerando progrediamur? Non enim est dubium, quin Beata Virgo intra unum diem aliquot actuum Sanctorum milliones elicuerit, præsertim cum etiam dormiens operaretur ope scientiæ, et cognitionis infusæ, quæ non dependet a phantasmatibus; quam cognitionem illis quis neget, cum contemplativis quibusdam tribuatur? et præterea nullum illi momentum sine pio actu præteriret, et denique nullus prorsus actus illius fuerit indeliberatus, cum haberet omnium suorum actuum perfectum dominium, et peccati fomite careret? Quod si unus dies tantum intensionis, sive divinæ gratiæ, sive actuum amoris augmentum in B. Virgine ponit, ut ad in concipiendum mens humana fatiscat, quid si augmentum illud ad integram hebdomadam per dupla proportionalia, continua additamenta extendamus? quid si ad mensem? quid si ad annum? quid vero si ad 49, annum (eum enim agebat, cum Christus pateretur) a primo Conceptionis instanti, a quo et deinceps ratione uti, et sancte operari cœpit, et perrexit; continuemus et porro ad 72, annum, quo vitam hanc mortalem cum immortali commutavit, gradatim per singulorum actuum dupla incrementa ascendamus? Qui potest hanc quasi infinitatem quamdam capere, capiat. Sed vereor, ne possit.

Ex hac doctrina deducit ulterius Suarez (ut hoc etiam ad laudem, et decus Virginis ab illo Patre ei attributum addam) B. Virginem circa finem vitæ, unico actu amoris Dei per unum momentum plus meruisse, quam meruerint omnes Sancti, et Beati homines, et Angeli, qui sunt, erunt, fuerunt, omnibus simul sumptis meritoriis actibus, omni, quo meriti sunt, et merebuntur, tempore; eo quod actus ille fuerit intensione, et perfectione major, quam omnes simul sumpti omnium Sanctorum simul sumptorum. Quod illi proclive est dicere, cum probabile etiam existimet, quod etiamsi non elicuisset B. Virgo toto vitæ suæ tempore perfectiores, et intensiores actus Deo placentes, quam fuerit is, quem primo Conceptionis suæ instanti elicuit (qui ut ex recepta theologorum sententia supra dixi, fuit perfectior ex se, et magis meritorius, quam cujuscumque etiam sublimissimi, sanctissimique Angeli) adhuc tamen circa finem vitæ ampliorem, et copiosiorem gratiæ cumulum, ac thesaurum congregatum per omnes vitæ dies haberet, quam alii Sancti omnes, eo quod plene innumerabilis sit in tot annis, quibus B. Virgo vixit, actuum multitudo, quos sine intermissione continenter, et semper eliciebat, et quolibet tali actu quemlibet Sanctum merito excedebat. Hoc illud est: Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Quod eo libentius ex Suario commemoro; Nam si hoc ille sentit de actibus continuatis, tametsi in eadem intensione, et perfectione permanentibus, et ad ulteriorem non progredientibus, facile ab illo aut impetrabo, aut evincam, ut consequenter dicat, posito quod Augustissima Mater creverit indesinenter in intensione actuum; ita ut posteriores semper duplo essent intensiores, quam priores, illam tempore passionis incomparabiliter multo fuisse sanctiorem, sive majorem habuisse gratiæ cumulum, quam in fine vitæ habuisset, si in eodem tantum ejusdem intensionis actu perseverasset, eumque sine cessatione repetivisset, longe enim, imo longissime longius in illo statu per 48, aut 49, annos quam in hoc per 72, majorem necesse est consurgere gratiæ cumulum, ut consideranti, et computanti est evidentissimum: et consequenter, si tempore passionis elicuit actus meritorios habitui gratiæ quoad intensionem proportionatos (hoc enim eam semper fecisse, vult Suarez, et in hoc totum suum discursum, ac sententiam fundat) eam jam tum etiam elicuisse actus amoris divini tam intensos, ut omnium Sanctorum hominum et Angelorum simul sumptuorum, simul sumptos actus intensione excederent.

Resolutio.

Sed hæc doctrina, licet pia admodum sit, et singularem Suarezii erga Deiparam amorem luculente testetur, merito non satis fundata creditur, uti tum ex eis, quæ in priore resolutione ex Raynaudo sunt dicta, tum ex refutatione principii generalis, cui hæc doctrina nititur, quod scilicet omnia, quæ ad sanctitatem, et dignitatem spectant, et sine inconvenientia attribui possunt Dei Matri, ei concedenda sint, cum illa sit idea divinæ liberalitatis, et beneficentiæ, et communicationis ad extra, quam Deus puræ creaturæ contulit. Hoc, inquam, principium cum supra jam ex sensu Raynaudi refutatum sit, ostentumque mensuram gratiæ Christo et B. Virgini concessæ, non tam ex eorum dignitate, quam ex Deo, omnia ad regulas æternæ suæ sapientiæ disponentis voluntate accipiendam esse, hoc ipso quod subrutum fuerit primarium hoc contrariæ sententiæ fundamentum, etiam ipsam corruere necesse est.

Neque obstat 1. quod Angelis simile augmentum in statu viæ concedatur, ut qui secundum totam latitudinem sui habitus sint operati; Nam R. cum Angelorum via unico tantum instanti durarit, facile capi, quomodo hoc eis augmentum concedi possit, et debeat. B. Virginis autem via, cum 72 annis continuata sit, imperceptibile merito videtur, quod secundum totam intensionem habitus sui operata sit.

Nec obstat 2. quod ut Bourghensius in Societate Deiparæ sacra testatur, B. Virgo per Martinum Guttierez gratias agi jusserit Suarezio, quod pro honore suo augendo hanc sententiam excogitarit, et defenderit; Nam R. per hoc plus non probari, quam quod effectus, et bona voluntas Suaresii B. Virgini placuerit : non autem, quod vera, certaque sit sententia, sicut, et iis, qui immaculatam ejus Conceptionem defenderunt, multos favores, et beneficia contulit, nec tamen propterea certa hæc sententia esse creditur.

QUÆSTIO IX.

Quænam in specie privilegia B. Virgini ratione suæ maternitatis fuerint concessa.

Pro resolutione supponendum est de duabus præcipue potentiis, scilicet intellectu, et voluntate Virginis, quæstionem hanc procedere, et eamdem ulterius dupliciter formari posse, nimirum qui defectus fuerint ab ea remoti, et quæ positivæ perfectiones eidem fuerint ratione maternitatis concessæ, quo supposito.

Resolutio.

Resp. 1. quoad intellectum, in primis nullum errorem in B. Virginis intellectu locum habuisse, ut Raynaudus p. 2, q. 9, n. 2, cum aliis a se cit. docet. Est enim in eo defectu magna indecentia, nec minor spiritualis imperfectio, quam in appetitus deordinatione non libera, quæ tamen a Virgine abesse debuit. Accidit, quod error, ut tradit S. August. l. 3, de lib. arbitrio c. XVIII, est pœna per peccatum inducta. Unde a Beatis prorsus exultabit ex D. Thoma opuscul. LXXI, initio, et I. II. q. V, art. 4, et contra Malonium ea in parte singularem. Suarez lib. II de Angel. cap. XXXIII, n. 25. Quod vero ad ignorantiam attinet, distinguendum est; ignorantia negativa, quæ est mera carentia scientiæ, absque debito, vel decentia sciendi; alia privativa, quæ est rerum, quas deceret, vel oporteret sciri. Illam ignorantiam, cujus depellendæ nulla est necessitas, vel decentia, cogimur plane B. Virgini adscribere. Neque enim si Christo Domino omnimoda scientiæ plenitudo debebatur, quippe homini Deo; idem de B. Virgine pronunciandum est, cujus status, et dignitas longe minus postulat, quam dignitas, et status Christi; varias congruentias ad hanc ignorantiam B. Virgini concedendam conglobat. Toletus Luc. II, annotat. 93. Ea tamen ignorantia, quam dixi vocari privativam, in B. Virginem non cecidit. Nihil enim umquam ignoravit eorum, quæ decebat ipsam scire. Quod videtur notum ex terminis. Quomodo namque Deus Verbum in tollenda tali indecentia Matris amantissimæ defuisset? Hinc 1. conceditur, eam in primo suæ creationis instanti perfectum habuisse usum rationis, et liberi arbitrii, uti clare S. Bernardinus Sen. indicat tom. II, serm. LV, II, II, cap. II, ubi ait; Ex dictis sequitur, quod B. Virgo etiam dum erat in utero matris, habuit usum liberi arbitrii, atque lumen perfectum in intellectu, et ratione : proinde secundum quosdam fuit tunc in sublimiori contemplationis statu, quam umquam fuerat aliqua creatura humana perfecta ætate. 2. Eidem conceditur scientia infusa per accidens omnium earum rerum naturalium, quæ ad perfectam Sacræ Scripturæ intelligentiam, ad doctrinæ theologicæ perfectionem, ad penetranda, explicanda, et suadenda fidei mysteria fuit necessaria, et expediens. Ita S. Antonin. B. Albertus, M. Pitigianus, Suarez, et alii ab his citati. Ratio est : quia nulli confertur finis, nisi per media necessaria, et expedientia ad illum obtinendum : sed B. Virgini fuit collata perfecta S. Scripturæ intelligentia, perfectissima sapientia theologica, et in heroico gradu donum sapientiæ; ergo etiam scientia per accidens infusa omnium earum rerum naturalium, quæ ad illarum perfectionem fuit necessaria, et expediens. Minor, de dono sapientiæ patet ex dictis, quia B. V. habuit gratias gratis datas in gradu heroico sibi infusas. De sapientia theologica ex immediate dicendis. De perfecta autem S. Scripturæ intelligentia, probatur. Quia in primis præcipua materia S. Scripturæ sunt mysteria fidei nostræ, vel in se ipsis ad credendum nobis proposita : sed hæc mysteria B. Virgo perfectissime cognovit, tam per fidem divinam, quam per infusam scientiam ; ergo etiam perfectissime S. Scripturam intellexit. Deinde instructio sine scientia fieri nequit : sed B. Virgo in sacris litteris, et mysteriis fidei post Christum instruxit Apostolos; ergo ipsamet perfectissime ea scire, et intelligere debuit, teste Richardo a S. Laurentio lib. I, partic. II, ubi ait : Maria Apostolorum Magistra facta est, et ascendente Domino Apostolos novum docuit testamentum. Quod vero etiam habuerit scientias omnes naturales infusas probabilis negat Raynaudus part. II, quæstion. VIII, numer. 3, eo quod non occurrat solidum fundamentum eas concedendi. 3. Eidem conceditur scientia acquisita, et experimentalis : quia continuo se exercebat in variis actibus, et hi speciem sui relinquebant; hæc tamen scientia non ab intro statim tota fuit infusa, sed successive juxta profectum ætatis crevit, uti etiam de Christo conceditur.

Respond. 2. Quod voluntatem, et appetitum sensitivum communiter ei extinctionem fomitis, seu inordinatorum appetituum carentiam concedi, eo quod fomes iste sit unus ex primariis peccati originalis effectibus ad peccandum inclinans, atque adeo non decuerit Matrem Dei; unde appetitus illius sensitivus teste S. Bernardino Senensi serm. IV, de Concept. art. 1, capit. IV, in tanta dominii plenitudine seu voluntatis imperio subdebatur vi originalis justitiæ, ut ferri non posse in objectum aliquod contra imperium voluntatis, et rationis, nec alio modo, quam voluntas, et ratio imperabat; ergo nullum motum involuntarium sensit, nec primo primum, nec secundo primum : hoc autem patiebatur per justitiam originalem, prout illa dona alibi enumerata includit, ad quod multum deserviebat sublimissima contemplatio, et amor in Deum : item summa ejus prudentia, providentia, cautio circumspectionis, et solertia in motibus illis præcavendis. Quibus adde extrinsecam Dei protectionem, qua Deus cavebat, ne sensibilia contra rationem S. Virginem moverent. 2. Etiam impeccabilitatem, seu carentiam potentiæ tam physicæ, quam moralis ad peccandum communiter ab Auctoribus concedi, id, quod S. Bernardinus Sen. serm. LI, art. 3, c. II, ex variis inconvenientibus probat, dicens : S. B. Virgo potuisset peccare (intellige potentia morali) plura inconvenientia sequerentur. 1. Redundaret in contumeliam prolis, quia ejus Mater esset peccatrix. 2. Esset in detrimentum Matris, quia sic damnari potuisset. 3. In damnum generis humani. 4. In contemptum totius divini intenti, quia totum Incarnationis opus suspectum non immerito reddi potuisset. Neque tamen per hoc libertas B. Virginis fuit sublata, ut in Christo, et Beatis, quia in his ista impeccabilitas ex visione beatifica stabili, aut decreto absoluto de non præbendo concursu ad peccandum oritur ; quorum neutrum in B. Virgine reperiebatur : sed confirmatio ipsius in gratia consistit in ubertate congruorum, quibus voluntas efficaciter allicitur ad bonum, tametsi eluctabiliter, atque adeo cum potestate peccandi. Ea enim ubertas auxiliorum congruorum juncta divinæ protectioni externæ sufficientissima est, ut intelligamus, hominem in gratia sanctificante firmari, id est, ita in ea stabiliri, ut certo ea non excidat, quamvis posset excidere, si luberet, uti Raynaudus p. II, q. IX, n. 35, docet.

QUÆSTIO X.

An B. Virgo laureolam Martyrii promerita sit, et fuerit vera Martyr.

Affirmativam partem apud Raynaudum l. cit. n. 19, tenent non pauci SS. Patres fusius citati; sed et Spinellus, Carthusianus, Pelbartus, Catharinus, et alii quibus novissime etiam Auctor libri de perpetuo Deiparæ gladio a momento Conceptionis ad suam usque mortem, accedit, ubi frequentes affert rationes pro sua sententia. 1. Martyres cæteri, quo plus in Deum flagrabant, eo minus sensere divina consolatione leniente dolores; e contrario B. V. quo plus amabat (et intensissime amabat) eo acerbius cruciabatur : quia sicut amor incensus erga aliquem leve reddit, quod pro eo quis patitur ; ita durius est, quem tenerrime diligas, conspicari gravi cruciatui subjacentem. 2. Alii Martyres in sola carne sua inimica spiritui, et digna mulctari, plectebantur : at Deipara corpore Filii innocuo, et digno quocumque amore, cruciabatur. 3. B. Virgo pluris æstimavit Christi vitam, quam quilibet Martyrum æstimaret suam : Atque adeo plus doluit Deipara, quam omnes Martyres alii pro Deo patiebantur; Deipara sicut Christus pro impiis, et peccatoribus tolerabat. 5. Martyrium Deiparæ ex S. Bernardo serm. de verb. Apocal. signum magnum, fuit martyrium cordis, in quo pro angoris incremento augescit cruciatus, qui in carne patientibus obtunditur, et hebescit pro tormenti atrocitate. 6. Martyrium Deiparæ protractum est a primo Incarnationis momento ad mortem usque ipsius Virginis ultra annos 60, vel etiam 70, juxta sententiarum varietatem. Cæterorum autem Martyrum perpessiones, quam celerrime sunt consummatæ. 7. A posteriori licet colligere præcellentiam martyrii Deiparæ ex præcellentiore ejus aureola; de qua Suarez to. II, V part. disput. XXIV, sect. IV, et Spinellus in Throno Dei capit. XI, num. 2. Unde Ecclesia, quæ cæterorum Martyrum cruciatus quotannis recolit, Deiparæ martyrium quot hebdomadis peculiari festo in Sabbato celebrat. Hæc auctor prædictus, astruens martyrium Deiparæ longe præcellentius, aliorum quorumcumque purorum hominum martyrio, atque adeo etiam longe nobiliorem, et illustriorem aureolam.

Resolutio.

Negativa tamen sententia est Raynaudi in t. de Martyrio per pestem num. 4, et p. II, q. X, num. 22, ubi Sanchez, Salas, Abulensem, et alios citat, duo ad verum martyrium requirentes, scilicet ut mors, vel re ipsa obita, vel in persecutione, et causa naturaliter sufficiente ad mortem inferendam, et in odium fidei illata sit : atqui neutrum habuit B. Virgo; ergo nec martyrium proprie perpessa, et illius laureolam obtinuisse dicitur. Potest quidem eminenter Martyr dici, quatemus plura pro Christo subiit, quam multi Martyres; et gladio doloris anima ejus transfixa est patiente Christo : non tamen idcirco dicenda est fuisse proprie, et formaliter Martyr, atque adeo neque donata est aureola illa peculiari, quæ formaliter Martyribus rependitur ex divina lege. Rationes vero, quibus Deiparæ martyrium longe præcellentius astruebatur, adeo leves sunt, ut peculiari confutatione non egeant, suppositis iis, quæ juxta communem sensum hominum ad martyrium verum requiri diximus.

QUÆSTIO XI.

An cultus B. Virginis sit infallibile signum prædestinationis.

Affirmant multi SS. Patres, et Doctores a Raynaudo citati, inter quos S. Anselmus dixit : Sicut a te aversus, necesse est ut pereat; ita ad te conversus; impossibile est, ut pereat. Sic et Blosius ib. cit. ait : Fieri non potest, ut pereat, qui Mariæ servus et humilis cultor extiterit.

Resolutio.

Sed rectius contrarium tenet Raynaudus ipse, sic n. 38, discurrens : Est spes magna omnibus fervidis Deiparæ cultoribus, reposita, quod non peribunt in æternum. Infallibilem tamen resipicentiam a peccato, vel perseverantiam in gratia, nemini quantumvis erga B. Virginem religioso spondere possumus absque errore; cum perseverantia non cadat sub meritum : neque ullum suppetat cœleste diploma quo piis Deiparæ cultoribus auxilia congrua certo, et infallibiliter sint promissa; unde nolim subnervari nullo modo affectum erga cultum Sanctissimæ Virginis, quem tot exempla testatissimum faciunt fructuosissimum esse, quamvis citra infallibilitatem æternæ salutis. Eum animum induerunt erga Deiparam electi omnes, sed cum timore, et tremore salutem suam operantes : de protectione quidem, et patrocinio tantæ Matris plurimum concipientes spei bonæ, citra omnem infallibilitatem, ac certitudinem.

Neque obstant dicta SS. Patrum in contrarium citata; nam longe alius illorum sensus est; tantum enim monstrare volunt, quantum sit momenti in B. Virginis clientela, ita ut spes magna sit, neminem, qui B. Virgini pie, ac perseveranter famuletur, male periturum. Haudquaquam enim vana spes injicitur, quod, sicut de B. Barbara ad bonam mortem interpellata, pie creditur suis apud Deum præcibus Mater optima, vel impetrabit auxilia, quibus in finem convertatur ad cor, ita ut justificetur, si in peccato erat, vel exorabit beneficium assequendi sacramenta, per quæ Deo concilietur, quod aliquando factum est supra naturam.

QUÆSTIO XII.

An præter proprium Angelum custodem, adhuc alios habeat homo pluribus hominibus custodiendis deputatos?

Ratio dubitandi est, quia, cum quivis Angelus custos clienti deputatus abunde sufficiat ad eumdem custodiendum, non apparet ulla necessitas ad alios eidem assignandos.

Resolutio.

Sed rectius affirmat Paulus Barry in Pedagogia cœlesti c. x, ubi sic loquitur : Certum est, Deum Regnis, et Provinciis custodes Angelos constituisse, ita ut quodvis Regnum, ac Provincia peculiari sit commissa. De Regnorum tutelaribus ambigendi locus non est, quando quidem hoc e Daniele Propheta discimus xi, 14. Angelum Regni Persarum Angelo populi Israelitici, qui tunc in Babylonia captivus detinebatur, restitisse. Simile argumentum de Provinciis habemus, quando Angeli, quos Jacob e Mesopotamia reversus vidit Gen. xxxii. Custodes earum Provinciarum erant, qua ille transibat. Hæc omnia cum S. Basilii sententia congruunt, qui ait l. III, cont. Eunom. Moysen hanc veritatem satis nos suo Cantico docuisse, cum dixit : Deum filios Adæ distribuisse, iisque pro numero filiorum suorum fines, ac terminos Regionum assignasse : ubi septuaginta vertunt, juxta numerum Angelorum : Quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum, juxta numerum angelorum. Deut. xxxii, 8. Idem S. Clementis sensus est, qui ait : Est uniuscujusque gentis Angelus, cui credita est gentis ipsius dispensatio, Clem. Rom. l. II, recognit. Aliqui longius progrediuntur, asseruntque, Principatus Regnis, Archangelos Provinciis esse præfectos, ut eorum curam suscipiant. Molina in i, p. q. cviii, sed et familias suum peculiarem tutelarem habere, idem Barry c. xi, affirmat. In cujus rei fidem Deus per Isaiam Prophetam c. lxii, ait, se pro tutoribus urbis Jerosolymæ Angelos præfecisse : Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes tota die, ac nocte. Quem locum docti eo sensu intelligunt, quem adduxi, comprehensis his etiam Angelis familiarum servatoribus, qui ad tutelares urbium Angelos junguntur. Et pro custode familiarum etiam testatum et S. Thom. affert dicentem : Angelum, qui Agar ancillam, et Abrahamum adduxit fuga elapsam fuisse familiæ, ac domus S. Patriarchæ custodem. Imo etiam Templa, et Sacella, Aras, Sodalitates, et similes Cœtus suos habere peculiares custodes; idem Auctor c. xii et xiii, tum auctoritate S. Thomæ tum ratione, tum exemplis probat ; additque c. xiv, etiam Angelos tutelares consanguineorum, amicorum, et aliorum, quibuscum agimus : Hi, inquit, sunt amici tui, tuorum commodorum, ac salutis unice studiosi : Neque enim minori charitate te amplectuntur, quam ii, quorum filius, cliens, aut amicus es, quosque illi arcanis instinctibus ad tui amorem, ac constantem benevolentiam, quam in te concepere, invitant. Isti quodammodo semper sunt tecum, et quoties cum proximis tibi agis, Angelum tuum custodem conveniunt, ibique interea versantur, dum tu cum cognatis tuis loqueris, tractas, incedis, et commoraris. Angelica, et Pelagia piæ moniales e tertio S. Francisci de Paula ordine, cum Christianæ charitatis ergo, cui se fere semper impendebant, in egentes exercendæ urbem obirent, persæpe visi sunt cum ipsis duo juvenes, rara et exquisita forma incedere, omnibus ad comitatum illum obstupescentibus ; cum hinc monialil utriusque perspecta probitas ac virtus esset, inde assequi non possent, quinam juvenes illi essent, nulli et vultu cogniti, cum interim in illorum elegantia quidpiam appareret humana majus. Sed tandem patuit, cujus conditionis, ac generis illi essent. Quodam enim die omnium pulcherrimi, ac splendidissimi apparuere, admirabili claritate circumfusi. Unde deprehensum est, eas virgines religiosas publicæ charitati intentas, Angelos suos secum in comitatu habere, quibus gratum fuit, quoties sancto cuipiam ejusmodi operi vacarent, socios se adjungere. Ad rationem dubitandi vero respondetur cum S. Th. qu. cxiii, ad i, quod alicui homini adhibetur custodia dupliciter. Uno modo, in quantum est homo singularis : et sic illi debetur quoque singularis custos. Alio modo, in quantum est pars alicujus communitatis : et sic toti communitati aliquis Angelus præponitur, ad quem pertinet providere ea, quæ pertinent ad unum hominem in ordine ad totam communitatem.

QUÆSTIO XIII.

An post Jesum, Mariam, Josephum nemini plus amoris, quam Angelo custodi nostro, debeamus?

Negativam partem suadere videtur communis praxis, et sensus hominum, quorum pauci sane reperiuntur, qui tale in se debitum agnoscant : hinc tot templa, et altaria anathematis in aliorum Sanctorum honorem suspensis repleta conspiciuntur : vix ulla autem in S. Angeli custodis honorem templa exstructa, aut anathemata affixa.

Resolutio.

Affirmativam tamen partem fuse, et efficaciter propugnat Paulus Barry c. IV. Pedagog. cœlest. per sequentes rationes. 1. Quia illi nos multo longiori tempore, quam cæteri omnes amant; cum ab eo die, quo anima nostra fuit creata, nos amare cœperint, conscii, ut quidam Doctores affirmant, nos die nativitatis nostræ suæ custodiæ commissum iri : et hic amor numquam fuit interruptus. Non est quidem negandum, nos a Sanctis, quorum nomen gerimus ab ipso Baptismo amari, ac in singularem tutelam recipi. Sed hic amor non tam mature initium capit; neque tam peculiaris illis nostri cura est, qualis ab Angelis nostris habetur, qui in hac infirma ætate maxime, majorem nostri circa sanitatem, et millena corporis pericula, sollicitudinem, quam tota vita reliqua nostra exercent, ut tutelares nostri Angeli sollicita charitate rationis judiciique, quo tunc caremus, defectum compensent, quibus si essemus instructi, aliquantulum nobis ipsis cavere possemus. 2. Quod de illorum amore in nos multo certiores, quam de aliorum, simus; illorum circa nos beneficia tam sunt perspicua, ut dubitationis locus non sit. 3. Quia singulari studio illa quoque negotia nostra procurant, quæ tantopere ad salutem nostram promovendam pertinent. Ita Angelus S. Petrum de carcere eduxit. Act. c. XII. Ita S. Opportunam Virginem Angelus palam ad Monasterium, ubi vitam agere religiosam cogitabat, deduxit. Ita S. Martinum Turonensem, qui in scalæ descensu lapsus pedem afflixerat, Angelus affuso pretioso unguento, quod secum attulerat, curavit, etsi Medici putarint, nullam illi medicinam profuturam. 4. Quia etiam nobis omnino immerentibus amorem suum non negant, etsi centies, iterumque centies ingratis animis, criminibusque nostris occasionem illis præbeamus nos deserendi, omnemque nobiscum amicitiam abrumpendi : nec sic tamen desinunt nobis bene velle, et facere. 5. Quia non solum quavis hora suis beneficiis nos obruunt, sed, et quæcumque possunt bona nobis procurant, aliis etiam in operis sui societatem vocatis. Præterea semper Deum precantur, ut nobis benedicat, bonasque mentes admonent, ut clientum suorum malis aliquid solatium suis precibus afferant, quando in flammis, et tormentis purgatorii detinentur. Nullum est bonum, nulla felicitas, quam non conentur nobis comparare, aliis etiam ad hoc adhibitis, si ita fieri sit necesse. 6. Quia amicorum nostrorum fidissimos internuntios agunt, illi enim amores tractant, Deoque significant, et vicissim Dei amorem in nos nobis exponunt, illi nostra vota, et desideria explicant : illi ad nos cœlestia dona, consolationes, certamque fiduciam adferunt, bene nobiscum actum iri, omnesque nostros conatus, optatus, successus esse consecuturos. Ipsorum gratum munus, ac provincia est, ad Deum, qui animarum nostrarum amor, ad delicium est, avolare, et inde ad animam Deo dilectam reverti. Nunc ad dilectum meum, ait Bernardus, ut eum animæ sibi creditæ edoceant : paulo post ad dilecta redeunt, ut responsa ad illam referant, ut eam consolentur, ut, quæ sunt ei agenda, suggerant. Tunc iterum ad Deum evehuntur, paria negotia peracturi : Inde rursus ad animam se demittunt, ut ejus suspiriis satisfaciant : Nunc ad dilectum, nunc ad dilectam. Ita quidem, ut si res ferat, et amor sit ardens, Angeli hoc fere unum agant, ut eant, ac redeant, mandata, et responsa ultro retroque nunc a nobis ad Deum, modo inde ad nos ferant idque nostro bono, ad promovendos animæ progressus, ad nostræ salutis, summique momenti negotium conficiendum. Ex quibus facile patet contrariam praxim fidelium potius ingratitudinem, et socordiam, quam Angelorum custodum demeritum arguere.

QUÆSTIO XIV.

An præter Patronos speciales etiam omnes Sanctos collective acceptos in Patronos eligere, et colere conveniat?

Negativam opinionem videtur communis

hominum Christianorum sensus, et praxis approbare, quorum plerique paucos dumtaxat Patronos sibi eligunt; tum quia talis electio in Patronorum specialium præjudicium cedere censetur, quorum honor, et cultus tanto magis minuitur, quanto ad plures extenditur; tum quia obsequia, quæ in eorum honorem præstantur, erga tantam multitudinem vix quidquam æstimabilia videntur, de quibus proin merito dici queat: Et hæc quid inter tantos?

Resolutio.

Affirmativa tamen sententia, quæ in libello etc., vocato p. I, tit. VII, proponitur, et suadetur, merito præferenda censetur, ob sequentes rationes: 1. Quia ipsius Ecclesiæ praxis eam confirmat, ut quæ non solum festum peculiare omnium sanctorum honore quotannis instituit, sed passim etiam in orationibus suis præter merita, et intercessiones privatorum Sanctorum, etiam omnium Sanctorum merita, precesque allegat. 2. Quia æquissimus est hic cultus: si enim is, qui amicum haberet totis diebus in amando, laudando, et honorando ipso occupatum, æquissimum judicaret, ut vicissim illum ardentissime coleret, et amaret; quidni, et nos æquissimum censeamus, ut Sanctos, qui in Dei laude, et amore ardentissimo jugiter occupantur, propterea omni studio, et honore prosequamur; cum honorem, et laudem Deo exhibitum pro majori beneficio reputare debeamus, quam si nobis exhibitus fuisset. Certe hæc sola ratio bene perpensa, sola sufficiens videri potest ad dictum cultum persuadendum. 3. Quia utilissimus quoque est hic cultus; nam qui, ut suppono, omnia sua opera post Dei gloriam etiam ad omnium Sanctorum honorem dirigit, omnes illos *Spectatores* in operibus, *Advocatos* in necessitatibus, et *Protectores* in periculis habebit; quanta vero hinc utilitas sperari queat, quia non videt? 4. Quia jucundissimus quoque hic cultus est, si enim tam gratum, atque jucundum nobis est familiariter cum personis potentibus, sapientibus, et maxime pulchris agere, et conversari, quantum solatium ex familiaritate contracta cum cœlitibus, qui omnes homines potentia, sapientia, et pulchritudine, ac amabilitate longissime superant, sperari poterit? Neque obstant argumenta in contrarium allata; tum quia honor in æstimatione æternis operibus declarata consistit, quæ non minuitur, si plures simul æstimentur (quidquid imprudentes, et ambitiosi aliter sentiant); tum quia cœlites summe se invicem amant, atque adeo honorem aliis exhibitum, suum quoque æstimant, et omnes secum honorari gaudent potius quam ægre ferant. Sed neque obsequia in eorum honorem præstita, modica respectu tantæ multitudinis censeri debet, cum affectum potius, quam opus attendant, sciantque tenuitatem, ac infirmitatem nostram, atque adeo facile, et benigne admittant, et agnoscant obsequia nostra; alioqui certe nec Ecclesia ad omnes Sanctos die eorum festo, et aliis ad eos colendos incitare nos deberet.

QUÆSTIO XV.

An fas sit, personas adhuc viventes opinione vulgi sanctas, uti Sanctos privatim colere?

Negare videtur S. Hieronymus in epist. ad Philem. dicens: si quis hominem, qui sanctus non est, sanctum esse crediderit, et Dei eum junxerit societati, Christum violat, cujus corporis omnes membra sumus, Qui dicit (inquit) justum injustum, et injustum justum, abominabilis apud Deum uterque est. Similiter qui sanctum dicit esse non sanctum, et rursum non sanctum asserit sanctum, abominabilis apud Deum est. Omnes credentes (secundum Apostolum) Christi corpus efficiuntur. Qui in Christi corpore errat, et labitur, asserens membrum ejus, vel sanctum esse, cum non sit; vel non sanctum esse, cum sanctum sit, vide, quali crimine obnoxius fiat. Atqui homines viventes hoc ipso, quod viatores sint, non sunt certi de perseverantia (hinc Sanctus Franciscus Seraphicus dicere solebat: Nolite me colere, ut sanctum, quia adhuc filios, et filias generare possum) ergo neque ut sancti coli possunt.

Resolutio.

Contrariam tamen sententiam tenet Raynaudus l. I, Heter. sect. III, p. 1. Et ibidem tradit Bellarminus lib. I, de Sanctis c. X, docetque factum S. Leonidis, pusionem suum Originem in lecto jacentem, post initiationem per Baptismum venerantis affixo pectori osculo, ut narrat Eusebius VI, hist. c. II, multo magis fas esset privatim colere Sanctum eum, cujus sanctitati divina revelatio privata attestaretur. Quin etiam S. Antonius Patavinus hominem nequam singularibus signis venerationis legitur esse prosecutus, quia certo divinitus compererat, illum aliquando Sanctum Dei, et Martyrem futurum. Defunctum item, qui haberi possit cœlo illatus, fas esse privatim colere, recte pronunciat Navarrus c. X, de orat. concl. VI, n. 69, post Innocentium, et communem. Sic igitur res habet quoad cultum privatim delatum. At cultus publici alia est ratio; is enim solis mortalitatem transgressis exhibetur publico judicio; de quo cultu S. Hieronymus in contrarium citatus intelligi debet. Certe passim viros sanctitate, et miraculis celebres in magna veneratione fuisse habitos, manumque ac pedum osculo a summis etiam Principibus honoratos, quotidiana testatur experientia; hinc idem Raynaudus etiam Salomonem, Constantinum magnum, Ludovicum primum, et similes, quos probabile est, cœlitibus annumeratos esse, privato cultu coli posse concedit.

QUÆSTIO XVI.

An de fide sit, sanctos canonizatos a Pontifice esse vere sanctos?

Affirmant apud Raynaudum Sect. III, cit. fol. 249, col. 2. Catharinus, Valent. Bzovius, Covarruvias et plures alii, quia tota Ecclesia non potest errare, quod tamen contingeret, si Pontifice declarante aliquem esse sanctum, et cœlo illatum, res secus haberet.

Resolutio.

Negant tamen probabilius Raynaudus loc. cit. fol. 250, et apud hunc Suarez, Turrianus, Malderus, Bellarminus, Vasquez, et plures alii, nec dissident plerique ex iis, qui dicunt, sanctitatem, et beatitatem hominis Canonismo decorati habendam esse certam, et Ecclesiam in eo negotio errare non posse. Id enim intelligunt non de certitudine fidei divinæ, sed de alia inferioris notæ certitudine, de qua ambigere foret horribilissimum, ut dixit S. Bonaventura agens contra Guilielmum de S. Amore : Non est tamen tanta, ut qui nollet assentiri, reus esset violatæ divinæ fidei, cujus certitudo non potest cadere, nisi in propositionem, aut in verbo tradito contentam, vel certe in deductam per certam, et evidentem consecutionem, cujusmodi non est propositio, de qua agimus, verbi gratia, quod Sanctus Gregorius cœlo illatus sit, et Sanctis annumerandus. Neque enim habetur in Scriptura vel in traditione, S. Gregorium esse Sanctum et cœlo illatum, neque potest deduci ex iis, quæ in Scriptura vel traditione habentur, nisi adhibito syllogismo, cujus major propositio ad fidem pertinebit; non autem minor, quæ ex solis humanis, fallibilibusque testimoniis confirmabitur in hunc modum : Qui pie vixit et pie mortuus est, Sanctus est, et post detersum ex vitæ præsentis maculis contractum reatum, est beatus, ac cœlo infertur. Hæc major est certa ex fide; Atqui S. Gregorius pie vixit, et pie mortuus est : hæc minor pendet ab humanis testimoniis fallibilibus, ac proinde non est certa ex fide. Igitur conclusio quæ semper sequitur præmissam deteriorem, non est certa ex fide : Quamvis post interpositam Ecclesiæ declarationem nemo Catholicus revocaturus sit in dubium conclusionis illius veritatem, persuasus, Deum Ecclesiæ suæ assistere in re tam gravi, atque adeo Ecclesiam non posse in tali negotio errare.

Sunt qui ad contrarium astruendum allegent miracula, quæ semper Canonismo præcurrunt. Alii adducunt cultum festivum : sed neutra ratio est idonea. Nam miracula etiam vera non subministrant necessarium argumentum ad probandam veritatem doctrinæ, ut ex multis Patribus confirmant Maldon. Matth. VII, ad illud : virtutes multas fecimus, et Tolotus Joan. IX, Annot. IX, Quam multa vero miracula edita referuntur in gratia Conceptionis immaculatæ B. Virginis? Et tamen liquet, eam veritatem non esse fide divina certam. Ad quod exemplum illiditur quoque altera probatio dicta ex cultu publico. Annuente enim, imo instante Ecclesia, Conceptio pura et immaculata colitur, ex prudenti judicio, quod nulli errori practico est obnoxium, ut definivit Sixtus IV. Neque tamen inde habetur, eam veritatem esse certam certitudine divinæ fidei. Simile exemplum duci potest ex hac hostia consecrata, quæ absque vacillatione publice colitur, et sæpe ad eam eduntur miracula in gratiam pie credentium, eam esse consecratam, cum tamen de nulla singulari hostia fas sit asserere, tamquam ex fide certum, quod sit consecrata; quid si enim creditus Sacerdos non fuit baptizatus, vel caruit consecrandi intentione? Igitur neque cultus Sancti receptus, neque miracula (quæ suppono non fuisse edita, ut constaret de vera Sancti beatitate, sic constante Thaumaturgo, sic enim si falsum esset talem esse beatum, impedirentur a Deo) evincunt ad fidem divinam pertinere id, de quo agimus, etiamsi verisimile astruant, cœlitem vindicatum esse revera cœlo illatum, et Sanctum. Et vero de iis qui nondum sunt plane compertæ sanctitatis (et idcirco non nisi Beati nuncupantur), instituto humano vocem illam ad talem sensum accommodante fit Sacrum, et narrantur pleraque illorum miracula : Et tamen eorum sanctitas, et beatitas non dicitur pertinere ad fidem divinam, sed ex prudenti tantum judicio coluntur. Idem ergo statuendum est de Sanctis vindicatis, quarum sanctitas, et beatitas in verbo Dei scripto, aut tradito non est expressa.

QUÆSTIO XVII.

An recte faciat, qui omnem satisfactionem sive in vita et seipso obvenientem sive post mortem ab aliis transcriptam animabus purgantibus transcribit?

Negant, fuseque refutant anomaliam hanc, uti ipsi loquuntur, pietatem, Theoph. Raynaud. p. II, Heter. sect. II, q. 2, et sect. I, n. 18, et Arriaga. Moventur 1. et præcipue, quod tales faciant contra præceptum charitatis ordinatæ erga se ipsum; hæc enim requirit, ut quis se ipsum præ alio liberet a gravissimo malo, et participem faciat summi boni : atqui tale malum est pœna purgatorii, et tale bonum est participatio beatitudinis; ergo ab illam vitandam, et hanc procurandam sibi ipsi præ omnibus aliis inclinabit ordinata charitas. 2. Quod faciat saltem contra perfectionem dictæ charitatis, uti fuse conatur ostendere Arriag. t. V, dist. XL, § 2, tota, pro qua doctrina probando supponit sequentia fundamenta. 1. Indubitatum esse, quod Beatorum amor in cœlis erga Deum sit gratissimus Deo, et in maximam ipsius gloriam redundet, etiamsi omni libertate careat, atque hoc judicium multo magis ferendum esse de aliis actibus virtutum, quos libere iidem beati eliciunt. 2. Eosdem actus multo magis generosos esse, quam nostros, et eo quod in illo statu fiant sine spe ulla præmii. 3. Omnem continuationem liberam actus non minus esse gratam Deo, quam si plures actus distincti elicerentur. Hinc deducit citatus Auctor. n. 21. Beatum aliquem, qui citius, quam ego, duobus diebus intrat cœlum, et iis diebus laudat et honorat Deum, perinde esse magis placentem Deo, et de ipso magis merentem, quam si in hac vita me superasset omnibus illis actibus, seu (ut clarius res exprimatur) perinde, ac si ille fecisse hic centum opera meritoria, et ego tantum duo ex illis. 4. Tandem supponit, in materia spirituali semper quemlibet debere se ipsum aliis præferre, ita ut malit ipse Deo frui, quam ut quilibet alius eo fruatur. His suppositis, concludit idem Auctor, perfectioris longe charitatis esse, sibi ipsi opera sua satisfactoria, quam animabus purgantibus, applicare, additque n. 23, eos, qui contrarium sentiunt, valde indistincte in hoc puncto procedere, multaque dicere, quæ pia magis sunt, quam in scholastico rigore vera. Unde ipse suam sententiam sic tandem stabilire conatur : Optare, ut alter citius, quam ego, ingrediatur cœlum, nihil aliud est, quam optare, ut ille magis laudet Deum, magis Deo placeat, magis se reddat dignum amore divino, quam ego ratione scilicet omnium eorum bonorum operum plurium, quæ faciet ex toto tempore, antequam ego illuc veniam, in quo excessu semper ab illo superabor per totam æternitatem, etiamsi a quo tempore ego ingressurus sum cœlum, eliciam ego deinceps semper æqualia opera cum illo, semper enim superabit me in iis, quæ antea fecit, et per ea specialem Dei radamationem, et complacentiam promerebitur; atqui non est e perfectione charitatis, optare, ut alter me superet in laudando Deo, multo minus autem erit ex eadem perfectione optare, ut, si unus e duobus, ego scililet, vel ille, id facturus sit, malim, ut ille laudet Deum, quam ego; ergo illa communicatio satisfactionum non erit a perfectione charitatis. 3. Quia etiam contra perfectionem charitatis erga Deum agunt, hæc enim vel maxime amantem inclinat ad fruitionem amati, quam celerrime potest, procurandam. Hinc si duæ esset sponsæ, et earum altera, cum posset ipsamet sponsi præsentia, et amore frui, alteri sponsæ captivæ potius hanc conditionem, et occasionem cederet, talis sponsa diceretur quidam insigniter suum amorem erga alteram sponsam, non vero perinde amorem erga sponsum declarasse; atqui simili modo se res in nostro casu habet, cum is, qui eam transcriptionem facit, paratus esse debuerit ad tempus etiam longissimum in purgatorio transigendum, ut aliæ interea animæ aspectu, et amore Dei fruerentur; ergo. 4. Quia etiam contra justitiæ perfectionem agunt; hæc enim prius inclinat ad debita propria, quam aliena persolvenda : hinc nemo diceret, bene fecisse eum, qui, cum vix haberet sufficientem pecuniam ad propria sua debita solvenda, eam tamen ipsam pecuniam expenderet ad aliena debita extinguenda.

Resolutio.

Verior tamen est contraria sententia, quam acriter tuetur Jacobus Hautinus in Patrocinio defunctorum l. II, c. III, § 1, seq. citans etiam Lugonem Suarium, S. Th. S. Bonav. et Magistrum sententiarum, affertque § 3, dissertationem integram P. Francisci Vecheni e Soc. Jesu Theologi Pontificii qui fuse propugnat hanc sententiam, improbatque, quod Arriagæ sententia ex eo etiam capite multum probabilitatis amittat, quod ob tam leve, imo nullum fere fundamentum a communi sensu, ac pietate discedat. Eamdem tenet etiam Eusebius Nierembergius in lib. de purgat. et præ cæteris efficaciter proponit, et defendit Jacobus Munfordus l. de auxil. anim. præstando, cujus argumentis præcipue fulcietur sententia. Possunt autem omnia revocari ad hunc syllogismum : Ille non male agit, qui opera sua disponit, et ordinat ad beatitudinem divinæ visionis certius, citius, et abundantius obtinendam : atqui hoc facit, qui opera sua dicto modo animabus transcribit; ergo etc. Major per se patet. Minoris veritas ostendetur in sequentibus quæstionibus, ubi probabitur, quod per talem sublevationem non modo plus mereamur, impetremus, et satisfaciamus, sed etiam in certam spem veniamus purgatorii evitandi.

Neque obstant argumenta in contrarium proposita; nam ad 1. resp. transeat totus primus syllogismus, nego tamen subsumptum, quod tacite supponitur, quod scilicet quis per hanc charitatem non magis sibi supremam felicitatem, et liberationem a purgatorio procurarit, quam si pro se ipso omnia sua opera obtulisset. Quod ut appareat, ponamus duos homines, quorum uterque eadem opera cum eadem intentione peragat, sed cum hoc discrimine, ut alter omnem fructum satisfactorium, et impetratorium sibi applicet : alter vero animabus purgantibus totum applicet. Hoc posito, examinemus, quis in tali casu plus sibi de suprema felicitate procuret, et meritorum supernaturalium acquirat; nam prior habet quidem occasionem exercendi ordinatam charitatem erga seipsum imo et actum charitatis divinæ, quatenus desiderat cito videre Deum post hanc vitam, eumque perfectissimo modo in cœlis laudare; sed hi ipsi actus, quia nullam prope difficultatem continent, non sunt adeo magni meriti, et præterea etiam periculum magnum est, ne ex inordinato et nimio sui amore oriantur; contra vero alter exercet in primis actum perfectissimæ charitatis erga Deum, quatenus suis impensis procurat, ut plures animæ veniant in cœlum, eumque perfectissime laudent; exercet præstantissimum actum charitatis, et misericordiæ, erga proximum, dum a gravissimo malo liberat, et accelerationem beatitudinis per multos annos procurat, cujus, tamen beatitudinis unicum momentum pluris faciendum est, quam omnia hujus mundi gaudia etiam possibilia. Exercet insuper egregium actum victoriæ sui ipsius, dum vincit in re tanti momenti se ipsum, et amorem sui, qui ipsum ad illa merita sibi applicanda inclinat; vincit item horrorem, quem merito concipere posset in pœnis purgatorii subeundis; qui omnes actus tum propter sui difficultatem, et præstantiam, tum propter sinceritatem purioris motivi, merito incomparabiliter majores censentur.

Ad secundum Resp. 1. Arriagæ doctrinam falsis fundamentis niti; nam I, falso supponit, quod charitas ordinata erga se ipsum semper hominem inclinet, ut plura sibi bona quis procuret, quam alteri; hoc enim falsum esse, constat ex eo, quod possim alteri suadere, ut subeat martyrium gravissimum ex perfectissimo amore Dei, aut vitam sanctissimam, et perfectissimam instituat, quod si is exequatur, sine dubio me multis partibus in gloria superabit, perfectiusque in omnem æternitatem laudabit Deum, nec tamen propterea quisquam facile dicet, me contra ordinatam charitatem fecisse, hoc ei consilium suggerendo. 2. Supponit falso, hunc patrem animas e purgatorio liberando tantum fecisse, ut illæ perfectius ament, et laudent Deum, et neutiquam majorem gloriam esse meritum, quam meritus fuisset, si satisfactionem suam sibi reservasset, cum tamen contrarium concedendum esse infra clarissime sit ostendendum. Resp. 2. Eadem fundamenta Arriagæ nimium, atque adeo nihil, probare; nam in primis probarent, etiam æque contra ordinatam sui charitatem fore, si quis ipsi Christo, si in purgatorio existeret, suam satisfactionem applicaret eumque, e purgatorio liberare conaretur. Deinde probaret, male ab Ecclesia, aut superioribus Relig. præcipi, ut opera nostra pro animabus purgantibus offeramus, cum sic agendo faciamus, ut animæ illæ liberatæ per omnem æternitatem nos superent in illis virtutibus, et benevolentia Dei, quam in cœlis sibi procurarunt. Resp. ergo 3. distinguendo minorem : Non est de perfectione charitatis, ut magis optem, alium laudare Deum, meque superare in perfectione, si tale votum non serviat ad hoc ipsum, ut ego magis laudem Deum, transeat : secus, nego minorem, et consequentiam, nam paulo post ostendetur, me per hoc, quod procurem, ut animæ e purgatorio liberatæ magis ament, et laudent Deum, etiam efficere, ut ego suo tempore habeam majus lumen gloriæ, atque adeo perfectius amen, laudemque Deum, et illi placeam, quam laudassem, amassem, placuissem, si eadem illi opera pro me solo obtulissem.

Ad 3. Resp. Patet ex allato syllogismo principali pro nostra sententia, maxime si is in sequentibus quæstionibus fusius probabitur.

Ad 4. Resp. Neque justitiæ repugnare hunc actum; nam licet ista inclinet prius ad debita propria solvenda, hoc tamen non aliter exigit, quam quando, et quatenus creditor exigit; cum ergo Deus non exigat determinate, ut in hac vita satisfaciamus, sed potius vel maxime ratum habeat, si propter eum satisfactiones nostras ad aliena debita persolvenda applicemus, merito nihil contra justitiam facere, censebimur, si interea pro nostris debitis satisfacere omittamus; quamvis neque hanc quidem satisfactionem omnino amittamus, cum hoc ipso, quod Deus ut sibi factum reputet, quidquid alteri propter ipsum præstamus, jam quodammodo satisfacere dici possimus, dum alteri satisfactionem applicamus.

QUÆSTIO XIX.

An per transcriptionem operum nostrorum plus mereamur, quam sine illa?

Negat Raynaudus, et Arriaga ll. cc. ut qui putant, transcriptionem talem, hoc ipso, quod venialiter saltem peccaminosa sit, utpote ex inordinata sui charitate profecta, omnis meriti incapacem esse, cum Deus nequeat actionem malam probare, multo minus vero præmiare.

Resolutio.

Sed rectius affirmat præter Hautinum, et alios Jacobus Monfordus in tr. de mis, anim. post cap. VIII, illudque efficaciter probat sequentibus argumentis. Primo, quia juxta S. Tho. l. III, contra Gentes c. CLVIII, afflictio charitatis in eo, qui in amico patitur, facit magis satisfactionem Deo acceptam, quam si pro se pateretur. Hoc enim est promptæ charitatis, illud autem est necessitatis. Ex quibus verbis sic licet argumentari : Ille, qui offert bonum opus pro alio in summa necessitatis constituto, non solum facit opus illud bonum, sed facit illud pro alio ex magno charitatis affectu. Unde necesse est, ut sit hoc opus Deo magis acceptum, longeque gratius, quam si ex hoc charitatis affectu non processisset, ac proinde majus apud Deum præmium hoc solo nomine promeretur. Clarum enim est ex variis Scripturæ locis, charitatis affectum rebus etiam minimis magnum valorem, pretiumque imponere.

Secundo, quia idem actus potest ex variis motivis elici, nimirum 1, ex purissima, eximiaque in Deum charitate elici potest. Deinde 2, potest ex insigni gratitudine proficisci. 3. Emanare potest ex ardentissimo desiderio peccata nostra per obsequia Deo gratissima compensandi. 4. Tandem profluere potest, et quidem suavissime, ex tenerrimo sincerissimi amoris affectu in Christum Dominum, qui, quod minimorum suorum Fratrum animabus sit, sibi factum ducit; adeoque singularum harum virtutum meritum, et præmium continet.

Tertio, quia hic ipse actus verissime dici potest comprehendere singula, et transcendere universa illa misericordiæ opera, quæ adeo Christo Domino grata sunt, ut propter illa nominatim æternam regni cœlestis possessionem se in die judicii daturum professus sit. Nam, ut habetur Matth. XXV. Tunc dicet his, qui a dextris ejus erunt : Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare : Sitivi, et dedistis mihi bibere : hospes eram, et collegistis me : nudus, et cooperuistis me : infirmus, et visitastis me : in carcere eram, et venistis ad me; hic, inquam, actus unicus a se ipso complectitur hæc singula misericordiæ opera, eaque excellit universa. Qui enim animam in purgatorio miserrime cruciatam ad cœlestem beatitudinem promovet, non quidem panis frustulum elargitur esurienti, sed panem Angelorum, cœlestesque epulas donat animæ usque adeo esurienti, ut nulla cum hac fame tormenta conferri possint. Nec aquæ frigidæ calicem propinat sitienti, sed ad ipsum fontem aquæ salientis in vitam æternam admovet animam, tanta hujus aquæ laborantem siti, ut si ficta illa Tantalea sitis verissima esset, cum hac tamen siti collata, adhuc non nisi fictitia esse videretur. Non hospitem unius noctis excipit, sed in ipsas mansiones cœlestes per omnia æternitatis sæcula recipiendam transfert animam, a creationis suæ exordio sua domo pulsam, externasque semper per oras profugam, semper vagabundam, semper in peregrinis, et infestis regionibus exulantem. Non ille pannosa veste nudum cooperit, sed stola immortalitatis misellam animulam induit, quæ dies noctesque tota nuda, non quidem frigidioris auræ injuriis exposita, sed atrocissimis, calidissimisque purgatorii ignibus imposita remansit. Non ille, fateor, infirmum visitat, non sua præsentia, et alloquio conflictantem cum æstuantis febriculæ ardoribus recreat; at animam Christi fratris in ipsis purgatorii flammis jam modo æstuantem, ad beatificam Dei præsentiam non pro brevis horulæ spatio, sed ad eam totam æternitate perfectissime possidendam, perducit. Non denique ad vinctum in carcere solatio aliquo afficiendum benignus visitator accedit; at ex igneo ergastulo captivam educit animam, et in gloriosam filiorum Dei libertatem transcribit.

Quarto, quia hanc sublevationem Christus perinde acceptat, præmiatque ac si ipse quoad animam e purgatorio fuisset ereptus juxta propriam ipsius assertionem Matth. xxv, cap. *Quamdiu fecistis ex fratribus his minimis, mihi fecistis.* Quis autem non justissimam spem summi meriti conciperet, si Christum e purgatorio liberasset.

Quinto, quia non solum animæ ipsæ in cœlum assumptæ erunt gratissimæ, sed etiam earumdem custodes Angeli, et Patroni omnes, omnes amici, et familiares, propinqui, affines, et cognati, imo et quotquot in cœlesti curia versantur beati Spiritus, quia tam arcto inter se charitatis mutuo vinculo omnes in cœlo Sancti copulantur, ut eorum non minus de beneficiis proximo suo præstitis, quam de bonis suis propriis gaudeant, et lætentur.

Neque obstat argumentum contrarium, nam ut ex hic dictis tum deinceps adhuc dicendis, facile patebit, non modo contra charitatem sui ordinatam non peccari; sed potius id fieri, si talis modus subveniendi omittatur.

QUÆSTIO XX.

An per eamdem transcriptionem plus satisfaciamus pro peccatis, quam sine ea?

Negant et hoc Arriaga, et Raynaudus, et præter sæpius citatum fundamentum, aiunt manifestum videri, nos nullum satisfactionis fructum per opera nostra satisfactoria nobis ipsis acquirere, quando hæc eadem opera prout satisfactoria sunt, pro animabus in purgatorio offerimus; sicut enim eadem pecunia, qua amicorum meorum debita dissolvo, mea debita dissolvere non possum, ita per eadem opera satisfactoria, per quæ satisfacio pro animarum peccatis, pro meis non potero satisfacere, ac proinde manebo ipse gravissimarum pœnarum reus, dum alienas pœnas tam solicite exsolvere satago, quæ videtur valde præpostera misericordia, et quidem contra ipsam bene ordinatæ charitatis virtutem, quæ sibi primum, deinde proximo, benefaciendum suadet.

Resolutio.

Contrariam tamen sententiam iterum fortiter propugnat Monfordus, probatque argumentis. Primo hic actus non solum est quomodocumque meritorius, sed est meritorius eminenti admodum gradu; ergo hic idem actus non solum est satisfactorius quomodocumque, sed satisfactorius gradu non minus eminenti, quam est, et meritorius. Ratio desumitur ex illa doctrina, quam optime tradit celeberrimus Theologus, Gabriel Vasquez, tom. IV, in III, part. quæst. 94, art. 1, dub. 5, num. 4. Quia si in operibus meritoriis concedimus condignitatem ad vitam æternam, et ad augmentum gloriæ, cur non etiam ad pœnæ remissionem, cum remissio pœnæ temporalis ordinetur ad consecutionem gloriæ? Qui ergo suis operibus condigne meretur consequi gloriam (et quidem in gradu eminenti) non tantum plus gloriæ meretur, sed magis appropinquat consecutioni gloriæ. Ergo magis se expedit a debito pœnæ temporalis, satisfacit ergo pro illa. Hæc ibi, et statim n. 7. Qui bene operatur, non tantum est dignus laude vitæ æternæ, sed etiam dignus est, ut liberetur ab impedimento consequendi illam, et quo magis, et melius operatur, magis ab illa liberetur. Nam si dignus est vita æterna, potiori ratione dignus est, ut tollatur ab eo impedimentum consequendi illam, quale impedimentum est pœna interim solvenda. Hæc omnia Vasquez. Quisquis ergo præstat opus aliquod, quo gloriam in eminenti gradu promeretur, idem uno eodemque tempore, juxta hanc solidissimam doctrinam, præstat etiam opus, quod in gradu non minus eminenti efficax est ad tollendas pœnas illas, quarum perpessio valde retardat a consecutione illius gloriæ, quam consequi per hoc opus est promeritus.

Probatur 2. quia potest hic actus ex talibus motivis procedere, ut fiat actus summi amoris, et charitatis in Deum, cujus majorem gloriam, et laudem ex sincerissimo in ejus infinitam bonitatem affectu prorogare cupientes, id precibus nostri efficimus, ut plures in dies animæ ex purgatorio ereptæ, Deum non minus, quam reliqui beati ardentissimo amore prosequantur in æternum, laudibusque celebrent sempiternis. Jam vero non pauci Doctores, sed ut ait Coninch, Theologi omnes communiter concedunt, per actum amoris, etiam summa cum delectatione elicitum, posse aliquem satisfacere pro pœnis sibi debitis. Hæc ille verbatim. Quæ doctrina videtur Scripturis ipsis valde conformis. Hinc Lucæ IX, ait Dominus : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et adhuc plenius Prov. cap. X. Universa delicta operit charitas. Sed nota hunc tam perfectum eximiæ charitatis actum, communiter loquendo, non nisi cum difficultate aliqua, et labore elici solere, eoque nomine magis satisfactorium merito habendum esse.

Probatur 3, quia idem actus est quoque præclarissimum amoris actus in proximum nostrum. Primo quia liberat eum a summis illis malis, quæ sustinet in purgatorio; 2. quia accelerat ei possessionem æternam immensorum bonorum, quæ sunt in cœlo. Jam vero si Sanct. Petrus hortatur nos, dicens : Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Ego certe longe efficacius ex hoc eodem motivo vos omnes ad hunc charitatis actum hortari possum, quia si ulla in proximum charitas operit multitudinem peccatorum, id de hac præstantissima charitate, qua tantum proximo aufertur malum, tantum proximo confertur bonum, sine dubio dicendum est.

Probatur 4. quia inter actus ad satisfaciendum pro peccatis idoneos, præcipue actus misericordiæ numerantur; nam de eleemosyna, quæ non nisi corporalis misericordiæ actus est, sic in sacra Scriptura ipsa habetur : Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam, et vitam æternam. Tob. XII. Et iterum : Quoniam eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat. Tobiæ 4. Et iterum : Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. Eccl. 3. Et iterum : Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Luc. XI. An non vides, quam incredibilem satisfaciendi vim habeat eleemosyna etiam corporalis? Quam igitur satisfaciendi efficaciam putabimus inesse huic nostræ spirituali eleemosynæ, per quam, ut dixi, malum ingens aufertur, et bonum immensum confertur? donantur ipsa cœli gaudia citius perfruenda, condonantur ipsa purgatorii tormenta, longe fortasse alioqui tempore perferenda? educitur anima fratris nostri ex statu maxime miserabili, et ad ipsius Divinitatis possessionem felicissimam deducitur. O quibus verbis hoc tam ineffabilis misericordiæ opus deprædicabo? Sanct. Thomas in II, quæst. 32, ante art. 1, generatim disserens de præstantia operum spiritualis misericordiæ respectu operum misericordiæ corporalis, diserte affirmat, spiritualis misericordiæ opera esse aliis tanto præstabiliora, quanto anima est corpore nobilior. Age nunc, revoca in memoriam, quæ jam modo ex Scripturis ipsis attulimus, quibus stupenda, et pene incredibilis ad peccata expianda vis, et efficacia uni tantum ex misericordiæ corporalis operibus, soli, nimirum eleemosynæ attribuitur. Jam sic subsume ex S. Thoma : Atqui hæc eleemosyna spiritualis illa eleemosyna corporali est tanto præstabilior, quanto anima est corpore nobilior; ergo ejus vis, et efficacia ad peccata nostra expianda, longe adhuc magis stupenda, et incredibilis erit.

Ad argumentum oppositum respondet Monfordus n. 4. Gratis concedo tibi, nos, quando actiones nostras pro animabus in purgatorio offerimus, nihil omnino pro peccatis nostris satisfacere (quod falsum omnino esse, inferius demonstrabitur;) dico tamen, hoc incommodum per alia longe majora commoda compensari. Primo enim hic charitatis, et misericordiæ actus tam ingentes nobis meritorum thesauros in cœlo cumulat per totam æternitatem possidendos, ut temporale damnum, quod incurro, nihil penitus, faciendum sit, respectu lucri tam ingentis, semperque duraturi. Damnum, quod fortasse sustinebo, quasi momentaneum est; lucrum, quod certo comparare poteram, æternum est. Stultus merito haberetur mercator, qui nollet censum vitalitium sibi perire, si ex illius jactura certo sciret perpetuum sibi censum, et quidem maxima parte auctiorem post tempus admodum breve proventurum. Numquid et ego imprudens mercator ero, qui si hæc opera pro animabus offerre voluero, eminentiorem in gloria cœlesti gradum, ex tam meritorio charitatis, et misericordiæ actu mihi ipsi comparare potero : nolo tamen hæc opera pro animabus offerre, ne scilicet damnum fortasse temporale in purgatorio sustineam. Hoc damnum evitare, bonum quidem est, sed temporale, et quasi momentaneum. At privari minimo illius sempiternæ gloriæ momento, damnum est irreparabile, non qualiscumque boni, sed illius, quod mille purgatoriis, millena licet secula duraturis, prudentissime emeretur. Unde malum, quod in unico sustinendo purgatorio continetur, quodque jam quidem ex parte vitabo, vix potest dici malum respectu tam ingentis boni, quod illo malo sustinendo acquirere potuissem; sicut minima acciculæ punctiuncula malum appellari non posset, si quis eam tolerando totius mundi obtineret imperium. Adde, quod hæc, qualescumque sint, quæ me fortasse manebunt in purgatorio pœnæ, per pium indulgentiarum usum evitari possint, et quidem non admodum difficulter. Unde licet fatear, verum esse, me eadem pecunia, qua amicorum meorum debita dissolvo, mea quoque debita dissolvere non posse; fieri tamen potest, ut is, cui debitor maneo, ea præditus sit liberalitate, ut mihi difficile non sit, interposita aliorum, de eo optime meritorum, gratiosa intercessione, id efficere, ut debita mihi omnia non minus perfecte remittat, quam si ea ad ultimum usque quadrantem hac eadem numerata pecunia dissolvissem.

QUÆSTIO XXI.

An per eamdem transcriptionem merito spes ingeneretur purgatorii vel omnino, vel magna ex parte, evitandi ?

Negabunt iterum supra cit. auctores, ut qui hoc ipso, quod omnia nostra opera pro animabus offerri posse negent, præcipuum medium ad purgatorium evitandum, vel minuendum auferunt.

Resolutio.

Nihilominus etiam hic affirmativam sententiam merito præfert Monfordus, probatque sequentibus argumentis. Primo ex S. Scriptura, quæ sæpius ait per charitatem operiri multitudinem peccatorum, uti Petri. IV, et Proverb. X, universa delicta operit charitas; cum ergo ex dictis constet, actum misericordiæ animabus illis præstantissimæ esse præstantissimum actum charitatis, merito spes concipi poterit, eum omnia ipsum exercentis opera sic operturum, ut nihil purgatoriis flammis expiandum supersit.

Secundo probat id ipsum ex aliis Scripturæ locis de eleemosyna prolatis, ut dum dicitur : Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Tob. IV. Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis. Luc XVIII, et alia hujusmodi. Jam vero si tam ampla privilegia concedantur eleemosynæ, quando nimirum copiose datur (nam, ut scite Chrysostomus : Non dare, sed copiose dare, eleemosyna est) si, inquam, tam ampla privilegia concedantur eleemosynæ, quæ non nisi corporalis misericordiæ opus est, quid dicemus de hac spirituali eleemosyna, quæ, ut ex S. Thoma nuper vidimus : Tanto præstabilior est corporali eleemosyna, quanto animus est corpore nobilior. Qualis enim, Deus bone? est hæc eleemosyna, qua non aliqua corporis sublevatur miseria, seb ipsa anima ex acerrimis tormentis intimisque purgatorii flammis ad cœlum usque elevatur? Qualis eleemosyna, qua non mundi thesauri, sed cœlestes, sed immensæ, sed æternæ divitiæ conferuntur? Qualis eleemosyna, qua non omnium rerum creatarum, vel creabilium certa possessio, sed ipse Deus in æternum possidendus donatur animæ, quæ, nisi hujus eleemosynæ facta fuisset particeps, hoc ipso tempore, quo tam læta, et felix agit in cœlo, mæstissima, et afflictissima arsisset in purgatorio. Numquid igitur potiori jure de hac tali, ac tanta eleemosyna dicemus etiam, quod ab omni peccato liberet, et quod non patietur animam in tenebris ire, nec ut cadat in obscurum, sed signifer Sanct. Michael repræsentabit eam in lucem sanctam? quod si forte timeatis, ne vitæ immundioris obstet reatus, quo minus in civitatem illam, in qua nihil coinquinatum intrabit, tam expeditum inveniat ingressum, hanc excellentiam, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Non sunt hæc mea, sed Christi verba? Quare verissime dicit S. David : Beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Tertio probat ex Christi promissione, qua dicit : Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Cum ergo Christus omne, quod uni ex minimis ejus præstitum est, sibi factum reputet, quis non merito sperare potest, eum, qui Christum toties in animabus redemit, simili quoque modo a purgatorio liberatum iri, id sane jam olim S. Gertrudis experta est, quæ inter alia pietatis exercitia hoc quoque eximium habuit (quemadmodum alicubi refert Dionysius Carthusianus) ut omnia sua opera satisfactoria pro animabus in purgatorio sublevandis offerret. Hinc factum, ut morti vicina, cum ex una parte peccatorum suorum multitudinem eo, quo Sancti solent, animi sensu perpenderet, et consideraret attentius; ex altera vero parte recordaretur, omnia opera sua satisfactoria non pro suis sed alienis, expiandis peccatis fuisse impensa, angi nimium cœpit animo, et vehementius extimescere, ne quid acerbius de anima sua, sic undique destituta, a severo Judice statueretur. Dum hæc solicita volveret, revolveretque ; Christus suavissimis his verbis ancillam suam recreasse memoratur : Ut intelligas, quam grata mihi fuerit charitas tua, qua erga animas usa es : remitto jam nunc omnes pœnas, quæ tibi essent subeundæ. Et qui pro uno spopondi centuplum, liberalitatem meam modo ostendam, tuamque gloriam cumulabo.

Quarto, quia ex variis historiis habetur, animas hujusmodi liberatas fideliter, vel monuisse de periculo instantis mortis, vel ad ipsum fatalem lectulum descendisse, et ad mortem pie obeundam animasse, uti Martinus Roa in lib. de animarum auxilio, et Gregorius Raw. in Legato animi, pluribus exemplis confirmant.

Quinto probatur, quia, cum in prioribus quæstionibus ostensum sit, hunc actum misericordiæ, quo opera nostra pro animabus offerimus, esse tam eminenti gradu meritorium, et præterea usque adeo ad quidvis impetrandum efficacem, et denique tam nobile genus satisfactionis continere ; videmus hinc non leve habere fundamentum affirmandi hunc actum partim, qua meritorius est, a Deo, quasi de congruo promereri ; partim, qua impetratorius est, ab eodem efficaciter obtinere, posse, ut liberalissimus ille, et clementissimus Dominus hac satisfactione, non admodum improportionata, ex parte placatus, mitius nobiscum agat, quam peccata nostra, alias mererentur. Imo forte harum animarum precibus, meritisque permotus, vel nobis contritionem adeo intensam, et perfectam immittet; ut una cum culpis universis universa remittatur, et pœna, vel ita res disponet, ut indulgentiam plenariam in morte consequi possimus, vel certe multis inspirabit, ut nos suis præcibus potentius longe juvent, quam si nostris solum satisfactionibus fuissemus adjuti. Plus enim multorum operibus, quam nostris tantum, sublevabimur. Unde idem Monfordus, postquam hæc omnia motiva fuse proposuit, tandem sic loquitur : Concludo igitur, et, ut arbitror, evidenter, quod offerre actiones meas pro animabus in purgatorio, nihil sit contra charitatem, mihi ipsi debitam ; esse vero contra charitatem, id omittere, cum ex omissione hac manifeste sequatur, me diutius purgatorii pœnas toleraturum ad Deum videndum, vel non omnino, vel certo perventurum tardius, Deumque per totam æternitatem minus perfecte possessurum. Unde et illud etiam consequetur sanctissimum Dei nomen a me minus perfecte in æternum glorificandum. Nihil dico de ingentibus malis, in quibus proximum purgatorii ardentem flammis immisericorditer deserimus ; nihil de immensis bonis, quibus tot animæ præ socordia, vel duritie nostra, destituuntur ; nihil de gaudio, quo harum animarum tutelares Angeli, Patroni, affines, familiares, beatique spiritus universi cum Rege suo Christo Domino nostro colendissimo, nostra etiam negligentia privantur ; nihil denique dico de summo gloriæ incremento, quod Deo ipsi quodammodo invidemus, dum tot animas ad sacratissimum ejus nomen in cœlo gloriosius celebrandum perducere non curamus. Quare nec ille Deum, nec proximum, nec tandem se ipsum perfecta charitate prosequitur, qui fidelium defunctorum animas suis suffragiis prosequi, post tot proposita incitamenta, adhuc immota ad pietatem mente recusaverit.

QUÆSTIO XXII

An animæ purgantes orare possint pro viventibus?

Negant, teste Raynaudo p. 2. Heteroc. Spir. l. III. q. 4. pu. 1. n. 24. fere antiqui Theologi, ut Alens. IV. p. q. 26. memb. III. art. 4. § 5. S. Tho. II, II. q. 83, art. 11. ad. 3. Navar. in præludiis de or. n. 26 et 19, et c. XX, n. 11. et ut videtur, Azor. to. I, lib. IX, c. XXX. qu. 4. ob rationes infra in solutione objectorum proponendas.

Resolutio.

Probabilior tamen videtur contraria sententia, quæ probatur I. auctoritate S. Scripturæ, quæ variis in locis testatur, Patres in limbo, commorantes pro gente sua Judaica Deum orasse, uti ex l. II. Machab. c. ult. potest videri; cur non ergo etiam animabus purgatorii, quæ æque sunt singulariter dilectæ a Deo, et in gratia constitutæ, ista gratia concedatur?

Probatur 2. auctoritate Doctorum. Nam hanc sententiam tenent Gabriel, Medina, Bellarminus, Suarez, Lessius apud Layman. lib. IV, tract. 1. cap. I, num. 5. Jacobus Hautinus lib. II. Patrocin. defunct. art. 2 num. 742. Elias a S. Theresia l. III. Legat. Eccles. triumph. c. XLV, ubi etiam Alphonsum de Mendoza, et Stephanus Binetus num. 6. cit. Theophilus Raynaudus in Heter. Spir. tom. XV, § 3. pu. I. quæst. 4, n. 24, ubi præter alios jam ante hic citatos, etiam Valentiam, Thyrenum, Bartholomæum a S. Fausto, Ferdinandum de Castro, Palao, Julianum Toletanum refert. Jodocus Andrier in tract. de anim. purgat. Jacobus Monfordus in tract. de misericord. anim. præstanda c. IX n. 13. Martinus de Roa tr. de auxil. anim. c. XXI et XXII. Laurentius Keppler in subsid. anim. l. III, mor. 5, § 1. Lucas Pinellus l. I, de altera vita cap. XXVI. Gregorius Raiv. cap. XIX.

Probatur 3. ex variis historiis, ex quibus constat, animas ferventissime pro viventibus orasse, quales quam plurimas refert Joannes Major in magno speculo Exemplorum V. defuncti. Martinus de Roa, in subsid. anim. c. XXI et XXII. et plures alii, ex quibus historiis præ cæteris memorabilis est, quæ l. IV. revel. S. Birgittæ refertur, quod scilicet sancta illa quondam audiverit multas voces animarum clamantium : Domine, da charitatem illis, qui habent potestatem spiritualem, ut magis participes fiamus orationum : Da omnibus, qui nobis succurrunt, centuplum in hac vita.

Probatur 4. ratione, quia ex una parte, animæ hoc ipso, quod ab omni peccato sint liberæ, sunt gratissimæ, et dilectissimæ Deo; ex altera vero parte propria experientia : dum adhuc viverent edoctæ clarissime cognoscunt, quantis miseriis, et periculis viventes eorum amici, aut benefactores sint expositi; cum ergo dubitandum non sit, quod et ardentius illos diligant, quam in hac vita dilexerint, et præterea ob clarissimam beneficiorum cognitionem, maximamque æstimationem gratissimæ sint futuræ, nefas quoque erit dubitare, quod assidue, efficaciterque pro illis orent.

Neque obstat 1. quod animæ istæ necdum Deum videant, sed in exilio potius constitutæ, et ad pœnas exsolvendas damnatæ, ipsæmet potius auxilio indigeant, quam aliis præbeant; nam resp. etiam Oniam, et Jeremiam. 2. Macc. c. ult. non vidisse Deum, et tamen multum orasse pro populo, sed et damnatos ad mortem in hoc mundo sæpe pro inimicis, et aliis orasse Judices, et cœlites; quidni ergo et animæ possint?

Neque obstat 2. quod gravissimis tormentis sint subjectæ, quæ ipsas orare non sinunt, sicut etiam in hac vita experimur, eos, qui gravissimo dentium, capitis, aut cholico dolore vexantur, ab oratione penitus impediri. Nam resp. cum organis corporalibus animæ careant, et pœnas suas patientissime ferant, nec judicium illarum corrumpi, nec affectum bonæ voluntatis tolli, atque adeo perinde ut Martyres gravissima supplicia facile pro aliis orare posse; Certe si ipsi damnati dæmones, non obstantibus suppliciis suis, tentare nos possunt, aliaque commercia habere, non apparet, cur animæ propter tormenta sua orare non possint; cum de facto divitem epulonem in mediis inferni flammis constitutum pro fratribus suis orasse, S. Lucas cap. XVI, testetur.

Neque obstat 3. quod nobis inferiores sint, ut S. Thomas argumentatur. Resp. enim, præterquam quod propter impeccabilitatem, et confirmationem in gratia nobis sint multo superiores, hanc ipsam inferioritatem non obstare, quo minus orare pro nobis possint, cum passim fideles pro summo pontifice, aliisque Superioribus orent; imo et pro beatis, ut ipsorum gloria accidentalis augeatur, licet hi multò nobis sint superiores, et digniores.

QUÆSTIO XXIII

An animas purgantes invocare liceat?

Negat major pars doctorum, teste Raynaudo n. 26, nominatim vero Navarrus de Orat. c. I, n. 2 et 27, et c. XX, n. 9. Castro Palaus tract. VII, disp. 1, pun. 4, in fine, Victoria de magna n. 17. Azor. tom. II, l. IX, cap. X, quæst. 12, etc. 30, qu. 4. Reginal. in praxi l. IV, n. 76, et multi apud Aragonium 2. 2. ad quæst. 83, art. 4.

Resolutio.

Contraria tamen sententia, ut magis pia, referenda videtur, et probatur, 1. auctoritate : nam ita sentiunt Theophilus Raynaudus, rigidus alioqui censor minus solidarum devotionum, citans insuper Martinum, Corrillium, Bassolum, Bernardum a Luca, Bonac. Bartholomæum a S. Fausto, Serarium, Mendozam, Medinam. His consentiunt Elias a S. Theresia l. III. Legat. cap. XXXI, num. 3. Jacobus Hautinus in Patroc. defunct. l. II, cap. V, art. 2, num. 746. Suarez l. I, de orat. cap. X, Lucas Pinellus l. I, de alt. vita cap. XXVI, in fine. Ubi asserit, id non prohibitum esse, et unumque pro devotione sua facere id posse, et de facto non paucos reperiri, qui id faciant. Martinus de Roal in subsid. anim. c. IX.

Probatur 2. ex pluribus historiis, in quibus compertum est, animas purgatorii invocatas vel apparuisse, et auxilium contra hostes præbuisse, vel facem in tenebris prætulisse, vel alia obsequia præstitisse, quales historias plures apud Martinum de Roal c. et apud Georgium Raw. in Herold. videre est. Certe D. Catharina Bononien. fassa est, se plurima beneficia defunctorum auxilio, quos imploraverat, cœlitus accepisse, nec raro accidisse, ut ea per illos obtineret, quæ per cœlites nequiverat obtinere, quod ipsum etiam ultro confessam fuisse Annam a S. Bartholomæo Carmelitanam sanctissimam fœminam, Jacobus Hautinus l. c. LXVIII, testatur.

Probatur 3. ratione, quia verisimile est, animas purgatorii cognoscere preces, quibus earum auxilium imploratur; ergo merito invocantur. Consequentia patet, quia cum sint gratissimæ benefactoribus, et orare pro aliis possint, ut in priori resolutione probatum est, dubitari non potest, quin etiam orandæ sint. Antecedens traditur ab Auctoribus pro nostra sententia citatis, qui et triplicem modum assignant, quo cognoscere possint preces nostras, scilicet, vel per revelationem immediatam Dei, vel per Angelorum manifestetionem, vel per relationem illorum, qui in purgatorium veniunt. Probatur autem antecedens ex eo, quod, ut Theophilus Raynaudus lib. III, num. 23, ait, hæc notitia pertinere videtur ad fomentum, et amplificationem charitatis inter mortuos ac vivos intercedentis, atque adeo ab Angelis in hunc finem præstari convenit. Sicut etiam ad non exiguum cruciatum animarum facere videtur, quod illis aperiatur, quanta socordia liberi, et hæredes obliviscantur earum, ac opes relictas male dissipent; hic enim sanctus stimulus, fodicante Deo, et Angelis eas animas purgare citius potest. Addit Hautinus l. c. num. 746. quod ejusmodi notitiam exigere videatur grati animi virtus, cum feratur, ad gratiam ei, qui contulit, referendam, atque adeo ad ejus notitiam, quoad fieri potest, exquirendam, et quod hoc quoque sit votum patronorum, ab iis cognosci, quos juvant, maxime si sanguine, aut amicitia sint conjuncti : et quod denique ex visionibus pateat; pios manes nominatim de nonnullis questos fuisse, quod ab illis fuerint derelicti.

Confirmatur hæc doctrina I, ex eo, quod animæ tales ex purgatorio liberatæ, et in cœlum assumptæ, haud dubie sint cognituræ, quorum beneficio talis felicitas illis obtigerit, ut gratas se exhibere, ac pro illis orare possint; ergo cum non minus conveniat, ut etiam in purgatorio se pro beneficiis sibi collatis, gratas, orando pro benefactoribus, exhibeant, æquæ convenit, ut talium benefactorum notitia illis communicetur.

Confirmatur 2. quia juxta communem Ascetarum doctrinam, etsi Angeli custodes nostri nostras cogitationes secretas per se non cognoscant, si tamen nos velimus, ut eas cognoscant : ideoque precemur, ut Deus ipsis illas manifestet, hoc ipso cognoscunt, quoniam talis notitia ad meliorem nostri directionem, et protectionem conducit; ergo cum pariter notitia precum, aliorumque bonorum operum animabus oblatorum non parum conducat ad nostrum, vel illarum solatium, et commodum, dubitari vix potest, Deum, si rogemus, ut tales preces, et opera illis manifestet, tam justis precibus delaturum.

Confirmatur 3. quia dubitari vix potest, animas, quoties per bona opera viventium levamen aliquod impetrant, id vel ex imminutione pœnarum cognoscere, ut aliqui volunt, vel certe si numquam quoad intensionem, sed solum quoad durationem, pœnæ illarum mitigentur, ut aliqui putant, talem imminutionem ex Angelis cognoscere; ergo cum haud dubie agnoscant tale beneficium grato animo, et Deum, ut tale beneficium illis multipliciter compensare dignetur, rogent, ut supra in exemplo ostensum est, poterit se quis talibus earum precibus perinde ac orationibus viventium commendare.

Confirmatur 4, quia ipsa auxilia, quæ ipsis modo exhibentur ea conditione, ut, ubi liberatæ fuerint, benefactorum suorum sint memores, et similem a Deo liberationem, aliasque gratias impetrent, est tacita quædam invocatio. Sicut si quis filium regis in carcere, vel captivitate constitutum ea intentione liberaret, ut postea apud Regem patrem hoc, vel illud beneficium impetraret, merito talis filiis intercessionem petiisse diceretur.

Nec obstat. 1. quod Ecclesia numquam in sacrificio Missæ, aut officio defunctorum, has animas invocare soleat; nam cum Ecclesia velut sollicita mater per ejusmodi sacrificia, et officia unice animarum auxilium, et non proprias necessitates, et commodum spectet, hoc ipso, etiam pro illis potius redimendis laborare, quam ipsarum preces exposcere debebat, maxime, cum sciat, eas per se, ubi ad æternam requiem pervenerint, beneficium redemptionis grato animo agnituras, atque adeo pro Ecclesiæ militantis conservatione, et augmento sollicitas futuras esse.

Neque obstat 2. quod animæ tales sint in puro statu patiendi, atque adeo omni consolatione carere debeant, qualis tamen non modica foret, si illis subsidia a viventibus oblata innotescerent; nam respondetur, eatenus tantum eas dici esse in puro statu patiendi, quatenus per perpessionem, ac tolerantiam suarum pœnarum nihil mereri sed, tantum satisfacere possunt, non autem, quod omni solatio carere debeant, cum, ut ex variis historiis habetur, de facto eas Angeli earum custodes frequenter visitare, et solari soleant; et præterea non leve solatium percipiant ex eo, quod voluntatem Dei per has pœnas in se impleri videant, certæque sint, easdem pœnas non perpetuo duraturas, sed æterna beatitudine se certo fruituras.

Nec obstat 3. quod, si animas purgatorii, perinde ut cœlites, invocare in necessitatibus possumus, tum etiam honorare eas, atque adeo Missas quoque legere ad honorem illarum liceret, perinde, ut ad honorem cœlitum solemus; atqui hoc est contra communem praxim usque adeo, ut non modice reprehendendus videatur, quia tales Missas dicere præsumeret. Nam resp. 1. cum animæ purgantes sint ab omni culpa liberæ, atque adeo vere sanctæ, ac dilectæ Deo existant, non apparere, cur non etiam honorari a nobis possint; cum de facto honor, qui per pomposas, et solemnes funerum deductiones, et sepulturas exhibetur, ad ipsas potissimum spectare videatur. Resp. 2. cum animæ purgatorii subsidio potius egeant, quam honore; sancti cœlites vero nullo subsidio tali indigeant; ideo ab Ecclesia Missas ad cœlitum dumtaxat honorem celebrari, Missas vero de defunctis ad ipsorum subsidium potius ordinari, ne, dum amici, et propinqui ex naturali ipsorum amore, et ob proprium solatium capiendum, plurimum honorare eas satagunt, iisdem efficacia subsidia præstare negligant. Hinc sancti Patres passim suadent, ut amici inutiles sumptus in pompam funebrem adhiberi solitos, in Missas, et preces procurandas convertant, eo quod, ut recte S. Augustinus serm. XXXIV, de Verb. Apost. ait : Pompa funebris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorum qualiacumque solatia sunt, non adjutoria mortuorum. Adde, quod multa sint, quæ ab Ecclesia publice fieri non permittuntur, privatim tamen tolerantur, ut in officiis, litaniis, et orationibus variis videre est.

Nec obstat 4. Quod, si animæ distincte suos Benefactores cognoscerent, sequeretur, eos, qui pro omnibus defunctis in genere orarent, ab omnibus cognosci debere, quod tamen merito incredibile videtur. Nam respondetur 1. si quando aliquis omnes sanctos invocat, omnes illum agnoscunt, non videri debere incredibile, quod idem etiam fiat, si omnes defuncti invocentur, cum unum æque, ac alterum sit æque facile Deo efficere. R. 2. in tali casu, sicut confuse tantum invocantur, ita confusam quoque notitiam sufficere posse ad hoc, ut animæ pro benefactoribus in confuso orent, atque adeo, ut sic illis commendare se quis possit, maxime cum sperare queat, illas olim in cœlo ipsum cognituras, et a Deo copiosam remunerationem ipsis impetraturas. Recte ergo concludit Suarez tom. IV, par. 3, qu. 47, sect. 2, n. 9, modum hunc invocandi animas per se loquendo non esse quidem omnino necessarium, practice tamen non esse dubium, quin sanctæ illæ animæ possint a nobis orari, et quod possimus etiam fructum talium orationum, media earum oratione sperare. Addit Raynaudus l. cit. Etiamsi contingeret, has animas non percipere orationem nostram, tamen sic pie, et ex probabili judicio elicitam orationem non fore inutilem apud Deum.

QUÆSTIO XXIV.

An suffragia animabus infallibiliter prosint?

Negant apud Raynaudum sect. III, quæst. 3, num. 16. Cajetanus, Sotus, Canus, Angles, et alii.

Resolutio.

Affirmat tamen probabilius ipse Raynaudus nu. 17. asserens generatim animas purgatorii per nos certo juvari, cum eis rite adhibemus suffragia, et certo quoque hanc aut illam singularem accipere a nobis sublevationem, cum ad eam sigillatim dirigitur intentio applicantium suffragium. Ratio est, quia extat promissio divina de acceptandis suffragiis nostris, sive generatim pro animabus Purgatorii, si indeterminate et generatim offerantur, sive sigilatim, et in individuo; si ad eum modum fiat suffragiorum oratio. Atque ita passim Theologi indiscriminatim loquentes de suffragationibus nostris, sive pro aliis superstitibus, sive pro defunctis, supponere videntur, utramque æque esse infallibilem, ac certam; et diserte quod mortuos Lud. a Cruce in Bull. defunctorum dub. 4. Argent. in 4. disput. 45, quæst. unica art. 3. versic. Præterea dabo. Suarez 1, 4, 3, part. disp. 48, sect. 6, num. 5, et multi, quos profert, et sequitur Scortia l. II. de Miss. c. II, num. 11, et Fagundez l. IX, in 2, præcep. Elles. c. II, n. 20.

Confirmatur hæc doctrina ex eo, quod, cum animæ fidelium defunctorum in Purgatorio hærentes sint nobis charitate conjunctæ, et quamvis non ultra spectantes ad forum ecclesiasticum, ejusque juridictioni jam subductæ, tamen pertinent adhuc ad ecclesiasticam communionem ratione charitatis, ut D. August. optime docet 20, civ. cap. IX, cum item multo plus sublevatione egeant, quam superstites, qui sibi ipsismet subvenire suis actibus possunt; verisimilimum apparere, Deum, cujus misericordiæ non est numerus, ab amplificationem charitatis, quæ ab ipsa ne quidem morte abrumpi potest, instituisse, ut possemus pias illas animas charitatis vinculo nobis conjunctas suffragiis nostris juvare, exhibendo pro eis solutionem condignam, appensis in eorum bonum precibus nostris.

Nec obstat 1. quod subsidia nostra defunctis per modum suffragii prodesse dicantur, atque adeo non ex certa promissione acceptionis divinæ : Nam resp. per hunc modum loquendi tantum significari, nostra subsidia non prodesse animabus purgatorii per modum absolutionis judiciariæ : tum qui nulli super terram potestati, et multo minus privatis fidelibus, subsunt; tum quia hic non contingit, ut in Sacramento pœnitentiæ, in qua pars aliqua pœnæ temporalis, ex rigore luendæ a peccatore, remittitur ei ex opere operato Sacramenti. Non negatur autem eo loquendi modo, quin suffragia nostra sicut pro vivis, ita et pro defunctis, per modum piæ subventionis, et condignæ solutionis acceptentur infallibiliter a Deo ex justitia, ratione pacti nobiscum initi.

Nec obstat 2. quod ex revelationibus quibusdam habeatur, animas Purgatorii certa proposuisse suffragia, affirmantes, si illa adhibeantur, sperare se a divina benignitate liberationem a cruciatibus : qui modus loquendi non sonat liberationem certam ex justitia, sive divina speciali promissione; nam resp. eas animas merito timere potuisse, ne per culpam suffragatorum subsidia illa ad nihil valerent. Deinde timere etiam potuerunt, ne speciali aliquo Dei judicio in ultionem peccatorum suorum, præter communem legem, oblata pro ipsis suffragia repudiarentur; tametsi enim sit promissio universalis de his suffragiis, cum offerrentur, acceptandis : tamen interdum potest esse aliqua exceptio, ob speciale demeritum, quo anima se hic in vita reddiderit indigna tali sublevatione per hoc suffragium. Est in hanc rem luculentum in vita Rabani, quo Frater, qui in vita crudelis fuerat erga animas purgatorii, eisque subduxerat indictas a Rabano eleemosynas, post mortem contestatus est, se in pœnam fuisse privatum sublevatione per eleemosynas pro eo factas, earumque fructum collatum aliis animabus.

QUÆSTIO XXV.

An Confessarius pœnitenti possit imponere pœnitentiam defunctis applicandam?

Affirmant Amicus tom. VIII, dist. 16, § 5. dub. 3, num. 63. Lugo de pœniten. dist. 25, num. 94. Pellizarius in Man. cap. X, § 3, num. 211. Ferdin. de Castro Palao tom. II, de Sacram. quæst. 14, dub. 6, num. 95, ubi ait : eam ante 40, annos fuisse receptissimam, et contrariam a doctis viris non sine risu exceptam, quibus addi possunt. Tamb. l. IV, c. I, § 4, n. 1, Dian. p. 1. tr. 4. res. 54, et in addit. res. 11, p. 9, tr. 7, res. 57, et maxime p. 17, tract. 8, res. 26. Turrianus in tr. de pœnit. dist. 37, dub. 4, Petrus Marchantius in Tribunali Sacro to. I, tract. 6, tit. III, qu. 5, testaturque C. Lugo l. c. hanc sententiam esse sensui fidelium, et praxi confessariorum multo conformiorem. Quibus etiam Raynaudus qu. 2. n. 3 adhæret.

Probant I, hanc sententiam ex Cathechismo Romano, in doctrina de satisfactione docet, imponendam esse orationem pro defunctis in qua includitur eleemosyna acceptissima, et ipsi sic liberati orabunt pro pœnitente.

Probant II, quia pro pœnitentia Sacramentali potest confessarius injungere eleemosynam, uti passim omnes concedunt; ergo etiam poterit injungere opera animabus purgatorii applicanda, cum et hæc sint eleemosynæ, et quidem præstantissimæ, genus.

Probant III, quia, si quid obstaret, esset hoc, quod satisfactionis fructus ex institutione Christi deberet ipsi pœnitenti applicari; atqui hoc non obstat. Major est Advers. Minor probatur quia licet satisfactio ex opere operato proveniens non possit alteri applicari, potest tamen adhuc alteri applicari satisfactio, quæ ex opere operantis oritur, quod Lugo n. 63, tribus argumentis ostendit. 1. Quia penitens non tenetur illud opus exequi in statu gratiæ; ergo neque requiritur, ut fructus satisfactorius operi operantis respondens pœnitenti applicetur. 2. Quia ad consecutionem indulgentiæ potest Pontifex exigere opus aliquod factum pro defunctis, et concedere indulgentiam ei, qui jejunat, vel orat pro defunctis ; quo casu illud opus, quo ad satisfactionem ex opere operantis applicatur defuncto, retinet tamen satisfactionem ex opere operato pro ipsomet operante; cur ergo confessarius non poterit hoc ipsum facere? 3. Martyr potest applicare satisfactionem illius passionis ex opere operantis pro aliquo defuncto, et tamen passio illa habebit apud Martyrem quasi ex opere operato expiationem totius pœnæ propter martyrii privilegium; ergo similiter poterit opus a confessario impositum afferre pœnitenti effectum remissionis pœnæ ex opere operato, licet satisfactio, ex opere operantis applicetur defuncto. Quod ipsum adhuc confirmari potest alia circumstantia, quam Marchanius apud Dianam p. 11, tr. 7, res. 57, affert, quod scilicet is, qui tenebatur ad officium defunctorum pro defuncto legere, et non legit, si postea confessarius ei pro pœnitentia illud legendum imponat, neque aliam pœnitentiam adjungat, vere per talem pœnitentiam, et priori obligationi satisfaciat, et sacramentalem pœnitentiam adimpleat : atqui hoc fieri non posset, si fructum satisfactorium ex tali officio provenientem non posset alteri applicare; ergo etc.

Probat. IV. Raynaudus. Quia ad satisfactionem sacramentalem sufficit, ut pœnitens oneretur et mulctetur, subeatque nonnullam pro peccatis vindictam ; abunde factum erit Sacramento, et ejus institutioni servitum erit quantum satis. Atqui eo ipso, quod imponitur pœnitenti obligatio hanc pœnitentiam subeundi, ejusque fructum applicandi alteri, obtinetur finis prædictus gravandi pœnitentiam, et justa ultione vindicandi peccatum ab eo admissum ; præsertim si peccatum illud fuerit socordiæ in hoc genere, quale incurrunt desides executores testamentorum piorum. Igitur talis impositio pœnitentiæ non est contra finem Sacramenti. Nemo sane contendet, pœnitentem, qui a se abdicabit fructum satisfactorium pœnitentiæ ipsi injunctæ, eumque ad alium transferet, fecisse contra illius Sacramenti institutionem.

Resolutio.

Contraria tamen sententia, spectata natura Sacramentalis satisfactionis probabilior videtur, eamque docent Joannes Sanchez in select. disp. 16, n. 1. Bordonus in consil. regul. tom. II, resol. 20, qu. 4, num. 16. Philippus a Cruce in Thesauro Eccl. tract. 2, § 6, n. 11. Vega in Summa to. II. c. LXIV, cas. 4. Andreas Mendo in append. ad Bullam cruciatæ d. 4, cap. VIII, n. 62, cit. apud Dianam l. supra indicati, ubi etiam testatur, hanc quæstionem magnos rumores excitasse inter aliquos Patres Romæ existentes. Probatur autem hæc sententia potissimum unico, sed sufficienti, et satis efficaci, argumento, quod tali modo formari potest : Satisfactio Sacramentalis præcise instituta fuit ad delendam pœnam temporalem peccatis ipsius pœnitentis debitam; ergo non potest ea satisfactio ad pœnam alterius delendam applicari. Consequens patet. Antecedens probatur I, ex paritate cum attritione. Nam sicut Christus ad remittendam culpam voluit imperfectam aliquam pœnitentiam a peccatore adhiberi, et per Sacramentum supplere id, quod deest ad perfectam pœnitentiam, licet potuisset, ut multi volunt, sine ullo actu pœnitentis remittere omnia peccata per solam scilicet absolutionem Sacerdotis; ita similiter ad remittendam pœnam voluit, imperfectam aliquam satisfactionem exhiberi, quæ postea virtute Sacramenti quodammodo elevetur, et majus incrementum accipiat ad majorem longe partem pœnæ temporalis delendam, quam delevisset, si non fuisset conjuncta Sacramento; ergo sicut ipsum augmentum ex opere operato proveniens non potest alteri applicari, ita nec illa inchoata satisfactio pœnitentis, cui illud augmentum adjicitur, poterit alteri applicari. Probatur II, idem Antecedens ex eo, quod satisfactio ideo a Christo sit requisita ad hoc Sacramentum, atque adeo a Conc. Trident. pars integralis ejusdem Sacramenti dicatur : quia sicut per attritionem, et confessionem reatus culpæ tollitur, ita per eam reatus pœnæ tollitur, atque adeo Sacramentum hoc virtutem, et efficaciam habet, ad totum reatum peccati destruendum; ergo sicut attritio, et confessio illius tantum peccati, quod in confessione explicatum est, reatum tollunt quoad culpam; ita etiam satisfactio non alium pœnæ reatum, quam qui ex iisdem culpis ortus est, delebit, atque adeo non poterit ad pœnam alterius minuendam, vel delendam applicari.

Confirmatur hæc doctrina 1. ex natura hujus Sacramenti, quod institutum est per modum judicii; ergo, sicut quando in judicio quis accusatur ob varia debita contracta, non potest judex obligare reum ad solutionem alienorum debitorum, sed tantum ad propria debita solvenda; ita nec confessarius poterit obligare pœnitentem ad aliena debita solvenda, propriis relictis : maxime cum debitum proprium tam grave sit, quale in præsenti casu est purgatorium aliquot annorum. Quis enim non dicat durum, id est iniquum judicem, qui reo præciperet, ut pecuniam, quam paratam haberet ad propria debita solvenda, ad alterius 9, exolvenda debita expenderet, ipse vero reus postea ex defectu solutionis aliquot annis gravissimum carcerem subiret? Atqui simile quid faceret confessarius injungens pœnitenti, ut sua opera pro animabus purgatorii offerat ; ergo.

Confirmatur 2, quia ex contraria sententia sequitur, in tali casu adfuturam Sacramentalem satisfactionem, et non adfuturam : hoc autem implicat; ergo et illorum sententia. Min. et primum membrum majoris facile ab adversariis conceditur. Alterum membrum probatur, quia satisfactio Sacramentalis est remissio propriæ pœnæ (nam nullus effectus Sacramentalis potest alteri applicari) per propriam satisfactionem procurata; atqui talis satisfactio in dicto casu non adesset; ergo. Major patet. Minor probatur, quia totum opus, quatenus est satisfactorium ex opere operantis, transcribitur animabus, ut volunt adversarii; ergo nihil superest, per quod dicatur satisfieri Deo pro pœna peccati; sed si Deus propter Sacramenta aliquid pœnæ remittat, talis remissio potius liberalis condonatio, quam satisfactio, diceretur : Sicut si Petrus deberet Principi centum florenos, et hos Paulo ad debita sua expungenda offerret, ideoque Princeps per talem donationem moveretur ad quinquaginta florenos eidem Petro remittendos; tale debitum potius a Principe condonatum, quam per satisfactionem Petri deletum diceretur; aut certe non esset ratio, cur etiam absente satisfactorio opere non solius confessionis intuitu etiam Deus fructum satisfactorium largiretur; ergo. Neque dicas cum C. Lugone, adhuc illam voluntatem bonam, qua pœnitentiæ postea vult applicare jejunium pro defuncto, superesse pro satisfactione; cum enim ea voluntas non offerat se ipsam pro defuncto, sed tantum alios actus, hoc ipso soli pœnitenti satisfactio ex ea proveniens remanebit. Nam contra est, quod, licet in actu signato illa voluntas se non offerat, id ipsum tamen in actu exercito faciat, alioqui, qui diceret : Volo dare eleemosynam pro defuncto, et statim daret, nihil satisfaceret pro defuncto, cum opus externum sine actu interno voluntatis, utpote libertate carens, satisfactorium esse non possit.

Neque obstant argumenta in oppositum allata; nam ad I, R. Quod Cathechismus Romanus, præterquam quod non majorem auctoritatem habeat, quam ille Doctor, qui eum composuit, facile de fructu impetrationis intelligi possit, quem facilius nostræ sententiæ Auctores concedent animabus purgatorii applicari posse, licet et hoc ipsum non improbabiliter neget Joannes Sanchez, ratus, animabus nihil, nisi quod per modum satisfactionis offertur, prodesse.

Ad 2, R. negando consequentiam, et paritatem; nam si præcipiat confessarius eleemosynam pauperi dandam, non præcipit, ut etiam satisfactionem, quæ ex tali datione oritur, applicet pauperi; unde adhuc obtinetur totus finis, quem Christus in exigenda satisfactione pro hoc Sacramento intendit. Secus autem se res habet, quando satisfactio animabus applicatur, ut ex dictis patet.

Ad 3, R. negando minorem primi syllogismi, et antecedens secundi, ad cujus primam probationem R. Antecedens illud, quod scil. pœnitens non teneatur pœnitentiam in statu gratiæ exequi, satis incertum esse, et forte probabilius ab aliquibus negari; quidquid tamen sit de illius veritate resp. negando consequentiam : quia saltem illa satisfactio adhuc reviviscere potest, atque adeo illo saltem tempore applicari debet ipsi pœnitenti; neque enim apparet ulla solida ratio, cur Sacramenta quoad alios fructus, scilicet remissionem culpæ, et gratiæ, et non etiam quoad fructum remissionis pœnæ, reviviscere possint. Ad secundam, et tertiam probationem ex instantia Jubilæi, et martyrii petitam adhuc facilius resp. negando paritatem inter illum, et nostrum casum; quia tunc ex nullo capite oritur obligatio; fructum satisfactionis operi operantis respondentem sibi applicandi; sicut tamen, in Sacramento isto adesse ejusmodi obligationem supra ostendi. Ad confirmationem Marchantii resp. negando; illo casu posse solam recitationem officii divini pro pœnitentia imponi; Etsi enim communiter Auctores doceant, posse pœnitenti imponi opera alias præcepta, id tamen semper intelligendum est de operibus talibus, ex quibus fructum satisfactorium alteri offerre non tenetur, idque colligitur ex argumentis pro nostra conclusione allatis.

Ad 4, Raynaudi argumentum R. negando pariter, finem Sacramentalis satisfactionis esse onerationem, et mulctam pœnitentis præcise, ut sic spectatam, sed ut satisfactoriam pro reatu pœnæ ipsius pœnitentis, uti ex probatione sententiæ nostræ patet; quo supposito totum ruit Raynaudi argumentum.

QUÆSTIO XXIV.

An subsidia, quæ quis pro se defuncto procurare constituit, rectius in vita procuret.

Affirmat Raynaud. l. III, pu. 3, q. 4, cum Zerola, Fagundez, Pinello, Marchino, Ceredo, et aliis, idque ob sequentes rationes : I. Hac ratione prospicitur securitati exhibitionis suffragiorum, caveturque ne infidelitas sæpissime deprehensa executorum, vel hæredum avertat expensas pro subsidiis provisas in alia negotia cum fraude defuncti. Perit enim ei sublevatio expectata, ut recte ait Gabriel sect. LVIII, in can. lit. B. II, Difficilius, ac proinde magis satisfactorium est, dare in vita, quam relinquere erogandum post mortem. 3. Quia juxta sententiam, quam tradit Suarez tom. IV, 3 p. disp. 48, sect. VIII, n. 11, et sequentibus, cum Richardo in IV, disp. 45, a. 4, qu. 5 et Gabriele, lect. LVIII, in Can. lit. C. cum extrema operis satisfactorii oppositio addat voluntati illud exercendi portionem aliquam fructus meritorii, et satisfactorii, supra eam, quæ rependitur volitioni internæ, is, qui post vitam suam distulit executionem suæ prædictæ voluntatis, privabitur eo fructu sui operis : quod apud me evincitur ea ratione, quæ petitur ex defectu formalis libertatis, et honestatis in opere præcise prout externo, abjuncto a voluntate interna, ut contingit, cum volitio præcessit in vita, opus autem externum subsequitur post mortem. 4. Quia per se notum est, multo minus meritorium esse res suas abjicere, cum retineri ultra non possunt; quam cum adhuc homo eis uti potest; quod pertinet vulgatus versus:

Da tua, cum tua sunt; post mortem tunc tua non [sunt.

Hinc S. Luciæ Mater, cum filiæ urgenti ad eroganda bona diceret : Tege oculos meos, et quodcumque tibi placuerit de istis facultatibus facito. Dixit Lucia : Audi, Mater, concilium meum : Non satis Deo charus est, qui illi hoc dat, quod secum ferre non potest, et quo ipse perfrui non potest. Sed si tu vis grata esse Deo, hoc illi da, quo poteris tu uti. Moriens enim nulla re poteris uti, et quod das, ideo das, quia tecum ferre non prævales. Vivens ergo, et salutem tui corporis habens, da Christo, quod possides.

Resolutio.

Probabilior tamen videtur negans sententia, quam Layman l. V, tr. v, c. n. 15. et cum eo Antonius Honcala opusc. IV, tr. III, fol. 62, tradunt. Et probatur 1. ex communi praxi fidelium, ex quibus vix millesimus quisque contrariæ sententiæ praxim sequitur, ad quod tamen, vel maxime confessarii, et concionatores illos excitare deberent, si rationes adversariorum tam forent efficaces.

Secundo, quia cum nemo, vel unico momento sit securus de vita retinenda, hoc ipso in vegeta adhuc ætate deberet sua expendere; cum autem et contingere posset, ut in adultam senectam superviveret, hoc ipso in periculum multi se conjicerent, ne aut necessariorum defectus paterentur, aut casus occurerent, in quibus prudenter, imo et necessario aliam dispositionem, quam prius fecerant, facere deberent.

Tertio, quia cum post executionem factam multa adhuc peccata committere, atque adeo grandem reatum pœnæ contrahere, et cum ex eo vita discedere quis possit, non habere tunc quidquam amplius, quo reatum talem extinguere posset, maxime si propinquos sibi parum affectos, et sua potius quærentes, quam aliena curantes, haberet.

Quarto, quia ad reatum pœnæ delendum in vita, habet multa alia media v. g. indulgentias, communiones, tribulationes patienter toleratas, eleemosynæ moderatas elargitiones, ut adeo non videatur necessarium, tam difficile plerisque medium eligere.

Quinto, post mortem constitui possent sacrificia in altari privilegiato offerenda pro anima illa redimenda, qui fructus participari non potest per sacrificia anticipando procurata.

Neque obstant argumenta contraria sententiæ. Nam ad 1. R. Cum supremæ voluntates sanctæ haberi debeant, magnam ordinarie curam a Magistratu tam ecclesiastico, quam politico, suscipi, ut tales voluntates executioni mandentur. Dein ubi justus timor concipi posset, ne propinqui exequantur supremam voluntatem, prius certa quantitas in fidas aliorum manus committi posset, quæ post mortem in decreta subsidia procuranda expendatur. Quod si vero, et executio omnino negligeretur, separari tamen merito posset, Deum, qui approbat voluntatem, ubi non invenit facultatem, illam satisfactionem, quæ ex neglectis operibus obventura erat, aut per suam benignitatem suppleturum, aut per applicatas alias satisfactiones compensaturum.

Ad 2. R. Meritum illud, quod ex difficultate oritur, posse facile aliis operibus piis, maxime eleemosynis, in quibus eadem sæpe difficultas reperitur; compensari; dein non omnia statim, quæ magis meritoria sunt, suscipere oportet, maxime si graves rationes ad omissionem illius impellant, quales sunt, quæ pro nostra sententia sunt allatæ.

Ad 3. R. Incertum in primis esse, an opus externum, etiam prout a Raynaudo sumitur, aliquid ponderis ad meritum adjiciat, cum satis multi Theologi id negent. Deinde vero licet plus tunc, si in vita ipse bona sua distribuat, mercatur, et satisfaciat; quia tamen pro reatu postea contrahendo nihil haberet, quod pro satisfactione offerret, hoc ipso majus commodum ex anticipata dispositione non referret.

Ad 4. R. Nimium id probare, nimirum si quis paulo ante mortem sua distribueret in pauperes, non magnum meritum habiturum, cum brevi omnia se relinquere debere sciat, quod tamen nec ipsi adversarii dicent; certe S. Laurentius non modice commendatur ob distributionem bonorum ecclesiasticorum in pauperes, licet sciverit, eas in manus Tyranni venturas, si ipse non distribueret. Meritum ergo, et libertas in eo consistit, quod, cum alias profanas dispositiones facere potuisset, potius pias in animæ suæ salutem facere voluerit, ad quod parum refert, an cito, an tardius opes suas relinquere debuisset. Adde, quod sicut in aliis necessariis actionibus possumus easdem quodammodo liberas efficere per intentionem, qua profitemur, nos eam, licet necessaria non foret, nihilominus propter Dei beneplacitum, et amorem peracturos; ita similis intentio circa opes necessario relinquendas fieri queat.

QUÆSTIO XXVII.

Consultiusne sit magnam pecuniæ summam in mox pro defunctis dicendas missas, an vero in fundationes perpetuas expendere?

Videntur cum Philiarcho fundationes præferendæ, cui etiam Raynaudus quæst. VI, n. 51, adstipulatur ex parte, dum ait : Aio igitur, tametsi res habet, ut dixi, me tamen noluisse asserere, præeligendam simpliciter esse acervationem subsidiorum, quam fassus sum præeligi oportere, si sermo præcise sit de sublevatione animarum. Propter alia namque capita consultius frequenter est, instituere fundationes perpetuas : maxime, quia inde potest crescere, et amplificari divina gloria, suppeditando stipendium, et cum eo congruam sustentationem saltem ex parte, additis divino cultui personis, a quibus plurima alia bona fient, quorum fructus redundabit in fundatorem. Illa item multiplicatio successiva subsidiorum potest cedere in publicam utilitatem, quatenus plebs fidelis reperiet, verb. grat. alicubi certo tempore sacrum, ubi alioqui non audiretur ; vel interesse poterit officiis divinis, quæ alioqui inibi non celebrarentur. Ob quas rationes, dimissis aliis minus commodis, quas adhibet Philiarchus de Offic. Sacerdot. I. part. l. II, capitul. XIII, non possunt excusari a gravi culpa, qui perpetuas fundationes pro mortuo non vindicato relinquunt, prætextu, quod ea anima non tamdiu manserit in purgatorio. Nam quamvis præfixus unicuique animæ terminus purgatorii incertus sit, et nisi per suffragia brevietur, possit esse valde longus, tamen quidquid sit, an anima illa perseveret in purgatorio, cæteræ rationes allatæ semper militant. Itaque fundationes bonæ, et sanctæ sunt; potestque etiam contingere, ut prosint animabus tantumdem, quantum acervatio subsidiorum : non quidem attendendo, quod præcise occurrit nobis, sed spectando, quæ Deus, cui homo ea fundatione perpetua rem acceptissimam facit, per benignitatem suam curare potest, excitando varios, ut ei simul varia subsidia applicent, unde non minus sublevetur, quam, si fundatione dimissa, intentus tantum fuisset in acervandum sibi cumulum suffragiorum statim, aut mox ab obitu. Sed, et Jacobus Hautinus lib. III, art. II, n. 894, consentit, si toti purgatorio sive omnibus animabus in communi, subsidium ferre quis desideret, quia sic crescit fructus pecuniæ, atque in perpetuum porrigitur, ex eaque animæ perenniter juvantur.

Resolutio.

Contraria tamen sententia, quæ merito quibus magis placet, si præcise animarum subsidium spectetur, quam docent Major, Gabriel, Palud. Petanus apud Raynaudum loco cit, num. 42. Probatur 1. quia suffragia non causant remissionem reatus, nisi prout exhibita. Igitur quantumcumque sint per longam moram multiplicanda suffragia, tardius proderunt animæ, quam si quam primum exhibeantur. Eatenus enim prosunt suffragia quatenus decurrant spatium purgatorii. Sæpe autem continget, ut pauciora suffragia, quam quæ usque ad mundi finem interventu fundationis exhiberentur, sufficiant ad animæ liberationem.

Probatur 2. quia per talem simultaneam largitionem avertitur grave periculum, in quod frequentissime venitur positis fundationibus. Nimirum quod sæpe per avaritiam eorum, qui oneribus fundationum se gravant, nova subinde onera similia suscipiantur. Ad quod licet remedia quædam suppeditet Gabriel lect. XXVII, in canon. litt. P. et Q. ad R. tamen ægre revocantur ad praxim. Sæpe idem, quod ipsum Gabriel lect. XXVIII, litt. M. ex Gersone fuse prosequitur, incidunt causæ, ob quas suffragia, vel minuuntur, vel tolluntur. Ejusmodi causa nominatim est, cum bonis, quibus inædificata est fundatio pereuntibus, aut alio aversis, sive injuria, sive malitia eorum quibus sunt concredita, succiditur sperata perpetuitas suffragiorum. Idem sæpe accidit, tempore rerum edaci, syngraphas consumente, aut incendio, vel simili fortuito eventu, censum suffragiis continuandis necessarium dissipante. Quod si concedere placeat, bona illa authentica scripta, quibus hæc eorum onera continentur, non intercidere; tamen facile contingit, ut experimento quotidiano compertum est, ut rerum, pretiis mutatis, census, qui ad multa subsidia, erat sufficiens tempore fundationis evadat notabiliter tenuis, nec nisi ad pauca sufficiens. Hinc enim fere ortæ sunt reductiones illæ Missarum, quas Tridentinum permisit Episcopis; et ut ea facultas a Concilio concessa sit intelligenda, de quo litigant varii apud Dianam par. II, tract. XIV, resol. I, et aliquot frequentius. Neque obstant argumenta in contrarium allata, quia probant potius, si viventium commoda, sive propria, sive aliena spectentur, fundationes ejusmodi esse præferendas, quod facile conceditur, maxime si Monasteria, et Xenodochia fundentur; sed hoc est extra præsentem controversiam.

QUÆSTIO XXVIII.

An Deus suppleat defectum parvulorum sine Baptismo morientium, eisque gratiam largiatur?

Ita arbitratus est Pelbartus de communi, ut ipse ait, Doctorum sui temporis sententia; nempe quod Deus suppleturus sit Baptismum, et infantem gratia, ac gloria donaturus, si contingat puerum baptizandum emori inter baptizantis manus ante perfectum Baptismum; vel si moriatur in via, cum ad Baptismum defertur, adibeturque diligentia, ut Baptismo initietur; vel si excutiatur e matris utero per abortum post commendationem ejus ad Deum, ut Baptismum suppleat. In omnibus his eventibus Baptismum a Deo suppleri censuit Pelbartus. Nec dissimilia quoad Baptismi suppletionem per orationem parentum habent alii, ut Cajetan. III p., q. LXII, ar. 2, in condit. integr. Gerson. III p. serm. de Nativit. B. V. consid. II, et confirmari potest per paritatem cum pœnitentiæ Sacramento, ubi, si pœnitens, quantum in se erit, fecerit, et a confessario legitime absolutus non fuerit (quocumque ex defectu id acciderit) suppleri hunc defectum a Deo, et gratiam sacramentalem nihilominus tribui, non pauci docent. Cajet. idipsum ex alio fundamento admittit, contendens in ea summa realis Baptismi administrandi difficultate, verius impossibilitate, Baptismi locum tenere posse parentum preces; et fœtus oblationem, ut fiebat in lege naturæ, et Mosaica. Nam sacramentum, quod infantes in lege naturæ a peccato originis mundabatur, aliud non fuit, quam talis aliqua peccatoria oblatio, ut Hugo Victorinus tract. de Sacramento legis naturæ recte docuit. Nec aliter justificabantur infantes post institutam circumcisionem, si ante octiduum vitæ, quo circumcisio conferebatur, e vita excederent. Imo ne illo quidem octiduo aliter justificabantur, sive fœminæ (ut notum est, cum in eis circumcisio locum apud Hebræos non haberet, quidquid fabulatus sit Strabo lib. XV), sive mares, respectu quorum circumcisio erat tantum signaculum justitiæ fidei, et nota corporea ad secernendum populum Dei. Et cum in ea conferebatur sanctitas infanti, nequaquam conferebatur in circumcisione, præcise ut circumcisio erat, sed prout adjunctam, vel consertam habebat oblationem prædictam, et ex ea mente peragebatur illa infantis truncatio. Visum ergo est Cajetano, hoc Baptismi supplementum posse infantem prodesse in prædicta impossibilitate administrandi ei re ipsa Baptismum.

Resolutio.

Negat Raynaudus, aitque Cajetani placitum improbasse S. Pium V, et expungi jussisse ex Romana commentariorum Cajetani editione, quam cæteræ deinceps sunt æmulatæ, unde in eis nunc non comparet illa Cajetani doctrina. Suarez ait, esse placitum temerarium, et errori proximum. Sed breviter ratio est, quia verba Christi sunt absoluta; et per negationem, quæ malignantis naturæ est, præcidunt non renatis omnem spem gloriæ. In qua ergo potestate Cajetanus supplementum aliquod Baptismi excogitat, diversum a perfecta in Deum conversione actuali, cujus infantes non sunt capaces? Eodem modo urgendi sunt alii, qui divinant forte Deum in tali necessitate, ad preces parentum infundere infanti gratiam, et supplere Baptismum. Posset hoc sane Deus, si luberet, ut recte pronunciavit Adrianus; tamen quod ita faciat, absurde jactatur, cum præstet peremptionum Christi edictum arcens infantes quoscumque aditu gloriæ, nisi Baptismo perfundantur. Æque explodendi siunt, qui existimarunt, non privari fructu Baptismi eos, quos sola ministri perversitas, et malignitas exortes Baptismi fecerit. Hos merito refellit Alanus, quia undecumque proveniat defectus medii ad gratiam præcise necessarii, occluditur via ad gloriam, et salus sit desperata. Imposuit profecto omnibus his Doctoribus species miserationis erga parvulos vero Baptismo destitutos in maternis visceribus, vel ob ministrorum iniquitatem. Visum quippe eis est admodum durum admittere, relinqui a Deo absque unico salutis remedio tot peccati actualis expectes animulas. Verum non debent nobis Dei consilia dura videri, quantumvis sint inscrutabilia; sed dimissis divini illius consilii causis, quarum aliquas proponit D. Augustin.: dicendum est cum eodem, nimiæ vanitatis, et cœcitatis esse, velle judicare, cur una eademque parvulorum causa, super alium veniat misericordia ejus, super alium veniat ira ejus; cur, inquam, unus precise necessarium gratiæ, et æternæ salutis medium absque ulla difficultate assequatur, alius extremæ necessitati spirituali subjaceat, nec sit ad manum, unde ei subveniatur, cujusmodi nominatum est, qui diletescit intra uterum matris, ubi Baptismum recipere non potest, sine quo est periturus. Quid ergo? Admittemus hujusmodi infantes deseri a Deo in extrema illa necessitate spirituali? Apostolus diserte pronunciat, velle Deum omnes homines salvos fieri; quæ verba D. Augustin. ad parvulos quoque materno utero abditos pertinere docet. Et vere negari non potest, eos ad finem supernaturalem ordinari. Alioqui non haberent peccatum originis, essentque in statu puræ naturæ. Illa autem ordinatio nihil aliud est, quam intentio, qua Deus illi gloriam naturæ ipsorum indebitam voluit. At ea volitio, et intentio finis, si vera fuit, habuit necessario adjunctam volitionem providendi media fini illi consequendo idonea, et saltem sufficientia, cujusmodi diximus esse Baptismum, qui tamen his infantibus utero conclusis adhiberi non potest. Res est profecto non parum implexa, et ut ait Junilius, de talium abortivorum statu merito subtilis causa, dubiusque tractatus est. Nec aliter Prosper: Sunt certe, qui hastam objiciant, et difficultati succumbentes negent, provisa istiusmodi infantibus, qui intra maternum uterum inexpiati obeunt, sufficientia salutis media. Ita Gregor., Vasq., Becanus, aliique nonnulli tum recentiorum, tum antiquorum Theologorum, quibus in specie favent S. August., Prosper, et Fulgentius. Sed præstat dicere cum Vega, Bellarmino, Suarez, Trigosio, Deum parvulos istos non dereliquisse usquequaque, sed vere, sicuti eis gloriam voluit, quantum est ex se, ita iisdem salutis media sufficientia providisse, quantum est ex se, et saltem in causis universalibus, et quantum est ex se, mediorum illorum applicationem, neque impedivisse, neque ut per alios impediretur, effecisse, vel intendisse, sed potius habuisse volitionem veram, ut applicarentur; etiamsi ob dispositionem, et cursum causarum naturalium, quem invertere non tenetur, vel ob perversitatem ministri, quem vult illibatis suæ libertatis juribus frui, contingat media illa, omnibus parvulis provisa in uno aliquo speciali eventu aliunde, quam ex Dei intentione, deficere, eumque defectum, et non applicationem Deus, alia secundum nostrum concipiendi modum concomitante volitione permittat. Non enim volitio, ut suppetant his parvulis media ad salutem sufficientia, pugnat cum volitione permittendi non applicationem, sive defectum eorum, qui ex aliis causis prævidetur eventurus, et cum morali impossibilitate applicationis consecuturus, supposito cursu rerum, quem Deus, ut generalis dumtaxat provisor supernaturalis, non tenetur immutare vi intentionis illius, veræ quidem, et non ementitæ, sed tamen non nisi inefficacis, quam de omnium plane, etiam parvulorum salute habet. Eaque ratione incolumis retinetur ordo perfectæ providentiæ in Deo gratiæ auctore. Et verum quidem est, adultis extrema salutis necessitate laborantibus, in naturali impossibilitate perveniendi ad Baptismum, subveniri a Deo per miraculum: quod exempla permulta testatum faciunt (unum perillustre profert Franc. Picus Theorem I de fide) et Theologi uno ore confirmant: qui modus extraordinariæ providentiæ non solet adhiberi erga parvulos, in simili naturali impossibilitate percipiendi Baptismi. Disparitatis causam assignat Suarez, quod, sicut adulti per propriam cooperationem salvari debent; ita dignum, ac justum sit, eos non perire, nisi interveniente proprio demerito, quo carere supponuntur, cum eis Deus ex machina per miraculum opitulatur, quæ extraordinariæ providentiæ ratio cessat in infantibus, ut est perpicuum.

QUÆSTIO XXIX.

An liceat se Baptismo sanguinis ingerere?

Videtur id omnino licitum, quia exempla plurimorum Martyrum id testantur, et præterea ad defensionem catholicæ fidei persæpe id necessarium est.

Resolutio.

Negant id per se licitum esse S. Thomas, Cajet., Sylv., Navarrus, Sanchez, Layman, et alii apud, et cum Gobat, tum quia homo non est vitæ suæ dominus, tum quia non licet, per se loquendo, dare alteri gravissimam peccati occasionem, tum denique, quia ita se ingerere sine necessitate, est quædam tentatio Dei. Unde S. Sebastianus xx. Januarii, S. Menas 11. Novembris, S. Thom. Cantuar. 29 Decemb., S. Emerentiana, atque alii permulti partim in Martyrologio, partim in ipso Breviario, celebrantur etiam idcirco, quod se ultro restiterint Tyrannis, eos etiam graviter objurgando : dicendum est hic in primis cum S. Athanasio : Quod, si quidam ex iis persecutoribus se dedidere, non temeritate eo rapiebantur, sed passim apud omnes profitebantur, a Spiritu Sancto hanc sui oblationem profectam esse; adeoque tribuendum id est ei peculiari instinctui Spiritus Sancti. Deinde permulti id fecerunt, quia prudenter, etsi forte decepti, existimabant, id cessurum in defensionem, amplificationemque gloriæ Christi, inque roborationem timidorum, ut insinuat Sanchez, Layman, et alii; quod etiam insinuat Origenes loc. cit. subdens, tales esse ob promptitudinem, fortitudinemque dignos honore apud Servatorem, quem confessi fuerint.

QUÆSTIO XXX.

An satius sit, sæpius Eucharistiam a Laicis, quam raro, accipi?

Negant aliqui apud Raynaudum punct. 4. num. 2, eo quod timeant irreverentiæ, et veluti contemptui tanti Sacramenti, præ nimia quasi familiaritate. Qua ratione abstinere frequentia communionis, actum esse religionis, notat Suarez. Item æstimant suam indignitatem summi momenti, cum tamen augustissimi hujus Sacramenti tanta sit sanctitas, ut summam deposcat in suscipientem puritatem. Quo ex capite Sanctos plerosque refugisse communicare, habent acta S. Margheritæ Reginæ Scotiæ. Addunt iidem, cum quibus agimus, exempla tot Sanctorum Anachoretarum, qui olim parcissime frequentabant hoc Sacramentum, et evaserunt tamen in Sanctos eximios. Sanctus Chrysostomus testatur, sui temporis Anachoretas communicasse tantum semel in anno, sæpe etiam, inquit, post duos annos.

Resolutio.

Nihilominus indubitatum esse debet, hanc esse germanissimam pietatis anomaliam, cum Christi mente, Ecclesiæ sensu, et animarum bono pugnantem, inquit Raynaudus num. 2, affertque in hanc rem in primis exempla, et dicta Sanctorum. Nam Actorum 2, cum narratus esset aliquot millium Baptismus, subditur, eos fuisse perseverantes in communicatione, et fractione panis, idest, in communione Eucharistiæ. Liquet quidem, quod pedetentim inducta est circa hoc magna varietas, ut videre est apud Pamelium in librum Sancti Cypriani de Orat. Dominic. num. 48, et Walterum, ac Henriquem. Audiendus Petrus Blessens. Quotquot intererant consecrationi Eucharistiæ, communicabant eidem. Inde est, quod collectæ, quas post communionem dicimus, plurali numero censentur, verb. grat. Refecti cibo potuque spirituali etc. Et iterum : Sacramenta, quæ sumpsimus etc. Postquam autem crevit numerus fidelium, nec omnes accedere ad Eucharistiam visum est, statutum est, ut saltem diebus Dominicis fideles communicarent. Cum vero paleæ supercrescentes cœperunt cooperire grana, et multorum refrixit charitas, et crevit iniquitas, et perpauci inventi sunt idonei, qui calicem salutaris acciperent, decretum est, ut saltem per tres solemnitates in anno fideles communicarent : In Pascha, Pentecoste, et Natali : quia hunc modum præcepit Dominus Patribus antiquis, ut omnis masculus in Israel ter in anno appareret in conspectu ejus, sed non vacuus. Nunc autem, quoniam dies mali sunt, et omnes fere declinaverunt, et inutiles facti sunt, non audeo dicere, ex præcepto Ecclesiæ, sed ex tacita permissione ipsius introductum est, ut semel in anno congregentur in Ecclesia ad communicandum, quod præterire fas non est, ut sicut ea die filii Israel typicum agnum comedebant perpetuo; et eadem die Dominus discipulis suis carnem suam, et sanguinem dedit, et in memoriam sui idipsum faciendum commendavit : ita et nos eadem die carnem agni, qui tollit peccata mundi, edamus. Quamis igitur sit exploratum, inductam esse processu temporis tepiditatem in sumptionem Eucharistiæ, tamen initio Christianismi usus

Eucharistiæ fuit frequentissimus, et id semper optarunt Patres; inter quos S. Ambrosius serm. XXVIII, de Verb. Domin. sic loquitur : Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Quomodo S. Job pro filiis offerebat Sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini significatur, remissio peccatorum : et panem istum vitæ nostræ quotidianum non assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit; vulnus est, quia sub peccato sumus : Medicina est cœleste, et venerabile Sacramentum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit. S. Chrysostomus quoque hom. 5, in 1. Tim. magnæ notat imprudentiæ eum, qui ausit sacrificio adstare absque perceptione Eucharistiæ. Talem se, ait, condemnare suomet judicio, et in pœnitentium ordinem redigere. Soli enim in pœnitentia constituti arcebantur aditu Ecclesiæ tempore Sacrificii. Qui ergo extra pœnitentiam constitutus Ecclesiam adibat, nec communicabat, eo ipso indignum se pronunciabat, qui cum fidelibus admitteretur in Ecclesiam ad orationem, de Chrysostomi eo loco sententia. Itaque sicut frequentatio Ecclesiæ ad communem orationem, et ad assistendum sacrificio, debet esse admodum frequens, ita et frequentatio Eucharistiæ, nexa illi aditioni, et assistentiæ, de Chrysostomi quidem sententia : sed et Franciscus Seraphicus serm. VII, hortatus est suos Sacerdotes, ut urgeant fideles ad frequentem confessionem, et communionem. Et pro ista sæpe frequentanda sic disserit : Si hic cibus est animæ, sine quo languet, et marcescit, cur non quotidie ad mensam, in qua proponitur cunctis, cuncti sedere, et manducare desiderent? qui itineris fatigatur molestia, plus indiget cibi refrigerio : si ergo omnes viatores sumus, et ad patriam pergimus, cur pretioso, et sapidissimo cibo confortari non appetamus? Elias hunc in figura comedit, et ambulavit in fortitudine illius; si sæpius hunc panem, sicut decet, sumeremus, magis in via virtutis proficeremus, et ad destinatam nobis patriam robustius pergeremus. Quod si rationis suffragium exquirere placeat, argumentari insuper licebit ex eo, quod Eucharistia panis noster est, et vere cibus, utique animarum; nam propterea post cœnam primam porrecta est, ut observavit Gostridus Vindocus serm. VIII et non nisi in permodica quantitate sumitur, quia non tendit ad saginandum corpus, sed animam. Quid autem frequentius usurpatur, quam panis, sine quo vita non subsisteret? nihil igitur mirum, si, qui obliviscuntur comedere panem hunc suum, percutiuntur ut fœnum, et arescit cor eorum. Est item hoc sacramentum forte præsidium adversus juges Diaboli insultus, et ignita tela. Qui igitur in continuo prælio versamur, debemus hac lorica assidue tegi, cum absque hoc munimento omne spirituale prælium sit plenum periculi. Ad hoc fit Eucharistia, ait S. Cyprianus Ep. LIV, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adjutorium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Et mox de præliantibus prælia Domini. Mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, et accendit. Alias ad hoc ipsum rationes ultra viginti addensat Madridius opusc. de frequentanda communione c. ult. et bene plerasque attigit Stapletonius orat. XV. Academica, quæ est de frequentanda sacra Synaxi.

Ad argumenta vero in contrarium allata. Resp. breviter cum Raynaudo, timorem de minuenda erga Christum reverentia per frequentiam communionis vanum prorsus, ac ementitum esse. Non enim accidit in conversatione cum Christo, ut inter homines, quo minus veneramur diu cognitos, quia detegimus varias eorum imperfectiones prius occultas, ob quas vilescunt nobis. At Christum qui intimius perspicit, et diutius frequentavit, ac observavit, sanctiorem semper, ac perfectiorem deprehendit. Itaque non est timenda ex frequentatione mysterii, ac veluti familiaritate, contemptio, et irreverentia. Huc facit luculenta de hac re disputatio S. Chrysostomi, ubi nonnulla prælocutus de pœnis etiam corporalibus, quibus Deus mulctat communicantes indigne, subdit : Et quomodo, inquies, ista perpetimur, cum semel tantum per annum ea sacramenta sumamus? Hoc nempe est, quod universa perturbat, quia non munditia animi, verum intervallo temporis longiore, constare meritum putas, summamque arbitraris reverentiam, ac religionem esse, si non sæpius cælestem illam adeas mensam. Ignoras, quoniam indigne accedere, etiamsi semel tantum fiat, te supplicio tradit : digne vero, etiamsi sæpe accedas, salutem inde conquiris. Non est audaciæ sæpius accedere ad dominicam mensam, sed indigne accedere, etiamsi semel tantum quispiam toto vitæ tempore accedat. At nos adeo stolidi, adeo insensati sumus, ut cum innumera per totum annum scelera perpetremus, nihil ea curemus exuere. Cæterum satis esse arbitramur, si non assidue præsumamus atque contumeliose Christi corpus attingere; neque intelligimus miseri, quod hi qui cruci Christum affixerunt, semel tantum id fecerunt. Non igitur, quia semel crucifixerunt, minus idcirco delictum est : et qui Christum prodidit, semel tantum prodidit; nunquid ergo hoc illum supplicio eripuit? Quid igitur hanc rem temporis lege metimur? Ad indignitatem vero quod attinet, respondet recte Cassianus coll. 23, c. XXI, his verbis : Ne tamen ex eo debemus nos a Dominica communione suspendere, quia nos agnoscimus peccatores, sed ad eam magis, ac magis est et propter medicinam, et purificationem spiritus avide festinandum, verum tamen ex humilitate mentis, ac fide, ut indignos nos perceptione tantæ gratiæ judicantes, remedia potius nostris vulneribus expetamus. Alioquin ne anniversariæ quidem digne est præsumenda communio, ut quidam faciunt, qui in monasteriis consistentes, ita Sacramentorum cælestium dignitatem, et sanctificationem, ac meritum metiuntur, ut æstiment ea non nisi sanctos, atque immaculatos debere præsumere, et non potius, ut sanctos, mundosque nos sua participatione perficiant. Qui profecto majorem arrogantiæ præsumptionem, quam declinare sibi videntur, incurrunt; quia, vel tunc cum ea percipiunt, dignos se ejus perceptione dijudicant. Multo enim justius est, ut cum hac cordis humilitate, qua credimus, et fatemur, illa sacrosancta mysteria numquam pro merito nos posse contingere, singulis ea Dominicis diebus ob remedium nostrarum ægritudinum, præsumamus, quam ut vana persuasione cordis elati, vel post annum, dignos eorum participio nos esse credamus.

QUÆSTIO XXXI.

An quotidiana communio Sacerdotio non initiatis Christianis permittenda?

Affirmant Joannes Sanchez disp. XXII, ex suo illo generali fundamento, quod unica ad Eucharistiæ usum dispositio ex necessitate adhibenda sit, status scilicet gratiæ aliunde autem tot, et tanta sint bona per Eucharistiæ usum obvenientia, ut nullo modo videatur quis eo prohibendus, qui conscientiam peccati mortalis non habet. Laudantque pro hoc suo placito bene multos recentiores a numer. 18, et ex antiquioribus Gabrielem, quibus addere poterat Walafridum sic scribentem : Videtur ratione plenissimum, ut per singulos dies occupemur officiis, et quantum mentis, vel corporis graviores maculæ non obsistunt, panem, et Sanguinem Dominicum, quibus sine vivere non possumus, jugiter ambiamus, et desiderio illius functionis potius, quam præsumptione nostræ puritatis, sumamus, imitantes primitivæ Ecclesiæ studium salutare, de quo in actibus Apostolorum ita scriptum est : Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communione fractionis panis, et orationibus. Et infra : Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, et simplicitate cordis, laudantes Deum. Et iterum : Omni autem die in templo, et circa domos non cessabant, docentes, et evangelizantes, Christum Jesum. Nota, quod dicit, prius eos fregisse panem, ad deinde sumpsisse cibum. Jam olim vero apud Augustinum Epist. CXVIII, cap. III, aliquis idem plane ex eodem fundamento sensit, sic enim ibi scribit S. Augustinus : Dixerit aliquis, non quotidie accipiendam Eucharistiam. Quæsieris quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus purius homo, continentiusque vivat, quod ad tantum Sacramentum dignius accedat. Qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat, et bibit. Alius contra : Imo, inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate Antistitis debet quisque ab altari removeri ad agendam pœnitentiam, non ut arbitrio suo, cum libet, vel auferat se communioni, vel reddat. Cæterum si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet a quotidiana medicina Dominici corporis separare. Quare nullo die (per se loquendo) vetatur communio, imo est in consilio pro bene dispositis, idque in usum induci Concilium Tridentinum valde optabat. Et in hunc sensum accipiendi sunt omnes Patres, qui quotidianam communionem suadent, nixi nominatim verbis illis petitionis Dominicæ : *Panem nostrum quotidianum;* quæ verba plerique interpretantur de Eucharistia, ut propterea, teste Walafrido, aliqui olim, si qua die non communicarent, abstinerent ea die recitatione Dominicæ orationis. Quamvis autem aliqui simul illa accommodent ad panem materialem, quo cibamur ad vitam mortalem : tamen alterum quoque sensum admittunt, qui in Eucharistiam cadit, ut Tertullianus, Cyprianus, Gregorius Nissenus, Germanus Constantinopolitanus, Petrus Laodic. et Augustin. Alii vero simpliciter exponunt ea verba de pane Eucharistico : et favet admodum Græcus contextus, in qua habetur επιούσιον supersubstantialem : qua voce notatur quædam panis præcellentia, quæ ægre aptatur pani materiali : bellissime autem convenit pani eucharistico. Librat utrumque sensum petitionis prædictæ in oratione dominica Suar. et Bellarm. Ex eo ergo, quod noster spiritualis panis, sive Eucharistia dicatur panis quotidianus, haud leve argumentum sumitur, quod quotidie sumi possit ab iis, qui apte, et convenienter ad ejus sumptionem sunt quotidie dispositi. Confirmatur ex praxi primorum Christianorum; nam olim in primitiva Ecclesia potiebantur (saltem sub Apostolis, et Alexandriæ sub Marco) ea exquisita dispositione actualis devotionis, et reverentiæ convenientis erga Eucharistiam plerique, imo omnes fideles, de quibus in hunc modum S. Chrysostomus : Unde quotidie communicabant. Idque ab Apostolis traditum esse, et a Romana Ecclesia teneri, ut omnes audito sacro communicent (audiebant autem sacrum quotidie) affirmat Anacletus. Expende illud : *Omnes communicent.* Non igitur solus Camillus, qui est ejusdem sensus, quo Suarez, Henriq. ac Salaz. eum Anacleti locum enervant. Romæ autem, et in Hispaniis ad suum usque tempus durasse eam consuetudinem, testatur S. Hieronym. Episc. ad Lucin. Porro duplicem ad hunc finem dispositionem necessariam volunt ii auctores; substantialem, et accidentalem, ut Raynaudus insinuat his verbis : Quotquot igitur ad modum istiusmodi sanctarum animarum inveniuntur rite, et apte dispositi ad excipiendum quotidie Christum, sunt in statu Ecclesiæ primitivæ, ut loquitur ad hoc institutum S. Bonaventur. in IV, dist. XII, part. II, de cujus sententia excipiant sane quotidie Eucharistiam cum gratiarum actione, et facient laudabilissime. Consistit autem, ut dixi, apta illa, et conveniens dispositio, primum in capacitate potiendi fructibus Sacramenti ex opere operato ob defectum conscientiæ peccati mortalis, quæ est veluti substantialis dispositio ad communionem. Accidentaria, quæ, scholasticæ loquendo, sita est primum in pia, nec vana, et præpostera communicandi intentione; puta ad Dei gloriam, bonumve suum, non autem ad gloriam inanem, aut hypocrisim. Deinde in vacuitate a voluntariis, et ultro admissis distractionibus de rebus sæculi, extraneis a Dei negotio, ac etiam a distractionibus, etiamsi non formaliter voluntariis, consequentibus voluntariam uliginem anteriorem, e qua offuciæ istæ, ac nebulæ serenitatem animæ obnubilantes oriuntur. Præterea consistit ea dispositio in peccatorum venialium, præsertim scienter contractorum abstersione : maxime cum non est difficile, hunc sordium pulverem excutere. Tandem sita est in mediocri saltem diligentia eliciendi bonos actus congruentes susceptioni corporis Christi : atque adeo in depulsione socordiæ cujusdam, et supinitatis, perinde fere se habentis ad hujus panis susceptionem, ac si esset panis, natura etiam, non solum externa specie communis; quod est sane ingens incommodum, et ab Ecclesia habitum pro gravissimo. Nam maxima ex parte ætas minuscula idcirco exclusa est ab Ecclesia participatione Eucharistiæ, quod præ inopia judicii non discernat sufficienter cibum eucharisticum a vulgari; et quia huic irreverentiæ in pueris ob judicii imbecillitatem mederi non licuit, præstitit, tam pretiosum cibum, tametsi illis utilem futurum, subducere, ne viderentur jaci margaritæ ante porcos. Si igitur aliquis grandes natu, quibus sol rationis internæ bene illuxit, eodem modo in Eucharistiæ sumptione se habeant, multo magis ob usum libertatis, quo pueri carent, censebuntur irreverenter se habere, nec esse convenienter dispositi ad communionem, quantumvis careant labe mortifera, et communicando fructum ex opere operato divinitus constitutum sint reportaturi. Illi autem, a quibus omnes hæ minutiæ defectuum integrantes susceptionis irreverentiam aberunt, plene digni haberi debebunt, qui communicent, etiam quotidie, si ea dispositio cernatur in illis per singulos dies.

Resolutio.

Contrariam sententiam tenent Raynaudus numer. 27, et alii ab eo citati, qui sic de re hac discurrit : Sed quia hæc fortitudo paucorum est, et plerique potius pertinent ad statum Ecclesiæ finalis, utpote frigidi, et tardi (ut loquitur S. Bonaventura) idcirco paucorum est communicare quotidie : plerisque autem omnibus rarior usus congruit. In quam rem idem Sanctus Bonaventura lib. II de profect. Religios. cap. LXXVII, habet hæc insignia verba : Vix aliquis ita religiosus videtur, et sanctus, exceptis sacerdotibus, cui semel in septimana non sufficiat ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandoque, vel ratio plus suadeat, infirmitasve superveniat, vel singularis festivitas solemnis. Optima, et sapiens optimi sapientisque Doctoris propositio, in qua excipit sacerdotes, quia ob personam publicam quam sustinent, et necessitatem sacrificii, a quo totius humani generis salus, et orbis incolumitas, ac perseverantia pendet, expedit eos communicare quotidie, etiamsi non adeo exactam adhiberent dispositionem, cum qua, si laici essent, sinendi essent communicare. Gloria enim Deo redundans abunde ex Sacrificio, et bonum copiosum inde tam multis derivatum, compensat illum minus accuratum dispositionum apparatum, qui in laico sibi soli per communionem proficiente non compensatur, nec suppletur aliunde. Exclusis ergo sacerdotibus, intervallum ordinarie abstinentiæ ab Eucharistiæ usu statuit Sanctus Bonaventura octiduanum, ita ut is frequentiam laudabilem adhibeat, qui quolibet octiduo communicat : quod pro laicis, præsertim sæcularibus, et conjugatis, approbant Suarez, et Ægidius. Quin etiam eamdem dumtaxat frequentiam plerique sancti fundatores religionum sui induxerunt, et servatam a plerisque olim in eremo, sæpe legimus apud Palladium, aliosque vitæ Patrum Scriptores. Quæ est ipsissima etiam Sanct. Thomæ distinct. III, quæst. 80, art. 10, sententia, his verbis concepta : Circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari. Unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris; et ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat. Unde Ambrosius dixit : Si quotiescumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere; qui semper pecco, debeo semper habere medicinam.

Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione, et reverentia ad hoc Sacramentum accedat.

Ad contrariæ sententiæ argumentum. Resp. Lucrum ex communione tepente, aut frigida, non esse, quantum inconsulta paritas arbitratur; sed nullum, aut modicum, ut ait Sanctus Bonaventura in IV, distinct. XII, part. 2, art. 1, quæst. 1. Nullum vocat, id est pene nullum ob exiguitatem, quæ inde eruenda est, quod Sacramenta novæ legis, etiamsi causant gratiam ex opere operato citra dispositionem accipientis, tamen in suscipiente disposito multo plus agunt : et quo melior est dispositio, eo uberior est fructus etiam in opere operato : uti plures auctores a Raynaudo cc. docent. Facile igitur accidere poterit, ut communicans post octiduum admodum reverenter, ac pie, multo plus lucri, ex opere operato Sacramento consequatur ob appositam dispositionem, veluti prioritantem vim Sacramenti, quam assecutus sit quotidie communicans tepide, et absque dispositione. Idque diserte agnoscit Laurentius Justinianus serm. de Euchar.

QUÆSTIO XXXII.

An licet copiosiores species Eucharistiæ sumere, ut diutius, et majore cum proventu gratiæ perstent in stomacho?

Affirmant, Suar. Valent. Ægidius, Cajet. apud Raynaudum num. 53. Quibus visum est, tametsi Christus est totus sub quovis fragmento hostiæ consecratæ æque, ab sub hostia integra; plus tamen prodesse, si hostia grandis, vel plures simul parvæ hostiæ sumantur, quatenus ob diuturniorem perseverantiam plurium hostiarum, vel unius grandioris, in stomacho (tardius enim digeruntur species multæ, quam exiguæ, ut per se liquet) gratia plenior obtingit non modo ex opere operantis, continuatis ad Christum præsentem ferventioribus actibus; sed etiam ex opere operato, dummodo perseverante Christo in stomacho dispositio hominis mutetur, fiatque melior ob intentionem majorem, sive ob solam diuturniorem perseverantiam primi actus; vel certe ob positionem novi, et perfectioris actus. Tunc enim hi DD. perseverante Christo in stomacho, putant gratiam semper augeri ex opere operato. Et hac ipsa ex causa reperti sunt, qui in calicem effuso uno, et altero vini simpulo ministeriali, diuturniorem secum Christi moram captarent, quod facere solitum virum, et religiosissimum, et doctissimum, cujus laus fuit in aula regia, per annos multos non dubiis testimoniis comperi.

Resolutio.

Negat Raynaudus loc. cit. tum quia sententia, etsi vera esset, et gratia major obveniret ex diuturniore Christi in stomacho perseverantia, et dispositione hominis meliore, non sunt tamen assumenda omnia media augendæ gratiæ, cum habent adjunctum incommodum, ut hic contingit. Utrumque breviter monstro. Ac primum, gratiam non conferri post manducationem, recte statuunt, Sot. et Vasquez, qui sententiam contrariam paulo severius notant : Tametsi sufficit dicere, eam sententiam non quadrare verbis Christi, ex quibus constat, promissionem gratiæ per hoc Sacramentum ex opere operato conferendæ arctatam esse ad manducationem; de ea quippe sola est mentio, quoties de vita, aut gratia per Eucharistiam impertienda agitur in Evangeliis, non autem de alio quovis contactu corporis Christi v. gr. osculo. Eamqua ob causam (ut hoc obiter dicam) solida doctrina respuit, quod tamquam pro insigni favore narratur de S. Bonaventura, quod impos manducandi, immittente Angelo, per apertum pectus acceperit divinam hostiam. Hoc non fuisset manducare, atque adeo ea hostiæ perceptio non fuisset sacramentalis, et gratiæ ferax. Arctata itaque a Christo est gratiæ collatio ad manducationem. Atqui in existentia Christi intra stomachum non est manducatio gratis itaque, et absque Christi promissione adversarii contendunt, gratiam ex opere operato conferri transacta jam ante aliquod tempus manducatione, quamdiu Christus durantibus speciebus durat in stomacho, si mutetur hominis dispositio, cum tamen Christi promissio ad solam manducationem arctata fuerit. Neque dici potest, perseverantiam intra stomachum esse manducationem in facto esse : quia quod tribuitur soli motui manducationis, non potest tribui quieti in termino ad quem. Sicut gratia baptismatis non potest tribui Baptismo in facto esse. Nec dici potest, gratiam Baptismi ex opere operato, si hominis dispositio mutetur, crescere ob perseverantiam in aqua, cujus affusione sit baptizatus. Accedit, quod eo pacto melior esset conditio personæ habentis stomachum debiliorem, et tardius digerentem species, quam alterius melius affecti corpore, paris tamen virtutis, ac pietatis; Sacramentum enim in persona valentiore non posset tamdiu fructificare ex opere operato. Tandem juxta adversarios, is, qui peccaret mortaliter, durante toto tempore, quo Christus esset in stomacho, esset sacrilegus, ultra peccatum, quod tunc admitteret; quia sic peccando contraheret novum peccatum, ponendo obicem efficacitati Sacramenti. Fixum igitur esto, gratiam Sacramento Eucharistiæ ex opere operato debitam non conferri, quamdiu Christus sub speciebus perseverat in stomacho, etiamsi hominis dispositio mutetur : seu non conferri post manducationem, sicut neque confertur prius, hoc est cum species ore excipiuntur, aut dentibus subiguntur, vel commoluntur, ut male censuit aliquis, qui idcirco Christum diutissime in ore detinebat, ut species diutius essent incorruptæ, et ablutionem quoque trajiciebat meditato ante species in stomachum, ut refert. Joan. Sanchez; sed valde hallucinabatur, id enim non est manducare; Unde homo post sic commolitum cibum, vel os rigatum potu, adhuc censetur naturaliter jejunus. Potest ergo communicare : quia non manducavit, neque bibit. Neque item confertur gratia durante toto motu manducationis, quia sic gratia conferretur successive, quod est alienum ab ejus natura. Denique non confertur gratia in ultimo non esse manducationis, quia tunc non est adhuc manducatio; erit autem immediate post; sed confertur gratia vi Sacramenti, auta primo non esse motus munducationis, ut sentit Valentia, et Henriquez, vel potius confertur immediate post ultimum non esse ejusdem motus manducationis, sive immediate post instans, quo manducatio extrinsece incipit; nam in corporis humani partibus, per quas manducatio exercetur, est aliquis terminus indivisibilis, ad quem cum primum cibus pertingit, manducatio incipit extrinsece : cum primum autem ex termino pertransito, et decurso toto spatio, quod est ab eo termino usque ad ventriculum, cibus ventriculo conditur, ibique quiescit, manducatio censetur integre consummata, et cum omni sua perfectione : quandoquidem perventum est ad finem, in quem motus manducationis assumptus est. Esto essentia manducationis constituta sit in transitu cibi ultra terminum assignatum, et duret, quamdiu decurritur spatium interjectum a limite illo usque ad stomachi officium.

Aio igitur, gratiam conferri immediate post instans, qui est terminus extrinsecus motus, quo limes, seu terminus prædictus pertransitur : et in quo etiam finitur motus, quo illuc usque deductus est, salvo jejunio : quia tunc licet dicere hominem manducare. At manducanti hunc cibum spondetur gratia : manducanti, inquam, non ei, qui manducavit. Christus enim dixit : Qui manducat me, non autem : qui manducavit me, vivet propter me : Totus, inquam, gratiæ Sacramento debitæ effectus simul confertu manducationi, secundum unam sui partem integralem tunc incipienti. Nihil quippe vetat, rem, quæ tota simul incipit; produci eo modo, attendente Deo ad unum aliquod instans, post quod velit rem, etiamsi impartibilem, statim producere, sicut eam jam ante productam conservat, statim post instans illud. Addebam vero, etiamsi hactenus conclusio staret inconcussa, verumque juxta eam esset, gratiam augeri toto tempore perseverantiæ Christi in stomacho ; nihilominus inconsultum fore, ut pertinens ad pietatis anomaliam, sumere plures species, v. gr. hostiam grandiorem, aut plures simul parvas hostias, vel uberius vinum : quia, quamvis supposita illa sententia, id esset utile ad augendam gratiam, tamen non omnia augendæ gratiæ media sunt semper assumenda, cum habent adjunctum incommodum. In quam rem superius protulimus nonnulla exempla, disputantes contra parcitatem justo quæstuosiorem Joan. Sanchez, sed sufficit exemplum communionis sub utraque specie, quod in hanc, rem adhibet Gerson I, p. tr. de communione Laicorum sub utraque specie, quam Bohemi pervicaciter idcirco poscebant, quod vel cum hæresi vellent esse necessariam ad salutem, vel juxta probabilem aliquorum Theologorum contenderent, esse fructuosam, ob majorem gratiam inde obventuram sic communicanti. Respondet Gerson : Sumptio talis temeraria est, et præsumptuosa, scandalosa, seditiosa, et Ecclesiastici ritus turbativa : et ex consequenti æternæ damnationis inductiva. Nec valet, cum inducunt, quod Laici plus merentur sumendo sub utraque specie, quam sub sola forma panis. Respondetur enim, falsum esse, quia melior est obedientia, quam victima. Et quia potest Ecclesia prohibere aliqua, quæ possunt aliquando meritum augere in aliquibus, propter melius bonum commune adipiscendum, vel malum declinandum. In hac autem uberiorum, vel grandiorum specierum usurpatione, est illud incommodum, quod per illam sternitur via ad errorem superius rejectum de Christo partibiliter in Eucharistia locato, ita ut plus aliquid Christi recipiatur, quo species sunt uberiores, aut grandiores, Rudis enim quisque, ubi animadvertet a peritis captari tales species, existimabit id eos idcirco facere, quod plus Christo accipiant; sicque detrudetur in errorem. Unde non immerito Hispani Quæsitores, referente Henriquez, damnarunt eam plurium simul hostiarum porrectionem eidem factam.

QUÆSTIO XXXIII.

An Eucharistia per accidens causet primam gratiam?

Negat Vasquez, eo quod Sacramenta novæ legis id efficiant, quod significant : non enim sunt nuda signa, et vacua, sicut antiqua Sacramenta; Atqui Eucharistia, cum sit instituta per modum cibi, ac potus, significat refectionem animæ, vel corroborationem in vita spirituali, non autem suscitationem a morte animæ : refectio porro illa, et corroboratio non est nisi viventium, qui soli possunt comedere, non item mortui. Igitur ex natura, et institutione Sacramenti Eucharistiæ non potest colligi, quod vis ejus extendatur ad remittendas per accidens (sive interveniente bona fide, et ignorantia invincibili) culpas mortales, quarum conscientia non habetur; sed potius ex vi hujus Sacramenti institutionis in ratione refectionis colligitur contrarium.

Resolutio.

Affirmat Raynaudus cum S. Thom. Alano, Bellar. Valent. Ægid. Salaz. Juxta hos ergo doctores Eucharistia, cum bona fide sumitur ab eo, qui est in peccato mortali, de quo aliquatenus dolet, conferre ei primam gratiam. Ratio est, quia Christus Sacramentorum auctor omnino videtur voluisse, quod sapiens, et provida eorum institutio ferre debeat : nempe, ut præter gratiam quam directe, et per se conferunt, possent etiam gratiam conferre directe, et ex accidenti, ut patet ex Sacramentis mortuorum, quæ, si reperiant primam gratiam ex opere operantis jam comparatam, non producunt illam, sed augent, eo quod licet per se primo non sint instituta ad augendam gratiam, non debeant tamen carere effectu suo particulari, ob meliorem subjecti dispositionem. Similiter itaque Sacramenta vivorum, quamvis per se, et directe sint instituta tantum ad augmentum primæ gratiæ præhabitæ, tamen consentaneum fuit, ut supposita subjecti dispositione, producerent primam gratiam; si enim ex parte subjecti nihil vetat infundi gratiam, et peccatum expelli, ut sane nihil vetat, cum quis bona fide accedit ad Eucharistiam absque mortalis peccati conscientia saltem attritus, consentaneum fuit, virtutem Sacramenti, quod per se idoneum est augere gratiam, producere illam primo; quia non requiritur major virtus ad gratiam primo causandam, quam ad augendam.

Ad fundamentum Vasquezii. Resp. Sacramenta quidem novæ legis efficere, quod significant, si agatur de effectu per se, non tamen de effectu per accidens. Nam pœnitentia significat evasionem peccati, et tamen sæpe per contritionem præviam destructum est peccatum, priusquam gratia conferatur per Pœnitentiæ Sacramentum. Tunc ergo Sacramentum non facit, quod significat, sed hoc est per accidens ob antecessionem contritionis perfectæ, quæ non debet excludere effectum subsequentis Sacramenti pœnitentiæ, ne pejus sit homini melius disposito. Et idem est de Baptismo, cum confertur adulto, qui præelicuit amorem Dei perfectum, vel contritionem : non enim gratia, quam confert, facit hominem tunc primo ex Deo nasci, qui per acceptam anterius gratiam jam natus est ex spiritu, sed quia processisse actum sanctificantem est per accidens, nec decuit subjectum melius affectum privari fructu Baptismi; propterea Sacramentum Baptismi per accidens non efficit primam gratiam, quam significat, sed auget tantum, quamvis non significet hoc augmentum. Idem de Eucharistia pronuntiandum est in eventu, de quo agimus.

QUÆSTIO XXXIV.

An communio spiritualis æquiparetur reali?

Pro resolutione hujus quæstionis notandum est cum Raynaudo p. 6, n. 8, ut quis dicatur communicare spiritualiter, necesse est, ut habeat ardens desiderium communicandi, quod ex se esset efficax, etiamsi ob defectum Sacerdotis ministrantis non possit impleri. Sicut detestatio peccati commissi, quod homo nollet fecisse, licet ob impossibilitatem, vellet ut res facta sit infecta, non sortiatur effectum, tamen est actus ex se efficax, et ita promovens voluntatem, ut si res posset ab homine præstari, sine mora præstaretur vi istiusmet actus immutari. Tale ergo esse desiderium communicandi, necesse est, ut illud nomen spiritualis communionis sortiatur, quod recte tradit Cabasilas in exposit. Liturg. c. XLII, et aperte idem supponunt, qui statuunt, eam communionem in ardenti desiderio, quod tamquam manu animæ Christum prendit. Nam ardor desiderii eam, quam dixi, actus efficacitatem sonat. Ludunt ergo plerique se ipsos, cum censent se communicare spiritualiter, nec tamen communicant de facto, etiamsi communicare sacramentaliter possent, si luberet. Eo ipso namque communio spiritualis non peragitur, quæ constituitur in ardenti, et efficaci communicandi voluntate, aliunde impedita, ex se autem habitura effectum, et hominem ad communicandum inductura. Hoc supposito.

Affirmativam sententiam tenere videtur Cabasilas apud Raynaudum, ubi præfatus, animas mortuorum præ ardenti Eucharistiæ desiderio per hoc Sacramentum juvari, subdit : Ergo dixerit quispiam, si quis etiam vivorum bona quidem, quæ dicta sunt, in anima habeat, ad mysteria autem non accedat, habebit illinc nihilo secius sanctificationem? Non quilibet, sed si quis non potest corporaliter accedere? sicut defunctorum animæ, quales fuerunt ii, qui in desertis errabant, montibus, et speluncis, et foraminibus terræ, qui altare, et sacerdotem nullo modo videre poterant; eos enim Christus ipse hac sanctificatione invisibiliter sanctificabat. Undenam potest hoc sciri? quod vitam in se habebant, non habituri, nisi hujus essent sacramenti participes. Ipse enim Christus dixit : Nisi comederitis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et ut hoc significaret, multis horum sanctorum misit Angelos dona ferentes. Si quis autem, cum posset, ad mensam non accesserit, fieri non potest, ut, quæ ex eis provenit, sanctificationem assequatur, non quod non accessit solummoto, sed quod, cum posset non accessit; et propterea clarum est, quod bonis, quæ debentur sacramentis, vacuam habet animam. Vides Cabasilam agnoscere, communicantem spiritualiter, defectu sacerdotis realiter impertientis Eucharistiam, percipere fructus sacramenti. Erit, cui videatur, favere quoque huic Cabasilæ placito eos, qui hanc communionem spiritualem aiut esse communionem in voto, eamque adhibentes non aliter participare fructum Sacramenti Eucharistiæ, quam ii, qui baptizantur in voto, vel habentes votum Sacramenti Pœnitentiæ, percipiunt fructum illorum Sacramentorum. Ita Henriq. l. VIII, c. XII, n. 1, lit. C. Et videtur Deus ipse approbasse hanc sententiam, quando sæpius tale desiderium habentibus particulam ex hostia consecrantis sacerdotis decerptam in os immisit, uti Daur. c. V, tit. 18, ex 2, pluribus exemplis demonstrat; sed et B. Joanna de Cruce affirmabat, se in spirituali communione iisdem gratiis cumulari solitam esse, quibus in reali communione fruebatur. Hinc suspirans : O præclaram, aiebat, communicandi methodum, in qua neque confessario, neque superioris facultate, neque illius alloquio opus est, præterquam tuo, o Deus meus!

Resolutio.

Negat ipse Raynaudus n. 7, nam, ut ipse ait, longe alius est fructus communionis sacramentalis, cæteris paribus, quam spiritualis. Nec qui communicat spiritualiter tantum dicendus illico est participare fructum Sacramenti re ipsa suscepti : Non modo, quia quantumcumque perfecte quis spiritualiter communicet, gratia non datur ex opere operato, ut recte notat Henriqu. sed etiam quia longe aliud est hoc votum Eucharistiæ, quam quod, licet non conferat gratiam ex opere operato, conferat tamen ex opere operantis, quia est actus contritionis, vel dilectionis perfectæ, vel Baptismi susceptio, juxta doctrinam S. Anselmi. At votum istud Eucharistiæ potest esse nudum desiderium communicandi, quale certum est non conferre gratiam, potestque a peccatore in peccatis hærente concipi. Unde ad allata exempla responderi potest; Deum per illa voluisse ostendere, quod valde sibi placeat ejusmodi communio spiritualis; non autem quod semper æquivaleat reali communioni, nisi propter extraordinarium fervorem, et multitudinem actuum compensetur id, quod ex opere operato acquirit, quomodo forte B. Joanna de Cruce per actus operantis fructum operis operati adæquavit.

QUÆSTIO XXXV.

An breves potius Missæ, quam longæ, sint commendandæ.

Qui breves præferendas esse censent, in primis prætexunt faciliorem distractionum devitationem, deinde tædii assistentium remotionem, item celeriorem exhorationem bonorum sacrificio captorum, v. g. liberationis animæ e purgatorio. Et propterea illud mandatum de Agno mystico sibi quoque datum imaginantur : Comedetis festinanter. Contra quos sic Raynaudus perorat. Nemo satis explicet, quantum ex tumultuaria illa, et properata sacri celebratione malæ ædificationis excitetur apud assistentes cordatos, et pios, ut unus, aut alter Semichristianus applaudant; et fortitudinem illam devorandi, quam celerrime diutissimi illius ministerii collaudare non erubescant. Sane si quis apud terrenum Principem de rebus nullius momenti sermonem ferens, ea pernicitate, et incondita agilitate agat, qua Sacerdotum plerique cum Deo, non ferret impune : et audet homuncio in Sacrificio, cui cum horrore adstant Angeli, et in quo Christus ipse mactatus, et occisus offertur, adeo festinare, ut quid effutiat verius, quam eloquatur, constare vel attentissimis non possit. Finito autem sacro nonnisi risus, et altius sublati cachinni exaudiuntur ob adeo subitam conclusionem operationis apud cæteros diuturnioris, tametsi revera non risum ista, sed lacrymas, merentur.

Qui prolixitatem amant, partim commemoratione plurium facienda, partim affectibus piis eliciendis, partim reverentia majestatis tanto sacrificio debita se defendunt : contra quos tamen Guilielmus Parisiensis merito sic detonat : Qui Missas adeo longas faciunt, tædio prolixitatis suæ corda circumstantium, et a gratia devotionis arefaciunt, et ipsam refectionem spiritualem, quam in Missis percipere debent, in molestiæ amaritudinem eis vertunt. De his igitur potest conqueri populus Missis circumstans, et dicere. Dederunt in escam meam fel. Stultitia igitur hujusmodi hominum hæc est, ut pro pugillo devotionis, quod eis in Missis tribuitur, totius populi devotionem auferant; et pro tribus vel quatuor (ut dicam) lacrymis compunctionis, et devotionis, vasa magna, de corda devote, et lacrymose orantium effundat. Ibi igitur brevis debet esse oratio, ubi brevitas ejus devotioni aliorum orantium militat, et deservit.

Resolutio.

Medium ergo hic tenuere beati, qui regulam a Societate Jesu Sacerdotibus suis præscriptam observant, quæ sic habet : Cæremonias Missæ ex usu romano accurate unusquisque observet, in eaque celebranda pronunciationem, et quamcumque aliam exteriorem actionem ita moderetur, ut non minus aliorum ædificationi, quam propriæ devotioni, serviat. Et ideo semihoram in faciendo sacro nec multum excedat, neque ita brevis sit, ut illam non expleat.

QUÆSTIO XXXVI

An imperfectiones clavibus legitime subjiciantur?

Affirmant nonnulli apud Raynaudum ipsa praxi suam sententiam comprobantes, quibus etiam recentior quidam Scriptor Asceticus celeberrimus ab ipso tecto nomine citatus accedit, eo quod talis confessio ad humilitatem majorem pœnitentis Confessario faciendam conducere videatur.

Resolutio.

Negat ipse Raynaudus cum Joan. Sanchez : Ad quid enim substernas absolutioni id, quod per eam laxari nequit? Nec humilitas (cujus exercitium ea imperfectionum detectione captatur, et a S. Bonaventura in hanc rem urgetur) juvat revera usum illum : tum quia facile erit, eamdem utilitatem percipere, expositis alibi illis imperfectionibus ; tum quia nominatim in materia castitatis præstat parciorem esse in exponendis non necessariis, quod aliquid semper ex isto cœno, et lutulentia affricetur ; dum contingitur quoquo modo. Adde, quod vel hæ, et aliæ imperfectiones proponuntur in confessione tamquam peccata, et hic est error corrigendus, vel non proponuntur ut peccata, et sic oneratur Confessarius iis ibi audiendis, quæ ad rem non pertinent, et sæpe fatigatur patientia astantium, et præstolantium confiteri, nec raro præbetur materia sermonum, protracta confessione ad longam moram, quod necessario iis faciendum est, qui imperfectiones aperiunt. Sunt enim innumeræ, et quæ brevi tempore expediri non possunt. Hæc vero major est imperfectio, quam ipsa imperfectio, quæ suscipitur aperienda in confessione, etiamsi supponatur, eam expositionem vacare peccato.

QUÆSTIO XXXVII

An rejectio divinorum consiliorum, et inspirationum sit confitenda?

Affirmat Toletus apud Raynaudum l. I, c. II, n. 6, agnoscens veniale peccatum in tali rejectione ob irreverentiam, quæ per eam tantæ Dei Majestati exhibetur.

Resolutio.

Negat cum S. Thom. ipse Suárez Jo. Sanch. Diana, Tannero ib. cit. Et ratio est, quia consilium non est præceptum : igitur non exequens inspirationem de opere consilii, non violat præceptum ullum, atque adeo nullo modo peccat, ac ne venialiter quidem. Tenetur quidem homo agnoscere, eas inspirationes esse beneficia divina; unde nisi de eis gratias agat, poterit delinquere contra gratitudinem Deo debitam, tamen non tenetur acquiescere ei divino beneficio, quo vocatur ad alicujus voluntarii operis executionem : quia Deus quoad tale opus hominem reliquit in manu consilii sui, nec, si divinum monitum respuat, idcirco pleccet. Suppono tamen, abesse contemptum; nam hic non vacaret peccato : ut si quis Deum ad talia vocantem, impudentia, aut inconsultæ solicitudinis insimularet ob hujusmodi consilium; vel si obaudire nollet præ despectu, et vili æstimatione, quam de Deo conciperet. Hoc enim nemo non videt fore conjunctum cum scelere, idque esse unum de capitibus, quibus actus ex objecto venialis potest grandescere, et transire in peccatum mortale, communis est doctrina. Suppono item abesse indignationem, qua quis renueret acquiescere divino consilio, ne consolatione illa Deum demulceat, quam ex talis operis, ad quod vocat, executione perciperet. Siquidem ea quoque per indignationem repudiatio valde sorderet. Itaque repudiationem divini consilii pure, et præcise, quatenus est commoda humanæ libertati, quæ inclinatur in rem suæ optioni permissam, quis damnet? Velle enim sua libertate potiri, et jure sibi divinitus concesso uti, vacat prorsus peccato; estque actus charitatis propriæ, qui plane innoxius est, nec vitio verti, aut pœnæ subjici debet, atque ita non potest esse materia remota Sacramenti Pœnitentiæ. Quod si repudiatio divinæ inspirationis spectet aliquod peccatum; quia scilicet Deus sua inspiratione monebat vitari culpam, quæ tamen vitata non est, Deo minime audito; nec sic quidem inspirationis repudiatio est materia Sacramenti pœnitentiæ; cujus facienda mentio a pœnitente. Nam ea repudiatio satis intelligitur exprimendo peccatum, quod admissum est contra inspirationem divinam ab eo avertentem; signatum quippe super nos est lumen vultus Dei : Et quoties peccatum admittis, necesse est Deum nobis prælucere ad contrarium actum, vel saltem ad abstinendum actu pravo, cujus admissione peccatur. Eo ipso igitur, quod homo exponit, se tale peccatum commisisse, sufficienter aperit, se non obedisse divinæ inspirationi, qua monebatur cessare a tali opere.

QUÆSTIO XXXVIII.

An nocturnæ illusiones in confessione explicandæ?

Affirmat cum S. Isidoro Gers. VII, opusc. de poll. noct. sic loquens : Difficile est, vel impossibile, absque divina revelatione cognoscere generaliter radicem, et causam pollutionis diurnæ, si videlicet proveniat ex consensu vero, vel interpretativo, aut a consensu directo, aut a consensu pleno, vel imperfecto : aut si absque ullo consensu superioris rationis, vel inferioris provenerit. Puto, propositionem hanc considerantibus esse notam. Ex quo consequenter infertur, quod, quia beatus est vir, qui semper est pavidus, et quod bonarum mentium est, facere conscientiam, ubi de necessitate non esset aliquando facienda; expedit de talibus confiteri, et non sine consilio prudentum, et expertorum, talia nihil pendere, et contemnere in se ipsis. In opere, quod inscribitur Doctrina S. Bernardi, ista leguntur : Si per noctem illusio tibi acciderit, ne contristeris, sed in crastino confitere; et aliquo te invitante ad Missam, ut ministres, caute coram omnibus excusa te per signum, ut est consuetudinis, quatenus omnes illam tuam pollutionem intelligant. Fecit hoc aliquis apud nos etiam, nullo invitante ad Missas ut magis erubesceret, et a tentatione carnis liberatus est, in tantum, ut vix aliquid tale postmodum senserit, nec nisi semel, vel secundo per annum pruritum hujusmodi patiebatur. Ex quo patet, quam vera sit sententia Dei dicentis : Ego glorificantes me glorificabo. Et : Omnis, qui se humiliat, exaltabitur. Et : Humilibus Deus dat gratiam. Præscribit diserte S. hic Doctor confessiones de nocturna fœdatione, etiamsi in somno; et absque libertate contigerit. Culpam in hujusmodi eventibus agnoscit S. Isidorus, ex quo sequitur, hanc miseriam esse legitimam materiam confessionis. Idem fuit sensus S. Wiperti Antistitis quondam Augustani, qui etiam jan B. Herlucæ Moniali, cui tale quid obtigerat, graviter indixit, ne templum ea die subiret, et noxam aliquot orationibus præ templi publici foribus expiaret. S. Alto simile quid mandavit alteri Moniali, quæ, cum nihili mandatum fecisset, cruciatibus purgatorii expiavit eam culpam post obitum. Utrumque narratur a Paulo Bennedensi in Actis S. Herlucæ. Apud Petrum quoque Damiani Opusc. Satan Joanni Anso Eremitæ, a quo validissime adjurabatur, ut desereret arreptivum, objecit nocturnum hujusmodi ludibrium, tamquam nobilem triumphi sui materiam, atque adeo, ut noxam in confessione expiandam. S. Malachias Hibernus Diaconum, qui nocturno somnio delusus pollutionem passus inter dormiendum fuerat, jussit confessione se purgare. Denique in Pœnitentiali Greg. III, variæ ob hujusmodi labem indicuntur pœnitentiæ, quæ sane non imponerentur secluso peccato.

Resolutio.

Negat ipse cum S. Prospero l. III, de vit. cont. sic loquente : Ille corporis fluxus, qui sit in dormientibus sine culpa, interdum vigilantibus contingit ex culpa. Aliud est enim, quod in dormiente sit, aliud, quod vigilans facit : Ibi naturaliter plenitudo humoris expellitur hic turpiter concupiscentia publicatur. Agnoscit pollutionem nocturnam culpa vacare; ex quo sequitur, ut neget, eam esse posse materiam remotam sacramenti Pœnitentiæ, ad quam materiam pertinent sola peccata. Idem argumentum peti potest ex insigni in hanc rem S. Athanasii disputatione tota epistola ad Ammon Monachum, ubi sic præter cætera loquitur : Diaboli artes nequeo non mirari, qui lues, et corruptelas, sanctitatis, et puritatis specie plenas rationi subjicit. At id potius, ut insidietur; quam ut probet, facit. Ideo nunc ista auribus Ascetarum insusurrat, quæ nihil in vitam commodi aliud, quam quod novitatis, et nugorum plenas rationes diligenter evitandas (ut antea monui) conferunt. Ut dum eos e consulto, et salutari studio revocarit, regnare solus, et rerum potiri videatur. Quid enim, rogo te dilecte, sceleris, aut labis habeat, ipsa, quæ postulante natura fit, excretio? Verbi causa, quis erumpentem e naribus mucorem, vel ipsa oris sputa vitio vertat? Atqui, et his ampliora longe possumus abdere; ventris nempe disjectiones, quæ ita cunctis existunt necessaria, ut sine his ne vivere quidem animal natura voluerit. Denique cum hominem manuum Dei opus esse Scriptura docente credamus; qui fit, ut ex mundana facultate polluti aliquid, et contaminati operis prodeat? Denique si quod ex Actis Apostolorum didicimus : Dei genus sumus, immundum prorsus in nobis, et contaminatum nihil habemus. Tum enim inquinamur solum, cum pessimi doloris opus peccatum operamur. At cum suo more naturalis aliqua excretio emittitur, tum naturæ necessitate (quod antea diximus) et istud cum aliis toleramus. Recte tamen monet Raynaudus cum Gersone, eum, qui talia patitur, præsertim in initiis debere humiliter rem aperire viro prudenti, ac probo, a quo dirigatur, ne circumveniatur a Satana. Ex quo autem per ejus doctrinam, et maxime per Spiritus Sancti lucem, constiterit, nullam patientis culpam ea in parte intervenisse, satius est, eam perpessionem pro nihilo habere ; Tantum abest, ut sit sibjicienda clavibus, tamquam idonea Sacramenti pœnitentiæ materia cum libertate caruerit; ac proinde culpa vacaverit.

QUÆSTIO XXXIX.

An in confessione generali necessario exprimendum sit, quod aliquod peccatum clavibus nunquam sit subjectum.

Affirmant Thom. Hurtad. et Turrianus apud Dianam, quibus aliqui DD. adeo pertinaciter adhærent, ut contrariam sententiam prope scandalosam dicere ausi sint, eo quod confessarius alioqui, nec judicium legitimum ferre queat de pœnitentis statu, nec pœnitentiam legitimam imponere, ut qui aliam longe impositurus fuisset, si peccata aliquot gravia numquam clavibus fuisse subjecta cognovisset.

Resolutio.

Negant tamen probabilius Suar. Sanch. Lugo Bonac. Conioch. et alii, quos refert, et sequitur Dicastillo d. IX, n. 179. Cum enim circumstantia illa (quod peccatum numquam adhuc in confessione explicatum sit) non mutet speciem, nec aggravet; ex altera vero parte eamdem exprimere interdum sit difficile admodum pœnitenti immerito dicitur, non esse hoc onus ei imponendum, nisi gravis aliqua causa urgeat, qualis hic non apparet. Nam ad argumentem adversariorum respondetur, etiam circumstantias aggravantes juxta communiorem sententiam non esse explicandas, et tamen aliam utique pœnitentiam injungeret confessarius, si quis mille, quam si decem dumtaxat florenos furatus est. Quod idem dicendum est, si quis gravi, et justa de causa unum, aut plura peccata gravia coram aliquo confessario reticeret. Unde apparet, quam immerito hæc sententia Adversariis scandalosa sit visa, utpote quæ et auctoritate, et ratione multum prævalet contrariæ sententiæ.

QUÆSTIO XL.

An matrimonia Hereticorum ab ipsis dissolvi quoad vinculum licite queant.

Quæstio hæc procedit de illo casu, in quo Sebastianus verb. g. maritus hæreticus cum Catharina catholica conjunctus coram consistorio hæretico comparens, et causas ab ipso approbatas proponens, liber etiam quoad vinculum pronunciatur. In quo casu negative respondent omnes fere, tam antiqui, quam Neoterici Auctores, teste Sanchez, l. VII, d. LXXII, num. 2. Probatur 1. ex ipsa continua praxi, qua (ut Gobat, p. II, Alph. matrim. c. XIX, n. 701, testatur) omnes Episcopi, Confessarii, Parochi, superiores Laici catholicarum mulierum nuptarum alicui Lutherano, Zwingliano, aut alteri hæretico, matrimonia eorum tamquam valida agnoscunt, eorumque liberos pro legitimis habent, quod tamen dici non posset, si matrimonia talia invalida essent, cum fatendum esset, illa existimata matrimonia meros concubinatus esse, et consequenter illegitimos quoque liberos ex iis generatos. Probatur 2. quia matrimonium consummatum baptizatorum est simpliciter indissolubile, uti Theologi, et Canonistæ unanimiter fatentur : atqui matrimonium inter Sebastianum, et Catharinam contractum erat matrimonium baptizatorum; ergo, et ipsum erat simpliciter, indissolubile conformiter Concilio Tridentino. Probatur 3. quia Sebastianus saltem ex una parte vult inire matrimonium indissolubile : ergo cum ipsius intentio sit juri conformis; jura autem potius valori, et æquitati matrimoni faveant, rectius dicitur, illius potius quam sponsi intentionem validam dici debere, atque adeo matrimonium eorumdem absolute indissolubile fuisse redditum.

Resolutio.

Videtur tamen potius affimative respondendum, scilicet Catharinæ licite secundas nuptias permitti posse. Probatur 1. auctoritate; nam in primis huc referri possunt omnes illi Auctores a Suarez citati, qui docent, quando minister per contrariam intentionem vult introducere errorem in Ecclesiam, non fieri sacramentum; cujus sententiæ etiam Zacharias Pontifex fuisse videtur, dum dixit, Baptismum per ignorantiam linguæ latinæ in invocatione Trinitatis administratum non esse repetendum, eo quod minister per talia verba non voluerit hæresim, aut errorem introducere. Probatur 2. et potissimum ratione, unica quidem, sed sufficientissima. Sebastianus matrimonium dumtaxat solubile etiam quoad vinculum contrahere voluit; ergo et ipse, et uxor ob causam legitimam potuit ab alias nuptias progredi. Consequentia videtur legitima, quia cum intentio contrahendi matrimonium modo solubili non sit conformis illi, quæ ad hoc sacramentum requiritur, hoc ipso defectu legitimæ intentionis subsistere sacramentum non potest, atque adeo nec fundamentum indissolubilitatis subsistet. Antecedens, in quo probando est tota difficultas, probatur. Si esset aliqua ratio, cur Sebastianus non dicatur matrimonium solubile contrahere voluisse, esset hæc, quod habuerit saltem intentionem universalem faciendi id, quod facit vera Ecclesia, et quod Christus instituit, atque adeo per universalem intentionem, tamquam magis efficacem, correxerit priorem erroneam intentionem, velut minus universalem; atqui hæc ratio non obstat. Major est adversariorum, in ea enim potissimum eorum fundamentum continetur. Minor probatur, quia voluntas absoluta, et efficax non desumitur ex sola universali intentione secundum se sumpta, et conditione ista : Si scirem aliud esse institutum, vellem illud facere, virtualiter adjecta : sed etiam ex particulari judicio determinante voluntatem, ad hoc potius volendum, quam aliud : atqui judicium particulare determinat ad matrimonium modo solubili faciendum; ergo. Minor iterum probatur; quia Sebastianus formando suam intentionem, fecit hunc quasi discursum : Ego volo matrimonium inire, prout Christus instituit, et vera Ecclesia approbat : sed Christus instituit matrimonium modo solubili, et ita etiam sentit, et practicat mea Ecclesia, quam ego veram Ecclesiam esse judico; ergo etiam volo matrimonium modo solubili contrahere. Certe ex suppositione hujus absolutæ intentionis, tam ipsi contrahentes, quam Consistorium hæreticum procedunt, dum ad secundas nuptias transitum permittunt, et faciunt. Confirmatur hæc tota doctrina 1. hoc efficaci discursu : Si per hoc, quod supponatur voluisse Sebastianus facere, quod Christus instituit, censendus esset, particularem suam intentionem corrigere, sequeretur, nullum dari materialem hæreticum, quia quivis hæreticus facit istum generalem assensum : Ego credo, quod Christus credi jussit : et sic per istum assensum semper corrigeret particularem assensum erroneum, nullique adeo propositioni hæreticæ inculpabiliter, et absolute assentiretur : atqui dari hæreticos materiales nemo catholicorum negat; ergo nec id, ex quo hoc sequitur, admittere potest. Quod ipsum etiam in actibus voluntatis patet, quæ, licet semper faciat hoc universale decretum : Ego nihil appetam nisi bonum : nihilominus tamen potest absolute velle aliquod malum, si per errorem ipsi ut bonum repræsentetur; ergo pari modo etiam hæreticus non obstante generali decreto, quo decrevit, id solum credere, quod Christus credendum proposuit, potest assentiri articulo falso, si hic sub specie propositionis a Christo revelatæ proponatur : Confirmatur 2. eadem doctrina ex eo, quod, ut bene advertit Dicastillo, quilibet censeatur virtualiter juxta morem loci, in quo versatur, contrahere, nisi aliunde probatur oppositum, quia fortissima præsumptio desumitur ex communiter contingentibus; nemo autem communiter censetur contrahere, nisi ut alii in simili casu solent : atqui solent alii in illo loco, modo dissolubili contrahere, uti de Lutheranis, Calvinistis, et Anabaptistis testatur Bellarminus;

ergo, et Sebastianus eo modo contraxisse censendus est. Probatur denique 3. dicta sententia solutione argumentorum pro priore sententia propositorum; nam ad primum respondetur, quando Ecclesia, Episcopi, et Parochi ejusmodi matrimonia hæreticorum cum catholicis approbant, intelligendum hoc esse de illis hæreticis, qui more catholico contrahunt, quod frequenter contingit, præsertim ubi hæreticus conjux inter catholicos contrahit, et habitat. Deinde hæretici volunt saltem contractum civilem legitimum facere, prout in fidelibus etiam reperitur, et a ratione sacramenti separatus est : Id quod fieri posse Vasquez, Rebellus, Hurtadus, Perez, Pontius, Diana, Dicastillo, et alii plures contra Sanchez, et non nullos alios docent, et ex eo probant, quod ratio sacramenti sit posterior ratione contractus (cum illi adveniat, et fundetur in eo) adeoque tam parum mutet rationem contractus, quam parum ratio sacramenti lotioni superveniens in baptismo mutat lotionis naturalis naturam. Si ergo, ut probatum est, matrimonium etiam in contractu, qui non sit sacramentum, consistere potest, mirum non est, si liberi ex tali matrimonio, velut legitimo, procreati, ipsi quoque legitimi, perinde ut infidelium liberi agnoscantur. Confirmatur hæc responsio ex eo, quod in civitatibus, ubi hæretici cum catholicis mixti vivunt, nemo facile faciat discrimen inter eos liberos, qui ex prima uxore sunt geniti, et inter eos, qui post primam uxorem ex permissione Consistorii dimissam, ex alia uxore ducta sunt geniti : et tamen certum est, apud catholicos doctores has secundas nuptias esse illegitimas, et invalidas, si matrimonium pro sacramento accipiatur; ergo ex eo, quod tales liberi pro legitimis agnoscantur, non recte infertur, eorum matrimonium etiam sub ratione sacramenti validum esse, ac indissolubile. Ad secundum respondetur distinguendo majorem : Matrimonium baptizatorum est verum sacramentum, si catholico modo, id est cum debita intentione, et absque impedimento dirimente celebretur, concedo majorem; secus, nego majorem, et sic distincta minore nego consequentiam : quæ responsio patet ex casu, quo duæ personæ cum inpedimento dirimente non cognito contrahentes matrimonium inirent, quo casu supposito, sic argumentari licet : Vel contractus istorum duorum conjugum fuit verum sacramentum, vel non; non primum, quia impedimentum dirimens obstat; non secundum, quia sequeretur filios ex talibus conjugibus esse illegitimos, utpote extra matrimonium progenitos, quod tamen est contra communem doctorum, et aliorum hominum sensum; ergo ne hoc fateri cogamur, dicendum est, conjuges tales habuisse quidem intentionem contrahendi verum sacramentale matrimonium, sed quia hunc effectum habere non potuerunt ob impedimentum dirimens, censeri interpretative saltem voluisse contractum legitimum qualis in talibus circumstantiis haberi potuit, id est, a ratione sacramenti separatum facere, juxta notam illam regulam : Actus qui non valet, ut geritur, saltem valet, ut valere potest : quo fundamento facile ratio reddi potest, cur filii ex talibus conjugibus procreati legitimi censeantur, quia scilicet non sunt ex mero concubinatu, sed vero matrimonio, licet nondum sacramentali progeniti. Ad tertium respondetur, cum sacramentum matrimonii consistat in consensu, seu traditione mutua corporum efficaci, et indissolubili; atque adeo legitimam intentionem ex utraque parte requirat, facile apparere, cur, si alter conjux habeat intentionem efficacem faciendi dissolubile conjugium, matrimonium sine ratione sacramenti consistere possit.

Atque ex his omnibus hactenus dictis satis apparet, sententiam hanc secundam satis consequenter discurrere, nec usque adeo improbabilem videri posse, uti etiam P. Gobat in prima parte sui Alphabeti agnovit, eamque recentior quidam ibidem suppresso nomine citatus absolute docuit, cum plane agnoscant plures auctores, ut supra vidimus, posse valide celebrari matrimonium, quin fiat sacramentum; ex altera vero parte difficulter negari possit, hæreticos saltem aliquos apud quos consuetum est, matrimonia quoad vinculum dissolvere, habere intentionem, non quidem propria, sed publica auctoritate contractum dissolubilem faciendi, quæ duo difficulter in prima, commode vero in posteriore sententia concordari videntur, et ideo merito argumenta pro eadem a doctissimis viris proposita valde urgentia sunt visa; quia tamen hactenus vix unquam concessum est, saltem in his partibus, ut uxor tali modo ab catholico marito separata ad secundas nuptias transiret, non ausim eam, ut veram, et probabilem defendere, sicut et P. Gobat in secunda parte Alphabeti non amplius, ut in prima parte putabat, probabilem dicere est ausus; solas ergo rationes pro ea pugnantes proposuisse contentus, judicium de veritate, aut probabilitate illius libenter doctiorum, et sapientiorum virorum examini, judicioque relinquo.

QUÆSTIO XLI.

An sacramentalia vim extergendi venialia ex opere operato habeant?

Affirmant Victoria, Canus, Valentia, Fagundez, Gretserus, et alii apud Raynaudum p. I, docentes, quod Ecclesia pro facta sibi a Christo potestate deputaverit hæc sacramentalia, immittens illis virtutem, qua leves noxas extergant, non modo quoad reatum, sed etiam quoad maculam, etiamsi nullus actus operantis id ferat, sed præcise spectetur admotio sacramentalium.

Resolutio.

Sed rectius negat ipse Raynaudus cum Durando, Suarez, Coninck, Filliucio, et aliis; Ecclesiam enin non accepisse a Christo potestatem instituendi instrumentum delens vi sua, et præcise a merito operantis peccata venialia; inde eruitur, quod, cum sint septem sacramenta in Ecclesia, per quæ effectus ille præstari potest, et sint etiam actus boni, quorum interventu potest poni dispositio ultima ad remissionem culparum venialium ex opere operantis, supervacaneum prope videretur, relinqui Ecclesiæ potestatem ad institutionem remediorum, quibus ille effectus obtineatur. Neque Ecclesia unquam professa est, se hujusmodi auctoritate fuisse a Christo donatam, aut propositum sibi esse, annectere alicui actui vim remittendi culpas veniales ex opere operato. Sane in re tanta, et in qua de ipsarum divinarum injuriarum (tametsi levium) remissione agitur, nihil innovandum est absque idoneo fundamento, quod hic nullum appetit; sive ex verbo scripto, sive ex tradito, sive ex urgente, aut etiam admodum verisimili ratione.

Quæ in contrarium adducit præter cæteros Carthagena plus bombi habent, quam soliditatis. Ex eo enim, quod sit in Ecclesia potestas ministralis ad per se remittenda peccata gravia in sacramento pœnitentiæ, secundario extensa ad culpas veniales tamquam ad materiam suam sufficientem, tametsi non necessariam : infert Carthagena, esse in Ecclesia potestatem remittendi veniales noxas per sacramentale ab ipsa Ecclesia institutum in eum finem. At hæc illatio est infirmissima; quia, cum nemo possit remittere peccata, nisi solus Deus, frustra ostenditur potestas Ecclesiæ ad hæc peccata levia absque sacramentis, et immediate extergenda, nisi proferatur divinum diploma collatæ ad eum usum potestatis, quale nullum profertur. Nec si Ecclesia accepit potestatem relaxandi immediate reatum temporarium residuum per indulgentias, consequens est, ut acceperit quoque potestatem ad remittendas immediate culparum maculas. Nam potestatem elargiendi indulgentias Ecclesiæ concessam ex verbo Dei agnoscimus, non item potestatem abstergendi venialia peccata extra sacramenta. Urget insuper Carthagena consensum communem theologorum, ex quo vult constare de sensu Ecclesiæ in agnoscenda hac sua potestate : sed quamvis aliqui Theologi visi sint asserere, quod contendit Carthagena, tamen omnino multi (ut vidimus) refragantur, quorum rationes sunt fortiores, et idcirco est eis inhærendum. Quin etiam non pauci ex illis, qui visi sunt contrariam sententiam tradere, aliud revera noluerunt, quam quod ultro damus, nempe sacramentalibus proprie dictis, quæ ab Ecclesia, interventu alicujus benedictionis ad hominis nitorem plenum, et munditiem a peccatis (utique levibus) instituta esse leguntur in Ritualibus Ecclesiasticis, inexistere vim moralem, qua, preces Ecclesiæ veluti immissæ sacramentalibus, exorent bonos motus, quibus ex opere operantis exterguntur maculæ veniales; quamvis neque ii motus, vel auxilia ad illos eliciendos ex opere operato excitentur per sacramentale, ut visum est Petro Soto. Sic enim excitarentur infallibiliter (cum tamen nulla sit promissio, quæ eam certitudinem confirmet) sed tantum excitentur per impetrationem, quæ assequitur intentum ex mero Dei beneplacito, plerumque juxta regulas æternæ providentiæ negant effectum expetitum.

QUÆSTIO XLII.

An litteræ participationis meritorum a Religiosis dari solitæ, sint approbandæ?

Pro meliori intellectu hujus quæstionis notandum est, nomine litterarum filiationis, aut fraternitatis, vel aggregationis ad merita, intelligi diplomata, quibus per piorum cœtuum Præsides confertur aliquibus velut adoptio moralis; aut certe transcriptio in membra talis corporis. Nihil enim in Scripturis, ac Patribus protritius, quam ut Deus intuitu unius, vel aliquorum, necessitudine aliqua saltem morali, et politica conjunctorum aliis benefaciat. Sic amor in Moysen Deum inhibuit, ne ingratissimum populum perderet. Ad hunc ergo modum graves Theologi communionem meritorum litteris fraternitatis concessam exponunt. Quin etiam non pauci, et inter eos Alanus de Missa c. XXXI, in eumdem sensum accipiunt communionem Sanctorum, quæ in symbolo proponitur. Nec communio ista Sanctorum, quam fides, et charitas invehit, tollit illam aliam specialiorem communionem, quam certis personis concedi dicimus cum religiosa communitate. Id quod optime tradit D. Thomas, et late Navarrus, pulchre excurrens in decora magnæ confratriæ a Christo ex omnibus gentibus, et ordinibus constitutæ. Scotus hanc vocat bonorum operum applicationem generalissimam : et esse fructuosiorem, quo plures sunt in Ecclesia sancti, ac quo sanctiores sunt, recte pronunciat Petrus Navarra; præter illam ergo generalem communionem, quæ sequitur rationem membri corporis mystici, omnes Christianos complectentis, et quæ quia a Christo ortum habet, non potest humanis arbitris poni, aut tolli, reperitur alia communio specialior, non modo inter eos, qui specialiter alicujus inter Ecclesiam corporis sunt membra, sed etiam inter eosdem, ac adoptatos (ut sic dicam) in ejusdem mystici corporis compagem. Sicut, quamvis intercedat communio aliqua politica inter omnes; qui eidem Regi subsunt, tamen specialior est, quæ eos nectit, qui ejusdem præterea sunt Provinciæ : et adhuc major intercedit inter personas ejusdem urbis; maxima vero est omnium, quæ cernitur inter personas ejusdem familiæ, et agnationis. Similiter ergo Religiosi unius cœtus, vel personæ piæ in unum corpus aggregatæ, quamvis habeant necessitudinem generalem cum omnibus fidelibus, præsertim viva fide conspicuis, quam conferre, vel tollere non est Præsidum illius cœtus, aut corporis : habent tamen specialiorem inter se nexum, quam cum cæteris fidelibus, et ad eam specialiorem conjunctionem pro voluntate Præsidum asciscuntur, qui in membra mystici illius corporis adoptantur. Præter hanc meritorum communicationem quasi objectivam, alia quoque interdum intervenit, veluti formalis : non illa dumtaxat, qua aliquis alteri expetit a Deo aliquod bonum, et illud congrue meretur (hæc enim communicatio non sit a Præsidibus, quia mere pendet ab actu uniuscujusque subditi operantis, et solet quoque eos spectare, quibus non sit communicatio meritorum totius cœtus.) Non, inquam, hæc dumtaxat formalis communio, sed alia, quæ extenso meritorum nomine, satisfactiones alicujus, cœtus applicat alteri personæ, quæ ad eum cœtum admittitur. Quamvis enim vis operum meritoria proprie dicta non transferatur; sed in proprio tantum solo fructificet gratiam, et gloriam, tamen fructus satisfactorius potest ad alium transferri : qui fructus, quia eidem operi, quod meritorium est, implantatur, nominari utcumque potest meritum. Posse autem hanc satisfactorii fructus translationem esse validam, et utilem fert communis sententia Doctorum, non modo si satisfaciens non egeat eo (ut sane plerique sancti non egent) sed etiam (quod non bene negat Navarr.) quamvis ipse satisfaciens eo egeret; quia carentia reatus, ad quam per suam satisfactionem sibi servatam posset pertingere, non est bonum aliquod, quo homo in æternum fraudandus sit : Imo quantum ipsi videtur decedere communicando alteri pretium, quo posset a se amoliri illud debitum, tantum sibi proficit quoad meritum gratiæ, et gloriæ, quod est longe pretiosius. Atque ita eximitur labe prodigalitatis, et inconsuetæ charitatis, qua notandus videretur ex eo, quod in simili suo incommodo potius alteri, quam sibi prospiciat; non enim propterea omittit sibi prospicere, cum sic operando consulat commodis suis in alio genere, et quidem pretiosiore. Quid quod non se prorsus spoliat fructu illo tollendi reatum? nam volitio reflexa, qua vult operationem suam alteri prodesse, est meritoria alicujus remissionis pœnæ; proinde homo in alium transfundens suam satisfactionem, non prorsus spoliat se fructu abstersionis reatus. Et ex alia parte magnum specimen charitatis edit, præstans se pro alio fidei jussorem, quod est exemplum D. Thomæ : Quamvis enim unusquisque sit onus suum portaturus, si spectetur præcise debitum, quod contraxit delinquendo : tamen si aliena subventio suffragetur, æque liberabitur onere, quo se gravaret, ac si ipsemet satisfecisset.

Hoc notato, litteras has improbant Wicleffus, et Nicolaus Taborita apud Raynaudum sect. v, p. 3, n. 1, eo quod occasionem quæstubus illicitis favoribus inordinatis, et audaciæ peccandi præbeant. Et præterea per eas videantur Indulgentiæ communicari, quod non est in potestate Præsidum Religiosorum.

Resolutio.

E contrario Ecclesia Catholica, quæ usum harum litterarum a tot sæculis videt, nec reprehendit, satis ostendit, se tacito assensu comprobare, quod a fidelibus universaliter usurpatum, ipsa quoque usurpare censetur. Contra id autem, quod Ecclesia universaliter usurpat, disputare, insolentissimæ insaniæ est, ut S. Augustinus tr. 27 et 32, in Jo. recte pronuntiavit. Accedit SS. Patrum suffragatio, quæ, licet ipsas fraternitatis litteras non attingat : tamen fundamentum earum statuit, et rationem optimam, qua stabiliantur, subministrat. Sanctus ergo August. confirmat, ex unitate membrorum corporis mystici effici, ut quod unum alicubi membrum facit, alia itidem censeantur facere. Unde, quia nunc varii homines, in unitate fidei cohærentes, loquuntur variis linguis, infert S. Augustinus, unumquemque fidelem loqui variis linguis : quia bona unius membri per unitatem, et cohæsionem in eodem corpore fiunt bona alterius. Hoc si valet in quibusvis charismatibus, debet item in meritis valere, ac proinde merita unius cœtus Deum excitare possunt ad gratificandum aliis, qui ad illud corpus fuerint asciti. Neque enim plus valere moraliter debet voluntas unius privati, et individui hominis, ut quem sibi in filium adoptet, quam voluntas unius corporis mystici, ut aliquem sibi adoptet, et adjungat in membrum.

Nec obstant argumenta in contrarium allata, quia abusum potius impugnant, quam usum; propter abusum autem non esse tollendum usum, commune fert proverbium, alioqui etiam sacramenta, indulgentiæ, aliæque Ecclesiæ piæ exercitationes tollendæ forent. Multo minus obstat, quod de indulgentiis objectum est, nam ea concessio satisfactionum longe aliud est, quam indulgentia, ut recte notarunt Navarrus, Vall. Villalobos. Nimirum indulgentia depromitur ex thesauro infinito, et ex asservatis in ea satisfactionibus præelicitis. At præsides cætuum; et inferiores eorum non depromunt satisfactiones, quas communicant ex ullo thesauro : neque dant satisfactiones præteritas, sed dumtaxat futuras. Præterquam quod expromptio satisfactionum ex thesauro Ecclesiæ certa ex fide est, de nullo autem particulari, aut religioso, aut toto cetu, certum ex fide est, esse in eo satisfactiones præsertim superfluas.

QUÆSTIO XLIII.

An scapularia, et sodalitates certam salutem, et perbrevem in purgatorio moram spondere possint?

Ita persuadere sibi videntur multi, maxime qui sodalitio scapularis, ut vocant, sunt adscripti, eo quod B. Virgo id revelasse credatur.

Resolutio.

Negat Raynaudus s. v, pun. 4, n. 37, asseritque esse contra SS. PP. et Doctorum opinionem, qui idcirco inculcant frequentissime, Deum, ut cum timore, ac tremore salutem nostram operaremur, utque non minus humilitati, quam accedendæ industriæ nostræ serviret, incerta, et occulta esse voluisse nostra ad beatitudinem itinera, nisi si quandoque ex speciali privilegio (quod hic non profectur) aliter in bona voluntate sua circa aliquem statuat: Quæ vero de B. Virg. revelatione sunt dicta, non plus probant, quam ex verisimilium, nec improbabilium signorum concursu spem salutis, ac fiduciam non exiguam, concipi, citra certitudinem, et infallibilitatem, posse a piis sodalibus. Quare ipse Raynaudus suadet ejusmodi sodalibus, ut rationes alias profitendi ineant, et ædificationi ex solidatio promovendæ, quam fecerint, qui propositas atque discussas pietatis anomalias induxerunt. Habent imprimis cœtus sui ineundi, ac frequentandi scopum unicum, divinam gloriam. Piis deinde institutis, præsertim quæ Ecclesiæ, ac Præsulum auctoritate rata fuerint, naviter, et constanter insistant, memores ejus, quod Philo in Flavum de sacris ritibus constanter retinendis, etiamsi minimi videantur, admonuit; quia sicut in ædificiis, exempto uno cæmento, reliqua licet firma videantur, laxata fidunt paulatim in vacuum. Prælucere cæteris soladibus bono exemplo studiose satagant, caveant sedulo perniciosum illum pietatis arietem, quo plerique tepidi, vel etiam frigidi pias aliquas exercitationes in horum cœtuum initiis frequentantes, jocis, et insaniis excipiunt, brevique efficiunt, ut exolescant, abeantque in desuetudinem.

TIMOR DEI.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est virtus, qua quis Deum offendere timet. (Alvar., t. II, l. III, p. 2, c. iv.) Ad quam virtutem S. David hortatur, dicens : Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos. (*Psal.* xxxiii, 12.) Et S. Tobias clarius explicans ejus naturam filio dixit : Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, et cave, ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Tob. iv, 6.

Divisio. — Dividitur in servilem, mercenarium, et filialem. *Servilis* est, quo quis Deum formidine pœnæ ab eo infligendæ offendere timet, de quo S. David locutus est, dum oravit : Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui : (*Psal.* cxviii, 120.) *Mercenarius* est, quo quis spe præmii, et mercedis a Deo promissæ ab offensa Dei abstinet, de quo idem S. Propheta confessus est se ab illo ad mandata Dei servanda impulsum esse : Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. (*Psal.* cxviii, 112.) *Filialis* est, quem, ut Cassianus explicat : Non pœnarum terror, non cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentissimum patrem, vel frater fratrem ; vel amicum amicus, vel conjugem conjux sollicito reveretur affectu. Coll. xi, 13.

Actus. — *Offensæ divinæ gravitatem bene cognoscere :* quem ad finem Passio Christi cogitata specialiter conducet; nam, ut sapienter S. Laurentius Justinian. advertit : Ex qualitate remedii facile cognoscitur vehementia languoris. Conspui namque Christus voluit, ut nos lavaret : velari voluit, ut velamen culpæ, et ignorantiæ a cordibus nostris auferret : in capite percuti, ut caput nostrum, scilicet Adamum, sanitati restitueret : colaphis cœdi, et verbis derideri, ut nos labiis, et operibus ipsum laudaremus : demum occidi jubetur, ut vulneribus nostris pretioso Sanguinis ipsius balsamo medeatur : Fusus est cruor Medici, et factus est medicamentum phrenetici. Agnoscamus igitur, quam gravia sint nostra vulnera, pro quibus necesse fuit Dominum Jesum vulnerari. S. Laur. Justin., *in ligno vitæ, tr. de timore*, c. iv.

Vitæ anteactæ peccata per pœnitentiam, et satisfactionem dignam expiare : juxta consilium S. Augustini dicentis : Ascendat homo adversum se tribunal mentis suæ; et constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Lib. IV, *homil.* l.

Firmum concipere propositum, nullum, quantumvis leve peccatum committendi : Qui enim timet Deum, nihil negligit, teste Ecclesiastico : *Eccl.* vii, 19.

Actiones suas, velut in conspectu Dei, cum magna reverentia, et diligentia peragere : uti Josaphat Judices a se constitutos monuit dicens : Sit timor Domini vobiscum : et cum diligentia cuncta facite. II. *Paral.* xix, 7.

Omnem timorem humanum ex corde pellere : juxta Christi monitum : Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis : timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete. Luc. xii, 4.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies. *Deut.* vi, 13.

Unus est Altissimus, Creator omnium, Omnipotens et metuendus nimis. *Eccl.* i, 8.

Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Malac. i, 6.

Timete Dominum, et servite ei corde perfecto, atque verissimo. Jos. xxiv, 14.

Ostendam vobis, quem timeatis : timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Luc. xii, 5.

Qui timet Deum, nihil negligit. *Eccl.* vii, 19.

Audi, popule stulte, qui non habes cor; qui habentes oculos non videtis; aures, et non auditis. Me ergo non timebitis : ait Dominus, et a facie mea non dolebitis ? Jer. ii, 21.

Quis non timebit te, o Rex Gentium? tuum est enim decus : inter cunctos sapientes Gentium, et in universis regnis eorum nullus est similis tui. Jer. x, 7.

Homo sapiens in omnibus metuit : et in diebus delictorum attendet ab inertia. *Eccl.* xviii, 27.

Et vidi alterum Angelum volantem per

medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum, dicentem voce magna : Timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus. *Apoc.* XIV, 6.

NECESSITAS. — Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. *Eccl.* XXVII, 4.

Deum time, et mandata ejus observa ; hoc est enim omnis homo. *Eccl.* XII, 13.

Contritio, et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt : non est timor Dei ante oculos eorum. *Psal.* XIII, 5.

Scito, et vide, quia malum, et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. JER. II, 19.

Nihil mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me, Dominus est. I. *Cor.* IV, 14.

ÆQUITAS. — Numquid homo Dei comparatione justificatur ; aut Factore suo purior erit vir? Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem : quanto magis, qui inhabitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea. JOB. IV, 17.

Quantus ego sum, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo? quia etiam, si habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum Judicem deprecabor. JOB. IX, 14.

UTILITAS. — Time Dominum, et recede a malo. Sanitas quippe erit umbilico tuo, irrigatio ossibus tuis. *Prov.* V, 7.

Per timorem declinat omnis a malo. *Prov.* XV, 27.

Non æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore Domini, esto tota die, quia habebis spem in novissimo, et præstolatio tua non auferetur. *Prov.* XXIII, 17.

Qui timetis Dominum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra. *Eccl.* II, 8.

Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene. TOB. IV, 23.

Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos. *Psal.* CXIV, 19.

In timore Domini fiducia fortitudinis, filiis ejus erit spes. *Prov.* XIV, 26.

Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die obitus sui benedicetur. *Eccl.*, V. 13.

Timenti Dominum non occurrent mala : sed in tentatione Deus illum conservabit a malis. *Eccl.* XXXIII, 1.

Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. LUC. I, 50.

In Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi homo. *Ps.* LV, 5.

Divitiæ salutis sapientia, et scientia : timor Domini ipse est thesaurus ejus. ISAI. XXXV, 6.

Fallax gratia, et vana est pulchritudo : mulier timens Dominum ipsa laudabitur. PROV. XXXI, 30.

Timor Domini apponet dies, et anni impiorum abbreviabuntur. PROV. X, 27.

JUCUNDITAS, — Beatus homo, qui semper est pavidus : qui vero mentis est duræ, corruet in malum. PROV. XXVIII, 14.

Dabo eis cor unum, et viam unam, ut timeant me universis diebus, et bene sit eis, et filiis eorum post eos. JER. XXXII, 39.

Qui timet Dominum, nihil trepidabit, et pavebit, quoniam ipse est spes ejus. ECCL. XXXIV, 16.

Timor Domini sicut Paradisus benedictionis. ECCL. XL, 28.

Nihil melius est, quam timor Dei : et nihil dulcius, quam respicere in mandatis Dei. ECCL. XXIII, 37.

Præcepitque nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima hæc, et timeamus Dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ. DEUT. VI, 24.

Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petiit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, et servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua, ut bene sit tibi? DEUT. X, 12.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. *Ps.* XXX, 20.

Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. *Ps.* LXXXV, 11.

Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium, et longitudinem dierum. ECCL. I, 12.

DIGNITAS. — Beatus vir, qui timet Dominum. Potens in terra erit semen ejus, et generatio ipsius benedicetur : Gloria, et divitiæ in domo ejus. *Ps.* CXI, 1.

Quam magnus, qui invenit sapientiam, et scientiam : sed non est super timentem

Dominum. Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei; qui tenet illum, cui assimilabitur? Eccl. xxv, 15.

Qui timet te, magni erunt apud te per omnia. Judith. xvi, 19.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Qui timet Deum, nihil negligit : timere Deum est, nulla, quæ facienda sunt, bona præterire. S. Greg. *in Moral.*

Cum audis, quod Dominus Deus tuus dulcis est, attende, quid diligas. Cum audis, quod rectus est, attende, quid timeas : ut amore, et timore Dei excitatus legem ejus custodias. Cassiodor, *super id Ps. dulcis, et erectus.*

Sicut meliores sunt, quos dirigit amor ; ita plures sunt, quos dirigit timor. S. Aug. *epist.* 50.

Plerique divinæ districtionis judicia (inquit S. Gregorius) metuunt, et tamen prava agere non desistunt; cujus rationem reddit : Paventi quidem corde futura judicia cogitant, sed præsenti voluptate devicti, mala committere nequaquam vitant. Bene ergo post timorem Domini ejus servitia memorantur, quia ille solus timor probabilis, qui dum mentem concutit, ad boni operis studium trahit. S. Greg. Mag. *in* i, *Reg.* c. xii, 19, 20.

Quisquis in hujus fuerit charitatis perfectione fundatus, necesse est, ut ad illum sublimiorem timorem gradu excellentiore conscendat, quem non pœnarum terror, non cupido prœmiorum, sed amoris generat magnitudo, quo, vel filius indulgentissimum patrem, vel frater fratrem, vel amicum amicus, vel conjugem conjux solicito reveretur affectu, dum ejus non verbera, neque convitia, sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solum actibus, verum etiam verbis attonita semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcumque fervor dilectionis illius tepescat. Cass. *collat.* xi, c, xxiii.

Per ipsum redditur anima bene mobilis ab inspirationibus Spiritus Sancti, et quasi per talem timorem se Spiritui Sancto omnino subjicit, et in nullo repugnat, prout possibile est in via; unde Gilbertus Porretanus dicit, quod timor ille filialis, quid nisi amor esse conatur, quia jam nescit officium timoris, et pene timor esse desiit? Hunc timorem sibi charitas perfecte collaterat indivisibiliter. S. Bonav. t. VI, *l. de sept. donis Spir. Sanct.* c. i.

Beatus es, si cor tuum triplici timore repleveris, ut timeas quidem pro accepta gratia, longe amplius pro amissa, longe plus pro recuperanda; time ergo, cum accesserit gratia; time, cum abierit; time, cum denuo revertitur. Succedant sibi vicissim in animo isti tres timores secundum quod gratia, vel adesse dignetur; vel offensa recedere, seu iterum placata redire sentietur. Cum adest, time, ne indigne opereris ex ea; nam hoc monet Apostolus : Videte, inquiens, ne in vanum gratiam recipiatis. Si recesserit, multo magis timendum : quia ubi tibi deficit gratia, ibi deficis et tu. Time ergo subtracta gratia tanquam mox casurus. Time, quia reliquit te custodia tua. Pro omni tempore time Deum, et ex omni corde tuo. Tunc demum, si plene, si perfecte timueris, dabit tibi saporem charitatis. S. Bern. s. 54, *in Cant.*

Aliud est multas divitias scire, aliud possidere ; nec notitia divitem facit, sed possessio. Sic prorsus aliud est, nosse Deum, et aliud timere ; nec cognitio sapientem, sed timor facit, qui afficit ; et bene *initium sapientiæ timor Domini*, quia tunc primum Deus animæ sapit, cum eam afficit ad timendum, non cum instruit ad sciendum. Times Dei justitiam, times potentiam, et sapit tibi justus, potens Deus, quia timor sapor est. Porro sapor sapientem facit, sicut scientia scientem, sicut divitiæ divitem. *Id.* s. 23, *in Cant.*

Timeat Christianus, credat, et intelligat, se peregrinari a Domino, quamdiu vivit in corpore, quod corrumpitur, et aggravat animam. Tanto minor sit timor, quanto patria, quo tendimus, propior ; major enim timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullus pervenientium. S. Aug. s. 214, *de temp.*

Timor Dei corrigit, timor hominum differt actionem, sed voluntatem non aufert : sed avidiores reddit ad crimen, quos aliquando suspendit a crimine. S. Hier. *sup. Mat.*

In via Dei a timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur; sicut in via sæculi audacia fortitudinem gignit. S. Greg. *in moral.*

Necessitas. — Nubes carnalium cogitationum, et affectionum (timor) fugat ; Nam si ad momentum a domo mentis discedat timor, quasi absente domina, cogitationum se clamor, veluti ancillarum garrula turba multiplicat, et affectionum carnalium ignis accenditur; ut vero ad mentem timor redierit, mox confusio tumultuosa compescitur, et more ancillarum, se ad injunctum opus mens ipsa tacite reprimit. S. LAUR. *Just. lign. vit.* c. II, *de timor Dei.*

Dic rogo. Paule, quid tibi vis? Non ut me audiatis, sed, *ut cum timore, et tremore vestram salutem operemini.* Nefas est enim, eum, qui sine timore vivit, quidpiam rectum, et admirandum edere; neque tantum dixit, *timore*, sed addidit, et *tremore*, qui major quidam, et vehementior timor est, nimirum id studens, ut illos attentiores reddat. Hunc habebat timorem Paulus, propterea etiam dicebat: Timeo, *ne quo modo, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Nam si quæ ad vitam hanc pertinent, sine timore recte acquiri non possunt, multo minus spiritualia? Quis artem sine timore tenuit? Quod si, ubi non imminet diabolus, sed sola negligentia impedimento est, tanto opus est labore, ut solam illam naturalem negligentiam vincamus; ubi tantum impendet bellum, tanta impedimenta, qui fieri unquam potest, ut sine timore salutem consequamur. S. CHRYS. t. IV, s. 2, *ad Poil.*

Ne spes præsumptione corrumpatur, (ita discurrit S. Antonius de Padua) debet timor conjungi, qui est initium sapientiæ, ad cujus saporis dulcedinem nullus potest pervenire, nisi prius degustet timoris amaritudinem; unde Exod. XV, dicitur, quod filii Israel, antequam venirent ad mannæ dulcedinem, invenerunt in Marath aquæ amaritudinem. S. ANT. DE PAD. *in Dom. ins. act. Epiph.*

Quicumque desiderat sapientia, et scientia repleri, et qui salutari spiritu munitus anhelat ad culmen pertingere virtutum, non aliunde incipiat, quam a timore Domini; nam ipse timor est robur animæ, lumen intelligentiæ, et spes salutis. S. LAUR. JUST. l. c. c. I.

Qui sanctior, et sapientior est, plus semper timeat; nam qui altior est, cadens, majores casus recipit. Esca diaboli electa est, de malis non curat, quia sui sunt. Cecidit ille sapiens Salomon, cecidit, et ejus genitor David, electus secundum cor Dei. Timeatis, fratres, iterum rogo, unaque timeatis, quia beatus est vir timens Dominum. S. HIER. *tr. de mor. S. Eus.*

Ideo B. Petrum paululum Dominus subdeseruit, ut in illo totum genus humanum posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia prævalere. S. AUG. s. *in fer. 4, pass.*

Væ miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognoscimus, et jam in otio quasi de securitate torpemus; debet profecto, debet non solum in spe esse securitas, sed etiam timor in conversatione, ut illa certantes foveat, et iste torpentes pungat. S. GREG. l. XXIX. *mor.* c. IX.

Deum time, et mandata ejus observa : hoc enim est omnis homo; ergo si hoc est omnis homo, absque hoc nihil est homo. S. BERN. s. 20, *in Cant.*

Si Dei timorem habeamus, nihil nobis est opus : si vero hunc non habeamus, etsi regnum ipsum possideamus, sumus omnium pauperrimi. S. CHRYS. *in ho. ad Pop. Antioch.*

Deus, quantum Patris pietate indulgens semper, et bonus est, tantum Judicis Majestate metuendus est. S. CYPR. *de lapsis.*

Prima gratia est timor Domini. Sine hac gratia prima gratiarum, quæ totius Religionis exordium est, nullum bonum pullulare, vel manare potest. S. BERN. *in tr. de donis Spi. Sanct.*

Qui non vivit in timore, recte illum agere non est facile : sicut vicissim cum timore viventem est impossibile peccare. S. CHRYS. h. XV, *ad Pop. Ant.*

Nemo potest in sensu cordis Deum amare, nisi prius toto corde eum timeat; timore enim Dei efficitur, ut anima pura, et mollis effecta ad exercendam charitatem se applicet. S. DIADOCHUS, t. V, *Bibl. SS.* c. XVII.

Facile deviat a justitia, qui in causis non Deum, sed homines pertimescit, hic timor peccandi facultatem differre potest; voluntatem auferre non potest, solus est Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, et omnibus bonis tribuit facultatem. S. CHRYS. *in s. de Jo. Bapt.*

ÆQUITAS. — Quis nostrum vitam præcedentium Patrum valeat superare, vel assequi? et tamen David dicit : Ne intres in judicium cum servo tuo. Paulus, cum diceret : Nihil mihi conscius sum : caute subjunxit : Sed non in hoc justificatus sum. Jacobus dicit : In multis offendimus omnes. Joannes dicit : Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est; quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? aut quomodo virgulta stabunt immobilia, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur? S. GREG. XXIV, c. XVII.

Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota pietate judicetur? quia districte discussa, inde ante oculos Judicis, unde si suspiciatur, obruitur. *Ibid.*

UTILITAS. — Timor præsens securitatem generat sempiternam. Time Deum, qui super omnes homines est, et hominem non fordabis. S. AUG. *sup. Ps.*

Noveris te, ut Deum timeas : noveris ipsum, ut æque ipsum diligas. In altero initiaris ad sapientiam, in altero consummaris : quia initium salutis timor Domini, et plenitudo legis est charitas. S. BERN. s. 37, *sup. Cant.*

Solus est timor Dei, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, et omnibus bonis tribuit facultatem. S. CHRYS. *s. de S. Jo. Bap.*

In veritate didici, nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, et timere. S. BERN. s. XLIV, *sup. Cant.*

Mens nostra tanto valentius terrores rerum temporalium despicit, quanto se auctori earumdem veracius per formidinem subdit. S. GRE. l. I, *mor.* XIII.

Ad omne opus bonum ducit amor, et timor Dei. Ad omne opus malum ducit amor, et timor mundi. S. AUG. *in sent.*

Tenendum est, animam Dei timore velut muro obseptam, fortem esse, et quodammodo invictam, et vires eorum, qui manus cum ea conserunt, expugnare. S. CYRILLUS, l. II, *Isai.* XVI.

Timor Dei velut gladius anceps est, omnem concupiscentiam pravam excidens. S. EPHR. *in s. de pat.*

Nisi bonus esset timor, filiis patres pædagogos non præponerent, non legislatores civitatibus præficerent ullos magistratus. Ubi timor est, livor non est : ubi timor est, pecuniarum amor non vexat : ubi timor est, extinctus furor est, cupiditas improba correpta, omnis irrationalis passio exterminata. Nec hoc solum est, quod ex timore lucramur, verum, et aliud multo majus; non enim improbas tantum expellit nostras passiones, sed et omnem cum multa facilitate virtutem inducit. Ubi timor est, ibi et elemoysinæ studium, et orationis intentio, et lacrymæ ferventes, et continuæ, et gemitus multam habentes compunctionem. S. CHRYS. *h.* XV, *ad prop. Ant.*

Utilitas est, si speremus, nos posse delinquere; sperando enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo salvi erimus.. S. HIER. *de cultu em.* I.

Achora cordis est pondus timoris. S. GREG. l. VI, XXIV.

Venite, et audite me, quia timorem Domini docebo vos. Non cursus siderum, non rerum naturas, neque cœlorum secreta, sed *Domini timorem docebo vos.* Horum scientia sine timore inflat; timor autem absque scientia illorum salvat. S. LAUR. *just. c.* I, *de tim. Dom.*

Timor nihil aliud est, quam murus, munimentum, ac turris inexpugnabilis; etenim multa nobis munitione opus est, quia multæ sunt undiqne insidiæ. S. CHRYS. *h.* XV, *ad Pop.*

De timore venitur ad dilectionem, et de declinatione mali ad executionem boni; unde addit : *In mandatis ejus volet nimis.* Benedicit, *volet*, quia ubi non potest homo plus facere, sufficit bona voluntas. Benedicitur, *volet nimis;* quia plus debemus velle, quam possumus facere, et talis viri, scilicet timentis, et volentis, *potens in terra erit semen ejus* quia Prov. 14, in timore Domini fiducia fortitudinis et filiis ejus erit spes. *Ugo Card. in Ps. Beatus vir.*

Si Deum metueret, illiusque beata visione privari expavesceret, nequaquam tam impudice peccare præsumeret. Nam ubi adest timor Dei, adest proculdubio delinquendi voluntas, legis prævaricatio, dominandi ambitio, præsidendi amor, odium proximorum, terrenarum facultatum immoderata cupido, et quicquid divinæ adversum est voluntati. S. LAUR. l. II, *de spir. ani. interitu.*

Beatus vir, qui semper est pavidus. Pavidus pro pœna futura, ad quam initialis timor unum habet oculum; et alium ad gloriam, propter quam, etsi securus esset a pœna, nullo modo peccaret. Beatus autem dicitur pavidus. (*Prov.* XXI, 24.) Primo, quia quanto plus timetur pœna, tanto sollicitius cavetur culpa; et quanto minus timetur, tanto districtior portabitur ira judicii. Secundo, quia per timorem firmiter stat homo; unde Ecclesiastici XXVII. *Nisi tenueris te instanter in timore Domini, cito subvertetur domus tua.* Tertio, quia letificat animam, Eccles. I. *Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam,* *et gaudium in longitudinem dierum*. Quarto, quia timor est thesaurus Domini, Isaiæ XXXIII. *Divitiæ salutis sapientiæ, et scientiæ, timor Domini ipse est thesaurus ejus*. Quinto, quia timor abundantiam, sive plenitudinem bonorum operum tribuit; timor Domini ad vitam, et in plenitudine coronabitur. *Ugo Card, sup. cit.*

Timor hominum peccandi differt facultatem, et operationem, non autem aufert, sed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem, vel occasionem; unde et quos suspendit a crimine, avidiores reddit ad crimen, et æstuat animo quousque perficiat, quod malum cogitat. Solus Dei timor est, qui nocentes corrigit, fugat crimina, et perpetem confert bene agendi voluntatem. S. LAUR. *Just. c.* I, *de tim. Dei.*

Quasi custos super innumerabiles gazas, sic timor in ultimo charismatum ponitur ad conservandas innumerabiles gratias. *Petr. Bell. l. de pœn.* I.

Pone tibi virilem, et fidelem custodiam, quæ omni custodia servet cor tuum; dico autem timorem Domini, qui nihil negligit, qui nullum indiscussum intrare permittit sæpius interrogans etiam Angelum lucis: Noster es, an adversariorum? *Guer. Ab. s. de S. Benedicto.*

Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit, et quasi videtur vulnus augere; ecce putredo quando erat in corpore, minus erat vulnus, sed periculosum; accedit ferramentum medici, minus dolebat illud vulnus, quam dolet modo, cum secatur; plus dolet cum curatur, quam si non curaretur; sed ideo plus dolet accedente medicina, ut numquam doleat succedente salute. S. AUG. *tr.* IX, *in Joann.*

Cum timetur pœna, quam minatur, discitur amari præmium, quod pollicetur; ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur, per bonam vitam bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur. S. AUG. s. CCLIV, *de temp.*

Thesaurus interdum vocatur repositorium, quo divitiæ continentur, interdum vero thesaurus pro divitiis sumitur, et utroque modo timor Domini filialis, castus, et sanctus, qui permanet in sæculum sæculi, est thesaurus salutis; per timorem enim salus conservatur, quoniam timor Domini expellit peccatum, quod solum aufert salutem. Timor etiam intantum ornat, perficitque salutem, et sapientiam, ut in libro Job dicatur: Ecce timor Domini ipsa est sapientia, et Eccles. XXIII. *Beatus, cui datum est habere timorem Dei;* itemque Ps. XXXIII. *Timete Dominum omnes Sancti, quoniam nihil deest timentibus eum.* Quod autem timor Domini sit thesaurus salutem custodiens, maxime constat ex eo, quod scriptum est Eccl. XXVII. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua;* ideo cum Psalmista dixisset; *Beatus vir, qui timet Dominum,* post pauca adjecit: *Gloria et divitiæ in domo ejus,* hoc est, in corde ejus, per gloriam, intelligens salutem, per divitias, sapientiam, atque scientiam, DIONYS. CARTHUS. *in c.* XXXIII, *Isaiæ.*

Hujusmodi timore correpti, o quam salutaria concipiunt desideria, consilia provida, sanctos cogitatus, affectus pios, vota castissima, ex quibus pariunt laudabilia opera virtutum, germina morum, fragrantissimos flores spiritus, et uberes fructus, de quibus Apostolus: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium* etc. Vides, quam fœcundus sit hujus sancti timoris Domini conceptus, quamque fructuosus exitus, per quem anima placens efficitur Domino, commendabilis proximo, utilis sibi? S. LAUR. JUST. l. II, *de sylvit. anim. resurr.*

Quamvis diabolus colligat sibi turbas, et crudeli eas armet insania, tamen facile destruuntur, quia melioribus populum suum Salvator circumdat auxiliis, ait enim: Angelus Domini immittet in circuitu timentium eum; et eripiet eos. Quod si Angelus Domini timentem eum de periculis eripit, non potest timere barbarum, qui timuerit Salvatorem; nec potest metuere hostis impetum, qui Christi præcepta servaverit; præcepta enim Christi arma sunt Christianis, et divinus timor terrorem a nobis hostilem pellit. S. AMBR. ser. II, *de Elisæo.*

Timor Domini fiduciam fortitudinis præstat: quia nimirum mens nostra tanto valentius terrores rerum temporalium despicit, quanto se auctori earum veracius per formidinem subdit. Filii autem timoris dicuntur, qui divino timore reguntur. S. HIER. c. XIV, *Proverb.*

Quanto quis magis Deum timet, tanto sapientior apparet, et quanto sapientior, tanto plenior fructibus bonorum operum; non enim timor Dei est otiosus, sed donis virtutum replet vitam hominis, et thesauris scientiæ spiritualis cor ejus illustrat. RABANUS, *in* c. XI, *Eccles.*

Qui Deum bene timet et amat; qui bene amat et timet, res illæ in cœlesti devotione societate sunt. Cassiod. *in Ps.* xxxii.

Humanus timor diffidentiam tribuit, divinus autem spei firmamenta concedit. *Id. in Ps.*, xxiv.

Facilitas. — *Beati omnes, qui timent Dominum,* Recte dixit : Omnes, significans, quod sive pauper, sive mancus, et mutilus corpore, ac denique quicumque sit, nihil eorum vetat, quo minus habeat hanc, quam ipse dicit, beatitudinem. S. Chrys. *in Ps.* cxxvii.

Jucunditas. — Timor est lætitia, quia, ut nihil hominis animum magis debet contristare (intelligentibus loquor) quam peccatum, ita nihil magis exhilarare, quam carere peccato; ac timor Dei expellit, non admittit peccatum. Probare (inquit Thomas de Villan.) obsecro et videbit is, quanta sit animæ consolatio, quanta conscientiæ securitas, et tranquillitas. Paulus *de palas. ap. Mansi,* d. xii, n. 3.

Habet amœnitatem, seu Paradisus dulcedinem, et delectationem, unde in Psalmo : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te;* S. Bonav. c. vi, *Diar. sol.* c. i.

Replens pacem, id est, in præsenti pacem pectoris, et in futuro pacem æternitatis perficiens, per hoc, quod facit inquietudinem vitiorum vitari, et per hoc pacem illam supernam, quæ exuperat omnem sensum, adipisci; ideo scriptum est in Psalmo xxxiii. *Nihil deest timentibus eum.* Dionys. Carth. *in* c. i, *Eccl.*

Dei timor stabilis est, immotusque, et tantam emittit lætitiam, ut nullus nos aliorum malorum sensus capiat : Deum enim sicut oportet timens, et in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, et omnem habet lætitiæ fontem. S. Chrys. *ho.* xviii. *ad Pop.*

Jucundetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Ergo timor in jucunditate est. Et quo jucunditas, si timor? nonne timor amarus solet esse? erit ergo aliquando jucunditas sine timore, modo jucunditas cum timore. Nondum enim est plena securitas, nec perfecta jucunditas. Ergo et jucunditatem aspergat, et timorem incutiat, ut de dulcedine jucunditatis perducat nos ad sedem securitatis. Ideo sic dicit Psalm. : Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. S. Aug. *in Ps.* lxxxv.

Dignitas. — Nihil æquale Deum timenti; timor enim Domini omnia superat. Hunc possideamus itaque, omnia propter hunc faciamus, ut hunc assequamur timorem. S. Chrys. *ho.* lxix, *ad Pop. Ant.*

Timore, et amore affecta anima, velut quibusdam duobus brachiis suis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet, et ait : Tenui eum, nec dimittam. S. Bern. lib. V, *de Consider.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI

Qualitas. — Semper Sanctorum securitas plena timoris erat : nec eo minus solliciti, et humiles in se fuerunt, quia magnis virtutibus, et gratia emicuerunt. L. I, c. xx, § 3.

Necessitas. — Qui timorem Dei postponit, diu stare in bono non valebit, sed diaboli laqueos citius incurret. L. I, c. xxiv, § 7.

Æquitas. — O quam profunde me subjicere debeo sub abyssalibus judiciis tuis, Domine, ubi nihil aliud me esse invenio, quam nihil, et nihil! L. III, c. xiv, § 3.

Intonas super me judicia tua, Domine, et timore, ac tremore concutis omnia ossa mea, et anima mea expavescit valde. Sto attonitus, et considero, quia cœli non sunt mundi in conspectu tuo. Si in Angelis reperisti pravitatem, nec tamen pepercisti, quid fiet de me? Ceciderunt stellæ de cœlo, et ego pulvis, quid præsumam! *Ibid.* § 1.

Nulla est sanctitas, si manum tuam, Domine, subtrahas. Nulla prodest sapientia, si gubernare desistas. Nulla juvat fortitudo, si conservare desinas. Nulla secura est castitas, si eam non protegas. Nulla propria prodest custodia, si non adsit tua vigilantia; nam relicti mergimur, et perimus. *Ib.* § 2.

Utilitas. — Si vis aliquid proficere, conserva te in timore Dei, et noli esse nimis liber. L. I, ccxi, § 1.

Quis tu, ut timeas a mortali homine? hodie est, et cras non comparet. Deum time, et hominum terrores non expavesces.

Jucunditas. — Non est vera libertas, nec bona lætitia, nisi timore Dei cum bona conscientia. *Ibid.* § 2.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas. — Abdias dispensator domus Achab timebat Dominum Israel valde, et ideo, cum Jezabel interficeret Prophetas Domini, tulit et ille centum Prophetas, et abscondit eos, ac pavit. III. Reg. viii, 8.

Josaphat constituens judices in cunctis civitatibus Juda, inter cætera præcepit eis : Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite ; non enim apud Dominum nostrum est iniquitas. II. Par. xix, 7.

Tobias senior plus timens Deum, quam regem, rapiebat corpora occisorum, et sepeliebat. Sed et filium ab infantia timere Deum docuit, et ad convivium suum timentes Deum vocari fecit. Tob. i, 21, et 11.

Susanna ad scelus invitata dixit; Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. Dan. xiii, 23.

Cum plagis perimeretur Eleazarius, dixit : Domine, tu scis, quia, cum a morte possem liberari, duros sustineo corporis dolores, secundum animam vero, propter timorem tuum, libenter hæc patior. II. Mach. vi, 30.

S. Job de seipso fassus est : Semper quasi tumentes fluctus timui Deum. Job. xxxi, 23.

Quidam sanctus Eremita, cum divinitus cognovisset, quanto in periculo versaretur homo, indutus lugubri cucullo faciem obnupsit, nihil ut præter terram aspiceret, neque mortalium ulli loqui amplius volebat. Causam vero horum rogatus, nihil aliud respondit, quam : Sinite me, quia homo sum. Rodrig. p. iii, tr. 4, xi.

Tria sunt, aiebat Abbas Elias, quæ horrorem faciunt cogitanti, egressus animæ e corpore, evocatio ad tribunal Dei, et proferenda a Judice sententia. *Pædagog. Christ.* p. 2, xxiii, § 7.

Abbas Agathon moriturus, cum quæretur a Fratribus, an timeret coram Deo comparere? Resp. Laboravi quidem virtute, qua potui, in custodiendis mandatis Dei, sed homo sum, et nescio, an placuerint opera mea Deo : Hinc non præsumo de illis, nisi venero ante Deum. *Vit. PP.* p. 2, § 151.

Arsenius, cum nullum lacrymandi finem faceret, rogatus, an non cum tot lacrymis securus ad Deum accederet? Resp. Fratres mei, metuo, et nec momento sine metu fui, ex quo hanc vitæ normam secutus, me Deo consecravi. *Ruffin. in vit. PP.* n. 163.

S. Bernardus de seipso fatebatur : Ego, quoniam peccator sum, dissolvi non cupio, sed formido, sciens quia mors peccatorum pessima. Formido exire, et in ipso contremisco portus ingressu, dum non confido prope assistere, qui excipiat exeuntem. S. Bern. h. lvi, *in Cant.*

Inter varia virtutum merita, quibus insignitus erat Ceadda, in Metiorum Provincia Episcopus, in tantum erat timori Domini subditus, in tantum novissimorum suorum in omnibus operibus suis memor, ut, si eo forte legente, vel quid aliud agente, repente flatus venti major affurgeret continuo misericordiam Domini invocaret, et eam generi humano propitiari rogaret. Si autem violentior aura insisteret, jam clauso codice procideret in faciem, atque obnoxius orationi incumberet. At si procella fortior, aut nimbus perurgeret, vel etiam corusci, ac tonitrua terras, et aera terrerent, tunc veniens ad Ecclesiam solicitus orationibus, ac psalmis, donec serenitas aeris rediret, fixa mente vacaret. Cumque interrogaretur a suis, quare hoc faceret, respondebat : Non legistis : *Quia intonuit de cœlo Dominus, et altissimus, dedit vocem suam. Misit sagittas suas, et dissipavit eos : fulgura multiplicavit, et conturbavit eos?* Movet enim aera Dominus, ventos excitat, jaculatur fulgura, de cœlo intonat, ut terrigenas ad timendum se suscitet, ut corda eorum in memoriam futuri judicii revocet, ut superbiam eorum dissipet, et conturbet audaciam, reducto ad mentem tremendo illo tempore, quando ipse cœlis, et terris ardentibus venturus est in nubibus cum potestate magna et majestate ad judicandos vivos, et mortuos ; propter quod oportet nos admonitioni ejus cœlesti debito cum timore, et amore respondere, ut, quoties aere commoto manum ad feriendum quasi minitans erexerit, nec adhuc tamen percutit, mox ejus imploremus misericordiam, et discussis penetralibus cordis nostri, atque expurgatis vitiorum ruderibus, soliciti, ne unquam percuti mereamur, agamus. *V. Beda* l. IV, *hist. Angl.* c. iv, *Spec. ex. Dist.* 3, *ex.* 3.

Godefridus Comes Cappembergensis, vir summa mansuetudine, et gratia singulari, consilio prudens, et in militia strenuus, sed militandis Regi immortali, et cum illo ferendæ crucis, cupientissimus, cum aliquando suos videret aliena diripere, et prædas agere, sic Dominum est deprecatus : Obsecro immensam bonitatem tuam, bone Jesu, ut me e medio iniquitatis hujus eripias ; et in die judicii purum, et immaculatum me tibi exhibeas. Scio enim, æquissime Judex, in meum redundare caput, quidquid a meis delinquitur, et si quid a me dissimulatum erit, te id severiter vindicaturum. Cum adhuc sæculari tegeretur habitu, bellum ei fecere cives Monasterienses. Itaque quidam ex ministris ejus cum multis aliis multa pecora abegit, et cum illa præda, stante in porta Comite, gloriabundus adventabat. Sed vir pius, justitiæ tenax, ubi cognovit, quid ab illo esset actum, animo commotus, ait ad servos suos : Ite ad nefarium illum raptorem, diciteque illi, ne sit ausus unquam in meum venire conspectum, nisi prius satisfaciat eis, quos præter jus fasque læsit, restituatque prædam universam ; Etsi enim cives Monasterienses in præsens nobis, fortassis non absque culpa nostra, infesti sunt, non tamen debuit temerarius homines ruricolas, et innocentes sub nostri nominis prætextu, vexare, et affligere. Hæc postquam mille rescivit, singulis quibusque res ablatas anxie restituit. Surius 2 *Jan in vita.*

S. Bernardus, primus S. Francisci socius, moriens dicebat : Nunc sentio, quid sit in Dei timore vixisse ; nunc enim pro tot mundo nollem me aliam vitam instituisse; nunc gaudeo, et exulto, quod mundum spreverim, quod in humilitate, et paupertate Deo servierim. Mansi, d. vi, n. 9.

S. Philippus Nerius, quando jam erat in maxima existimatione sanctitatis, ditatus extasibus, revelationibus, visionibus, donis miraculorum, et prophetiæ, quando penetrabat secreta cordium, oracula summorum Pontificum, et apud omnes in summa veneratione degebat, solitus tamen erat dicere Deo : Domine, noli mihi fidere, quia ego te tradam, et prodam. *Id.* d. viii, n. 5.

S. Hieronymus dicebat : Ego peccatorum sordibus inquinatus, diebus, ac noctibus operor cum timore reddere novissimum quadrantem, et quod mihi dicatur : Hieronyme, veni foras. S. Hier. *epist.* v.

Andream Avellinum C. R. Theatinum senio, ac magnarum virtutum experimentis nobilem, sublimis hic timor adeo corripuerat, ut omnia etiam tuta verentem domestici admirarentur. Nam sæpius in die, humanæ consuetudinis labeculas, quæ Sanctis etiam viris asperguntur, plurimis prolutus lacrymis abluebat, vereri se dicens, ne divino judicio, in quo nihil dissimulari potest, satis mundus sisteretur, quod timentium argumentum esse consuevit, vel adolescentiores interrogare non dubitabat, sperarentne, sibi olim bene beateque futurum? Agnosceres Apostoli discipulum, non sine timore salutem operantem ; et certe quo ditior est navis, eo acrior Navarchum timor excitare consuevit. Jo. Ro l. II, c. v, n. 1.

Cum Joannes a S. Facundo sæpius in die peccata sua confiteretur, movit insueti moris religiosa diligentia Joannis collegas, ut de illo publice Patrum in conventu quererentur, factique rationem reposcerent. Ad eas voces humi abjectus Joannes : Vos vero Patres, mihi parcite, inquit; morimur improvisi, et nulla non hora mors ante oculos est; et quis nostrum novit, odio ne summi Principis, an amore, sit dignus? Ego quidem sæpius in die peccata eluo, quia singulis horis sæpius pecco. *Ibid.* n. 4.

Alexander Luzagus nobilis Brixianus cum sub ipsa cœna subvereri cœpisset, ne lethali se nexu obstrinxisset, hæsit primum, mox æstuantis ab illa suspicione animi agitationem non ferens, proripit se celeriter convivio, ad viciniæ curionem advolat, ejusque super ea cogitatione sententiam rogat, opem, si opus foret, imploraturus. Sensit prudens Sacerdos, hominem longe ab ea contagione abesse, jussumque de divina clementia bene sperare, serenato animo tranquillum remisit ad suos. Rideant Alexandri timores, qui icto cum inferis fœdere, veluti putrida cadavera, vel altas plagas non sentiunt. Sana corpora minimæ mordent punctiunculæ. *Ib.* n. 5.

S. Petrum Alcantaranum, cum vox, et vita jam deficerent, nondum saluberrimus hic timor deserebat; Eo monitore, frequens inter suprema ea illi vox : *Amplius lava me, Domine.* Quin algentem in cilicio cum adducta veste operire paululum vellet fratrum unus, addens, sineret se foveri, ipse animo minime infracto : Sine, inquit, fili, sine me : adhuc certandum est; nondum extra ictum sumus; quid arma ponamus? *Ib.* n. 10.

Cum Julianus Imperator multa excogitaret, quibus paganorum ritus extolleret, et milites ad cultum idolorum inclinaret, invenit tandem modum, qui compluribus militibus claræ virtutis coronam dedit. Cum venisset enim tempus, quo imperialia milites soleant accipere (hoc enim agitur plerumque die Calendarum Januarii, et natali Principum et urbium) exquisivit, ut eos simpliciter et ex prisca consuetudine fallere posset, jussitque, ut unusquisque ad manum Imperatoris accedentium, admonitus ab officiis primo incensum offerret. Erat enim ante eum positum thus et ara secundum antiquam Romanorum solemnitatem. Tunc quidem alii libere suam fortitudinem ostenderunt, et neque incensum offerre, neque donum accipere ab Imperatore sustinuerunt; alii vero occasione legis et antiquitatis, ne mente quidem perceperunt, quod commiserint peccatum; Alii propter lucrum capitis, aut timore turbati, seu jussione repentina confusi, licet intellexerint, tamen Paganismum declinare nequirunt. Plurimi siquidem, per ignorantiam decepti, cum inter cibos, ut fieri solet, et pocula invocarent inter se Christum, respondens quidam dixit: Quid patimini invocantes Christum, quem paulo ante denegastis, cum donum ab Imperatore, accipientes thus in ignem mitteretis? Cumque milites hæc audissent, et quod gesserant agnovissent; statim exilientes per publicum currebant atque impetu facto, proclamabant Deum suum, et in eo nomine permanere, atque per ignorantiam se fecisse, et si dici posset, solam manum paganam esse, conscientia vero nihil simul egisse. Cumque venissent ad Principem, projecerunt aurum, quod acceperant et forti voce poscebant, ut reciperet quod dedisset, et illos occideret, se enim agere pœnitentiam fatebantur, eo quod improvide dextra peccasset, et studere propter Christum totum corpus pœnæ tradere: Hi itaque, ut ait S. Antoninus, timore Dei compulsi malebant capite truncari, quam vel in modico Deum offendere, cujus misericordia a progenie in progenie, timentibus eum. *Hist. trip.* l. VI, *hist. Eccles.* c. XXX.

Necessitas. — S. Pœmen Abbas de S. Arsenio dicebat: Beatus es, Arseni, quod tantopere in hac vita planxeris; qui enim hic non planxerit, ibi, sed sero, lugebit. Theoph. Bern. *de persev.* l. V, c. II.

Utilitas. — Timuerunt obstetrices Dominum, et ideo illis domum ædificavit (id est, benedictionem in temporalibus dedit). *Exod.* I, 21.

Timens Deum Diaconus cum exulare potius mallet, quam Evangelium in peccato mortali legendo, Regis mandato parere, revocatur mox a Rege, et commissionem proxime vacantis Episcopatus accipere meretur. *Spec. Exemp. dist.* IV, *ex* XLVIII.

Quemadmodum timor naturalis materialiter consumit carnes; ita cœlestis timor efficit, ne quis vincatur ab illis: Proinde recte aiebat Psalmista, cum diceret: Confige timore tuo carnes meas. Unde interrogatus Macarius Abbas, cur ita siccus et macilentus esset, cum comederet, sicut cum jejunaret? respondit: Sicut lignum, cui carbones igniti apponuntur, sensim consumitur ab igne omnem ejus viriditatem, et humorem abstrahente; sic qui mentem suam continet in timore Domini, carnem et ossa consumit. D. Ant. IV p. *summa tit.* XIV, c. XI, § 1.

Job qui erat timens Deum et recedens a malo, quia patientissime sustinuit in timore Domini et honorum, et familiæ, et sanitatis jacturam, dicens: Quasi tumentes aquas timui Dominum: restitutus est in omnibus et amplificatus. Job. I.

Ninivitæ audita Jonæ prædicatione de submersione sua, quia timuerunt Dominum; ideo a futura generali eversione liberati sunt. Jona. II.

Simeon qui erat justus et timebat Deum, meruit illuminari ad cognoscendum Verbum incarnatum, dicens: Viderunt oculi mei salutare tuum. Luc. II.

Judith erat vidua famosissima, quia timebat Deum valde, nec erat, qui loqueretur de ea verbum malum. Judith. VIII, 8.

EXEMPLA DOMESTICA.

Sanctus Ignatius, cum Fratrem segniter laborantem interrogasset, cui opus illud faceret? et ille, Deo, respondisset; graviter illum increpuit, dicens: Si homini id faceres, tolerabilior foret negligentia, nunc vero cum propter Deum id facere te fatearis, gravi sane pœna dignus es, ut qui minus ejus conspectum, quam hominis, verearis. Rib. *in vit. Jul.* 31.

S. Franciscus Borgia ad omnia pavidus, dicere solebat: Judicia Dei videntis, et viventis quantum a mortali judicio discrepant! timeat itaque, qui sapit. Vit. l. IV, c. IV.

P. Ludovicus de Ponte considerans illud Sponsæ de Sponso prolatum elogium, quo totum desiderabilem dixit, non poterat commoveri timore pœnarum (quod enim in eo videtur amarum, ac terribile, ut est justitia vindex, tam est amabile, quam sua bonitas) sed eo solo, ne Deus ipsum deserat, unde sæpe solebat dicere: Non me derelinquas usquequaque. Vit. l. II, c. VI, § 9.

Vallisoleti Anno 1545, instar miraculi habebatur, quod P. Faber, et P. Araozius cum omni genere, sexuque promiscuo versarentur innoxii. Nec dubitavit Melchior Canus in media curia jocari, dicereque, Patres Societatis Jesu herbam habere, quæ vim habeat interimendæ libidinis. Ea vox cum sensim sparsa ad Regis aures pervenisset, ille Joannem de Zuniga Magistrum morum ad Patres misit, inquisiturum de herba, cui P. Araosius respondit, omnino se habere talem herbam, quæ non modo contra libidinem, sed etiam contra alia vitia, præstantissimum sit remedium, eam autem communiter timorem Dei nuncupari. Retulit Zuniga hoc responsum Regi, totaque id aula cum approbatione audivit. *Hist. Sacr.* p. I, l. V, n. 63.

P. Robertus Bellarminus, cum audisset magnum quemdam virum, morti propinquum, ita de sua salute securum discedere, ut omnibus diceret, bono animo essent, se salvum fore; extimuit, diabolicam fraudem videns, nec commisit, quin morituro confestim occurreret, ac saluti ejus prospiceret, ac nimiam illam securitatem menti eximeret, timoremque persuaderet. *Vit.* c. xxxvi.

P. Antonius de Padilla, cum in supremo agone anxius Deum formidaret; et quidam sciscitaretur, an forte peccati mortalis scrupulus ipsum angeret : Jesu bone, respondit, quid hoc monstri? Religiosus, et lethale crimen! *Bib. Scrip. soc.*

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut in via sæculi timor debilitatem; ita in via Dei timor fortitudinem gignit; et sicut in via sæculi audacia fortitudinem; ita in via Dei audacia debilitatem parit. S. Greg. l. I, *mor.* c. xiii.

Sicut Crucifixus non pro animi sui voto membra sua movendi habet potestatem; ita et nos voluntates nostras, ac desideria non secundum id, quod suave est, et delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicare debemus, sic enim vere dicere possumus, quod crux nostra timor Domini sit. *Cassian.* l. IV, *Coll.* xxxv.

Sicut Matronæ, dum adhuc in opere laborant, si alia res facienda occurrat, non omnino acum deponunt, sed telæ, vel cussino infixam relinquunt; ita divina Providentia, dum opus prætextatum amoris divini in nobis operatur, semper timorem Dei pectori infixum relinquit, ut suo tempore ita usui esse possit. Franc. de Sales, l. XI, *de amore.* c. xvii.

Sicut virgines opera phrygia facientes acum panno infixam non habent, sed per illam fila traducunt in pannum; ita et Deus utitur quidem servili, aut mercenario timore ad charitatem introducendam, ubi tamen hæc introducta fuerit, expellit, et removet illum timorem. *Ibid.* c. xvi.

Sicut Nautæ, dum e portu solvunt, stante favonio, non ideo omittunt accipere rudentes, et anchoras, quæ tempore tempestatis sunt necessariæ; ita et servus Dei, licet magna fruatur quiete, et suavitate amoris, numquam tamen debent esse sine judiciorum divinorum metu, sed hunc semper apud se habere debent, ut tentationum fluctibus insurgentibus, eo uti possint. *Ibid.* c. xv.

Sicut juvenes incipientes equitare, si equus altius nonnihil saltet, genua constringunt, et ambabus manibus ephippium apprehendunt : ast ubi melius fuerunt exercitati, firmiter in suo situ manent; ita tirones in servitio Dei inter diaboli insultus timorem servilem, aut mercenarium adhibent; perfecti vero absque eo in divino servitio manent immobiles. *Ibid.* c. xviii.

Sicut Rebecca ab Eliezer ad domum Abrahæ ducta, simul atque obvium habuit Isacum, Eliezer dereliquit, et cum in conclavæ Saræ introducta est, mansit semper postea sponsa, et uxor Isaac; ita Deus sæpe mittit timorem servilem velut alterum Eliezer (qui idem significat, ac Dei adjutorium) ac tractandum matrimonium inter virtutem amoris divini, et animam; si tamen anima venit sub ductu timoris, non id fit ex eo, quod illa velit ei nubere; nam simul atque obvium habet amorem, ei statim se unit, et deserit timorem, qui tamen manet cum ipsa, ut serviat, data occasione, amori, et animæ amorosæ, sicut Eliezer domum reversus in obsequiis Isaac, et Rebeccæ mansit. *Ibid.* c. xxvii.

Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur, setaque prius intrat, sed nisi exeat non succedit linum; sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet, quia ideo introit, ut introducat charitatem. S. Aug. tr. IX, *in ep.* i, *S. Jo.*

Sicut vulnera, quæ corpori accidunt, medicinam non sentiunt, dum adhuc squalida sunt; secus vero, si purgata sunt : ita anima

Dei tribunal, et timorem non sentit, dum adhuc peccatis suis obvoluta est; secus vero, si ab iis purgata, sanari incipiat. BEYRLINC. *in festo Purific. them.* 3.

Sicut ad construendum fornicem prius ligneus quidam fornix construitur, cui lapideus, dum struitur, innitatur, quique hoc exstructo subducatur; ita ad charitatis erectionem timor suppeditatur, et ea consummata foras mittitur.

Sicut filius super omnia timet offensam patris, etiam si pater non intenderet eum percutere; sic, qui habet timorem Domini filialem, instar boni filii timet, et cavet offensam Patris cœlestis, etiamsi ex offensa illa nihil mali deberet sibi accidere. De hoc etiam timore dicitur in Ps. *Timor Domini sanctus permanet in seculum sæculi.* Iste timor a sanctis Doctoribus vocatur castus timor. Sine hoc timore verecundiæ nihil rectum esse poterit, nihil honestum, ut dicit Tullius. S. BON. *in Diæt. salut.* tit. VI, c. I.

Sicut ancilla, ne panem otiosa comedat, instar mulieris commendatæ a Salomone, semper est intenta labori suo, telam acu pingit; inducendoque diversi coloris fila serica per aurum, argentumque varios intexit flores, totumque hoc opus perficit, ac perforat, ubicumque fila serica, vel aurum aut argentum innectere cogitat; Ast acum telæ non infigit, ut ibi maneat semper hærens, sed ut imtroducat dumtaxat aut fila serica, aut argentea, vel aurea, post quorum introductionem acus extrahitur. Ad eumdem modum, cum divina bonitas varias animæ nostræ virtutes inserere, eamque speciali sancti sui amoris auro contexere intendit, adhibet acum timoris servilis, qua pungit corda nostra, at non semper ibi remanet. *Initium sapientiæ timor Domini;* quia timor locum præparat charitatis (sic post præfatam similitudinem exponit S. August.): Cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum, quantum enim illa crescit, ille decrescit, et quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor timor; minor charitas, major timor; si autem nullus timor, non est, qua intret charitas. S. FRANC. SALES. *ad Mansi*, d. IV, n. 6.

NECESSITAS. — Sicut non semper acus operi perfecto, et completo infixa relinqui solet, nisi quando operans ob urgentia aliqua negotia ab opere se divertere cogatur, tunc enim acum operi, quod habet præ manibus, sinit inhærere, et abit; eodem modo, quando Deus nobis intexit virtutes, præcipue vero sanctum suum amorem, imprimendo illum cordi nostro, ibidem relinquit timorem servilem, et mercenarium, quousque in nobis perficiat charitatem, qua perfecta, acum pungentem tollit; sicque in hac vita, in qua numquam charitas adeo perfecta erit, ut ab omni periculo existat libera, semper indigemus timore. *Idem*, l. V, *de amor.* p. II, c. XVII.

Sicut equi indomiti multa incurrerent præcipitia, et nos secum præcipitarent, nisi fræno coercerentur; eodem proportionali modo asserere possumus, quod in cursu vitæ nostræ adeo difficilis, et laboriosæ omni passu prolaberemur, nisi timoris frænum dirigeret, ac reprimeret effrænem equum appetitus nostri sensitivi. S. CHRYS. *ho.* II, *ad pop.*

Sicut in capitulo increpatur, et recognoscitur, et punitur culpa; ita in hoc capitulo timoris Dei corriguntur peccata, quia, ut dicitur in Prov. *Timor Domini odit malum;* et sicut Religio nulla esset, si correctio capituli deficeret; sic, si timor in capitulo cordis non esset, totum veritatis ædificium deperiret. S. BON. l. VI.

Sicut naucleri, dum secundo vento, et aura popitia e portu, soluto fune, recedunt, non obliviscuntur funium, anchoræ, aliorumque, quibus tempestatis tempore indigent; ita anima quantumvis divini amoris sudo gaudeat, conscientiæque serenitate potiatur, non propterea tamen oblivisci, et ab animo menteque sua eliminare debet timorem divini judicii, mortis, et inferni, ut vehementioris tentationis tempore se defendere, ac tueri possit. S. FRANC. SALES. l. c.

Sicut fundamentum est principium domus intrinsecum; ita similiter Domini timor est principium intrinsecum spiritualis ædificationis. LYRANUS *in c. Eccl.*

Sicut navis sine saburra secura non est, sed a quovis vento non sine periculo propellitur; ita et anima periclitatur, quæ saburram, seu onus divini timoris non habet. GRAN. *in Duce pec. fol.* 487.

Sicut ignis in carbone, nisi cinere tegatur, brevi extinguitur; ita sanctitas, et justitia absque timore Dei cito evanescunt. FAB. *conc.* V, *in Do.* XV. *post Pent.*

Sicut majoribus, et ditioribus navibus majori anchora opus est; ita, quo justior homo est, eo majore timore eget. S. GREG. l. VI, *mor.* c. XXIV.

Utilitas. — Sicut solis radius per foramen illapsus, quidquid in domo est, illustrat, ita ut vel minima videantur; ita Dei timor cum discretione natus in corde, omnia ejus peccata prodit. S. Clim. *gr.* xxvi, *ap. Gr. s.* 683.

Sicut securitas, vel desidia est causa omnium delictorum; sic timor Domini est radix, et custos omnium bonorum. S. Bern. *in serm.*

Sicut quercus altis defixa radicibus, nullis ventorum procellis sternitur; ita animam in timore divino solidatam nullus tentationum turbo concutiet. Beirl., *them.* iii, *in festo Purif.*

Sicut procellarum furorem, et insultus nauclerus sua peritia frangit, et eludit; ita timor Dei omnem tentationum tempestatem sua virtute superat. S. Chrys. *hom. de fide Annæ.*

Sicut lignum, cui carbones igniti supponuntur, sensim ab iis consumitur; ita homo carnalis paulatim destruitur, si timor Dei in eadem mente cum illo conjungatur. B. Anton., p. 4, tit. XIV, c. xiii.

Sicut in domo, stante milite semper armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantes apparere propius audebit; sic et metu animas nostras detinente, illiberalium perturbationum nulla facile surrepit, sed omnes fugiunt, et pelluntur, timoris imperio undique exactæ. S. Chrys. *ho.* xv, *ad pop. Ant.*

Sicut Moysis coluber Ægyptiacorum magorum serpentes devoravit; ita timor Dei omnem alium timorem absumit. Salvian. *de mor. in prol.*

Sicut ignis quandocumque ferrum cœperit contortum, vel rubigine confectum, clarum reddit, ac pulchrum, ferruginem abstergens, et quod in eo erat perversum, et inflexum, perfectissime corrigit; ita Dei timor vel exiguo tempore facit omnia. S. Chrys. *in Psal.* cxxvii.

Sicut in Paradiso est affluentia amœnitatis, et miri decoris arborum, et herbarum, fluminum, et gemmarum; sic timori filiali annexæ sunt virtutes, et dona, fructus, et beatitudines, consolationes, ac merita. Hinc Ecclesiast. cit. 40, dicitur : *Timor Domini sicut Paradisus benedictionis.* Dionys. Cartr., *in* c. xl. *Eccl.*

Sicut qui habent corporis membra clavis transfixa, ad actionem quamlibet immobilia retinent; sic ii, quorum animam occupavit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati, et obstreperam occasionem vitant. S. Basil. M. *in Psal.* xxxiii.

Sicut principium arboris non desumitur a frondibus, a fructibus, a ramis, a trunco, sed a radice, quæ degit sub terra, nec videtur; eadem proportione dicere possumus, in hac mystica arbore, nimirum homine, quidquid boni producitur, et conspicitur, cum videlicet florea odoramus multorum bonorum propositorum, cum multorum operum virtutis gustamus fructus, cum trunci admiramur soliditatem, idest, rectitudinem, et stabilitatem in bono, totum hoc esse effectum timoris Dei, qui veluti originale principium in quodcumque, quod agimus, opus bonum, suum transfundit vigorem. Hugo Car. *ap. Mansi,* d. x, n. 5.

Sicut agricolæ, dum arborem excolere volunt, excolunt ejus radicem stercorando, et irrigando; ex radice enim pendet tota arboris fertilitas; ita pariter si sapientiam, omnemque virtutem vis excolere, et augere, excole, auge et timorem Domini, hic tibi dabit omnem fertilitatem spiritualem. *Corn. a Lap. in* c. i. *Eccl.*

Sicut thesaurus, qui est res pretiosa, facit hominem semper sollicitum de custodia; sic timor Dei de se : et de virtutibus semper est solicitus, et de Dei gratia, cum habetur deperdita, ut recuperetur, de recuperata, ut a recidivo conservetur. S. Bon. *in Diac.*, tit. VI, c. i.

Sicut nautæ videntes naufragium imminere, merces, quæ in navi sunt, projiciunt in mare, ut evadant periculum naufragii; sic timor Domini bona temporalia facit abjicere, ut possit ab æterno naufragio liberari, et propterea dicebat Job : *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui. Idem.*

Sicut quercus altius demissis radicibus nullius venti viribus sternitur; ita animam divino confixam timore nullus tentationum ventus evellet; clavis enim affixum esse amplius est, quam radicatum esse : idcirco inquit Propheta : *Confige timore tuo carnes meas;* ita et tu configere, quasi clavo quidam adhæras. S. Chrys. *ho.* liii *in Joan.*

Æquitas. — Sicut, si maximus exercitus esset in campo, et omnibus esset divinitus revelatum, casurum paulo post fulmen, et majorem partem percussurum, merito gravis omnes metus incesseret; ita cum revelatum sit, omnes peccatores fulmine ultimæ sententiæ feriendos esse, et nemo sciat, an odio vel amore dignus sit, æquum est, ut omnes salutarem timorem concipiant. GRANAT. *in Duc. Pec. cat.*, f. 53.

DIGNITAS. — Sicut simulacrum majorem habet gratiam, si in basi statuitur, standoque accipit firmitatem; ita et virtus majorem sortitur dignitatem, si timori Dei velut firmissimæ basi insistat. S. AMB., l. V, *in Ps.* CXVIII.

JUCUNDITAS. — Sicut in mare decidens immensum scintilla exigua facile extinguitur; sic quantacumque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur, et perduntur. S. CHRYS., *hom.* XVIII, *ad Popul.*

Sicut ebrietas corporalis aufert officium membrorum, usum sensuum; sic ebrietas spiritualis : unde *confige timore tuo carnes meas*, ut sensus mei non habeant potestatem, nisi ad Deum. S. BON. *in Psal.* IX.

MOTIVA.

Necessitas : Timor Domini enim, teste Salomone, expellit peccatum : nam qui sine timore est, quis potest justificari? (*Eccl.*, c. I, 27.) hinc et Abraham ab Abimelech dixit. Cogitavi mecum, dicens, forsitan non est timor Dei in loco isto, et interficient me. *Gen.* XX, 11.

Æquitas : uti ipse Christus insinuavit, dicens : Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. MATTH. X, 18.

Utilitas : de hoc enim vere dixit S. Paulus : Corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem (seu, ut aliqui interpretantur, timor Dei) ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et in futuro. I. *Tim.* IV, 8.

Dignitas : quam brevi, sed præclaro, elogio Salomon indicavit dum dixit : Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo, (*Eccl.* XII, v. *ult.*) adeoque, ut recte S. Bernardus concludit : Absque hoc nihil est homo cum hic solus filiorum Dei sit proprius, et hominem in supremo suo fine constituat.

Jucunditas : tum quia Deus voluntatem timentium se faciet (*Psal.* CXLIV, 91.) : tum quia timenti Dominum non occurrent mala : tum quia timenti Dominum bene erit in extremis : tum quia timor Domini sicut Paradisus benedictionis est uti supra § 2, ex S. Scriptura testimoniis probatum est.

Securitas : nam, qui timet Deum, nihil trepidabit, (*Eccl.* XXXIV, 16.) nec contristabit justum, quidquid ei acciderit (*Prov.* II, 12.), ut ipse etiam Deus per Isaiam promisit, dicens : Servus meus es tu, ne timeas, quia ego sum, nempe qui te proteget, ideoque velut virum, secundum cor meum, oleo sancto meo inungam, manu mea auxiliabor, et brachio meo confortabo.

Ruinam Angelorum : de qua sic discurrit S. Laurentius Just. : Si Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari; et qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit; quanto magis, qui habitant domos luteas, et terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea, si mandata Dei præterierint. S. LAUR. *Just.*, c. IV, *de tim. Dei.*

Consideratio misericordiæ Dei (ut S. Laurentius Justinianus suadet) quam nobis exhibet in præsenti, quæ est judicium magnitudinis justitiæ, quam exhibebit in futuro. Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii cum gravitate compensat. Altissimus enim patiens est redditor. Patiens redditor dicitur, quia, quos diu, ut convertantur, tolerat, non conversos durius damnat; et quanto diutius expectat, ut emendentur, tanto gravius judicabit, si neglexerint. *Idem.*

Consideratio facilitatis pereundi spiritualiter, et corporaliter : quod quotidie in multis cernitur. Unde nimium præceps est, qui transire contindit, ubi conspexerit alium cecidisse, et vehementer effrænis est, cui non incutitur timor de alieno casu. *Idem.*

Criminosorum hominum timor : de quo sic idem Sanctus loquitur : Si tantum timet aliquis criminosus, qui scit, se reum esse unius criminis, cum est in conspectu unius terreni principis, quantum timere debet, qui multorum se reum esse cognoscit delictorum, de examine Regis æterni? Et si tanta cura pertimescitur judicium pulveris, qua intentione cogitandum, et qua diligentia formidandum est judicium tantæ Majestatis? *Idem.*

Timor inferni : nam aphorismus medicinæ est : Ignis igni remedio est; ne ergo æternis cruciemur, et ardeamus inferni flammis, unicum illud adhibendum est remedium, nimirum, ut illas timeamus, quamdiu vivimus. Mansi, d. 5, n. 9.

Amor vitæ longævæ : cum in omnibus anteactis sæculis experientia docuerit, eos diutius vixisse sanos, et incolumes ad ultimam usque senectutem, qui Deo in sancto timore servierunt. *Idem*, n. 10.

MEDIA.

Præsentia Dei ob oculos habita : sic S. Chrys. suasit, dicens : Qua ratione hic in nobis excitabitur timor? Si illud in animo habuerimus, ubique adesse Deum, omnia audire, omnia videre, non ea solum, quæ fiunt, ac dicuntur, sed etiam quæcumque in cordibus, et recessu mentis latent. (S. Chrys., t. IV, *ho.* viii, *ad Phil.*) Quod confirmans S. Thomas Villan. : Solo, inquit, hominum timore multi arceutur a malis : si non esset Judex, quot mala fierent? O hominum stultissime, times alium hominem tui similem, qui forte nescit peccatum tuum, aut si sciverit, poteris fugere eum, aut decipere, vel placare; et totum, quod potest facere, est auferre a te vitam temporalem, quam aliquando relicturus es; et non times Deum, qui totum, quod agis, videt; neque potes ab eo fugere, vel decipere eum qui quotidie potest tibi reddere mille retributiones, et postea infernum? (S. Thom. Villan., *s. de pur. B. V.*) Et Boetius inquit : Magnam nobis, si dissimulare nolimus, necessitatem indictam esse probitatis, cum ante oculos agimus judicis cuncta cernentis. Unde Dominus in Evangelio : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, et non habent amplius, quid faciant, sed eum timete, qui potest etc.* Lib. V. *Consol.*

Oratio fervens, uti S. Aug. suasit, his verbis : Certum est, nos mandata servare posse, si volumus; sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est : *A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet:* de quo dictum est : *Deus est, qui operatur in nobis, et velle, et perficere.* Certum est, nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit : *Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis et faciatis.* S. Aug. *l. de grat. et lib. arbit.,* c. x.

Cognitio Dei : si enim columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus (Job. xvi, 11), et ut S. Gregorius loquitur : ipsæ virtutes cœlestium, quæ sine cessatione Deum conspiciunt, in ipsa contemplatione contremiscunt; quanto magis homo peccatis undique involutus trepidabit. L. XVII, *mor.*

Cognitio sui : nam si ignoras te, inquit recte S. Bernardus : Non habebis timorem Dei in te. Et alibi : Ergo tenetis memoria, neminem absque sui cognitione salvari, de qua nimirum mater salutis humilitas oritur, et timor Domini, qui et ipse, sicut initium est sapientiæ, ita et salutis : Nam quomodo non vere humiliabitur, (et timebit) in hac cognitione sui anima, cum se perceperit oneratam peccatis, et mole hujus mortalis corporis aggravatam, carnalium desideriorum fœce infectam, cœcam, curvam, implicatam multis erroribus, expositam mille periculis. *Ser.* xxxvi.

Judicia Dei occulta, admiranda in Angelos, et homines lapsos frequenter ponderare : si enim Cœli non fuerunt mundi in conspectu ejus, si in Angelis reperit pravitatem, de hominibus quid fiet? (Thom. Kemp., l. III, c. xiv, § 1.) maxime cum, ut S. Gregorius ait : Plerumque in conspectu sordeat æterni Judicis, quod in intentione fulget operantis, (Ap. Fab. *conc. in Dom.* xv, *post. Pent.*) et S. Augustinus : Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam? (L. IX, *conf.*, c. xiii) Ut adeo merito supradictum Asceta exclamarit : Intonas super me judicia tua, Domine, et timore, ac tremore concutis omnia ossa mea. Thom. Kemp., l. c.

Meditatio novissimorum; ita enim Ecclesiasticus suasit, dicens : In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. (*Eccl* vii, 40.) Certe huic considerationi neglectæ ipse Deus populi sui peccata adscripsit, dum dixit : Gens absque consilio est, et sine prudentia : Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent. (*Deut.* xii, 29.) Hinc recte S. Bernardus : Filioli mei, exclamat, memoremur hæc novissima nostra, ne peccemus : nam et per ignem nobis transeundum est, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Ibi enim aurum nostrum vertetur in scoriam : ibi denudabitur universa impuritas : ibi veritas ipsa accepto tempore, quod nobis interim datum contemnimus, justitias judicabit. Quid vero illic omnes justitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ, reputabuntur? quidquid nunc quasi parvi pendendo transimus, palpando tegimus, dissimulando negligimus, quanto illic cruciatu vindex flamma consumet? *S.* XXVIII, *in illud ob. in sex. tribul.*

Considerare lapsus eorum, qui post multos annos in summa sanctitate transactos turpissime tandem lapsi sunt, et perierunt : sic enim facient aliena pericula cautum, et timidum.

Incertitudinem salutis sæpe ponderare : vere enim nescit homo, an amore, an vero odio, dignus sit. (*Eccl.* IX, 1.) Hinc recte Sanctus Leo dixit : Hæc Sanctis est causa tremendi, ac metuendi, ne ipsis pietatis operibus elati, deserantur ope gratiæ, et remaneant in infirmitate naturæ. *Ser.* VIII, *de epiph.*

ASCETICA.

Ante omnia nosse debet Asceta triplicem diversitatem timoris, quam S. Thomas sequentibus verbis assignat : Quilibet timor, aut filialis, aut initialis, aut servilis, aut mundanus est : Hic est sermo de timore, ut per ipsum homo a Deo, vel avertitur, vel ad eum convertitur; si avertitur a Deo propter mala, quæ ab inimicis Dei timet, dicitur timor mundanus; si autem ad Deum convertitur, et inhæret propter timorem pœnæ, est servilis; si ob timorem culpæ, est filialis, quia filius timet offensam patris; si propter utrumque, est initialis. (S. THOM., II, II, q. XIX, art. 2.) Licet autem priores duo timores minus perfecti sint, non tamen propterea minus utiles censendi, aut omnino negligendi sunt, cum et bonum habeant objectum, scilicet incolumitatem sui, et fructus optimos, dum et a peccato retrahunt hominem, et viam ad justitiam, et charitatem parant, uti præter alios clare Cassianus docuit dum dixit : Est gradus cujusdam profectus, ut, dum, vel pœnarum metu, vel præmiorum spe, incipimus vitia declinare, ut ad charitatis gradum transire possimus. (CASSIANUS, coll. XV, c. VIII.) Hinc, et Isaias testatur : A timore tuo concepimus spiritum salutis. (ISA, XXVI, 18, *juxta* 70.) Recte tamen idem Cassianus monet, in hoc timore non sistendum, sed ad illum sublimiorem timorem gradu excellentiore conscendendum, quem non pœnarum terror, non cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel tenuem amoris formidemus offensam, atque in omnibus non solum actibus, verum verbis, attonita semper pietate distendamur, ne ergo eum quantulumcumque fervor dilectionis illius intepescat. L. IX, c. XIII.

Nosse debet causas, ob quas etiam perfecti timere debeant, quas S. Bonaventura his verbis indicavit : Omnis perfectus debet timere propter tria; Propter culpam occultam, unde hoc : *Delicta quis intelligit?* et Apostolus : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Propter sui insufficientiam, unde hoc : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram etc. Et propter futuram ruinam, scilicet ne peccet in futuro. (S. BONAV. *in Psal.* II.) Unde hoc : *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Juxta alios ad duo præcipue capita generalia revocari possunt, nempe ad *abyssum judiciorum divinorum,* quæ tum ante hac jam in Angelis, et præcedentibus hominibus declaravit; tum quotidie manifestare non cessat; tum denique in particulari, et extremo omnium hominum judicio potissimum manifestabit; de quibus proinde recte dixit S. David : Judicia tua abyssus multa. (*Ps.* XXXV, 26.) Et ad *abyssum sui nihil, et imperfectionis*, de qua abysso recte dixit iterum Psalmista : Abyssus abyssum invocat. (*Ps.* XLI, 8.) Tali nempe ordine, ut S. Bernardus advertit, salubriter innotescit Deus, cum prius se homo noverit in necessitate positum, et clamabit ad Dominum. *Ser.* XXXVI, *in Cant.*

Nosse debet, hunc timorem numquam deponendum esse, quantumcumque quis in sanctitate profecerit, uti præclare S. Bonaventura per sequentem similitudinem indicavit dicens : Timor Domini est sicut bonus ferrarius, vel speculator. (S. BONAV. *in Diæt.*, tit. VI, c. I.) Sicut tempore belli non sinit dormire milites; sic timor Domini, cum sit modo tempus belli contra carnem, mundum et diabolum, non permittit dormire spiritum per delectationem, vel consensum, unde dicitur : *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Non solum autem tempore belli debet homo esse pavidus, imo etiam tempore pacis debet esse timorosus, sicut videmus, quod magni reges, et sapientes, quamvis actu non sint in bello, muniunt tamen castra sua. De incautis dicit Apostolus : *Cum dixerint, pax, et securitas, tunc repentinus eis superveniet, interitus.* Et Ecclesiastes : *Qui timet Deum, nihil negligit;* quia nec bonum, nec malum tamquam nocivum, et bonum formidat, et nescit, si est gratum, unde dicit Job : *Verebar omnia opera, sciens, quia non parceres delinquenti.* Imo, teste S. Augustino : Quidquid aliquod prosperum est, fratres, magis metuendum est; quæ putatis prospera, magis tentationes sunt. Naves ditiores et onustiores facilius incurrunt; ac proinde magis timere debent periculum submersionis in aquis dulcibus fluminis, quam in aquis salsis, et tempestuosis maris; hæ namque validiores sunt, et majoris virtutis ad sustendandum navis onus. Quod prosperum venit, magis metuendum est.

Nosse debet, hunc timorem præcipue in custodia sensuum exteriorum versari debere, ut sapienter S. Bonaventura observavit dicens : Iste vigil, vel speculator mandat custodiri portas sensuum, quia ibi est, quasi totum periculum : sicut (ad litteram) illi qui sunt in munitione, summe custodiunt portas, cum vident castrum ab hostibus obsessum; sic spirituales viri, qui habent timorem Dei, custodiunt portas, scilicet, quinque sensuum, ne intrent inimici, timentes, quod dicitur : *Ascendit mors per fenestras nostras*. S. Bonav., l. c.

Nosse debent, numquam suæ virtuti quemquam confidere posse; nam, ut recte S. Cyrillus Alexandrinus dixit, Nostra vis, nisi divinitus sustentetur, nulla penitus est; quid sumus, si a Conditoris nostri protectione deseramur? (S. Cyrill. Alex., l. II, *in Joa.*, c. xxi.) Hinc S. Leo pulchre declarat causam, et finem, ob quem Christus Dominus permisit lapsum Petri : dicens : ut nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum, nec Petrus potuisset evadere. (S. Leo, s. ix, *de pass.*) Quam doctrinam egregie confirmat Mansi sequentibus verbis : Vidit S. Joannes in sua Apocalypsi casum stellarum ex firmamento cœli, quem Draco cauda sua causaverat : *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram*. Formemus modo argumentum, quod convincit : Si fixæ de cœlo cadunt stellæ, quanto magis errantes sibi timere debebunt? Si Angeli mutantur in dæmones, quanto magis pervertentur illi, quos notat Apostolus, *lutea vasa portantes*, et de quibus pariter Job : *Homo natus de muliere, numquam in eodem statu permanet.* (Mansi, di. vii, n. 8.) Unde merito S. Augustinus ad Deum clamat : Videmus multos, Domine, ex patribus nostris (quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor) ascendisse primitus quodammodo usque ad cœlos, et inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, et animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cœlis cecidisse, ab impetu ferientis caudæ Draconis. S. Aug., c. xxix, *Soliloq.*

Nosse debet, ex quo fundamento timor dicatur initium sapientiæ : quam veritatem sic explicat S. Thomas : Initium sapientiæ potest dici aliquid dupliciter. Uno modo quia est initium ipsius sapientiæ, quantum ad ejus essentiam; alio modo quantum ad ejus effectum; sicut initium artis secundum ejus essentiam sunt principia, ex quibus procedit ars, initium autem artis secundum ejus effectum est, unde incipit ars operari. Sicut si dicamus, quod principium artis ædificativæ est fundamentum, quia ibi incipit ædificator operari. Cum autem sapientia sit cognitio, divinorum, aliter consideratur a nobis, et aliter a Philosophis. Quia enim vita nostra ad divinam fruitionem ordinatur, et dirigitur secundum quamdam participationem divinæ naturæ, quæ est per gratiam, sapientia secundum nos non solum consideratur, ut est cognoscitiva Dei, sicut apud Philosophos; sed etiam ut est directiva humanæ vitæ, quæ non solum dirigitur secundum rationes humanas, sed etiam secundum rationes divinas. Sic ergo initium sapientiæ, secundum ejus essentiam, sunt prima principia sapientiæ, quæ sunt articuli fidei, et secundum hoc fides dicitur sapientiæ initium. Sed quantum ad effectum, initium sapientiæ est, unde sapientia incipit operari, et hoc modo timor est initium sapientiæ. Aliter tamen timor servilis, et aliter filialis; timor enim servilis est, sicut principium extra disponens ad sapientiam, in quantum aliquis timore pœnæ discedit a peccato, et habilitatur per hoc ad sapientiæ effectum, secundum illud *Eccl.* i. *Timor Domini expellit peccatum.* Timor autem castus, vel filialis est initium sapientiæ, sicut primus sapientiæ effectus. Cum enim ad sapientiam pertineat, quod humana vita reguletur secundum rationes divinas, hinc oportet sumere principium, ut homo Deum revereatur, et se ei subjiciat. Sic enim consequenter in omnibus secundum Deum regulabitur. (S. Thom., II. II. q. xix, art. 7.) Brevius idipsum Paulus de palatio sic ostendit : Placuit doctoribus nostris hoc loco mentionem esse de timore servili, qui pœnam a Deo timens, cessat a culpa. Hic timor, licet non sit sapientiæ comes, est tamen ejus initium, qui est veluti acus ingerens sapientiæ filum. At nimis credibile est, Ecclesiasticum suum non variasse sermonem, sed quod, ut cœperat timorem filialem (qui ex reverentia Dei abhorret a culpa) laudare, ita nunc prosequatur. Tunc sensus est, initium, caput, fundamentum, summa sapientiæ est timor ille; Nam Hebræis initium est, *ressit,* quod caput, et summam significat. Et plane reverentia erga Deum, cujus causa culpam horremus, ea est fundamentum, et initium vitæ Christianæ, ea enim causatur ex notitia, et dilectione divina. Eo enim reveremur Deum, quia agnoscimus, et diligimus ejus Majestatem, quam offendere pertimescimus. *Apud Mansi disc.* IX, n. 3.

Nosse debet, quomodo defendi possit illud Davidis : Non est inopia timentibus eum; cum de facto tam multi justi inopes existant. Ad quod dubium respondet S. Thomas, sic loquens : Contingit aliquando, timentem Deum parum habere, sed non contingit eum esse inopem; inops est, qui se deficientem reputat : qui timent Deum, his contenti sunt, quæ habent. Philip. IV, ubique, et in omnibus institutus sum. (S. THOM. l. c.) Observat S. Augustinus alium Apostoli textum, I. Corinth. IV. *Usque in hanc horum esurimus, et sitimus, et nudi sumus* quomodo ergo non est inopia timentibus eum? Et dicit, quod Deus est nutritor, et medicus; medicus autem subtrahit nutrimentum infirmo, et facit esurire, et sitire, quia expedit sanitati. Ita Deus, secundum quod expedit saluti nostræ, quandoque inopiam immittit, quandoque divitias confert, quandoque longitudinem dierum concedit, quandoque brevitatem adducit.

Nosse debet utilem praxim hujus timoris; quæ in tribus præcipue industriis consistit. Ut magna cum discretione concipiatur; etenim vera sapientia a timore incipit, nec est sapientia spiritualis sine timore Dei; ita timor Dei sine sapientia esse non debet, ut recte advertit S. Ambrosius (S. V, *in Ps.* CXVIII), qui et addit : Ideo Isaiam omnibus aliis donis Spiritus Sancti eum postposuisse, ut significaret, timorem Dei informari per sapientiam, instrui per intellectum, consilio dirigi, virtute firmari, cognitione regi, pietate decorari. (DEUT. XXIV, 6.) 2. Ut semper cum spe prudenti jungatur id, quod S. Gregorius a Deo illis verbis : Non accipies loco pignoris molam superiorem, et inferiorem : significatum putat; sic enim loquitur : Spes ad alta subvehit, timor autem cor inferius premit : una mola sine altera inutiler habetur. Peccatoris ergo in pectore semper debent spes, et formido conjungi, quia incassum misericordiam sperat, si justitiam non timeat : et incassum meruit, qui non confidit. (S. XXVIII, *mor.* c. XI.) Hinc Gloss in cit. locum ait : Qui prædicat peccatori, tanta dispensatione prædicare debet, ut non relicta spe timorem subtrahat, nec subtracta spe timorem relinquat. 3. Ut pietatis exercitio fructuosum, et efficacem timorem faciat; qualis enim est iste timor, inquit, S. Gregorius, si cum eo pietas non est? qui enim misereri proximo ignorat, qui compati ejus tribulationibus dissimulat, hujus timor ante omnipotentis Dei oculos nullus est, quia non sublevatur ad pietatem. *Ho.* XIX, *in Ezech.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

QUALITAS. — Ex occasione thematis : *Venite Filii, audite me : timorem Domini docebo vos :* (*Ps.* XXXIII, 12.) explicari potest natura timoris, eumque in finem servire potest descriptio timoris, quam Salianus in insigni suo de timore Dei tractatu affert, dum ait : vultum ejus ad severitatem magis, quam hilaritatem, fuisse compositum. Deinde in thiaræ Pontificiæ lamina cærulea nomen ejus aureis litteris esse exaratum hoc fere sensu : Timor Dei justitiæ divinæ proles. In suprema vero parte thiaræ gemmam splendidissimam, ejus nomen severitas erat, fuisse conspectam. Ad humeros jacuisse, et ad utrumque brachium pependisse sipariolum byssinum, et purpurei coloris, linguis igneis inspersum, cum hoc eloquio : Semper ardet, et numquam consumit. Promissam cæsariem utrinque in cincinnos crispatam hæc verba innexa habuisse : Periculorum seges. In binis auribus duas gemmas, quarum altera Inferni, altera Mortis meditatio dicebatur, fuisse pendulas. In toga rasili violacei coloris, ultionis exemplum dicta, Angelorum e cœlo pulsorum historiam acu fuisse depictam, ad cujus limbum sententia Judicis : Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus, erat descripta. In sinistra manu hanc sententiam scriptam tulisse : Judicia Dei, abyssus multa. In dextra scipionem, spes veniæ, dictum. Denique pallio, quod pretioso vellere fulciebatur, et diffidentia sui dicebatur, hanc in ora sententiam continuisse : Beatus homo, qui semper est pavidus. Quæ omnia proin paulo clarius, sed succincte, explicata, amplam concioni materiam suppeditabunt, uti videre est apud citatum Salianum. Lib. I, c. II.

Ex occasione thematis : *Funiculus triplex difficile rumpitur :* (*Eccl.* IV, 12.) explicari potest, quomodo Deus per triplicem timorem, servilem scilicet, mercenarium, et filialem, velut triplicem funiculum, homines ad se trahat, sibique arctissime conjungat. Quem in finem quivis horum timorum separatim explicari, ejusque natura, et utilitas, ac praxis ostendi potest, ita tamen, ut efficaciter auditores excitentur ad filialem timorem cæteris præferendum, et reliquos duos non nisi in subsidium, si forte charitas refrigesceret, retinendos : quod ipsum, ut facilius obtineatur, filialis timoris præ aliis præstantia ostendatur.

NECESSITAS. — Ex occasione thematis : *Per timorem omnis declinat a malo :* (PROV. XI, 17.) insistatur similitudini, qua S. Chrysostomus timorem militi armato comparavit ante fores domus vigilanti, neminemque, qui domino nocere possit, admittenti. In prima ergo parte ostendatur, quam graves insidias moliantur homini : caro, mundus, et diabolus, quamque magnum ab his periculum cuivis immineat, vitæ non tam temporalis, quam æternæ amittendæ. In secunda parte demonstretur, quam fortiter hostes omnes timor Domini repellat, carnem quidem timore supplicii æterni : mundum vero spe melioris substantiæ, et præmii æterni : diabolum denique per metum tam bono, et omni amore dignissimo Deo, quem dæmon tam turpiter contempsit, et deseruit, displicendi.

Ex occasione thematis : *Ostendam vobis, quem timeatis :* (LUC. XII, 5.) ostendatur, quam merito Deus solus, et præter eum nemo alius, sit timendus. Nimirum 1. Quia per omnipotentiam est invincibilis, juxta illud Jobi; Quis restitit ei, et pacem habuit? (JOB. IX, 4.) 2. Quia per omniscientiam suam est infallibilis, juxta illud Jeremiæ : Ego Dominus scrutans cor, et probans renes. (JER. XVII, 10.) 3. Quia inflexibilis per justitiam, juxta illud Ecclesiastis : Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

Ex occasione thematis : *Quis non timebit te, O Rex Gentium?* (*Eccles.* XI, 3.) explicentur causæ timendi; nempe 1. Supra se, Deum justum, et accuratissimum Judicem, de quo non immerito dixit S. Job : Semper quasi tumentes fluctus timui Deum. (JOB. XXXI, 23.) 2. Infra se, gehennæ horribile barathrum infernalibus flammis accensum, et nostris peccatis castigandis præparatum. 3. Retro nos peccata præterita, et vitam, eheu! in sceleribus exactam. 4. Ante nos, pericula committendorum peccatorum, et tot miserabiles lapsus Angelorum, et hominum. 5. Intra nos, naturam corruptam, et ad omne malum pronam 6. Extra nos, hostes validissimos diu noctuque insidiantes, et in supremum exitium pertrahere molientes. Quæ omnia fusius apud Fabrum explicata videri possunt conc. I, in Dom. 15, post Pentec.

Ex occasione thematis : *Accepit autem omnes timor :* (LUC. VII, 16.) potest aliter ostendi, quam multas, et graves causas timendi Deum habeamus. Nempe 1. Propter ipsius omnia cernentis aspectum, quo olim S. Ephrem impudicam mulierculam ad scelus invitantem avertit. 2. Propter scandala, et laqueos ubique obvios, de quibus Isaias dixit : Qui fugerit a facie formidinis, cadet in foveam : et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo. (ISA. XXIV, 18.) 3. Propter incertitudinem salutis, de qua S. Paulus dixit : Cum metu, et tremore salutem vestram operamini. (PHIL. II, 12.) 4. Propter ultimum cum morte conflictum, a quo pendet beata, vel infelix æternitas : de quo merito dixit S. Augustinus : Væ mihi misero, cum venerit dies judicii, et aperti fuerint libri conscientiarum, cum dicetur de me : Ecce homo, et opera ejus. Quid faciam tunc, Domine Deus meus, cum cœli revelabunt iniquitatem meam, et adversum me terra consurget? Ecce nihil respondere potero, sed demisso capite præ confusione coram te stabo trepidus, et confusus. (Cap. XXIX, *Meditat.*) Vide hæc omnia fusius apud Fabrum in Auctario them. 5, in Dom. XV, post Pent. explicata.

UTILITAS. — Ex occasione thematis : *Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum* : potest ostendi, qualia bona per timorem Dei obtineantur. Et 1. quidem bonum *utile* seu divitiæ; non enim est inopia timentibus eum. Divites quidem eguerunt, et esurierunt, inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. 2. Bonum *honestum*, seu honorem, et gloriam : sic enim testatus est S. David dicens : Beatus vir, qui timet

Dominum : in mandatis ejus volet nimis. Gloria et divitiæ in domo ejus. (*Ps.* XXX, 10.) Hinc, et Judith dixit : Qui timent te, magni erunt per omnia; quod et ipsamet aliunde experta est. 3. Bonum *delectabile :* juxta illud S. Davidis testimonium : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te; ut adeo vere dixerit nonnemo. Si est gaudium in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. (Thom. l. II, c. IV, § 2.) Vide Fabr. conc. VII, in Dom. XVIII, post Pent.

Ex occasione thematis : *Ecce sagittæ intra te sunt :* potest ostendi, timorem Domini esse certum signum prædestinationis, eumque in finem narrari 1. pactum, quod Jonathas cum Davide fecerat, ut scilicet si diceret : Ecce sagittæ intra te sunt : (I. *Reg.* XX, 20.) per hoc colligeret, se esse gratiam apud regem consecutum. 2. Probatur, hoc justius de sagitta timoris divini dici, idque tum per testimonia S. Scripturæ, tum SS. Patrum, tum quotidiana experientia confirmatur. Vide Drex. in Zodiaco signo XI.

Ex occasione thematis : *Timor Domini expellit peccatum :* ostendatur timorem Domini esse efficacissimum medium ad vitanda peccata; eum in finem narretur 1. quod supra § 6, n. 4, de herba P. Araozii narratum est. 2. probetur; merito tali herbæ timorem Dei comparari, quia impellit ad præterita peccata per pœnitentiam expianda : ad præsentia per detestationem sinceram, et confessionem delenda : ad futura per prudentem cautelam devitanda; ut adeo vere S. Bernardus dixerit : In veritate didici, nihil esse æque efficax ad gratiam divinam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore inveniamur coram Deo non alte sapere, sed timere. S. XLIV, *sup. Cant.*

Ex occasione thematis : *Timentibus Dominum bene erit in extremis :* (*Eccl.* I, 13.) ostendatur, quam bene sit futurum timenti Deum. 1. *Ante mortem*, dum non erit ei inopia, nec occurrent mala, S. Scriptura teste. 2. *In morte*, propter conscientiam vitæ laudabiliter transactæ. 3. *Post mortem*, ubi propter fidelitatem audiet jucundissimum illud elogium : Euge serve bone, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

Ex occasione thematis : *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies :* (Deut. VI, 13.) probetur, timorem Dei esse ducem fidelissimum, et peritissimum, qui per tres vias perfectionis celerrime, et tutissime ducat; et 1. quidem per *viam purgativam ;* quia per timorem declinat omnis a malo, dum scilicet ipsam etiam peccati radicem, concupiscentiam, tollit. 2. per *viam illuminativam :* cum semper a SS. Patribus instrumentum aptissimum ad virtutes comparandas sit judicatus. 3. per *viam unitivam :* quatenus introducit charitatem, per quam homo arctissime unitur Deo, uti ex testimoniis supra citatis patet.

ALII CONCEPTUS.

Necessitas. — Hebræi egressi ex mari rubro omnino illæsi, viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, timuitque populus. Videtur rationi congruentius fuisse, si populus Hebræus affectum jubili, et triumphi excitasset, videns se e manibus inimici ereptum, a dura servitute liberatum, hostem vero et persecutorem suum divinitus extinctum, denique justissimam vindictam injuriæ Deo illatæ a Pharaone; cur igitur timuit populus? Respondetur, quod anima quo pluribus agnoscit se a Deo dotatam esse beneficiis, eo magis semper sibi timere debeat, ne ingratitudinis incurrat notam. Præterea timuerunt, videntes punitionem istorum rebellium, timere poterant, severiori se fore mulctandos pœna, quia si Deum offenderent. Mansi, d. VIII, n. 8.

Jusserat pientissimus Salvator noster servis et famulis illis, qui ministrabant conviviis in nuptiis Canæ Galileæ : *Implete hydrias aqua :* intendebat nimirum Dominus hydrias has adimplere generoso vino, ac disposuit eas prius repleri aqua, per quam S. Bernardus intelligit timorem Dei, et per vinum amorem; quidnam vero hoc indicetur mysterio, statim declarat, dicens : Incutite metum, et spiritu timoris non tam vasa, quam corda, replete, quia, ut ad charitatem perveniant, intrandi sunt a timore, ut dicant et ipsi : A timore tuo concepimus et parturivimus spiritum salutis. S. Bern. *serm. de nuptiis Galileæ.*

Thomas Villanovanus in expositione morali illius textus S. Lucæ : *Intravit Jesus in quoddam castellum etc.* per castellum illud intelligit animam hominis, in quam intrat Salvator noster, eamque tamquam locum munitum inhabitat. Adaptat deinde singula castelli hujus munimenta, eorumque munia singulis virtutibus. At timori Dei qualem assignat stationem, aut officium? Talis sane obtingit ei officii ratio, talis statio, a qua dependet salus ejus maxima : Habeat, inquit, de hoc animæ castro rigidum janitorem, timorem Domini, qui omnes violentos appetitus, etiam sensuales, in hoc ostium irrumpentes, facile jugulet, disperdat. Inutiles plane sunt cujuscumque castelli, aut arcis etiam munitissimæ circumvallationes, aggeres, inutilis quævis annona, generosa militum audacia, inutilis quoque gubernatoris peritia, et experientia, ad defensionem cujuscumque munimenti, si is, qui tenet claves portæ, non est fidelis : Ast timori Dei adscribitur custodia talis situs, et loci, quem custodiri permagni interest, eaque officii ratio ei attribuitur, ut ejus nobis intimetur necessitas, et utilitas; ergo de anima, quæ a multis obsidetur tentationibus, et assultibus hoc idem asserere possumus, quod si timor Dei cordis portam bene custodierit, et clausam tenuerit, de nullo sibi timere debeat, Unde bene ait S. Joannes Climacus : Fieri non potest, ut qui vere Deum timet, timiditati sit obnoxius, cum ipse dixerit, nullum præter ipsum timendum. S. Thom. de Villan. *conc.* iv, *de assumpt.*

Job. c. xxix, legitur : *Si ridebam cum servo meo, non credebat.* Quid existimatis sanctum virum tali modo loquendi voluisse inferre? Interrogemus D. Gregor. qui fuit fidelissimus hujus libri interpres : Ridere etenim Dei est, respondet ille sanctorum vias prosequenti favore prosperari, sicut de iis quoque per usum dicitur, quos in hoc sæculo felicitatis blandimenta comitantur arrisit illis tempus, sed electi quique, quamdiu in hac vita sunt, securitatis sibi confidentiam non promittunt, horis enim omnibus contra tentamenta suspecti, occulti hostis insidias metuunt; nam sæpe multis grave periculum incauta securitas facit. In exemplum producit S. Paulum : Quis non credidisset, eum in portu tunc extitisse securum, quando aliquoties jam attigerat littora cœli, raptus in paradisum? *Vas electionis est mihi iste?* timebat enim, et tremebat : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum : Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Ecce arridenti sibi divinæ gratiæ (verba sunt Gregorii M.) jam credit per spem, et nec dum tamen credit per securitatem. Consilium hoc nobis suggessit S. Augustinus libro, cui titulus de sancta virginitate : Noli, inquit, altum sapere, sed time, ut homo nec de suorum peccatorum defensione, nec de justitiæ præsumptione se extollat. Nam et ipse Paulus qui dixit : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore;* tamen, timore comite charitatis ait : *Cum timore, et tremore multo fui apud vos.* Mansi, *disc.* vii, n. 20.

Æquitas. — Omnibus nota sunt verba illa præfationis : *Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates;* totum oppositum videbatur asserendum, videlicet quod Angeli (qui sunt servi infimi ordinis) deberent tremere, et non Potestates, quæ sunt spiritus sublimioris ordinis, majorique gaudent lumine, ac cognitione Dei : experientia compertum est, hic in mundo famulos, et servos inferioris conditionis majorem habere timorem, quam alios Principi familiarissimos, ita est; at in Deo non militat hæc regula, quia quo plus aliquis proficit in lumine, et notitia Dei, divinorumque attributorum, tanto magis etiam, quia cognoscit illum omni servitio, et obsequio dignum crescit in eodem timor, ne illum offendat, crescit timor reverentialis; ideoque Dominationes, quæ Angelos superant in lumine, et cognitione Dei, dicuntur adorare Deum : Potestates vero, quæ in eadem cognitione excellentiores adhuc sunt, et superant Dominationes, dicuntur tremere, *Idem disc.* viii, n. 4.

In libro Levitici legitur de oblatione, sive holocausto, quod offerebatur pro expiando peccato : *Non mittet in eam leum, neque thuris aliquid imponet, quia pro peccato est.* Videbatur potius adhibendum incensum ad tollendum, vel mitigandum fœtorem, qui ex sordibus peccati prodire solet : cur igitur prohibitum fuit incensum? Rationem hujus reddit Abulensis : Causa est, ait, quod thus, quia boni odoris est, significat acceptationem divinam, et qui pro peccato sacrificium offert, non debet securus esse de acceptione. Quamvis interdum existimemus nostræ parti, et officio nostro nos satisfecisse pro peccati detestatione : attamen nequaquam securi esse debemus : *Nihil mihi conscius sum*; dicebat S. Paulus : *sed non in hoc justificatus sum;* et qualem hujus adducebat causam? *Qui judicat me, Dominus est,* nescimus, an Deus acceptet hoc sacrificium. *Abulens. qu.* vi, *in hunc loc.*

Utilitas. — Lex illa, quæ in Levitico

præscribit matribus purificationem post partum, consideratione digna est : *Sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato.* Turtures, uti et columbæ, sunt aves timidæ, et istæ præcipiuntur offerri Deo in holocaustum, et pro peccato; quia ad purificandas animas nostras a peccato timor optimum, et efficacissimum medium est. Joannis Cassiani doctrina est : Principium nostræ salutis, ejusdemque custodia, timor Domini est; per hunc enim, et initium conversionis, et vitiorum purgatio, et virtutum custodia, ab his, qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur. *Cassiam.* l. IV, *instit.* XXXV.

Enumerat Propheta Isaias c. XI, septem dona Spiritus S. ac ultimo loco ponit timorem : *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ, et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Verum si timor Dei ædificii spiritualis animæ fundamentum est, et hunc in finem illud primo jaciendum, et insuper certum est, quod *initium sapientiæ timor Domini,* cur igitur Propheta ultimum ei assignavit locum? Respondet Petrus Cellensis : Quasi custos super innumerabiles Gazas; sic timor Domini in ultimo Charismatum ponitur, ad conservandas incomparabiles gratias. MANSI, *dis.* VII, n. 4.

Ecclesiasticus hanc insinuat similitudinem : *Radix sapientiæ est timere Dominum.* Quænam proportio inter timorem Dei; et radicem? Audite Hug. Card. Sicut radix in profundo terræ est, sic timor Domini in profundo humiliatis tenet hominem; quanto altius crescit arbor, et ramos suos attolit versus cœlum, quo plures etiam profert fructus, tanto profundiores jacit radices sub terra. Et hoc Ecclesiasticus nobis insinuare intendebat, quod nimirum simus tamquam arbores *lignum quod plantatum est secus decursus aquarum :* quo altius consurgimus cœlum versus, meritis ac fructibus bonorum operum præditi, tanto magis nos deprimamus oportet, adjiciamus, vilipendamus, semper timeamus, ac tremamus necesse est. Quamobrem S. Hieronymus monachos exhortabatur hisce verbis : Numquam tuta est humana fragilitas, et quanto magis virtutibus crescimus, tanto magis timere debemus, ne de sublimibus corruamus. Unde et sententia S. Paschasii proposito nostro accommodata est : Tunc maxime pertimescendum est, cum virtutibus, et miraculis super nos elevamur. Tunc vel maxime nobis timendum est, quando secundum discursum humanum non videtur aliquid instare, quod timendum sit; tunc videmus instare lunæ mutationem, quando est in sua plenitudine luminare, quod minuitur in consummatione. S. HIER. *in Reg. Monach.*

Pluribus videtur esse paradoxon, quod per viam timoris possimus inimicum superare, quia, ut docet experientia, in arte militari timor est causa perdendi victoriam. Audiamus Gregorium M. In via Dei a timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur; nam sicut in via sæculi audacia fortitudinem, ita in via Domini audacia debilitatem, parit, et sicut in via sæculi timor debilitatem, ita in via Domini timor fortitudinem, gignit, Salomone attestante, qui ait : *In timore fiducia fortitudininis.* S. GREG. l. II, *mor.* XXXII.

DIGNITAS. — Aiunt Hebræi, cum inter cætera scriptæ Salomonis, quæ antiquata sunt, nec in memoria duraverunt, et liber Ecclesiastis obliterandus videretur, eo quod vanas asserat Dei creaturas, et totum putaret esse pro nihilo, et cibum, et potum, et delicias transeuntes præferret omnibus; ex hoc uno capite meruisse auctoritatem, ut in divinorum voluminum numero poneretur, quod totam disputationem suam, et omnem catalogum suum, hac quasi coarctaverit, et dixerit, finem sermonum suorum auditu esse promptissimum, nec aliquid in se habere difficile, scilicet, Deum timeamus, et ejus præcepta faciamus, ad hoc enim natum esse hominem, ut Creatorem suum intelligens veneretur, eum, et meruat honore, et opere mandatorum. S. HIERON. *in Eccles. c. ult.*

JUCUNDITAS. — S. Bernardus observat, in nuptiis Canæ Galileæ celebratis vinum miraculose a Christo Domino procreatum, quod præfigurabat internam animæ timentis lætitiam; hoc enim vinum ita disposuit Dominus, ut hauriretur ex hydriis purificationis : Bonum vinum non ex vinea impuritatis, sed ex hydria purificationis, hauritur. Quo magis mundabitur, et purificabitur vas conscientiæ, eo plus etiam accrescet vinum spiritus, et jubili interni. Notat idem Sanctus sermone sequenti, S. Paulum prius dixisse : *Justitia, et pax* deinde, *et gaudium in Spiritu Sancto.* Attendis, et intendis, quia gaudium in fine est : prosequitur deinde sermonem :

Prius est, justitiam facere, inquirere pacem, et prosequi eam, et sic demum apprehendere gaudium, imo a gaudio comprehendi. S. Bern. s. i, *de verb. Ap. c. Rom.*

Legimus in Genesi, mandatum Dei datum Abramo, ut in holocaustum offerret Deo unicum suum filium, indicavit insuper ei locum, ad quem tendere deberet : *Vade in terram visionis.* Quid hoc indicatur mysterio, quod ei præscribitur, ac limitetur situs, et locus Sacrificii? An non sufficiebat sacrificium? Ad quid hæc circumstantia? vade in terram visionis. Respondet, et exponit Oleaster, ut Abrahamum stimularet ad ejusmodi opus heroicum, apposuit ei sanctum suum timorem. Verum posset mihi objicere : Isaac idem est, et sonat, quod risus : *Risum fecit mihi Deus;* quod si igitur hic mactandus est, timor repellet risum, et omne gaudium. Respondetur, Deum non voluisse eum mactari, et offerri, sed disposuisse, ut vivus remaneat, cum majori Abrahami gaudio, et jubilo, veluti postea declaravit : *Nunc cognovi, quod timeas Deum.* Quotiescumque nos Dei timore stimulati dispositi sumus ad sacrificandum arietem, nimirum ad mortificandos, et reprimendos effrænes, inordinatosque appetitus nostros, nostrisque nos privamus deliciis, et mundanis illecebris, Deus corda nostra vera, solidaque replet lætitia : *Timor Domini dilectabit cor*; vivus remanet Isaac, nec non verum a Deo nobis communicatur spiritus, et devotionis gaudium. Mansi *disc.* xii, n. 1.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Inter alia, quæ erga Sponsum suum Sponsa olim in Canticis Salomonis ostendit affectus mutui indicia, istud non postremum erat, quod eumdem inter ubera sua commorari dixerit, per quæ ubera Granadus timorem, et amorem, quibus, et majestatem ejus, et bonitatem amplectitur, et veneratur, intelligit. *Gran. in loc. com. f.* 684.

Quam magnum a nobis timorem, et reverentiam Dominus exigat, declarat ingens ille apparatus ignis, et fumi, et sonitus buccinæ, quo Deus legem Hebræis tulit, hinc Moyses perterrito populo dixit : Nolite timere; ut enim probaret vos, venit Deus, et ut terror illius esset apud vos. *Ibid.*

Sigismundus Imperator, cum quæstio forte mota esset : præstaret ne amari potius, quam timeri reges? suam ipse sententiam aperiens dixit : Superi amari volunt, ac timeri, ita et Reges; neque enim ames, nisi timeas. *Exod.* xv, *Beirl. them.* 3, *in fest. Purif.*

Necessitas. — Recte quidam timoris divini necessitatem explicans cecinit.

Non metuendi.
Causa timere Deum : quem quisquis non timet (unum,
Omnia jure timet.
S. Paulinus, natal. viii.

Inter alias timendi causas non immerito una ex præcipuis creditur peccatorum quorundam occultissima natura, quæ sicut lima nullo edito signo etiam ferrea corda exedit, et inadvertenter corrumpit, cujus rei gratia Propheta dixit : Delicta quis intelligit? Gran. *loc. tem.* f. 686.

Utilitas. — Qui insidias timet, in nullas incidet : nec cito perit ruina, qui ruinam timet : Semper enim metuendo sapiens vitat malum; nam inimicum quamvis humilem docti est metuere, juxta illud :

Parva necat morsu spatiosum vipera taurum
Causa pusilla nocet, sapiens sibi noxia vitat.
A cane non magno sæpe tenetur aper.
Senec. in Sent. or.

Stultum est timere, quod vitare non possis. Tutissima res est, nihil timere præter Deum. Timidum non facit animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia mala. *Seneca in prov.*

Timor, sicut modestiæ cognatus est; ita familiaris est sapienti, quia mentem componit, et humiliat. Cicer. *in Tusc.* xcix.

Expedit multo bene timere, quam male fidere. Et utilius est, ut homo se infirmum cognoscat, et fortis existat, quam fortis videri velit, et infirmus emergat. S. Aug.. *de singul. Cler.*

Quidquid fieri potest quasi futurum cogites. Circumspicienda duo sunt, et futuri timor, et veteris incommodi memoria : hoc ad me jam non pertinet, illud nondum :

Grata superveniet, quæ non sperabitur hora.
Senec. xix, epist.

AXIOMATA.

Animus, vereri qui scit, tuto scit aggredi. *Buchlerus V. metus.*

Pœnam prævenit pœne metus. *Publius Ibid.*

Qui pavet, cavet. *Floril. V. eod.*

Nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet. *Ibid. Idem.*

AUCTORES.

Jacobus Salianus de Timore Dei.

Petrus Sanchez in regno Dei.

Jacobus Alvarez to. II, l. III, p. 2, c. IV, § 3.

Ludovicus Granatensis in locis communibus. fol. 679.

Theophilus Bernardinus de bono perseverantiæ l. V, c. I, et seq.

Joannes Busæus in Viridario V. eodem.

Bernardinus Rosigniolius l. I, de act. virt. c. XVII.

Alphonsus Rodriguez p. 1, de perfectione tr. 3, c. XIII, et XV.

Laurentius Beirlinck them. 3, in festo Purif.

Mathias Faber conc. I, in Dom. 15, post Pent. et conc. VII, in Dom. 18, post Pentecost. Item in auctario them. V, in Dom. XV, post. Pent.

Jacobus Marchantius in horto Pastorum tr. XII, lect. VII, prop. 1, et seq.

Josephus Mansi Bibl. Mor. tract. XCIII.

TRISTITIA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est apprehensio disconvenientiæ in appetitu intellectivo, vel volitivo, nobis nolentibus evenientis. (*Langius in Pol. van.*) Vel, ut Valentia clarius describit, est passio, per quam appetitiva cum quadam perturbatione (intelligendo per hanc, amaritudinem quamdam vitalem ex præsentia mali, quod odio habetur, et vitari nequit exortam), et inquietudine execratur malum jam præsens secundum rem, vel saltem secundum apprehensionem. (*Valent. q. 6, dub.* I.) Unde tristitia, seu dolor stricte acceptus, non est formaliter ipsa actio disconveniens subjecto, ut communis vulgi habet opinio, sed est actus ipsius appetitus, malum aversantis.

Divisio. — Dividitur in *bonam et malam;* seu, ut Alphonsus Rodriguez post S. Leonem papam, et Cassianum vocat, *Mundanam et Spiritualem.* Mundana, seu mala est, quæ ob jacturam cujuspiam rei caducæ, aut alium casum ærumnosum, concipitur, de qua loquitur S. Paulus, cum ad Thessalonicenses scribit : Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent. (I. *Thess.* IV, 11.) Spiritualis et bona est, quæ propter, et secundum Deum concipitur : atque, ut Rodriguez notat, ex quatuor causis oritur : 1. *Ex peccatis propriis,* de qua S. Paulus dixit Corinthiis : Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. (II. *Cor.* 9.) Constristati enim estis secundum Deum; quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. : 2. *Ex peccatis alienis :* quemadmodum S. David de seipso fatetur : Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. (*Ps.* CXVIII, 39.) 3. *Ex perfectionis desiderio;* juxta illud Christi : Beati, qui esuriunt, et sitiunt, justitiam quoniam ipsi saturabuntur. 4. *Ex dilectione Beatitudinis;* qua tristitia iterum correptus S. David exclamabat : Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. *Ps.* CIX, 5.

Azor, alio quoque modo dividi tristitiam, scilicet in *luctum,* qui est tristitia ex ejus, qui charus fuerat, acerbo interitu concepta : *Mœrorem,* quæ est tristitia stabilis : *Ærumnam,* quæ est tristitia laboriosa, et diuturna : *Dolorem,* quæ est tristitia torquens, et crucians : *Lamentationem,* quæ est tristitia cum ejulatu *Sollicitudinem,* quæ est tristitia cum cogitatione : *Molestiam,* quæ est tristitia permanens : *Afflictationem,* quæ est tristitia cum vexatione corporis, et *Desperationem,* quæ est tristitia omni rerum meliorum expectatione carens. *Azor.* to. I, l. III, c. XIII, q. 4.

Effectus. — Primus est, *obscuratio ingenii* ob spirituum obtenebrationem, et quia per objectum dolorosum omnes animæ vires occupantur, quominus se ad operationes ingenii extendere possint.

Secundus est, *aggravatio inclinationis naturalis,* quo minus bono, ad quod propendet frui queat.

Tertius est, *transmutatio corporalis, natura contraria,* quatenus scilicet naturalis motus cordis, et sanguinis vitalis diffusio impeditur.

Quartus est, *debilitatio operationis* : quia, quæ cum tristitia, et contra voluntatem fiunt, minori cum diligentia, et alacritate perficiuntur. S. Thom. I, 2, q. 17.

EX. S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Dormitavit anima mea præ tædio. *Ps.* CXVIII, 28.

Cor pravum dabit tristitiam, et homo peritus resistet illi. *Eccl.* XXXVI, 12.

FUGA. — Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas temetipsum in consilio tuo. *Eccl.* XXXVI, 22.

Tristitiam longe repelle a te; multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa. *Ib.* 15.

Noli esse pusillanimis in animo tuo. *Ib.* VII, 9.

Ne dederis tristitiæ cor tuum, sed repelle eam a te, et memento novissimorum. *Ib.* XXXVIII, 21.

DAMNUM. — Omnis plaga tristitia cordis est. *Eccl.* XXV, 7.

Mæror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono lætificabitur. (*Prov.* XII, 25.

Cor gaudens exhilarat faciem : in mœrore animi dejicitur spiritus. *Ibid.* XV, 12.

Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa. *Ibid.* XVII, 22.

A tristitia festinat mors, et cooperit virtutem, et flectit cervicem tristitia cordis. *Eccl.* XXXIII, 19.

Non est sensus, ubi est amaritudo. *Ibid.* XXI, 15.

EX SS. PATRIBUS.

TRISTITIÆ BONÆ UTILITAS. — Mulctatus est quispiam pecunia? tristatus est, mulctam non emendavit. Filium quis amisit? doluit, mortuum non ressuscitavit. Flagellatus est quis? doluit, contumeliam non revocavit. In morbum quis incidit gravissimum? doluit, morbum non sustulit, sed difficiliorem reddidit. Vides, horum nulli prodesse tristitiam. Peccavit quis? tristatus est, peccatum delevit, dissolvit debitum. S. CHRYS. *hom.* V, *ad popul.*

Illa (scilicet bona tristitia) obediens est, affabilis, humilis, mansueta, suavis, ac patiens, utpote ex Dei charitate descendens, habens in semetipsa omnes fructus Spiritus sancti; hæc vero (nempe tristitia mala) aspera, impatiens, dura, plena rancore, et mœrore infructuoso, ac desperatione pœnali universos fructus spirituales evacuat. CASSIAN. lib. IX, *de instit.*

TRISTITIÆ MALÆ DETRIMENTUM. — Nulla res ita inebriat, ut animi perturbatio, id est, tristitia, quæ ducit hominem ad mortem; hæc abominanda ebrietas est. S. HIER. *sup. Matth.*

Ab omni contemplatione virtutum, et intuitu spiritualium sensuum dormitat anima, quæ perturbationis hujus zelo fuerit sauciata. CASSIAN. l. X, c. IV.

Tristitia spiritus orationes explere cum solida cordis hilaritate non permittit, non sacrarum lectionum sinit remediis incubare; tranquillum quoque ac mitem fratribus esse non patitur, et ad cuncta operationum vel Religionis officia impatientem, et asperum reddit. S. AUG. *de gen, ad litt.*

Multos sane novimus, cum calamitate ingenti affligerentur, sibi vix a lacrymis temperasse, deinde in quosdam morbos insanabiles cecidisse, in apoplexias, inquam, ac paralyses; alios vero penitus exanimatos esse cum vires ipsorum perinde, ac debile fulcrum quoddam, tristitiæ onere confrigerentur. S. BASIL. *de grat. act. ho.* IV.

Mœror, etiam absente dæmone, multa per se horrenda efficit, plurimosque eorum, qui sibi vel nexuerunt laqueos, consciverunt gladios, vel fluvii se undis, vel flammis donaverunt, vel alio quovis genere perdidere seipsos, sola doloris, ac mœroris vi ad ita occumbendum impulsos reperimus. S. CHRYS. lib II, *de prov.*

Memoria, quasi venter est animi : lætitia vero atque tristitia quasi cibus dulcis et amarus. AUG. l. X, *Confess.*

Tristitia sæpe gravitatem cordis sequitur. GREG. l. XI, *mor.*

Tristis ex propinquo habet iram. *Idem in Part.*

FUGA. — Depone mœrorem, si potes : include, si non potes. Aut absorbendus omnis, aut premendus est dolor. Cur enim mæstitiam tuam non ratio potius, quam dies, leniat? nam quod obliteratura est temporis series, melius prudentia mitigabit. S. AMBR. *orat.* I, *in Satyr.*

Absque illa tristitia, quæ vel pro salutari pœnitentia, vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur futurorum, omnis tristitia tamquam sæculi, et quæ mortem inferat, æqualiter repellenda est; ac sicut fornicationis spiritus, vel philagyriæ, vel iræ, de nostris cordibus penitus extrudendus. CASSIAN. l. IX, *inst.* c. XIII.

Miseros nos facere poterit nemo, nisi nosmetipsos facimus; sicut scilicet nec beatos, nisi nos efficiamus cum Dei gratia. S. Chrys. *hom.* XVIII, *ad popul.*

Vis nunquam esse tristis, bene vive; bona vita semper gaudium habet. Hugo III, *de Anim.*

EXEMPLA.

Fuga. — S. Apollonius negabat, ullo modo decere illos, qui sua corda in Deo fixissent, ab eodemque cœlorum regnum exspectarent, tristari. Tristentur, aiebat, Gentiles, Judæi, cæterique Infideles; neque item peccatores modum lugendi faciant; at justis, quos spes viva perennium bonorum alit, quæ causa mærendi? *Vita PP. apud Rodrig.* p. 2, tr. 6, c. VII.

S. Franciscus Seraphicus, si quem ex suis subtristem conspexisset, graviter objurgabat, dicens, oportere eos, qui dæmoni, carni, et mundo serviunt; non vero, qui Deo serviunt, tristes esse, nisi forte in culpam aliquam inciderint. Lyrius, *apopht.* VI, lib. I.

Damnum. — Monialis quædam S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis apparens dixit, se cœlesti quidem gloria nunc potiri; quinque tamen horarum spatio in purgatorio hærere debuisse ob immoderatam tristitiam, quam animo prædominari passa fuisset. *Ibid.*

S. Gregor. teste D. Thoma, ob mœrorem animi, pleniorem explanationem in Ezechielem Prophetam intermisit. Atque idipsum sibi etiam evenisse S. Hieronymus fatetur. Busæus, *in Panar. V. eod.*

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut vermes maxime in lignis tenerioribus crescunt; sic mœrores ut plurimum in homines molliores cadunt. S. Basil. *or. de mor.*

Bona tristitia. — Sicut vermis, in ligno natus ipsum comminuit; sic tristitia de peccato nata peccatum conterit per pœnitentiam inducta. S. Chrys. *hom.* VII.

Mala tristitia. — Sicut tinea vestimento, et vermis ligno ita viri tristitia nocet cordi. *Prov.* XXV, 20.

Sicut nubes condensata, et sub solarem radium, currens, omnem retrorsum splendorem avertit; sic tristitiæ nebula, cum ante animum nostrum steterit, non sinit facilem esse orationis cursum, sed suffocat, et cum multa necessitate intus reprimit. S. Chrys. *hom.* II, *de divers.*

Sicut vestimentum tinearum esu attractum nullius pretii vel honesti usus poterit ulterius habere commercium; itidemque lignum vermibus exaratum non jam ad ornatum vel mediocris ædificii, aut ad sustinendum aliquod pondus, sed ad combustionem ignis merebitur deputari; ita igitur, et anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus devoratur inutilis erit.

Sicut febricitantibus ille calor, gelidusque horror, longe est molestior, quam sanis, qui pro diverso anni tempore aut frigent, aut calent; ita tristitia, ex propriis oriunda culpis, longe sævius animum excruciat, quam quæ aliunde ex casibus fortuitis procedit. Plutarch. *ep. ad facium.*

Sicut amara herba, cibis admixta, omnes cibos reddit insipidos; sic tristitia omnes nostras actiones reddidit fastidiosas) Busæus *in pen. V. eristis.*

MOTIVA.

Ad tristitiam malam fugiendam. — Quia tristitia est *radix vitiorum* plurimorum, ut non immerito illi attribuant aliqui hæc S. Davidis verba : Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ. (*Ps.* CIII, 20.) Item : Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. *Ps.* X, 2.

Quia, ut S. Franciscus Seraphicus recte advertit, in *desperationis barathrum* præcipitat, aut certe voluptatibus mundanis dissolvit; quæ causa est, ut vehementer ob eam lætetur Dæmon. Rodrig. p. II, tr. VI, c. I.

Quia *summæ amentiæ* indicium est, uti S. Chrysostomus pronunciavit, dicens: Summæ est amentiæ in rebus incertis certo se jam cruciatu conficere. S. Chrys. lib. II, *de prov.*

Quia, et *Deo summe displicet ;* ut enim hilarem ille datorem diligit, teste S. Paulo (II. *Cor.* III, 7); ita non potest non illi tristis dator summopere displicere.

MEDIA.

Oratio : Sic enim S. Jacobus suasit, dicens ; Tristatur aliquis vestrum? oret. (Jac. V, 13.) Hinc, et Christus cuidam in summo mœrore jacenti dixit : Surge atque ad meditandam meam passionem accingere. Quod, ubi is fecit, omnis animo angor discessit. Rodrig. p. II, tr. VI, c. V.

Sermo jucundus : Sic Salomon docuit, dum dixit : Mœror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono lætificabitur. *Prov.* XII, 25.

Vita bona : non enim contristabit justum, quidquid ei acciderit. (*Ibid.* 21.) Hinc Hugo ait : Vis numquam esse tristis? bene vive, bona vita semper gaudium habet.

Memoria Dei : uti S. David exemplo suo docuit, dicens : Memor fui Dei, et delectatus sum. (*Ps.* LXXVI, 4.) Et confirmat S. Isidorus Pelusiota, dum ait : Animum mœrore oppressum, et profligatum nihil perinde oblectare potest, ut Dei memoria. Quemadmodum enim mulieris illius cruento profluvio laborantis morbus, qui nec exinaniri, nec a medicis tractari, ac sedari poterat; temporis puncto depulsus est; sic etiam humana mæstitia consolationem propellens, ut cui nihil solatii adhiberi queat, ad solam Dei recordationem facessit, et evanescit. S. Isidor. l. III, p. 129.

Spes beatitudinis : Nam, ut Cassianus, ait, hanc perniciosissimam passionem ita de nobis expellere poterimus, ut mentem nostram spirituali meditatione jugiter occupatam futura spe, et contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus. Cassian. l. IX, *instit.* c. XIII.

Phantasiæ correctio : Sicut enim pueris larvas formidantibus, larvas in manus damus, et equos ad quævis objecta timere solitos calcaribus admotis ad ea propellimus, ut nihil timendum esse advertant; ita phantasiæ quoque, et intellectui nostro inanitatem terriculamentorum ex adversis oriri solitorum ostendere debemus. (Staplet. t. I, *Dom.* IV, *post Pasc.*) Hinc recte dixit S. Chrysostomus : Hominem nihil expertum mox, si quæ fortuito oboriuntur turbulentiæ, imo non solum res ipsæ, sed et stultæ opiniones, et rerum umbræ pavidum reddunt, et perterrent. Verum qui non omnino inexercitatus in certamen ingreditur, sed multa ante mala perpessus est, in omnibus postea superior fit, et tamquam graculos crocitantes eos, qui minantur, contemnit. Non parva autem hæc est corona, neque exigua merces, quod illum nihil humanarum rerum movere potest. S. Chrys. *serm. de resurrect.*

Alienarum calamitatum consideratio : Sic Demonax Philosophus quemdam filii mortem inconsolabiliter lugentem audiens promisit, se filii umbram ab inferis revocaturum, si tres ex omni hominum numero nominare posset, qui nullius obitum luxissent, et quibus nullum obtigisset infortunium. Cumque ille nec unicum ostendere posset, subjecit Demonax : Quid igitur, tamquam rem novam, et insolitam passus esses, teipsum inaniter discrucias? Stapl. l. c.

ASCETICA.

Tria sunt, quæ de tristitia singulariter Ascetæ sunt observanda, et scienda. Primum est, ut bene cognoscat, quantopere illa perfectionis studio obsit; certe Cassianus toto libro eam persequens concludit, non minori studio curandum esse hunc morbum, quam cæteros, si spiritualis agonis certamina cupiamus desudare, utpote quæ omnem intelligendi et volendi facultatem quasi obstupefacit, et obtundit. Cass. l. IX, c. XIII.

Alterum est, ut solidum, et efficacem sciat modum pellendi hanc tristitiam, qui quidem in eo potissimum consistit, ut omnem ex animo rerum creatarum concupiscentiam extirpantes, in solo Deo lætari assuescamus; nam, ut sapienter advertit S. Gregor. Qui aut non habita concupiscit, ut habeat; aut adepta metuit, ne amittat : et dum in adversis prospera, in prosperis formidat adversa, huc illucque quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. (S. Greg. l. XII, *mor.* c. XIV.) E contrario vero, ut S. Chrysost. ait, in Domino gaudens, hac voluptate ex nullo accidente excidere potest. Alia quippe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia sunt, et transitu facilia. Nec hoc solum, sed etiam apud nos, manentia, nascentem ex aliis rebus tristitiam repellere non possunt. S. Chrys. *hom.* XVIII, *ad popul.*

Tertium est, ut certo sibi persuadeat id, quod S. Chrysostomus iterum sapienter docuit, nullam jacturam fieri per tristitiam, et dolorem reparabilem, nisi quam peccatum affert, atque adeo huic soli eam impendi debere. Hinc S. Leo dicere solitus erat, religiosam tristitiam, aut alienum peccatum lugere, aut proprium. S. Leo. *ap. Beyr. t.* IV, *in Fest. omn. SS.*

MISCELLANEA.

Qualitas.— Lyciorum Legislator suis præcepit, ut quoties in luctum incidissent, veste induti muliebri fugerent; indicare volens, hujusmodi affectum muliebrem, et viro indignum esse. Seneca, *in or. consol.*

Necessitas. — Socrates rogatus, quomodo quis vitam tristitia, vacuam degeret? respondit, fieri non posse, ut, qui in civitate, vel familia habitat, et cum hominibus conversatur, non aliquando tristetur. Maxim. *serm. de dolor. ag. trist.*

AUCTORES.

Joannes Busæus in Panario. V. eodem.

Alphonsus Rodrig. p. II, tr. vi, toto.

Mathias Faber conc. ii, in Festo SS. Philippi, et Jacobi.

Josephus Langius in Polyanth. V. eod.

Laurentius Beyrlinck in theatro vit. hum. V. eod. et in Promptuario them. in Festo Omnium Sanctorum.

Hadrianus Lyræus in lib. I, apoth. S. Ignatii apoph. vi.

VANA GLORIA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est inordinatus gloriæ appetitus. Gloria autem nihil aliud est, quam clara aliorum de nobis, bonaque notitia, seu æstimatio, quæ si interius subsistit, *Fama* vocatur; si verbis probatur, *Laus* appetatur; si aliis signis exterioribus manifestatur; *Honor* dicitur. (S. Ambr. *super Ep. ad Rom.*) Circa hanc definitionem recte notant aliqui, vanam gloriam proprie non esse peccatum, sed peccati objectum in alio existens, tamen sumitur improprie pro ipso actu voluntatis appetente talem gloriam, unde festius vana gloriatio diceretur. Beyrlinck. *in Thom. V. eod.*

Divisio. — Dividitur a S. Thoma in tres species 1. In eam, quæ quæritur ex rebus transitoriis, vel de non ente, vel de peccato. 2. In eam, quæ ab hominibus, et non a Deo, quæritur. 3. In eam, quæ ad debitum finem non ordinetur. (S. Thom. II, II, q. cxxx, ar. 1.) Alii tres assignant *hujus vitii species*, juxta tres modos, quibus, quæritur vana gloria. *Prima est, quando de simulata excellentia quæritur opinio, vel fama,* uti hypocritæ, et alii, qui fingunt false, et se artis cujuspiam esse peritos, faciunt. *Secunda, si major quæratur gloria quam par sit. aut de rebus indignis*, uti jactabundi faciunt, et omnes, qui de opibus, et rebus inanibus gloriantur. *Tertia, si apud eos, qui de rebus non possunt judicare, gloria quæratur*, sicut si quis coram imperitis disputaret, ut sapiens ab eis habeatur. (Beyrlinck. *Ibid.*) S. Philippus Nerius alias tres vanæ gloriæ species assignavit, quarum primam vocavit *dominam*, quia tunc vana gloria instar dominæ est, quotiescumque illa præcedit, et propter illam fit opus. Secundam vocavit *sociam*, quando homo non facit quidem directe opus propter finem vanæ gloriæ, nihilominus in ipso opere percipit aliquam propriam complacentiam, et vanam gloriam. Tertiam dixit esse *servam* sive *ancillam*, quando ex opere operato consurgit vana gloria, at subito reprimitur; unde monere solebat suos dicens : Attendite diligenter, et ad minus curate, ne vana gloria sit domina. S. Philip. Nerius, *ap. Mansi*, d. c. vi, n. 3.

Filiæ, et actus vanæ gloriæ. — *Septem* a S. Tho. assignantur, quæ tali modo demonstrantur : quia vana gloria consistit in manifestatione propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ : hæc autem manifestatio dupliciter fieri potest. Primo directe, idque vel per verba, et sic est *jactantia :* vel per facta, quæ si vera sint, et aliquid admirationis habeant, erit *præsumptio novitatum* (has enim solent homines magis admirari), si falsa sint, erit, *hypocrisis.* Secundo indirecte, quatenus scilicet vis ostendere, te non esse altero minorem, idque quadrupliciter : vel ratione intellectus, quod sit per *pertinaciam*, qua quis nimis inhæret suæ sententiæ, nolens cedere alteri meliori; vel ratione voluntatis, quod per *discordiam* contingit, qua quis non vult consentire alteri; vel quoad verba, sicque *contentio* oritur; vel quoad facta, dum quis non vult exequi præceptum superioris, ne videatur minor, et est *inobedientia.* B. Thom. II, II. q. ccxxxi, ar. 5.

Alios Actus vanæ gloriæ sic poteris concipere.

Primus est, *sua facta vel dicta plus, quam oportet, æstimare;* ex hac enim æstimatione velut radice ipsa postea inanis gloriatio oritur.

Secundus est, *beneplacere sibi in suis operibus, aut dictis*, seu, quod idem est, gaudum, voluptatem ex eorum consideratione percipere.

Tertius est, *desiderare, ut ab aliis quoque cognoscantur, et æstimentur*, sicque bonam apud eosdem famam quis acquirat.

Quartus est, *desiderare, ut ab aliis non tantum interius concipiatur hæc æstimatio, sed exterius etiam prodatur, verbisque manifestetur*, in qua manifestatione *Laus* consistit.

Quintus, *variis artibus, modisque hanc aliorum de suis æstimationem, laudemque venari.*

Sextus, *etiam propriis verbis eadem deprædicare* : quæ prædicatio proprio nomine *Jactantia* vocatur.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus, quasi flos agri. Isaia, xl, 6.

Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Joan. vii, 18.

Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Joan. viii, 45.

Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. Job, xii, 41.

Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. I. *Cor.* v, 7.

Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia.

Hoc scio a principio; ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. Job. xx, 4.

Fuga. — Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Ps.* cxiii, 9.

Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Luc, xvii, 18.

Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? I. *Cor.* iv, 7.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes. Gal. v, 2.

Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. Matth. vi, 1.

Nec glorieris in crastinum, ignorans, quid superveniens pariat dies. Laudet te alienus, et non os tuum : extraneus, et non labia tua. *Prov.* xxvii, 1.

Non glorietur sapiens in sapientia sua : et non glorietur fortis in fortitudine sua : et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me. Jerem. ix, 3.

Damnum. — Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis. Joan. vii, 46.

Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, et intulistis parum : comedistis, et non estis satiati : bibistis, et non estis inebriati : operuistis vos, et non estis calefacti : et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. Aggæi, i, 7.

Percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam faciens. Oseæ, ix, 16.

Ventum seminabunt, et turbidinem metent; cumulus stans non est in eo : germen non faciet farinam : quod etsi fecerit, alieni comedunt ex eo. *Ibid.* viii, 7.

EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Inanis gloria hujus sæculi, fallax est suavitas, et infructuosus labor, et perpetuus timor, et periculosa sublimitas, initium sine providentia, finis sine pœnitentia. S. Aug. *sub Ps.* vii.

Tuba est omnis actus, vel sermo, per quam ipsa operis jactantia designatur; tuba ergo canere, est pompam vanæ laudis appetere. S. Chrys. *sup. Matth.*

Laudamus mendaciter, delectamur inaniter, et vani sunt qui laudantur, et mendaces qui laudant. S. Aug. *in quadr. epist.*

Sæpe bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ quamvis quæsita non fuerit, tamen oblata delectat. S. Greg. *in mor.*

Omnia vitia superata marcescunt, et devicta per singulos dies infirmiora redduntur, hoc vero dejectum acrius resurgit ad luctam, et cum putatur extinctum, sua morte vivacius convalescit. Et hæc est subtilis inimici versutia, ut militem Christi propriis faciat telis occumbere, quem hostilibus armis non potuit superare. Cassian. l. I, *Inst.* c. vii.

Vitiorum auctor dæmon in eo, quod non potest vincere vitiis suis, vincit virtutibus alienis : Armis, quibus eliditur, surgit, et virtute, qua dejicitur, dejicit. Laudat, qua se prospicit superari virtutem; ut victus possit captivare innocentem. B. Fulg. *ep.* I, *ad Ptobam.* c. xv.

Si opera virtutum foras exierint, rarus est, qui hominum judicia conspuat, et laudes humanas contemnat. S. Cypr. *ap. Alv.* t. II, l. I, p. I, c. xv.

Valde perfectorum est, sic ostenso opere, auctoris gloriam quærere, ut de illibata laude nesciat privata exultatione gaudere. S. Greg. l. XXII, *mor.*

Odium, quo apes fumum prosequuntur, significat eos, qui Deo mellificant, nec re ulla æque offendi, quam laudum humanarum fumo. S. Basil. *in Ascet.*

Lubricus est humanæ gloriæ morbus; nam velut umbra corpus, ita gloria ubique sequitur virtutem, etiam in intimas solitudines, ut eam mactet, et perdat. S. Hier. *Ep.* clii, *ad Eusto.*

Omnia vitia superata marcescunt, et devicta per singulos dies infirmiora redduntur; hoc vero devictum acrius convalescit. Cætera genera vitiorum eos tantum impugnare solent, quos in certamine superarint; hoc suos victores acrius insectatur, quantoque fuerit validius elisum, tanto vehementius victoriæ ipsius elatione congreditur. Cassian. l. XI, c. vii.

Hæc est spiritualium bonorum ratio, ut, cum ea summo labore constet acquiri, tam facile pereant, ut vix possit intelligi; et inde est, quod nos interdum sanctos putamus, quia lucra de laboribus æstimamus, et detrimenta subsequentia deprehendere non valemus; quam frequenter indicationis malum, vanitatis, ac jactantiæ morbum, dum non sentimus, incurrimus? Eusebius, *ho.* viii, *ad monach.*

Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non sentit, nisi qui ei bellum indixerit, quia, etsi facile est cuique laudem non capere, dum negatur, difficile tamen est ei, non delectari, cum offertur. S. Prosp. c. cxvii, *de Sent.*

Cum per accepta bona reprobi in sua laude se elevant, ipsis muneribus contra largitorem pugnant. Greg. viii, *mor.*

Mirabile vanæ gloriæ genus est, ut non possis putari sanctus, nisi sceleratus appareas. Bernard. *sup. Cant. serm.* i.

Immensa præsumptio est a seniore sibi reverentiam exigere, silentium imperare meliori. Gregor. *in mor.*

Nulla præsumptio perniciosior, quam de propria justitia ac scientia superbire. Aug. *super Eccl.*

Vana gloria atque jactantia non tantum in pompa, et nitore, sed etiam in sordibus est. *Idem*, l. II, *de serm. Dom. in monte.*

Gloria inanis ubique arcem tenet. Chrys. *sup. Matth. hom.* xii.

Fuga. — Joseph, cum domum, et omnia bona Ægypti domini sui sibi credita sciret, dominam non ignoravit exceptam, et ob hoc non acquievit contingere. *Non est*, inquit, *ex omnibus bonis domini mei, quod non in mea potestate sit, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es.* Mulierem noverat gloriam esse viri, et iniquum sibi judicabat vice contraria inglorium facere eum, qui se fecerat gloriosum. Advertit homo Dei sapientia prudens, virum uxorem fortiter tamquam propriam zelare gloriam, sibique ipsi retinuisse servandam, non alii credidisse, et manum ad non concessum extendere non præsumpsit. Quid ergo? Homo zelat gloriam suam, et Deum audet velle fraudare de sua, quasi non zelante? Sed audi, quid dicat : *Gloriam*, inquit, *meam alteri non dabo.* Quid ergo dabis nobis, Domine? S. Bern. *serm.* xiii, *in Cant.*

Secura tunc erit unicuique laus a Deo, his dumtaxat, qui humanas laudes contempserint. Nam gloria est in confusione eorum, qui terrena sapiunt, dicente etiam David : *Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Fratres, si hæc scitis, nemo vestrum velit laudari in vita sua, quia quicquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tibi enim unde gloria, putride pulvis, tibi unde? De vitæ sanctitate? *Sed spiritus est, qui sanctificat;* spiritus dico, non tuus, sed Dei. Et si prodigiis, aut signis effulgeas, non manu tua fiunt, sed virtute Dei. An blanditur popularis favor, quod verbum bonum, et bene forte deprompseris? Sed Christus donavit os, et sapientiam; nam lingua tua quid, nisi calamus scribæ? hoc ipsum mutuo accepisti. *Idem.*

Noverat Apostolus, gloriam propriam esse Creatoris, non creaturæ : secundum illud : *Gloriam meam alteri non dabo*, itemque : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Sed consideravit, rationalem creaturam adeo affectare gloriam, ut, aut vix, aut numquam, ab hoc compesci desiderio possit, quippe quæ ad imaginem facta est Creatoris propterea secundum datam sibi a Deo sapientiam, saluberrimum adinvenit consilium dicens : *Quandoquidem persuaderi nobis* *non potest, non gloriari, saltem qui gloriatur, in Domino glorietur. Idem, de tripl. glor.*

Porro honoris esse negligentem, maximo labore indiget magnæ philosophiæ, et animæ cujusdam angelicæ, et quæ ipsum verticem cardinis cœlestis attigerit, certum argumentum. S. Chrys. *hom.* II, *ad Tit.*

Nec satis religiosa velis videri, nec plus humilis, quam necesse est, ne gloriam fugiendo quæras : plures enim paupertatis, misericordiæ, atque jejunii arbitros declinantes, hoc ipso cupiunt placere, quo placere contemnunt, et mirum in modum laus, dum vitatur appetitur. S. Hier. l. II, ep. XVII.

Valde cavendum est vitium, quod de victoria surgit vitiorum. Hug. Car. *in Ps.* VII.

O insipiens, quid tibi prodest hominum memoria, si ubi es, torqueris; et ubi non es, laudaris? S. Chrys. *sup. Matth.*

Quisquis ex deteriore jam melior esse cœpit, caveat de acceptis extolli virtutibus; ne pravius per vanam gloriam corruat, quam prius per lapsum vitiorum jacebat. Isidor. l. I, *de summo bono.*

Laus sua justos cruciat, iniquos exaltat; sed justos, dum cruciat, purgat; iniquos, dum lætificat, reprobos monstrat. S. Greg. *in mor.*

Nescit laudem, cum suppetit, fugere, quia ad hanc didicit, cum deesset, anhelare. *Idem, in Pastor.*

Qui pro virtute, quam agit, humanos favores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat; unde cœli regnum mereri potuit, qui nummum transitoriis sermonibus quærit. S. Greg. l. VIII, *mor.* c. XXVIII.

Inventus thesaurus absconditur, ut servetur, quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus; maligni autem spiritus iter nostrum quasi latrunculi quidam obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publice portat in via. S. Greg. *ho.* XI, *in Evang.*

Stultus ut luna mutatur; quia, sicut luna modo splendet sine fervore, modo plena, modo exigua, modo nulla videtur (mutuatum siquidem lumen numquam in eodem statu permanet) ita qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo magni sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare. S. Bern. *s. de nat. S. Jo. Bapt.*

Oves non tondentur in hyeme, sed in æstate, ne asperitate hyemis opprimantur. Hyems est vita præsens, æstas vero futura. Oves in hyeme tondet, qui causa inanis gloriæ opera sua æstimat; in æstate vero, qui pro vita æterna laborat. Stephan. Cantuar. *in* c. XV, *Deut.*

Nonne dementia est, cum habeas theatrum in cœlo constitutum, spectatores tamen in terra tibi deligere? Athleta, ubi certat, ibi et probari cupit. Tu cum in superioribus certes, in inferioribus coronari quæris? Videamus tamen, si placet, coronas. Illa quidem superbia constat, hæc autem invidia; quædam ex ironia, et adulatione, propter pecunias, et alia; nonnulla etiam ex servili ministerio. Quemadmodum enim pueri ludentes ex fœno coronas alicui imponunt, coronatum autem suum post tergum irrident; sic sæpe fit, ut qui te in faciem prædicant, apud semetipsos clanculum subsannent. S. Chrys. *ho.* XVII, *in epist. ad Rom.*

Nemo satellitum in hujus sæculi regiis, iis omissis, quibus coronato Regi, et in solio sedenti placere oportet, graculorum voces, muscarum, et culicum obvolantium stridores prosequitur. Neque enim iis ulla ex parte potiores hominum laudes inveniuntur. S. Chrys. *ho.* XXVIII, *in Joan.*

Fugiendo gloriam Paula merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, et appetitores sui fugiens, sequitur contemptores. S. Hieron. *in vita S. Paulæ.*

Damnum. — Time sagittam, leviter volat, leviter penetrat; sed dico tibi, non leve infligit vulnus, cito interficit. Nimirum sagitta hæc vana gloria est. S. Bern. *in serm.*

Cum per accepta bona reprobi in sua laude se elevant, ipsa muneribus contra largitorem pugnant. Inde quippe contra dantem superbiunt : unde et amplius humiles esse debuerunt. S. Greg. l. VIII, *mor.*

Qui inchoatæ virtutis ab humano honore laudem receperit, quasi ligni plantati fructus ante tempus comedit. *Ibidem.*

Quasi latrunculus est appetitus laudis humanæ; qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. *Idem,* l. XXII, *mor.*

Inanis gloria est dulcis spiritualium operum exspoliatrix, jucundus animarum postrarum hostis, blandissima bonorum nostrorum deprædatrix, eademque mellis illitu fraudis suæ coloratrix, et mortiferi hominum mentibus poculi porrectrix, quod ea de causa facit, ut vitio se illi avidius ingurgitent homines, nec ulla illius expleantur satietate; dulce enim quid imperitis est gloria. S. Basil. *const. mor.* c. xx.

Qui plus gaudet laudari se, quam donum tuum habere, unde laudetur, iste, te vituperante, laudatur ab hominibus. Et melior jam est ille, qui laudavit, quam iste, qui laudatus est; illi enim placuit in homine donum Dei, huic placuit amplius donum hominis, quam Dei. S. Aug. l. X, *cons.* c. xxxvi.

Sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa, quam superat, elevatur. S. Greg. l. XX, *mor.*

Quicumque se, dum benefacit, extollit, majorem culpam superbiendo peragit, quam bonam mercedem largiendo; fitque nudus, dum nudum vestit, et fit deterior, dum putat meliorem. *Idem*, l. XX, *mor.* c. xiv.

Mater gehennæ est inanis gloria, ignemque illum vehementer accendit, vermemque pestiferum confovet. S. Chrys. *ho.* xxxv, *in ep.* i, *ad Cor.*

Intolerabilis quædam ebrietas est vana gloria : quem suæ subjecit ditioni, is ægre in sanitatem restituitur. Et quam pestifera tabe infecit animam, a cœlo abscindens terræ affigit, neque amplius sinit, ut ad veram lucem possit dirigere intuitum ; qui enim hoc morbo afficitur, nullo præceptore omnia sua sponte operatur, quæ aliis placere, arbitratur : ut aliis admirationi sit, præceps agitur. S. Chrys. *ho.* xx, *in Jo.*

Eleazer in prælio Elephantem feriens stravit, sed sub ipso, quem extinxit, occubuit. Quos ergo iste significat, quem sua victoria oppressit, nisi eos, qui vitia superant, sed sub ipsis, quæ subjiciunt, superbiendo succumbunt? quasi enim sub hoste, qui de culpa, quam superat, elevatur. S. Greg. l. XIX, *mor.* c. xiii.

Pestis insidiosa, inquit, laudis amor, clam etiam per cuniculos quosdam in hominis mentes irrepit, dum virtuti incumbunt, atque ipsa opera sancta absque strepitu maxima cum quiete emedullant, solisque relictis inanibus paleis, absque ullo sensu perdentis, cuncta, quæ intus sunt, auferunt. Franc. Luceburg. *in cap.* vi, *Matth.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Brevis gloria, quæ ab homine datur, et accipitur. Mundi gloriam semper comitatur tristitia. Bonorum gloria in conscientiis eorum, et non in ore hominum. L. II, c. vi, § 1.

Qui veram, et internam gloriam desiderat, temporalem non curat. Et qui temporalem requirit gloriam, aut non ex animo contemnit, minus amare convincitur cœlestem. *Ibid.*

Plena veritate, et gloria cœlesti non sunt vanæ gloriæ cupidi. In Deo confirmati, et fundati nullo modo possunt esse elati. L. II, c. x, § 4.

Vere inanis gloria mala pestis, vanitas, maxima, quin a vera trahit gloria, et cœlesti spoliat gratia; dum enim homo complacet sibi, displicet tibi : et dum inhiat humanis laudibus, privatur veris virtutibus. L. III, c. xl, § 4.

Non placeas tibi ipsi de habilitate, aut ingenio tuo, ne displiceas Deo, cujus est totum quidquid naturaliter habueris. L. II, c. vii, § 2.

Omnis gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ comparata, vanitas est, et stultitia. L. II, c. xiv, § 6.

Quid est omnis caro in conspectu tuo? numquid gloriabitur lutum contra formantem se? Quomodo potest erigi vaniloquio; cujus cor in veritate subjectum est Deo; non enim totus mundus eriget, quem veritas sibi subjecit : nec omnium laudantium ore movebitur, qui totam suam spem in Deo firmavit, Nam et ipsi, qui loquuntur, ecce omnes nihil, deficient enim cum sonitu verborum : Veritas autem Domini manet in æternum. L. III, c. vi, § 2.

Qui extra me voluerit gloriari, vel in aliquo privato bono delectari, non stabilietur in vero gaudio, neque in corde suo dilatabitur, sed multipliciter impedietur, et angustabitur. Nihil ergo tibi de bono adscribere debes, nec alicui homini virtutem attribuere, sed totum da Deo sine quo nihil habet homo. Hæc est veritas, qua fugatur gloriæ vanitas. L. III, c. vi, § 2.

Qui totum Deo adscribunt, quidquid boni acceperunt, gloriam ab invicem non quærunt, sed gloriam, quæ a solo Deo est, volunt, et Deum in se et in omnibus Sanctis laudare super omnia cupiunt, et semper in idipsum. L. III, c. x, § 4.

Qui nullum pro se extrinsecus testimonium quærit, liquet, quod totaliter se Deo commisit; non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. L. II, c. vi, § 4.

Facile erit contentus, et placatus, cujus conscientia munda est. Non est sanctior, si laudaris : nec vilior, si vituperaris. Quod es, hoc es, nec major dici vales, quam Deo teste sis. *Ibid.* § 3.

Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est. Et si fecerit pœnitentiam magnam, adhuc exiguum est. Et si apprehenderit omnem scientiam, adhuc longe est. Et si habuerit virtutem magnam, et devotionem nimis ardentem, adhuc multum sibi deest, scilicet unum, quod summe sibi necessarium est. Quid illud? Ut omnibus relictis se relinquat, et a se totaliter exeat, nihilque de privato amore retineat; cumque omnia fecerit, quæ facienda noverit, nil se fecisse sentiat. L. II, c. xiii, § 4.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Fuga. — Christus de seipso dixit : Ego non quæro gloriam, meam, sed ejus, qui misit me. (Jo. viii, 30.) Et alias frequenter, cum alios vel a lepra, vel alio morbo curavit, dixit : Vide, nemini dixeris. (Matth. viii, 4.) Super quæ verba S. Chrysostomus ait; Ideo nulli dicere jubet, docens non diligere ostentationem et honorem : nam quod alio loco sanatum a se Christus jubet beneficium publicare, non divulgari seipsum jussit, sed dari gloriam Deo. (Luc. viii, 36.) Narra, inquit, quanta tibi fecit Deus. Per hunc ergo leprosum instruit nos, non esse vane gloriosos, per istum autem non esse ingratos, sed omnia ad Dei laudem referre. S. Chrys. *ho.* xxviii, *in Matth.*

Idem binos illuminans cæcos præcepit eis : *Videte, ne quis sciat, illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa.* In quem locum ita commentatur. D. Gregorius. Sed quærendum nobis est, quid sit hoc, quod ipse Omnipotens, cui ipsum est velle, quod posse, et taceri virtutes suas voluit, et tamen ab his, qui illuminati sunt, quasi invitus indicatur? nisi quod servis suis se sequentibus exemplum præbuit, ut ipsi quidem virtutes suas occultare desiderent, et tamen ut alii eorum exemplo proficiant, inviti, et quidem sua occultando, seipsos custodiant, sed dum produntur inviti, bona ad proximos suos exempla transmittant. S. Greg. l. cit.) Bene notat D. Bernardus, quod Filius Dei Rex gloriæ non potuerit subjectus esse vanæ gloriæ; cur igitur semper ostendit se alienum? Numquid inanem gloriam metuebat? quid timeret ab inani gloria, qui est gloria Patris? utque timebat, sed non sibi, timebat nobis ab illa, quibus noverat esse timendum, nobis cavebat, nos instruebat. S. Bern. s. ii, *de Epip.*

B. Virgo, cum S. Elisabeth eam laudare, et inter mulieres benedictam dicere cœpisset, mox ad Deum refundens eas laudes dixit : Magnificat anima mea Dominum. (Luc. i, 47.) Sanct. Thom. Villan. existimat, B. Virg. nulli prorsus, neque etiam ipsi Josepho sponso suo revelasse altissimum illud secretum, tametsi ipsum videret totum anxiosum, sciretque ad ipsum pertinere cœlestis illius partus educationem, sed expectasse tempus, quo ei ex parte Dei Patris per cœlestem nuntium hoc ipsum declaratum fuit. Mansi, dis. v, n. 8.

Joab Dux militiæ cum regiam civitatem Rabat oppugnaret, jamque in sua fere potestate haberet, nuntios ad Regem misit dicentes : Nunc igitur congrega reliquam partem populi, et obside civitatem, et cape eam, ne, cum a me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria. II. *Reg.* x.

S. Petrus, cum ob claudum ab eo sanatum populus vehementer obstupesceret, et ad ipsum quasi gratulaturus accurrisset, eidem dixit : Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, ac potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham etc. *Act.* ii, 12.

S. Bernardus cum ob varia, plurimaque miracula multum ab aliis laudari, et æstimari se adverteret, in hæc verba prorupit : Ex Scripturis didici, signa fieri vel per perfectos, vel per fictos, Ego nec perfectionis mihi sum conscius, nec fictionis. Nihil ergo mihi ex signis istis, quandoquidem meæ illa famæ magis, quam vitæ noverim exhiberi, nec ad meam fieri commendationem, sed ad commemorationem potius, ad fructum autem aliorum et ad fovendum de iis bonam opinionem. (Surius, *in Vit.* c. vi.) Sed et alias si a vana gloria se tentatum advertebat, dicere solitus est : Propter te non cœpi, propter te non desinam. Surius, *in Vita*.

S. Gregorius Turonensis Episcopus semper Reliquias Sanctorum e collo gestabat, ut, quoties miraculum ederet, non suis meritis, sed Reliquiarum beneficio adscriberet.

S. Udalricus Augustanus Episcopus, cum die Jovis sancto visi essent cum eo sacrum facientes SS. Fortunatus, et Adalbero Antecessores, dextra quoque manus consecrans tempore consecrationis super eum apparuisset, tempore communionis clericis, qui viderant, porrectæ, os compressit, ut visum occultarent, et post sub pœna vitæ amittendæ vetuit, ne patefacerent. Eadem de causa cum morbum caducum curare posset, publice id petentibus negavit. *Sur. in Vit.* 4 *Jul.*

Sanct. Nicolaus Episcopus ad pauperes filias elocandas argentum occulte per fenestram injecit : et tertio hoc faciens, ubi se conspectum advertit, celerrime proripuit. *Surius in Vit.* 6 *Dec.*

S. Eligius Episcopus cum cæco largam eleemosynam obtulisset, illeque manu subtrahens, potius oculorum usum restitui sibi petiisset manu mendici arrepta dixit : Tu, amice, necdum nosti te signare, docebo itaque te. Simulque signum crucis fronti imprimens visum restituit, totumque miraculum fidei hominis attribuendum asseruit. *Surius in Vita.*

De S. Thoma Aquinate produnt historiæ, eum per omnem vitam numquam vana gloria fuisse elatum, sive ex profundissima, qua excellebat, cognitione, sive ex intellectu ipsius vere angelico, sive ex aliis amplissimis donis, quæ in ipsum divina bonitas plenu manu effuderat. Vid. de eodem num. 20 *Surius in Vita* 7. *Mart.*

S. Gulielmus Episcopus Parisiensis cum aliquando a vana gloria se pulsatum advertisset, recede, aiebat, recede, o gloria, et vade ad Deum, ad quem solum pertines.

B. Clara de se dixit, se, si a toto mundo honoraretur, nullam mutationem in se, et nec initium vanæ gloriæ habituram ; nec si ab omnibus vilipenderetur, et vituperaretur, ob id turbatum iri. *Vita* p. 2, c. XXVII.

Sara sacrarum Virginum Antistita, cum dæmonem tredecim annis impugnantem vicisset ; illeque ipsi in faciem diceret : Vicisti me, Sara, vicisti : Respondit illa : Non ego te vici, sed Dominus meus Jesus. DREX, l. II, *Amuss.* c. IV, § 5.

Joannes Avila si quando ad utilitatem eorum, quibuscum agebat, quidpiam dicendum incideret, quod sibi alias accidisset, semper istud velut de tertia persona dexterrime enarrasse dicitur. LYRÆUS *in apoph. S. Ign.* l. III, f. 443.

S. Augustinus non obstante, quod damna hujus vitii optime cognosceret, et contrarium ageret, dolenter conquerebatur : Hoc mihi ipse canto quotidie, et tamen vehementer cum adversario dimicans sæpe ab eo vulnera capio, cum delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possim. S. AUG. *Epist.* LXIV, *ad Aur.*

De S. Dominico legitur, quod, cum prædicando, et concionando, copiosissimam animarum collegisset messem, ac propterea ab omnibus ei applauderetur honoresque exhiberentur maximi, fugæ se dederit ; interrogatus, cur id fecisset, respondit : Quia plures ibi me honorant, hic vero omnes me impugnant : quod dixit eo in loco, ad quem se receperat, ubi plurimos videlicet habebat persecutores, et continuas cum hæreticis controvesias. *Vita* l. IV, c. X.

S. Antonius innumerabiles dæmonum assultus sustinuit ; præsertim vero eo tempore, quando jam in perfectione religiosa vitæque sanctitate multum profecerat ; nihil tamen effecerunt, sed semper confusi, et fatigati abierunt. Unde unus formam in se suscepit adolescentis Æthiopis, et ante pedes servi Dei se prosternens dixit : Multos ego decepi, multosque magnæ etiam sanctitatis viros ad lapsum protraxi, et seduxi ; sed a te me fateor victum. Quo stratagemate astutus serpens athletam Christi ad vanam gloriam pertrahere sperabat, et pertraxisset fortassis, nisi Deus dæmonis astutiam ei manifestasset. MANSI, disc. V, n. 10.

De Sancto Philippo Nerio in ejus vita sequentia leguntur : Multi quotidiana ejus gaudentes conversatione observarunt, quod in suis actionibus namquam propriam habuerit complacentiam ; ita humilis extitit, ut sicuti de Sanct. Thoma Aquinate legitur, vanæ gloriæ nullum prorsus senserit stimulum, curam insuper omnem adhibuit, uti hanc conquirerent virtutem ; et quemadmodum Sanct. Joannes Evangelista continuo suis inclamabat discipulis : *Diligite vos invicem,* ita Philippus aliud non dicebat, nisi : *Estote humiles*, idque semper urgebat. Quapropter, cum die quodam, Franciscus Maria Tarugi sermonem haberet, magnoque fervore spiritus exaggeraret excellentiam, et utilitatem patientiæ, idque cum universali auscultantium applausu, sanctus Pater audiens hunc discursum, quia suspicabatur verbi divini præconem vana inde correptum esse gloria, solito more suo strepitum excitare cœpit, ac surgens postmodum, manuque columnam vicinam compulsans, omnium auditorum ad se pertraxit vultus, quod tam diu continuavit, quousque sermoni fuit impositus finis; at quamprimum Concionator e Cathedra descendit, ipse ascendit, altaque voce dixit : neminem e Congregatione sua habere occasionem sese jactandi, et superbiendi, eo quod nullus in eam usque horam inventus fuisset, qui minimam sanguinis guttam pro Christi amore profudisset; bene quidem ex illius servitio, et sequela reportassent, ac reportarent continuo honorem, et reverentiam ; et hanc materiam satis dilatabat cum magna ascultantium ædificatione. Exhortabatur suos, insuper, Dominum Deum orarent, ut, si quam eis dignaretur elargiri virtutem, aut donum aliquod, prorsus celarent, quatenus se continerent in humilitate, nec superbiendi caperent occasionem ; unde quotiescumque aliud dicebant, quod in eorum resultabat laudem, subito respondens dicebat : Secretum meum mihi, secretum meum mihi. MANSI, dis. VI, n. 4.

Sanct. Joannes Apostolus, qui Evangelistæ fungebatur officio, in sua historia simul mentionem facere voluit specialis eximiique illius honoris a cœlesti suo Magistro sibi exhibiti, quod videlicet supra pectus Domini in cœna recubuerit, ast ne desuper gloriari sibique complacere videretur, loquitur et ipse de se in tertia persona? Erat recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. Ubi bene observat Sanct. Cyrillus Alexandrinus : Nomen suum celavit, ne inanis cujusdam gloriæ causa diligi se a Christo dicere videretur. Diceres fortassis aliquantulum saltem propriæ laudis ex suo profluxisse calamo, cum scribit : Discipulus ille erat notus Pontifici. Verum respondeo, ipsum hoc scribendo voluisse potius tegere, et celare amorem suum quem præ aliis Apostolis habebat excellentiorem in Christum, dum ipsum in passione semper secutus fuit; hanc enim continuam sequelam suam palliavit hoc prætextu, quasi familiaris, et amicus aulæ huc accesserit. (S. CYRILL. ALEXAND. l. IX, *in* l. c. c. XV.) Animadverte (ait Div. Chrysostomus) quomodo propriæ laudi demit, ne quis enim diceret, quomodo omnibus aufugientibus ipse ingressus est, causam affert, quod esset notus Pontifici.

Sanct. Thomas Aquinas semotus fuit ab omni umbra vanæ gloriæ, ut, tametsi tempore suo totius Christianitatis fuerit oraculum, tum ob eminentem suam sapientiam, tum etiam ob admirabilem sanctitatem, numquam nec per umbram infestatus fuerit a vana aliqua complacentia; unde in vita ejus postremo in lucem edita a P. Paulo Frigerio Ordinis sui sacerdote, legitur, quod a primis annis hostis extiterit applausus popularis in studiis, et ad imitationem Sanct. Ephrem Syri, desideraverit non videri sanctus, sed potius esse : numquam ex ore ejus audita fuerint verba propriæ estimationis, numquam etiam in anima sua senserit delectationem, aut complacentiam vanæ gloriæ : unde cum bona occasione dixit, et confessus est P. Reginaldo : Deo gratias ago immortales, cum inanis superbiæ morbo numquam laboraverim. (*Vita* l. II, c. XIX.) Vid. etiam de eodem, num. XVIII.

In vita S. Ruggerii Ordin. S. Francisci legitur, quod post eximia a Deo recepta dona patri suo spirituali dixerit. Quid habet homo, de quo gloriari possit? De gratiis et donis, quæ ex liberali Dei manu suscipit, tamquam de re sua, quæ ad ipsum solum pertinet, gloriari potest? Solebat insuper dicere, quod, si ipse omnium hominum esset probissimus, et integerrimus, id non ob aliam causam et finem sciri desideraret, nisi ut Deus laudaretur in donis suis, quibus et infinita sua bonitate vilissimum quoque honoravit vermem. Hac munitus humili cogitatione, et opinione, numquam ullum vanæ gloriæ passus est stimulum. MANSI dis. VI, n. 10.

DAMNUM. — Ezechias Rex, quia suos thesauros omnes Assyriis ostentavit, graviter a Propheta increpatus, et gravius in filios punitus est, a quo Assyrii omnes illas divitias abstulerunt. IV. *Reg.* XX.

S. Pachomius Monachum asserentem se duas uno die storeas contexuisse, et vanam inde gloriam capientem, non modo graviter increpuit, sed insuper præcepit, ut storeas ante fratres suos humeris portans rogaret, ut Deum pro se precarentur, et veniam peteret, ut qui duas storeas pluris, quam regnum cœlorum, fecisset. Denique injunxit etiam, ut per quinque menses cella inclusus, et a nemine visus binas quotidie storeas conficeret. *Vita S. Pachom.*

B. Claræ de monte Falco propter exiguam tentationem vanæ gloriæ subtractus fuit a Deo annis quindecim Divinæ dulcedinis, et spiritualis illuminationis influxus; nec prius potuit eum recuperare, quamvis multis lacrymis, jejuniis, ciliciis, flagellis, et orationibus pro eo instaret. SALUT. *in speculo* p. 1, c. XII.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius, licet ab initio vehementer a vana gloria fuerit tentatus, id tamen Dei misericordia postea est consectus, ut per multos annos, antequam e vita discederet, nullam inanis gloriæ cogitationem haberet; imo dicebat, nullum se vitium minus, quam vanam gloriam timere, quæ ex ignorantia plerumque, et cœco sui amore ortum habet, et vel cedros ipsas Libani evertere solet. (R. l. V, c. III.) Sed et magnus Hispaniæ Prælatus de ipso narravit, quod rogatus aliquando, quonam modo ipsi mentalis oratio succederet, responderit, nolle se id dicere, nisi id quantum utilitati aliorum deserviret; illud enim vanitatis, hoc charitatis, necessitatisque esse. (RODR. p. 1, n. III, c. VI.) Alias dicere solebat : Ut sanus sim in his, quæ ad Deum pertinent, vehementius tamen mihi verendum est, et cavendum ab his, qui me temere inflant : laudantes enim me flagellant. FAB. *con.* III, *in fer. ciner.*

S. Franciscus Xaverius aiebat : eum, qui non segniter suos defectus, et peccata considerat, aliud, si a mundo laudetur, cogitare non posse, quam quod ridere ipsum, subsannare velit, nec aliter accipere laudes illas, atque encomia, quam pro vera ignominia, et injuria : novit enim, omnem suam substantiam tamquam nihilum esse in conspectu Dei. *Vit.* l. VI, c. XV.

S. Franciscus Borgia, cum aliquando ab aliquo variis titulis, et encomiis compellaretur, fassus eidem est, se plus titulorum illorum enarratione, quam longo, quod paulo ante confecerat, itinere, fatigatum fuisse. *Vit.* l. IV.

P. Franciscus Suarez, licet ad summum famæ fastigium pervenisset, candide tamen fatebatur, nulla se vanæ gloriæ titillatione moveri. Vitabat hominum congressus, quantum poterat, ne, ut fit inter invitandum, laudibus oneraretur; id vero cum fiebat, mox rubore suffusus manu vultum tegebat. *Vit. t. de Ang. præfixa.*

Cum Christophorus Gonsalvus magna cum laude cursum theologicum in Hispania perageret, et ob id vana gloria tentaretur, effecit, ut, salvis studiis, putarent alii, parum ipsum scire; a quo tempore ad excelsum orationis donum promotus est. *Vit. P. Bat. Alv.* c. XLVI.

Josephus Anchieta ita virtutes suas arte admiranda humilitatis velo obtegebat, ut ipsam etiam humilitatem deprimeret, non enim ille sua facta elevando, humilitatem præferebat, sui ludibrio venerationem aucupatus (versuta siquidem est plurimorum improbitas, cum ipsum honorem, quem spernere videntur, ambiunt quam maxime) : sed splendorem, qui ex eo erumpebat, ne emanaret longius, per multam dissimulationem obscurabat. *Vita* l. V.

Bernardinus Picinus, cum in tota Sicilia tam scientiæ, quam virtutis fama celeberrimus esset, ultro P. Generalem exoravit, ut in Italiam migrare. Tiburique ignotus pueros docere grammaticam posset. *Lyreus*, l. III, *apoph. S. Ign.* XII, f. 447.

EXEMPLA PROFANA.

QUALITAS. — Cum Diogenes aliquando in summo frigore pene nudus in aquis congelatis consisteret, ideoque plebs spectans commiseratione tangeretur, superveniens Plato ad astantes dixit : Si hujus hominis misereri vultis, eumque hac molestia liberare, discedite. Significans hoc dicto, id Diogenem tantum vanæ gloriæ aucupandæ studio fecisse, LAERT. l. VI.

Menecrates Medicus, cum Jovis titulum affectaret, Philippus Macedonum Rex eum ad convivium quidem invitavit, sed solam acerram apponi, et suffitum velut Deo fieri jussit; unde fame, et siti urgente tandem hominem se fassus est. ÆLIAM. l. II, *var. histor.*

Plinius de se ipso scripsit : Ego vero celebritate nominis mei gaudere non debeo? ego vero gaudeo, et gaudere me dico, et cur. Quia nescio, quis alteri dixerit : Vides hunc? Plinius est. PLIN. l. IX, *Epist.*

Architectus quidam Venetianus pro duabus insignibus columnis erectis, non aliam petiit mercedem, quam ut lusoribus quibuscumque fieret libertas sub ea quocumque modo ludendi. *Fab. in auct. th.* V, *in Dom.* III, *post Epiph.*

Hanon Dux Carthaginensium multo labore docuit aves cavea inclusas hæc verba : Hano non est Deus, pronunciare : sed illæ libertati redditæ ad suum naturalem redierunt cantum, nec Hanonis amplius meminerunt. *Idem Dominic.* IV, *Post Pent.* c. III.

Japonia, operarii, licet magna illis pro labore merces offeratur, tristes tamen recedunt, si duo illa verba : Optime laborastis ; non audiant. *Mæffeus. in Hist. cit.*

Herostratus quidam vanæ gloriæ cupiditate ductus Dianæ Ephesiæ templum incendere ausus est, ut opere pulcherrimo consumpto, nomen ejus per universum terrarum orbem diffunderetur. MAY. l. VIII.

Lysander Lacedæmonius ductus est ipse vanæ gloriæ desiderio ; Chærillum Poetam secum semper habebat, ut carminibus celebraret, quæ ipse armis atque virtute gessisset. B. FULG. l. VIII.

Empedocles Philosophus famam sibi comparare studens, cum Panthiam Agrigentinam in gravi morbo curasset, atque ob id se pene pro numine coli animadvertisset, immortalitatis atque famæ studio incensus Æthnam insiluit atque medios ipsius in ignes se conjecit. *Idem ib.*

Hujus vanæ gloriæ desiderio incensus M. T. Cicero, longa epistola a L. Lucejo cive Romano petiit, ut Catilinariæ conjurationis historiam seorsim ab aliis rebus ad propagandam nominis sui famam scribere vellet : neque abstinuit illud quoque deposcere, ut in ea etiam aliquid amicitiæ daret, ipsoque vivente ederet, ut vivens gloria sua perfrui possit. Adeo enim magna est in plerisque hæc gloriæ sitis, ut quamquam Cicero per eloquentiam æternum sibi comparasset nomen, eam quoque, quæ ex sapienter ac præclare gestis in Reipublicæ administratione sequi solet, vendicare sibi cuperet. MAY. l. VIII.

Caligula Princeps amens prorsus, atque omni scelere imbutus, cum per virtutem sciret, se nominis diuturnitatem non assecuturum, temporibus suis palam optare se aiebat, ut ingens aliquod malum contingeret, de quo diu homines loquerentur, quemadmodum regnante Augusto primo, Variana clades fuerat, et sub Tiberio, Fidenis ruina theatri, in qua viginti duo millia hominum oppressa fuerunt. *Ibid.*

Cum Commodus Imperator fama nomen suum extendere cuperet, Carthaginem a nomine suo Commodianam appellavit ; sublatoque de Neronis colosso capite, suum pro Neroniano imposuit, item, menses quosdam a se compellavit. *Ibid.*

FUGA. — Phocion, cum inter orandum ejus sententiam universa concio magno assensu excepisset, ad proximos conversus, me miserum, inquit ; vereor enim, ne quod mihi stultum verbum exciderit. PLUTARC. *in Phoc,*

Erentinus monumentum sibi extrui vetuit his verbis : Impensa monumenti supervanea est ; memoria nostra durabit, si vita meruimus. Excelsi animi est, cum præclara gesseris, gloriam contemnere. *Erasmas,* l. V, *Apoph.*

Demosthenes, antequam eloquio Græco innotuisset, operosioris cultus nitorem appetiisse dicitur ; faciebat enim a purpura vendi causidicum ; ac postquam facundiæ famam assecutus est, toga viliore contentus dicebat, malle se a seipso, quam a veste aut cultu exquisito, gloriam quærere ; quem enim suus attollit honor, vilitatem alienam non deprimere ; sed nec alienum erigere honorem, quem sua vilitas humo affigit. *Drex. in amuss.* l. II. c. IV, § 6.

DAMNUM. — Thurinus Verronius, quia Principis benevolentiam simulato commendationis beneficio vendere solitus erat, a Severo Imperatore fumo perire jussus est, quod fumum vendidisset. FABER. *conc.* III, *in fer. cin.*

Herodes Rex, quia a plebe sibi occini permisit : Dei voces, et non hominis : confestim percussus ab Angelo, et a vermibus consumptus expiravit. *Act.* XII, 21.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut basiliscus neminem interficit, nisi quem prius ipse viderit ; quod si vero ipse prius videatur, interit ; ita et vana gloria cœcum quidem, negligentem, ac videri ab hominibus volentem lædit, non tamen perinde eum, qui prius ipsam viderit, hoc est, qui consideraverit, quam vana, falsa et perniciosa sit. S. BERN. s. XIV, *in Ps. Qui habitat.*

Sicut umbra corporis, quocumque colore corpus imbutum sit, semper nigra est ; sic omnis sæculi gloria vana est, quocumque ex objecto nascatur. BUSÆUS *in Ponar. V. Glor. vana.* n. 6.

Sicut larva occultat vilitatem hominis usque ad vesperam, dimisso autem theatro, unusquisque apparet, quod est ; ita si post multas tuas laudes auditas domum revertaris, solus sis, omnis gloria defluxit. S. Chrys. *ho.* xliii, *ad pop.*

Sicut chamæleon non alio pascitur alimento, quam aeris, et idcirco os semper hians, et apertum habet; ita quosdam aura popularis alit, nec quidquam captant præter inanes laudes, et gloriam. *Roterod. in simil.*

Sicut lumen magis prodest iis, qui vident, quam illis, qui videntur; sic gloria magis confert iis, qui eam sentiunt, quam quibus contingit. Plutarc. *in mor.*

Sicut milvus alte quidem ascendit, et volat, sed semper humum spectat, ut prædam rapiat; sic vanæ gloriæ cupidi multa quidem præclara frequenter agunt, sed semper ad laudes hominum inde captandas intenti. *Stapl. th.* ii, *in Dom.* iii, *Adv.*

Sicut summa dementia foret, ruinosi alicujus parietatis rimas pretiosis lapillis implere atque fulcire; sic pro virtute humanos favores desiderare, et rem cœlo dignam vili pretio exponere. *Idem* t. III, *in Dom.* iii, *post Epip.*

Sicut merito stultus crederetur, qui aquam perpetuo hauriret; ita et qui opera sua propter laudes hominum perficit. *Arsenius apud Sur.* f. 257.

Sicut amygdalus, quia florem cito emittit, flante vento celeriter amittit; sic qui virtutem suam facile, et cito ostentant, cito quoque amittunt. *Stapl.* l. c.

Sicut mulier ante tempus pariens partum imperfectum producit; sic qui ante mortem laudari cupit, nihil vere perfectum aget. *Ibid.*

Sicut fructus arborum, quæ justa viam publicam plantatæ sunt, raro maturescunt; quia ante maturitatem a prætereuntibus colliguntur; ita virtutum opera, quæ in conspectu hominum patrantur, raro matura, ac perfecta inveniuntur. *Ibid.*

Sicut probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum; ita probatur homo ore laudantis. *Prov.* xxvii, 21.

Sicut pueri ludentes ex fœno coronas alicui imponunt, coronatum autem suum post tergum irrident; sic sæpe fit, ut, qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculum subsannent. S. Chrys. *ho.* xvii, *in epist. ad Rom.*

Sicut mulier quotidie se ornans, ut alienorum vitiatorum oculis placeat, merito non levem marito suo displicentiam generaret; ita et is non minus displicet Deo, qui laborat, ut hominibus placeat. *Stapl.* t. VII, *in Dom.* xi, *post. Pent.*

Sicut venti globus convolvit stramina, et in altum evehit, mox tamen iterum dimittit; sic gloria inanis repente evehit hominem, sed repente etiam deserit. *Fabber. conc.* iii, *in Fer. cin.*

Sicut aranea multo quidem labore telas texit, ut muscas capiat, sed illæ levi vento, aut motu rumpuntur; ita qui muscas vanæ gloriæ captant, telas aranearum texunt, teste Isaia. Is. lix, 3. *Ibid.* n. 9.

Sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipsa comestione furtim gula surrepit, et edendi delectatio miscetur; ita licet opera nostra cum optima intentione inchoentur, facile tamen vanæ laudis, et gloriæ cupido, ac delectatio irrepit. S. Greg. l. XXXV, *mor.* xvi.

Sicut arbor, quo altius se erexit, tanto ventorum vim vehementius sentit; ita quo plus quis majoribus operibus attollitur, eo ampliori ab ore laudantium flatu fatigatur. S. Greg. l. XXII, *mor.* v.

Sicut gulosi, et honestatis expertes, ad regale convivium vocati, nec congruam horam expectantes, parvulorum infantium more suam corrumpunt lætitiam prævenientes, et vilioribus seipsos cibis saturantes; ita et hi mercedem hic acquirentes, et acceptantes, futuram dimittunt. S. Chrys. *ho.* xlvi, *ad pop.*

Sicut febris maligna extrinsecus non apparet, quia intus operatur, et decipit; ita facit vana gloria, quæ est majoris malignitatis; foris ostendit alienationem a laudibus, contemptus humanæ gloriæ, at intus in corde complacet sibi de bona, quam habet apud alios, existimatione. Mansi, *disc.* iii, n. 6.

Fuga. — Sicut divites divitias suas abscondunt, ne surripiantur; ita et qui spirituales divitias habet in animo suo, illas abscondit, ne has per inanem gloriam prædatores animarum furentur. S. Basil. *in Ps.* cxviii.

Sicut amygdali nucleus triplici sub cortice latet; ita virtus in animi habitu recondito non in corporis est conspectu. *Procopius ap. Mansi, disc.* ia, n. 9.

Sicut apes flores collectos sine dilatione ad alvearium deferunt, et intra favum recondunt; ita sancti viri opera sua in animo abscondunt, ne ab inani gloria corrumpantur. S. Antioch. *ho.* xlv.

Sicut celebriores, ac peritiores pictores imagines plane nudas depingunt, ut hac ratione magistralem artem suam cunctis notam faciant, ac manifestam : alii vero pictores minus periti talibus imagines, et figuras depingunt coloribus, ut undequaque, excepta facie, appareant vestitæ, nec frustra; sic enim minus subjiciuntur censuræ de erroribus hujus artis faciendæ; ad eumdem modum sancti, qui sunt perfectiores, magisque stabiliti in virtutibus, et spiritu perfectionis, liberius functiones publicas obire, ac sine periculo propriæ complacentiæ, et vanæ gloriæ in conspectu populi exercere possunt stupenda, et sancta opera : *Uti glorificent Patrem, qui in cœlis est.* At illis, qui adhuc imperiti sunt in virtute, et in ea nondum satis fundati, facile incurrere possunt periculum vanæ gloriæ. Quapropter attendant, ne justitiam faciant coram hominibus, cauti sint, et circumspecti. MANSI, *disc.* VI, n. 11.

Sicut, qui in itinere deprædari formidat, abscondat, necesse est, bona quæ portat; ita qui merita, ac virtutes suas salva cupit, occultas tenere debet. S. GREG. l. V, *mor.* c. XXX.

Sicut mercator stultissime ageret, qui vilissimo et incerto pretio merces venderet, cum certo, et amplissimo posset; ita non minus inepte agit, qui humanam gloriam tam incertam, et instabilem pro operibus suis ambit, et accipit, cum summam, certamque Dei laudem pro ea habere possit. *Stapl.* c. III, *in Do.* III, *Epiph.*

Sicut indutus purpura, et serico, si ei lacerna immunda injiciatur, declinat illam, et fugit, ne indumentum commaculet; sic viri sancti virtutes præclarissimas induti, humanam gloriam devitant, ne ab ea dehonestentur. S. DOROTH. *doct.* II.

Sicut Luna, quo magis fulget nobis, hoc magis a sole distat; ita plerumque id, quod magis placet hominibus, displicet Deo.

Sicut puerulus, quando canis insiliens placentulam vult auferre, mox eam patri, aut matri quasi defendendam porrigit; ita et nos, quando diabolus opera nostra eripere nobis per vanæ gloriæ insultum cupit, per bonam intentionem Deo, aut B. Virgini custodienda offere debemus. S. CHRYS. *ho.* XXXV, *in epistol. ad Hebr.*

Sicut pauper, si parum purpuræ laceris vestibus adjecisset, stulte gloriaretur; ita et qui de uno vel altero opere laudem ambit, insipienter agit, cum plurimo pleraque imperfecta habeat. *Balth. Alv. in vita cor.* II.

Sicut puer, qui Magistro eleganter manum ejus ducente, et scribente, atramentum super papyrum effunderet, stulte utique gloriaretur; ita et homines illi insipientes merito creduntur, qui præclaris operibus, quæ Deus per illos operari decrevit, suas imperfectiones miscent. P. TUSCH. *in font. p.* 2, *cor.* II.

Sicut iis, qui furto assueti sunt, consultissimum est, occasiones furandi fugere; sic iis, qui Deo per vanam gloriam suum honorem furari assueverunt, optimum est fugere hominum conspectum.

Sicut phiala crystallina radiis Solis illustrata pessime ageret, si sibi splendorem illum adscriberet; ita non minus peccant, qui dona desursum descendentia sibi ascribere, et ex iis vanam gloriam aucupari præsumunt. *Petrus Penneq. in Isagog. diss.* I.

DAMNUM. — Sicut non potest simul herba crescere, et semen nasci; ita impossibile est, ut laudem, et gloriam sæcularem habentes simul etiam cœlestem fructum faciant. *Vit. FF.* l. III, n. 113.

Sicut cera a facie ignis solvitur; ita anima per laudem resoluta perit ab intentione sua. *Ibid.* n. 14.

Sicut sævi quidam venti in tranquillum mare delati totum ab imo subvertunt, ita ut arena cum undis misceatur; sic excœcat mentis impetum gloriæ furor. S. CHRYS. *ho.* XLIII.

Sicut gallina, dum ovum cantu prodit, causam præbet, ut auferatur; sic qui virtutes suas statim prædicant, aut prædicari cupiunt, id agunt, ne illos virtutum actus amplius producant. STAPL. c. III, *in Dom.* III, *post Epip.*

Sicut navis, quæ multos fluctus transit, multasque tempestates effugit, in ipso autem portu tandem in scopulum impingit, jacturam totius in se reconditi thesauri facit; ita qui post multos labores, ac virtutes linguam, et mentem a cupiditate laudis non temperavit, in ipso portu naufragium fecit. S. CHRYS. *ho. de perfect. Evang.*

Sicut manus Moysi extra sinum extracta lepra percussa apparuit; sic opus bonum intra sinum cordis manens sanum, et integrum manebit, foras prodiens, vanitatis lepra inficietur. STAPL. t. V, *in Dom. poss.*

Sicut columbæ incaute in aere circumvolitantes et quasi de volatu sibi plaudentes, subito ab accipitre invaduntur, et perimuntur; ita qui de suis operibus vanam gloriam quærunt, sibique complacent, diabolo in prædam cedunt. *Ibid.*

Sicut olim vermiculus a Domino paratus ascensu diluculi percussit hederam Jonæ, et statim exaruit; ita vermiculus vanæ gloriæ non a Domino, sed ab hoste humani generis, advectus percutit studia hominum, ut quod ad meritum attinet, statim arescant, et pereant. Jac. Alv., t. II, l. I, p. 2, c. xvi.

Sicut luxuriosi, et muliebres homines ab uxoribus velut mancipia tractantur, et contemnuntur; sic qui ab inanis gloriæ cupiditate semel subacti sunt, ab eadem in turpissima vitiorum servitute detinentur. S. Chrys., *h.* lxiii, *in Matth.*

Sicut rubigo consumit fulgorem ferri, et tinea corrodit subtilem pannum; ita idem prorsus damnum operantur rubigo, et tinea vanæ gloriæ, devorant animæ merita, et monetam congregatam pro comparanda æterna gloria consumunt. Mansi, *disc.* v, n. 10.

Sicut hedera arborem complectitur, ut, cum altius se sustulerit, radicem arefaciat; sic inanis gloria juxta virtutes nascitur, ut non recedat, priusquam vim illarum excideret. S. Nilus, *orat.* 7, *de van. glor.*

MOTIVA.

Quia hoc vitium Deo singulariter est exosum : eripere illi cupiens quod unice sibi reservavit, scilicet gloriam, de qua dixit : Gloriam meam alteri non dabo. Is. xlviii, 15.

Quia diabolicum est vitium : Ut qui unice quærit gloriam Dei in se transferre, et pro Deo adorari, et coli.

Quia odiosum est vitium : Sicut enim Saul, quando audivit cantare David : Percussit Saul mille, et David decem millia : non rectis illum ab eo tempore oculis respiciebat, ita idipsum ejusmodi laudis humanæ venatoribus contingit.

Quia periculosum est vitium : Nam, teste Cassiano, omnia vitia superata marcescunt, et devicta per singulos dies infirmiora redduntur; hoc vero dejectum auctius convalescit. (Cass. s. xi, *inst.* vi.) Cujus aliam causam reddens Sanct. Chrysostomus sic loquitur : Nullum malum est, quod non habeat contrarium bonum, excepta vana gloria; ita quantavis bona feceris volens compescere vanam gloriam, tanto magis excitas eam. Et causa est ista, quia omne malum ex malo nascitur, sola autem vana gloria de bono procedit, et ideo non extinguitur per bonum, sed magis nutritur. S. Chrys. *h.* xv, *in Matth.*

Quia servile est vitium : Non enim potest gloriæ servus homo non omnium servus esse, et ipsis vilior mancipiis (ut recte advertit S. Chrysostomus; nec enim talia præcipimus servis, qualia captivis suis). S. Chrys. *h.* xliii, *ad pop.*

Quia vanissimum est vitium : Uti pulchre Sanctus Chrysostomus ostendit his verbis : Hæc inanis gloriæ natura, ut statim decidat. Nihil hominum gloria vilis. Nonne vides personas, quamdiu in scena versantes induuntur, quam sint pulchræ, et splendidæ? potes mihi talem aspectum in veritate monstrare? nequaquam. Numquid umquam earum amore captus es? non. Quare? Quia vacuæ sunt, et imitantur pulchritudinem, pulchræ tamen non sunt. Similiter et gloria inanis est, et gloriam quidem imitari potest, non tamen est gloria. S. Chrys. l. c.

Quia nocentissimum est vitium : Quia omnem operum mercedem destruit. Quid enim a Deo accipies, inquit Sanct. Chrysostomus, qui nihil Deo dedisti? nam quod propter Deum fit, Deo datur, et ab eo accipitur : quod autem propter homines fit, in ventos effunditur. Quid enim est hominum laus, quam ventorum transeuntium sonus? (S. Chrys. *h.* xiii, *in Matth.*) Hinc Ezechiæ, quod divitias suas ostenderit Legatis Babylonicis dictum est a Propheta : *Audi sermonem Domini : Ecce dies venient, et auferentur omnia quæ sunt in domo tua, et quæ condiderunt patres cujusque in diem hunc, in Babylonem, non remanebit quicquam, ait Dominus.* IV. *Reg.* xx.

Quia iniquissimum est vitium : Si enim studio vitia nostra abscondimus, ne humanam gloriam amittamus : quanto majori cura dissimulandæ virtutes sunt, ne cœlestis gloriæ jacturam faciamus, inquit recte Sanct. Bernardus.

Quia sicut origo fontium, et fluminum omnium mare est : ait S. Bernardus : *ita virtutum, et scientiarum Dominus Jesus Christus :* Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse est Rex gloriæ? Sed juxta Annæ Canticum, idem ipse Deus scientiarum Dominus est. Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant non solum, sed et si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, moribus placet, inde est, inde scientiæ, inde sapientis sermo. Quid? Casta consilia, justa judicia, sancta desideria, nonne rivuli fontis illius sunt. (S. Bern. *apud Stapl.* t. III, *in Dom.* III, *post Epip.*) Ad locum ergo, unde exeunt (sic consulit Sanct. Bernardinus) revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Revertantur ad suum principium cœleste profluvium, quo uberius terra refundatur. Qualiter inquit, qualiter dicit Apostolus : *In omnibus gratias agentes:* quicquid sapientiæ, quicquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, et Dei sapientiæ deputa Christo. Et quis tam insanus ait, ut aliunde præsumat? S. Bern. s. XIII, *in Cant.*

Quia Deus operatur in nobis velle, et perficere : non nobis proin, sed nomini ipsius danda gloria est. (Mansi, *disc.* VIII, 3.) Unde recte Sanct. Bernardus : Sufficit mihi, ait, gratanter suscipio quod relinquis, et relinquo, quod retines. Sic placet, sic mea interesse non dubito. Adjuro gloriam prorsus, ne forte si usurpavero non concessum, perdam merito, et oblatum. S. Bern. l. c.

Quia stultum est pro tam vili pretio merces tam pretiosas vendere ; uti recte ostendit Mansi dicens : Si ex mercibus in foro divenditis lucratus fuisses thesaurum sufficientem ad te, tuamque familiam ditandam, venderesne illum alicui, qui non nisi mera verba, quibus te palparet, laudaret, ac prædicaret, vicissim reponeret? *Negotiamini, dum venio :* ait Salvator noster. Opera virtutum, facta in amicitia Dei, sunt merces, quibus possumus negotiari, et lucrari Paradisum : Deus solvit illa remuneratione æternæ gloriæ, hac tamen conditione, si facta, et relata fuerint ad ipsius gloriam; nam si fiant ad capiendum laudem, et honorem ab hominibus, jam aperte se declarat : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Mansi, *disc.* VIII, n. 3.

Quia solus Deus, utpote spirituum ponderator, est compotens æstimator, et remunerator. Unde iterum idem Auctor hanc similitudinem proponit : Fingamus, et imaginemur nobis, unam invenisse gemmam pretiosam, qui pretium illius scire cupiens, accedit quemdam lapicidam amicum suum, gemmam inventam hic æstimat unum valere scutum, cum vere valeat mille. Si a me petatis, uter illorum plus erraverit, existimarem illum, qui exiguo pollens judicio gemmam detulit ad lapicidam, ut ignarum ad æstimandum valorem illius, et non aurifabrum, aut alium, qui gemmarum habet notitiam. Quid hoc exemplo inferre volo? opera, quæ facimus in gratia Dei constituti inæstimabilis valoris sunt, et pretii, iis enim comparamus regnum cœlorum; at si a mundo, aut ab hominibus præstolemur, et exigamus operum nostrorum valorem, æstimationem, laudem, et applausum : *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei,* non æstimabunt illa justo, et digno pretio. Quapropter solius Dei æstimationi, et judicio, et remunerationi ea submittamus, operantes omnia ad ejusdem honorem, et gloriam. *Ib.* n. 11.

MEDIA.

Considerare Dei laudem offerentis præsentiam : Hæc enim pluribus æstimanda est, quam si ab omnibus hominibus et Angelis simul sumptis omni possibili conatu quis laudaretur. Et propterea facili labore obtineri potest, cum plus non requirat, quam ut quisque, quantum in se est, faciat. Hoc medium suadens Sanct. Chrysostomus : Non vides, inquit, in equorum ludis, quomodo, hi, qui equos agitant, non advertunt plausum populi assidentis, nec voluptatem ex eo plausu capiunt, sed in unum Regem in medio sedentem oculos intendunt, ac ad nutum illius attendentes, totam multitudinem despiciunt. Hos et tu imiteris non magnifaciendo hominum famam, sed sententiam justi judicis expectando, atque ad nutum ejus omnia dirigendo. (S. Chrys. *h.* V, *in Cant.*) Hinc merito Sanct. Basilius interrogatus, quomodo quis humanæ laudis captandæ vitium declinare possit? respondit : Si tibi certo persuaseris, ubique Deum adesse. Siquidem est nemo, qui, cum in oculis Domini sit cum illius dedecore, conservo suo malit gratiosus esse, quam Domino. S. Basil. *reg. brev. q.* XXXV.

Considerare aliorum virtutes, et dona : Sic Abbas Isidorus exemplo suo docuit, qui, si occurrebat ejusmodi tentatio, dicere solebat : Numquid talis es, qualis magnus Antonius? vel alii Patres, qui Deo tantopere placuerunt? Penneq. *in Isagog., disc.* I, § 6.

Considerare suas imperfectiones : Sic Sanctus Gregorius suasit, dicens : Cum bona, Fratres, agitis, semper ad memoriam mala acta revocate. Ut dum caute culpa conspicitur, numquam de bono opere incaute animus lætetur. S. Greg. *in h. apud Grav. fo.* 597, *loc. com.*

Considerare illam Christi sententiam : *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus.* Hoc medio Abbas Moyses usus est, dum pulsatus assultu vanæ, gloriæ quærebat : an omnia Dei mandata implesset, inimicos diligeret, de eorum bono gauderet? an se omnium peccatorum maximum diceret? an illud Christi implesset : Cum feceritis omnia etc.? Si eo non pervenisset, non haberet, unde gloriaretur. Luc. xvii, 10. *Penneq., l. cit.*

Considerare exitum, et vanitatem omnium rerum humanarum : Sic S. Basilius suasit, dicens : Attende tibi ipsi. Mortalis enim tu; quippe terra es, et in terram abibis? Ubi jam, dic, qui civitatum amplissimos Magistratus capessebant? Ubi Rhetores invicti? Ubi exercituum Duces? Ubi Tyranni? Nonne omnia pulvis? non sunt in fabulam versa omnia? memoria vitæ eorum in quam paucis ossibus retinetur. S. Bas. *ho.* iii, *in Verba Moys.*

Considerare vanitatem, falsitatem, et instabilitatem laudis humanæ : Qui enim hodie tecum sunt, cras contrariari possunt (Phn., l. II, c. i, § 3.), et e converso sæpe ut aura vertuntur, quemadmodum recte Thom. Kemp. dixit : Et propterea, ut idem in sequenti quopiam capite dixit : Non es sanctior, si laudaris; nec vilior, si vituperaris. Quod es, hoc es, nec major dici vales, quam Deo teste sis.

Considerare, quod spernendo, melius et certius obtineatur vera gloria. Ita S. Chrysostomus suasit his verbis : Quoties difficile existimas contemnere gloriam, ista tecum animo versa; si hanc despexero, Deo æqualis, id est, mitis efficiar; protinusque subibit contemptus gloriæ ex animo. (S. Chrys., *ho.* ii, *in epist. ad Titum.*) Nimirum velut umbra corpus, ita gloria, ubique virtutem, sequitur, teste S. Hieronymo; (S. Hieron. *epist.* xxii, *ad Eust.*) ita ut, quemadmodum Cassianus ait : In solitudine quoque cunctorum mortalium consortia gloriæ causa fugientem persequi non desistant. Quantoque universum quis amplius vitaverit mundum, tanto eum acrius insectetur. Cass., l. II, c. vi.

Assuefacere se ad intentionem puram singularis operibus præmittendam eamque Deo quotidie sincere dedicare : Uti Cassianus monet : Athleta Christi, qui verum, et spiritualem agonem certare desiderat, hanc multiformem bestiam tali remedio poterit evadere, si primitus nihil proposito vanitatis, et inanis gloriæ capessendæ gratia fieri permittat. Deinde, quæ bono initio fecerit, observatione simili custodire nitatur. (Cass., l. II, c. xviii.) *Idem medium* insignis quidam spiritus Magister suasit; unde si postea superveniret vana gloria, appetitus laudis, propriæ æstimationis, et applausus mundani, qui horum bonorum operum meritum suffurari niteretur, statim opponerent, et dicerent, omnia bona ista opera jam esse donata, imo adeo consecrata Deo, ut amplius profanari non possent. Mansi, *disc.* ii, 10.

Sua opera tegere; uti Mansi sequenti discursu suadet : Inter alias ordinationes a Deo præscriptas ipsi Moysi in lib. Exodi, hoc quoque ei mandatum fuit : *Duos quoque Cherubim aureos, et productiles facies, ex utraque parte oraculi. Cherubin unus sit in latere uno, et alter in altero. Utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, et operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca.* Verum si oraculum erat ex purissimo auro, et aspectu nobile, si propitiatorium pariter miræ erat pulchritudinis, cur noluit illa patere omnium conspectui, et esse detecta, *utrumque latus propitiatorii tegant?* Verum semper est axioma illud Apostoli : *Omnia in figura contingebant illis.* Audiamus ex Oleastro mysterii hujus explanationem : Considera, quid te hic admoneat Deus summus benefactor, et nihilominus tectus, ut te doceat benefacere, et nolle videri in bonis operibus : nolle velle videri, jam enim mercedem tuam accepisti, non aliam in futuro sæculo habiturus. Vultisne scire causam, cur Cherubini describantur quatuor instructi alis? annon duæ, quibus in altum se elavarent, sufficiebant, præsertim cum sint puri spiritus : observandum, per Cherubinos denotari scientia, et sapientia præditos; et quis ignorat, quod scientia inflat? facile est, multa scientem irretiri a vana complacentia, et ostentatione, ideoque necessariæ sunt adhuc duæ aliæ alæ, ad occultandam, et velandam sapientiam, quæ illucescit; Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Hugo de S. Victore in præfatum textum scribit : Duabus alis a terrenis se elevat, et duabus alis, ne oculis vana gloria videatur, corpus velat. MANSI, *disc.* IV, n. 1. *Exod.* XXV, 18.

Oblivisci suorum operum; uti S. Chrysostomus suasit dicens : Sic sunt etiam divitiæ virvutum, si eas in memoria quasi venales assidue portemus, armamus hostem, irritamus inimicum, et dolosum invitamus ad furtum; si vero nemo alter id scierit, nisi quem nulla occulta latere possunt, tutissimo in loco pretiosa consistent. Subdit deinde nobilem hanc sententiam : Satis tectus thesaurus recte factorum oblivio. S. CHRYS. *hom.* VII, *in Matth.*

Christi exemplum ob oculos ponere; uti Oleaster suasit his verbis : Quid facitis, filii Adam, vanissimum genus, quærentes populi frequentiam, ac populosas urbes ad ostentandam gloriam, ac divitias vestras, cum videatis Deum vestrum tam latenter velle ostentare divitias gloriæ suæ ? Uni soli, in solitudine, et secretiori montis supercilio, a quo homines, et jumenta arcere jubet, gloriam suam ostendit, neque solum homines, sed etiam jumenta suspecta habet, cum gloriam suam ostendere vult. Quod confirmat exemplo adducto de Thabor, ex quo hanc deducit conclusionem : Considera discrimen. Nos si injuriam pati debeamus, latebras, et solitudines quærimus; si quid vero honoris ostendendum est, publica loca. Christus vero ad dedecora, et ignominiam populosam urbem requirit, ad gloriam vero ostendendam, secretissimum montem. *Oleast. in* c. XXXIV. *Ex.*

Sui ipsius habere cognitionem profundam, juxta illud Thomæ Kempensis : Qui bene seipsum cognoscit, sibi ipsi vilescit, nec laudibus delectatur humanis. THOMAS KEMPEN., l. I, c. II.

Virtutes altissimas sibi proponere, exemplo illius Monachi, qui altissimarum virtutum appellationes in cella scripsit, et quando a vana gloria tentabatur, eas legens dicebat sibi : Cum has omnes possederis, tunc scies, quam longe adhuc a Deo sis, et servus inutilis. S. CLIM., *grad.* XXV.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, cur gloria soli Deo sit adscribenda, id quod Josephus Mansi sequenti similitudine apte demonstrat : Imaginemini, inquit, vobis, duos sociali fœdere junctos operam dare mercaturæ, et lucrum inde emergens inter se partiri, quorum unus adhibeat laborem, et industriam, alter subministret summam capitalem pecuniæ; ad eum modum considerari potest, præsentem vitam a Deo datam esse hunc in finem, ut negotiemur, et lucrum ingens faciamus (*negotiamini dum venio*) non alterius profecto rei, nisi æternæ, et cœlestis gloriæ; in hujus tamen mercaturæ exercitio non negotiatur solus homo, neque Deus vult esse solus, unde celebris est illa D. Augustini propositio : Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te; Deus dicitur subministrare, et numerare summam capitalem, videlicet, divinam gratiam, qua lucrari possumus, dicebat namque Apostolus : *Deus operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate; non ego, sed gratia Dei mecum.* Homo e contra adhibet voluntatem, arbitrium, industriam, et diligentiam suam; in hac ergo partitione Deus contentus est lucro honoris, et gloriæ : Invisibili soli Deo honor, et gloria : deinde vult, ut nobis in futura vita cedat gloria, non vana, sed essentialis, immortalis, et beata. MANSI, *disc.* I, n. 8.

Nosse debet, quod ad extirpandam omnimodo vanam gloriam requiratur, ut opera sua non tantum ante alios, sed etiam ante se ipsum abscondat, uti sapienter S. Bernardus advertit, super illa Christi verba : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro :* sic discurrens : Necesse igitur est abscondere interim, si quid habemus boni, quoniam thesaurum regni cœlorum, qui invenit homo, abscondit; necessaria ergo est hæc absconsio, non solum ante oculos aliorum, sed etiam multo magis ante seipsum. Ubi S. mellifluus Doctor tangit rem magni momenti, et emolumenti, quod nimirum vanam complacentiam, et inanem gloriam de nostris operibus apud alios non solum; sed etiam secreto apud nosmetipsos fugere debeamus, cogitantes, et omnino existimantes, nihil boni nos effecisse : Id quod ipse Christus alibi indicavit, dum dixit : *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* (MATTH. VI. S. BERN. *in* c. XIII. *Matth.*) Super quæ verba S. Chrysostomus, hic quoque ait : non manus voluit intelligi, sed exaggeratum posuit hunc sensum : Si inquit, possibile est, te ipsum quoque ignorare quod facis, sit tibi hoc prorsus in studio, et si fieri potest, nec manus, quibus id peragitur, consciæ sint. (S. CHRYS. *hom.* XIX *in Matth.*) Cui consentiens Doctor Angelicus : Per sinistram, inquit, intentio perversa designatur vanæ laudis, per dexteram intentio sancta implendi præcepta Dei, ut dicit Augustinus, unde *nesciat sinistra tua,* id est, non se immisceat perversa intentio laudis, vel elationis, *quid faciat dextera tua,* id est, cum præcepta Dei implere contenditis. S. Th. *in* c. VI. *Matth.*

Nosse debet, quid sit, abscondere sua opera; id quod Mansi his verbis iterum declarat : Exemplo eleemosynæ insinuavit nobis Salvator noster, quo modo, et quo fine instituenda sint cætera bona opera, ne meritorum suorum patiantur jacturam : *Ut sit eleemosyna tua in abscondito,* ait Salvator noster, *et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi;* tametsi verum sit, non omnem eleemosynam posse esse secretam, attamen (ut interpretatur Jansenius) ad intentionem, qua opera bona exercenda sunt, alludere voluit : Si accipiatur ut præceptum, ad intentionem referri debet; non enim præcipitur, ut omnino secreta sit eleemosyna, sed ut intentio facientis aliena sit ab eo, ut quærat videri ab hominibus, et quantum ad se spectat in abscondito fiat. Si autem accipiatur ut cautela, instruimur, ut nostræ infirmitati consulentes, ne obrepat in eleemosyna vana gloria. (MANSI, *disc.* VI, n. 3.) Et confirmans id ipsum S. Gregorius, aliquando, inquit : Sancti viri, et coram hominibus compelluntur bona facere, aut eadem hominibus sua facta narrare, sed ad eum finem omnia referentes, ut non ipsi eisdem operibus, sed Pater eorum, qui in cœlis est, debeat glorificari. Idque ostendit exemplo concionatoris : Dum enim sancta prædicant, ipsa prædicatio eorum fortasse despicitur, quorum vita nescitur; compelluntur ergo vitam suam dicere, ut auditorum suorum valeant vitam mutare. Idem S. Pontifex lib. 8, mor. hanc tradit doctrinam : Si enim dantis gloriam quærimus, etiam publica nostra opera in conspectu illius occulta servamus; si vero per hæc nostram laudem concupiscimus, foras ab ejus conspectu jam fusa sunt, etiamsi a multis ignorentur. Tandem concludit : Fit plerumque, ut bonum opus, et in occulto sit, cum publice; et rursus in publico, cum agitur occulte; qui enim in publico bono opere non suam, sed superni Patris gloriam quærit, quod facit, abscondit, quia solum illum testem habuit, cui placere curavit; et qui in secreto suo bono opere deprehendi, ac laudari concupiscit, et nullus fortasse vidit, quod exhibuit, tamen hoc coram hominibus fecit, quia tot testes in bono opere secum duxit, quot humanas laudes in corde quæsivit. S. GREG., l. XIX, *mon.*, c. XVIII, et l. V, *mor.*

Nosse debet discrimen inter vanam, et veram gloriam, quod Cicero his verbis insinuavit : Solida quædam res, et expressa, non adumbrata, ea est consentiens laus, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute, cui resonat tamquam imago : et hæc, quia recte factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda. Audite insuper, quomodo describat gloriam, quam denominat vanam : quæ vera imitatrix esse vult, est temeraria, atque inconsiderata, et plerumque peccatorum, vitiorumque laudatrix; fama popularis, simulatione honestatis, formam ejus, pulchritudinemque corrumpit. (CICERO III. *Tusc.*) Sed rectius Mansi : Juxta dictamen, inquit, lucis Evangelicæ solida gloria Christi dicenda est illa, quæ soli Deo attribuitur : Soli Deo honor, et gloria, quemadmodum etiam Sacerdos celebrando Sacrificium Missæ frequenter cantat : *Gloria in excelsis Deo.* Ex hac recognitione, qua Christianus Deo debitum confert tributum gloriæ, et honoris, redundat in eum lucrum gloriæ æternæ; conformiter attestatur illud oraculum : *Glorificantes me glorifico.* Gloria vana est illa, quæ independenter a Deo, ortum suum habet ab homine, et nuncupatur vana, quia non fundatur in virtute, neque permanens, et stabilis est, cum opinioni, et volubilitati veluti innitatur. MANSI, d. VIII, n. 2.

Nosse pariter debet discrimen inter eos, qui militant sub vexillis hominum, et eos, qui militant sub vexillo Christi; Illi proprio labore, et sudore satagunt se promovere in bello, exponendo se periculis vulnerum, et mortis, proprio Marte, et generose pugnando viam sibi sternunt ad victorias, et triumphos; ideo merentur, ut intuitu generosæ suæ decertationis, laborum, et sudorum erigantur illis trophea; sed aliter res constituta est cum militantibus sub vexillo Christi; nobis pugnantibus, colluctantibus cum mundo, carne, et dæmone omnem vigorem, et virtutem tribuit divina gratia; Deus nos illuminat, ut detegamus astuti serpentis insidias, ejusdemque effugiamus fraudes, et nequitias : Quapropter quia cunctæ nostræ victoriæ fructus sunt divinæ assistentiæ, et patrocinii, omnino decens est, ut columnarum instar in templo gloriæ per omnia sæcula sæculorum attestemur, et dicamus in omnibus victoriis : *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo, da gloriam.* MANSI, d. II, n. 3.

Nosse debet rationes, ob quas nihil sibi tribuere, omnemque laudis appetitum excludere debeat? Quæ ad quatuor pariter fontes revocari possunt. 1. Ad *Deum* : Cui soli debetur gloria, tum quia sibi reservavit, tum quia tibi vires, et gratiam ad opus contulit. Unde Apostolus : Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 2. Ad *ipsum*, qui *laudem appetit* : Qui, si omnes virtuosas actiones possibiles solus exercuisset, easque Deo obtulisset, ne unam quidem minimam partem ex infinito illo debito, quod apud Deum contraxit, solvisset; quanto minus ergo de unico tantum, vel altero bono opere, cui ipsi forte plures imperfectiones mixtæ sunt, gloriandum erit; an non stultus crederetur, qui laudari cuperet, quod ex debito multorum millium talentorum obolum solvit? 3. *Ad eos qui laudant* : et in ordine ad veram bonitatem actionum judicandam perinde inepti sunt, infans aut stultus aliquis, cum intentionem, a qua omnis actionis bonitas dependet, non cognoscere queant, atque adeo plerumque pro affectu suo de rebus judicent. 4. *Ad ipsam laudem, quam appetit* : Quæ cum nudissima sit cogitatio aut sonus, nihil utilitatis homini, cujus omnis gloria ab intus est, afferre potest. Unde merito pius Asceta dixit : Quomodo potest erigi vaniloquio, cujus cor in veritate subjectum est Deo? non eum totus mundus eriget, quem veritas sibi subjecit : nec omnium laudantium ore movebitur, qui totam spem suam in Deo firmavit. Nam et ipsi, qui loquuntur, ecce omnes nihil, deficiunt enim cum sonitu verborum : veritas autem Domini manet in æternum. CASSIAN., l. V, c. XIV, § 4.

Nosse debet, hoc vitium, uti perfectis maxime insidiatur, ita ab his speciatim cavendum esse : Ut enim piratæ illis navibus magis insidias struunt, quas pleniores mercibus esse sciunt; ita et dæmon per vanam gloriam iis præcipue insidiatur, quos in virtutibus magis profecisse novit. Unde recte S. Augustinus dixit : Qui bene didicit, vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit vitium inanis gloriæ vel solum, vel maxime cavendum esse perfectis : quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc ultimum vincit. (S. AUG., *sup. Psal.* II.) Hinc S. Nilus Abbas narrat, olim tirones a provectioribus separatim fuisse institutos, et illos quidem abstinentiam carnisque mortificationem præcipue doctos, hos vero adversus vanam gloriam fuisse munitos. *Apud Rodr.*, p. I, tr. III, c. IV.

Nosse debet solidum, et efficacem modum fugiendi hoc vitium : qui in duabus potissimum doctrinis consistit, quarum prior tradita est a Ludovico Granatensi his verbis : Quisquis humanæ gloriæ cupiditate tangitur, sibi ipsi dicere debet, quod Joseph Dominæ suæ ad adulterium invitanti respondit; Ecce, inquit, Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, præter te, quæ uxor ejus es : Quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Dominum meum? Vere enim omnium bonorum suorum participes nos Deus efficiens, unam gloriam sibi tamquam legitimam sponsam reservavit. Quid igitur indignius, quam et hanc gloriam velle præripere, et Creatoris gloriam creaturæ velle copulare? (LUD. GR. *loc. com.*, fol. 602.) Posterior doctrina a S. Bernardo traditur sic loquente : Cavete oculos basilisci. Sed cui nocere dicitur basiliscus? ei, qui non viderit ipsum. Alioquin si tu eum prior videas, jam non nocet tibi, ut aiunt, magis moritur ipse. Ita est, fratres : Non videntes necat inanis gloria, cœcos et negligentes, qui se ei ostentant, qui se exponunt, et non potius ipsi aspiciunt : Non attendunt, non discutiunt illam, non vident denique, quam sit frivola, quam caduca, quam vana, quam inutilis. Si quis eum intueatur hoc modo, moritur hic basiliscus, nec jam occidit eum gloria, sed occidunt magis, et accidit ei quomodo in pulverem versa, imo redacta in nihilum. S. BERN. *in Psal. qui hab.*, s. XIV.

Nosse debet, quæ sit vera gloria, et quomodo acquirenda : ea scilicet, de qua S. Paulus locutus est dum dixit : Qui gloriatur, in Domino glorietur. (I. *Cor.* I, 31.) Quid autem sit in Domino gloriari, clare insinuat alibi : dum ait : Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate, et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo. (II. *Cor.* I, 12.) Hoc enim est, quod ipse Deus per Jeremiam dixit : In hoc glorietur, scire et nosce me. (JEREM. IX, 24.) Sapienter ergo S. Bernardus conclusit : Virtus mater gloriæ est; sola enim est, cui gloria jure debetur. Quæ autem est sine virtute gloria, profecto indebite venit, propere affectatur, periculose captatur. S. BERN. *in serm.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi :* GALAT. V, 26.) ostendi potest, quam vere laus, et gloria humana, inanis vocetur, quia vacua est, et caret omni fructu. Nam. 1. Nihil utilitatis affert *bonis temporalibus :* quia licet pauperem toto die laudes, et prædices, nec obolo ditior inde efficitur. 2. Non *corpori :* quia etsi sanissimus, et pulcherrimus prædicetur, si tamen revera talis non sit, irrisio potius hæc prædicatio, quam vera laus censebitur. 3. Non *animo :* quia non est hic doctior, aut sanctior, si laudatur : nec vilior, si vituperatur; sed talis est, qualis est virtus ejus. 4. Non in *gratia, et meritis :* quia hæc nonnisi ex operibus virtuosis generantur. Concludatur ergo concio illis S. Davidis verbis : Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? *Ps.* IV, 4.

Ex occasione thematis : *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*(MATTH. VI, 1) : possunt explicari damna, quæ oriuntur ex hoc vitio inanis gloriæ. Quod nempe 1. exerceat, et frangat corpus laboribus; et ut sic latroni comparari queat, qui associans se viatori, et amicum simulans, inopinato vitam adimit. 2. Quod spoliet meritis et præmio; et ut sic piratæ comparetur, qui naves mercibus onustas ex insidiis aggreditur, et spoliat. 3. Quod suppliciis gravibus subjiciat, et ut sic proditori comparetur, qui simulans se amicum, hostibus tradit, gravibus suppliciis, aut tormentis excruciandum. Vide Rodrig. part. I, tract. III, cap. III.

Ex occasione thematis : *Telas araneæ texuerunt* (ISRAL. LIX, 5) : possunt vanæ gloriæ cupidi araneis comparari. 1. Propter laboris fervorem, et constantiam, ubi fusius enarrari possunt gravissimi labores, et maxime ardua facta propter vanam gloriam suscepta. 2. Propter prædæ speratæ æqualitatem : quia scilicet et ipsi nihil aliud, quam muscas, idest, tenuem, inquietam, imprudentem (idest, omnia conspurcantem) inanem gloriam venantur. 3. Propter similem exitum laboris : quia scilicet et horum telæ subito per ventum adversæ fortunæ, aut inconstantiæ humanæ dissipantur, idest, optato successu destituuntur, ut plurimorum exemplis demonstrari potest.

Ex occasione thematis : *Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, sic et qui attendit ad vana mendacia* (*Eccl.* XXXVI, 1) : potest mundana gloria umbræ comparari. 1. Quia sicut umbra, quantumcumque corpus, aut pulchrum aut aliis qualitatibus, et ornamentis affectum est, semper nigra, et nihil, idest, carentia lucis; ita omnis gloria, et laus mundana, ex quacumque demum causa oriatur, obscura, et vana est, quia nihil utilitatis confert homini. 2. Quia sicut umbra frigida est, ideoque homines et animalia æstu solis accensa passim ad se trahit; ita multo magis gloria mundana frigida est, seu calore charitatis divinæ destituta, ad quam proin homines æstu concupiscentiæ inflammati, undique confugiunt, et levamen quærunt. 3. Quia sicut umbra est vapor ad modicum parens, et tota a solis illuminantis radiis pendet (JAC. VI, 14); ita cum et gloria nihil aliud sit, quam aliena de nobis opinio, et æstimatio, non potest diu stabilis durare, sed quovis fere momento accedit, et recedit. 4. Quia sicut umbra hominem quidem repræsentat, sed tam imperfecte, et obscure, ut quis, vel qualis sit, dignosci nequeat; sic et gloria, licet aliquo modo hominem manifestet aliis, et visibilem facit, revera tamen ex ea cognosci non potest, quis, et qualis homo sit coram Deo, et in seipso. 5. Quia sicut umbra fugientem sequitur, sequentem fugit; ita hunc ipsum gloriæ mundanæ genium esse, tum quotidiana experientia, tum commune hominum judicium ostendit.

ALII CONCEPTUS.

FUGA. — Protoparentes nostri rerum omnium creatarum potiebantur dominio : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus;* In signum homagii Deus ab iis exegit dumtaxat hunc actum obedientiæ : ne comederent fructum talis pomi. *De omni ligno Paradisi comede : de ligno autem scientiæ boni, et mali ne comedas.* Tametsi etiam fame periisset, obedire tamen tenebatur; ad nobilem namque creaturæ statum evectus, non ut hac, sed futura fueretur vita, creatus erat. Ex transgressionis hujus inflicta pœna, in claram devenimus notitiam gravitatis peccati, quo homo offendit Deum. Casui nostro applicemus hanc historiam : Bonorum innumerabilium, quibus liberalissimus Deus noster in præsenti vita nos ditavit, et infinitorum aliorum, quæ nobis præparavit futura, texamus catalogum : Bonorum nostrorum non eget, aliud a nobis non prætendit, nisi ut non usurpemus, et tribuamus nobis gloriam ipsi debitam ab omnibus creaturis; ergo ne adeo temerarii, et audaces erimus, ut illam ipsi surripiamus? Mansi, d. I, n. 4.

Inter alia dicta Jobi singulariter observandum est, quod dicat de dæmone : *Habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus*. Non meminit maris, pelagi, oceani, est insatiabilis, sed Jordanis; quia spiritu prophetico prævidebat, per hunc fluvium figurari, et denotari perfectos, et Sanctos : præterquam enim quod sinu suo complexus est Arcam Domini, vidit Spiritum Sanctum in forma columbæ, et aquis suis (ministerio manuum magni Baptistæ) baptizavit, et lavit Verbum æternum incarnatum. Ecce igitur mysterium, cur dicatur, quod diabolus speret absorbere Jordanum, quia malignus hic spiritus incessanter desiderat devorare innocentes : non per viam extorsionis, adulterii, apostasiæ, sacrilegii, aut similium excessuum : bene quidem per vanam complacentiam, vanamque gloriam in propriis operibus, quæ alias perfecta essent, et sancta. *Idem, dis*. III, n. 2.

Si Lucifer neque ipsum Dei Filium eximere voluit a suis assultibus, et tentationibus (disponente ita æterno suo Patre, ut per omnia fratribus assimilaretur : tentatum per omnia), cur expectavit ad trigessimum usque annum; observate unam vocem in S. Matthæo, quæ non ponitur sine mysterio : *Tunc Jesus ductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur*. Ast illud, *tunc*, ad quid refertur? Ad illud nimirum, quod idem S. Evangelista, et alii cum ipso jam retulerunt de eminentissima sanctitate Christi, cœlesti testimonio palam confirmata, et a Præcursore in via Jordanis demonstrata : *Ecce Agnus Dei*. Quamprimum igitur astutus serpens advertit Redemptorem nostrum donis, virtutibus, meritis omnibus cumulatum, nec posse sibi occurrere ditiorem prædam, tentavit illum. *Tunc accedens tentator dixit ei*. Ast qua via tentavit illum, aut quem modum fini, et scopo suo censuit esse congruentiorem aptioremque? Vanam gloriam; dæmon haud sibi persuadere poterat, Christum esse Filium Dei, tametsi cœlestus audivisset illius testimonium, nihilominus vana eum palpavit laude, et gloriosissimum hunc ei dedit titulum : *Si Filius Dei es*, petens simul lapides oblatos transmutari in panes : *Dic ut lapides isti panes fiant*. Non dixit, si esuris (observatio D. Chrysostomi est), sed *si Filius Dei es*, videlicet, existimans posse aliquid per laudum blandimenta suffurari : *Serpens erat callidior*. Post adhibitam omnem vafritiem, et sagacitatem suam, efficacius, aptiusque non adinvenit medium, quo quem filium Altissimi suspicabatur, daret præcipipitem, quam vanam gloriam : hæc enim illa est, qua suffragante parantur assultus, struuntur insidiæ navibus opulentis, gratiæ mercibus oneratis. *Ibid*. n. 2.

In republica apum bene ordinata, sunt aliquæ, quæ apparent esse apes, at non sunt : fucus genus est insecti, apis similitudine, sed majoris corpore, quod non mellificat, neque operam aliquam præbet in faciendo opere, consumit alimenta, quæ apes congesserunt. In anima alicujus hominis Christiani reperietis nonnumquam multas apes, puta, virtutes, quæ componunt, mensæque præparant divinæ mel suavissimum. De simili ape S. Urbanus Papa dicebat Christo, loquens de Sancta Cæcilia : Quasi apis argumentosa tibi deservit; at quid contingit frequenter arte, et opera diabolica? intervenit vana gloria, quæ devorat, et consumit meritum omnium actuum virtutum, qui alias æterna digni erant remuneratione, eosque plane inutiles reddit ob vanam complacentiam virtutum fucus. *Ibid*. n. 5.

Judicum cap. II, recensetur historia, quæ casui, et proposito nostro accomodari potest : Reportaverat Jephte de hostili exercitu victoriam : at quia Deo, si vinceret, votum fecerat, ut primum, quod ei domum redeunti, et triumphanti occurreret, offerret in sacrificium : contigit, ut ei occurreret unigenita filia sua cum tympanis, et choris. Observat Jephte (esto temerarie) votum factum, ac propria manu obtulit filiam in holocaustum. *Militia est vita hominis super terram :* In præsenti vita strenue pugnamus, et militamus vincendo pravos nostros appetitus jejuniis, disciplinis, vigiliis, ciliciis, eosque voluptatibus suis, ad quas anhelant, privando. Aggredimur pariter mundum inimicum, spernendo mundum, spernendum nullum, spernendo nosmetipsos, spernendo denique sperni, et contemni; humiliamus, et subjicimus nos alterius voluntati, et obedientiæ; mortificamus quoque appetitum vindicativum odii, remittimus injurias, benefacimus his, qui oderunt nos; ac plures alias victorias reportamus de pravis nostris affectibus, et inordinatis passionibus, ut immarcescibilis gloriæ potiamur corona. Verum sæpe contingere solet, quod triumphantibus nobis occurrat vana gloria, non cum tympanis, sed blandis laudibus : non cum choris sed applausibus, nosque intus exstimulat, ut actus virtutum, dona, merita, cunctaque alia bona opera offeramus, et sacrificemus vanitati, blandæ complacentiæ, et vanæ gloriæ. *Ibid.* n. 6.

Numerorum cap. XIX, mira alia præscribitur ordinatio, non vacans mysterio : *Vas, quod non habuerit operculum, et ligaturam desuper, immundum erit :* Quod si alias vas illud mundum, et purum esset, cur ut immundum, et sordidum æstimandum esset deficiente ligatura, et operculo? Quasi vas sine operculo, vel ligatura (Rabani verba sunt) polluitur, qui per studium ostentationis patens, nullo velamine taciturnitatis operitur. Vasa hæc operculo, et ligatura destituta illos significant, qui opus aliquod devotionis exercent, v. gr. orationis mentalis, mortificationis, communionis, aut opus exequuntur misericordiæ corporalis, ut recipiant aliquem applausum ; tales igitur in conspectu Dei sunt tamquam vasa immunda, et sordida. Quapropter cœlestis Magister constituit : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* S. Bernardus Ser. VIII, in Cant. considerando hoc consilium Evangelicum, ait : Orare volentes jubemur intrare cubiculum, ne coram orantibus laus humana orationis furetur fructum, frustretur effectum. RABANUS, *in cit. loc.*

Exod. cap. XX, legitur : *Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus ; si enim levaveris cultrum super eo, polluetur.* Præcepti hujus rationem reddit Stephanus Cantuariensis hisce verbis : Altare est mens hominis, ubi non est construendum ædificium de sectis, vel politis lapidibus ; lapis enim non politur, nisi ut videatur, unde lapis, qui in fundamento ponitur, non politur, quia videri non potest ; ille ergo construit altare de sectis lapidibus, qui ideo facit opera sua, ut videatur : abscondendum est opus, quia *justus*, ut ait Salomon, *quasi fundamentum subsistit ;* si ergo elevaveris cultum, idest, opus tuum cura, et arte humana poliri volueris, polluetur. STEPHAN. *Cant. in alleg.*

Pro emblemate aliquando expositum fuit cœlum stellatum cum hoc apposito symbolo : *Pulchriora latent :* Et vere pulchriora in cœlo abscondita sunt ; ad eum modum de Sanctis, qui excellunt in spiritu, et perfectione, dicere possumus : quamvis forinsecus videantur illæ extases, jejunia, solitudo, austeritas, victus, conformitas, mansuetudo, charitas, similesque excellentes virtutes, abscondunt nihilominus dona, quæ eximiam eorum exprimunt et testantur sanctitatem, ut sunt revelationes, visiones, actus interni amoris divini, et alii hujusmodi : *pulchriora latent.* MANSI, *d.* IV, n. 6.

In Apocalypsi S. Joannes cap. IV, se vidisse testatur præter alia : *Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas in circuitu, et intus plena sunt oculis, et requiem non habebant die ac nocte dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Porro inter hæc animalia unum hominis habebat faciem : Et tertium animal habens faciem quasi hominis ; ubi observandum, eamdem visionem referri ab Ezechiele Propheta, at hanc ille addit circumstantiam : *Manus hominis sub pennis eorum.* Quale illud mysterium, quod manus occultaverint sub alis? per manus, uti satis notum est, intelliguntur opera : hæc igitur servi Dei abscondunt, et subtrahunt ab oculis hominum ; totum contrarium illi, quod faciunt Hypocritæ : Occultanda sunt, fratres, bona, quæ agimus (B. Petri Damiani consilium est) ne hæc in hujus vitæ itinere incauti portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus. PETRUS, *Damian. S. de S. Barbara.*

Pulchre Glossa in Matthæum speculatur, qua ratione tres Reges, seu Magi thesaurum suum, quem e longinquis regionibus secum asportaverant, non aperuerint, nisi post accessum, et ingressum in tugurium Bethlehemiticum : apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. Magnum religionis Sacramentum hic aperitur, ut fide prævia thesauros nostros in via non pandamus, donec præteritis hostibus soli Deo ex occultis cordium offeramus. Ezechias, quia thesauros alienigenis prodidit, condemnatur in posteris. Sancti, et sapientes hi Reges thesauros suos non aperuerunt in Jerusalem, multo minus in itinere, sed in supremi dumtaxat Monarchæ, quem pannis involutum adoraverunt, præsentia ; et quale inde documentum? habemus thesaurum in vasis fictilibus ; naturali propensione nimis (proh dolor) avidi sumus propriæ laudis, æstimationis vanæ gloriæ ; quapropter quos pro obtinenda æterna beatitudine accumulamus thesauros, quamdiu viatores sumus, diligenter custodire, nempe abscondere debemus bona opera, et merita alterius vitæ, ne latrones, puta jactantia, vana complacentia, propria æstimatio nobis hunc thesaurum suffurentur. Solum igitur in conspectu Dei oportet illum aperire, id est, operari, ut Deo placeamus dumtaxat. *Glossa, in* t. II, *Matt.*

Sapiens illa mulier, inspecta eleganti Moysi facie, tribus mensibus eum occultavit; videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus, non attenta feroci persecutione tyranni illius, qui trangressoribus severissimam minitabatur pœnam. Ex quo facto hanc elicit moralitatem Origenes, subdens : Ita nos debemus occultare bona, quæ facimus, ne demergantur in profundum inanis gloriæ. Præcipitur in Moyse abscondito, ne bonos actus in publico geramus, ne justitiam nostram coram hominibus faciamus; nisi enim in occulto fuerit, diripietur ab Ægyptiis, et fluctibus submergetur. ORIGENES, *ho.* II.

S. Petrus Chrysologus explicans verba illa Christi : *Nesciat sinistra tua;* sic discurrit : Putas, quam vult nescire alterum, qui te ipsum, qui facis, vult aliqua tui parte nescire? Thema hujus sermonis est : Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus. Movet igitur hoc dubium : Justitia, lux rerum, consiliis non velatur obscuris; Justitia, cum sibi facto claret, omnes illustrat exemplo. Et quid est, quod eam Dominus coram hominibus non vult fieri, per quam flatum capiunt res humanæ? Et ubi est illud, *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est?* Quomodo justitiam vult celare, cujus opera vult elucere? Et proposito nostro conformiter difficultatem solvit dicens : Fratres, hæc præceptio cœlestis vult jactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, submovere inanem gloriam, sic justitiam vult celare. Justitia, quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam, non requirit : a Deo genita cœlum spectat, in oculis agit divinis, supernis virtutibus mixta, semper a Deo solo, ut glorificetur, expectat : sed hæc est justitia, quæ ex Deo est; illa vero justitia, quæ est hypocrisis, justitia non est, mentitur oculis, fallit aspectum videntibus illud, trahit populos, seducit turbas, famam vendit; edit clamorem : fit sæculo, Deo non fit, mercedem rapit præsentem, præmium non quærit in futuro, cæcat oculos, cæca ipsa, non videns vult videri. PETRUS, *Chrys.* V, 9.

Pulchre facere quidam Interpres describit, qua ratione araneæ miro artificio retia sua texant, et conficiant in circumferentiam : primo partiuntur quatuor filis æquali spatio a se dissitis, et ad modum crucis distentis per quatuor partes, et ab his per circuitum deducunt alia fila, ita tamen ut ab omni parte æquales relinquant sectiones : nectunt suas telas, inquit auctor ille, in quatuor circulorum quasi sectiones, quorum quælibet sectio viginti item fectiunculas alias, et fila viginti contineat, ut inspicientibus curiosius constare poterit; octoginta circulis igitur, aut sectionibus constat tela tota. Videbitis hanc bestiolam, cum in labore suo occupata est, centies, ac millies mira velocitate hinc, et inde currentem, recurrentem, per gyrum ducentem fila, quandoque per transversum eadem attexentem; at quis ejus finis? eviscerat se, enervatque, ut rete suum ordiatur, et perficiat. Sed quid? Unicus venti flatus, unicus motus scoparum dissipat, destruit, ac secum tollit totum istum laborem. Ecce propriisssimam pro casu nostro similitudinem. Erit quispiam Deo serviens in timore, sanctitate, et justitia, triginta, aut quadraginta annorum spatio, multa, et varia colliget merita bonorum operum, eleemosynarum, jejuniorum, ciliciorum, mortificationum, orationum, diversarum peregrinationum, operum misericordiæ, tum spiritualium, tum corporalium : at denique quid erit? Vafri serpentis infernalis stratagemate, concitabitur unicus flatus vanæ gloriæ, unicus actus propriæ complacentiæ, qui cunctos hos labores, et sudores, tanto tempore exantlatos, apud Deum prorsus inutiles efficit, ac invalidos : *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus* : Et quid inde sequetur? Attendite ipsum Dei oraculum, de quo scriptum est : spirituum ponderator est : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Pined. in* c. XXVII, *Job.* 18.

Joannis cap. X. Redemptor noster nobis demonstrat, quis sit mercenarius, et non pastor, asserens : *Mercenarius autem, cujus non sunt oves propriæ, dimittit oves, et fugit, et lupus rapit, et dispergit oves.* In sensu morali varii dantur mercenarii, et quidem in sensu accommodo nostro proposito, docet S.

Anselmus, hominem deditum vanæ gloriæ esse hunc mercenarium, qui pro applausu mundano vendit opera bona, quæ alias apud Deum inæstimabilis essent pretii; et quia ex iis vanam concipit gloriam, non jam bona sunt opera, eo quod privent ipsum immortali retributione : hujus non sunt oves propriæ, quia virtutes, quas in se ipso custodire videtur, ab eo sunt alienæ. Notatu dignum verbum illud : *Omnia opera sua faciunt, ut videantur*, ubi notat etiam D. Chrysost. subdens : Non hæc, aut illa, hoc vero expulit eos omnino a charitate. Qui operatur bene, ut videatur solum ab hominibus, is non operatur propter amorem Dei; unde necessario sequitur, tales esse alienos a charitate, quæ sola valorem confert actionibus nostris, easque Deo gratas, ac æternæ vitæ meritorias efficit. S. ANSEL. *in tit. c.*

Josephus Hebræus refert in templo Jerosolymitano quotidie tale contigisse miraculum quando nimirum pro offerendis sacrificiis mactabantur boves, oves, aliaque animalia, eorumque profundebatur sanguis, nulla ibidem musca visa, vel etiam advolare ausa fuit : E contra quando gentiles suis falsis diis in sacrificium offerebant carnes similium animalium, tantus advolabat, comparebatque muscarum numerus, ut primario idolo suo imposuerint nomen Beelzebub, quod idem est, ac Deus muscarum. Curiosos vos esse haud ignoro, ut ex hoc miraculo percipiatis mysterium aliquod morale : Musca est figura vitii hujus vanæ gloriæ; quemadmodum enim musca, si adhæreat alicui unguento odorifero, et ibidem moriatur, dissipat, et perdit ejusdem fragrantiam : Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti; eadem proportione dicere possumus, quotiescumque hoc vitium inhæserit cordi, quod spirat bonum virtutis odorem (Christi bonus odor sumus) suavem odorem boni exempli, charitatis, humilitatis, obedientiæ, etc. perdit, et dissipat fragrantiam horum bonorum spiritualium; etenim Deus abominatur actiones illas, quas pallio devotionis, et pietatis tegimus, ut inde recipiamus gloriam vanissimam, et applausum mundi, sui inimici. Certum est, quod per sacrificia antiquæ legis figurabantur nostra bona opera; si igitur Deus miraculum patrare voluit, ne muscæ advolarent proprius, et carnes attingerent eo quod sint (licet remote) umbra, et typus vanæ gloriæ; quanto magis in sanctis, et christianis nostris actionibus abominabitur hoc idem vitium? Si Deus has muscas proscribebat, et exterminabat ab agnis, arietibus, vitulis, et bobus, qui mactabantur; quanto magis a nostris operibus factis in lege gratiæ, puta orationibus, eleemosynis, confessionibus, communione, et aliis similibus vult exterminari, et proscribi omnem vanitatem, omnemque pruritum propriæ æstimationis, et complacentia? JOSEPH, l. I, *antiq.*

Apud S. Matthæum plurimum hortabatur Dominus, ut, cum boni operis quidpiam exercemus, non imitemur pessimum fictorum sanctulorum morem, qui, cum bene aliquid agunt, id faciunt, ut plausum sibi apud spectatores conflent. Verba Domini apud Evangelistam sic habent : *Cum facis eleemosynam, noli canere tuba ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus, liberalitatisque aliquam opinionem sibi apud eos nundinentur; nam si ita feceris, tua te expectatio ludet, sicut illos sua fefellit. Amen enim dico vobis receperunt mercedem.* Matth. VI, 2. Vatablus hæc postrema vertit : *Abstulerunt mercedem suam*, hoc est, sibi ipsis ademerunt, et prodegerunt suam mercedem. Translatio Vatabli non cohæret satis, imo pugnare cum verbis Domini videtur. Cum enim Christus affirmet, Hypocritas recepisse remunerationem suam, quomodo huic cohæret, quod Vatablus ait, abstulisse sibi, atque adeo perdidisse illam? Abstulerunt, receperunt? Optime convenit utriusque verbis; quodque Christus ait, recepisse mercedem suam, id pulchre exposuit Vatablus dicens, abstulisse sibi; quid ambiunt hypocritæ cum sive stipem in egenos erogant, sive aliud quid boni operis factitant? Respondet Christus : *Ut honorificentur ab hominibus*, existimationemque aliquam sanctitatis apud eos obtineant, quorum levem favorem sic iis rebus consectantur, ut per easdem Deo placere non curent. Quid ergo dicit Deus? Itane vero, ait, perfidissimi, et propudiosissimi hominum hypocritæ, inanem popularis favoris ventum captare studetis per hoc, quod bene agitis, ut meam gratiam hujusque habeatis : Ego vos pro meritis habebo, faciamque, ut homines intelligant, et videant, non alio consilio a vobis opera bona exerceri, quam virorum bonorum, et sanctorum famam vobis paretis, ex quo consequetur, ut offensionem, sinistramque existimationem apud illos incurratis; adeoque et mea gratia excidatis, et nullam apud eos obtineatis, et omnium jacturam faciatis, jam nec mihi grati eritis, nec illis accepti, sed his exosi, et mihi invisi. Itaque, et receperunt mercedem suam ab alienatione hominum mulctati, quorum plausum, favoremque expetebant, et abstulerunt mercedem suam, dum se ipsos destituerunt benevolentia Dei, quam sibi demereri potuissent, nisi plausus humani aucupes stulti esse voluissent. *Didac. Nyss. Da.* I, *post Epip. Ps.* III.

Ibat Christus excitatum a mortuis filiam Jairi Archisynagogi, et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem Jacobi. Marci v, 37. Voluit Elias revocare in vitam piæ viduæ, et hospitis suæ filium, eamque ob rem tulit eum de sinu matris ejus, et portavit in cœnaculum, ubi ipse manebat. III. Reg. XVII, 19. Hic jam in foribus occurrit dubitatio, quid causæ sit, quod Christus totius humilitatis consummatissimus Magister ob oculos quinque testium redanimatæ puellæ miraculum perpetravit, cum Elias, et Eliseus, quando similia prodigia moliebantur, ita lucem defugerunt, tamque secreto egerunt, ut ne matres quidem parvulorum, quos resuscitabant, coram adesse voluerint. Ingeniosa quæstio, quam auctori discutiendam relinquo. Is in cap. IX. Matthæi sic resp. Dicendum, quod hoc fuit, quia illi non suscitabant mortuos, ad aliquid probandum, sed solum ad benefaciendum, ideo testibus non egebant; Christus autem miracula faciebat, principaliter ad ostendendam virtutem suam, ut sciretur, quod erat Messias, et quod erat Deus, ideo indigebat testibus miraculorum suorum; Hinc accipimus, valde occultandum esse opus bonum, cum solum ad benefaciendum dirigitur, ne quod a publico (quod proclive) damnum accipiat, et de vani plausus ambitione tentetur, qui illud fecit. *Idem Do.* III, *post Epip.* p. 4.

Theophylactus ait, pluvias, quæ noctu decidunt, majorem plantis adferre utilitatem, et fertilitatem, quam quæ interdiu descendunt, hocque eam ob causam, quod per absentem tunc solem delapso humore diutius frui possint. Verba Theophylacti ex lib. III, de caus. plantarum cap. XVII, sic habent : Nocturni imbres præstant diurnis, sic enim, ut plantæ humore potiri amplius valeant, cum sol non protinus illum consumat. Subdit autem statim magnus agriculturæ magister : Et tutius quoque sic agi, nullum dubium est. Si ad spiritualem agriculturam hæc transferas, multo veriora reperies. Ut pluvia terram fertilem reddit, sic animam bona opera fœcundant, sed uberiorem tamen faciunt eam, si nocte irrorent, si lucis opera in tenebris fiant, si non in forum ad ostentationem proferantur, et tutius sic agi, nullum dubium est, quod extra periculum sunt, quæ extra conspectum hominum aguntur; experientiam huc adscisco testem, et adstipulatricem. *Ibidem.*

S. Athanasius quæst. 34, in Scriptur. sciscitatur : quare cum discipulis suis post resurrectionem suam Christus edere voluit, nec alia pars est inventa, quam assi piscis, et de apiario favo? quod de favo respondet, huc facit, et sic habet : favum habuit propter signaculum, quo per Baptismum omnes fideles signavit; etenim thesaurus mellis, quanto magis munitus est a favo, tanto est tutior; Consimili modo, et gratiæ divinæ tanto sunt tutiores divitiæ, (in homine subaudi) quanto magis intra conscientiam, velut alvearium quoddam absconsæ; ut ergo favi tenacitate liquidum mel cohibetur, ne ex apiario in publicum profluens inimicarum bestiarum voracitati exponatur : sic curare debemus, ut opera nostra bona occultemus, et arcæ solitudinis, ac recessus includamus, et humilitatis custodia ab infestis oculis defendamus, ut clavis adulterina vanæ gloriæ, quamtumvis secretum nostrum aperire, et deoperire opera ea velit, non valeat. *Ibidem.*

Novum pene accidit S. Bernardo, quod nocte Christus nasci voluit, cujus Natalis, tam vehementer omnium sæculorum votis expetebatur, quam erat saluti eorum, et remedio necessarius : Nonne satius fuisset, orbis lucem in media urbe Jerosolymorum luce media exoriri, ut omnes tam immensæ misericordiæ opus agnoscere, et plurimis verbis magnopere prædicare possent, quam quod Christus se intra stabuli latebras retulerit, et obscuræ noctis tenebris involverit, talique velut pallio contexerit, ut nemini esset conspicuus? quid ergo nobis liber Sapientiæ, cap. XVIII, dicit? *Cum quietum silentium continerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, Omnipotens sermo tuus de cœlo a regalibus sedibus prosilivit?* Quis Rex ditionum suarum possessionem aditurus, non maximos, et magnificentissimos apparatus instruit, ut gloriæ suæ, ac potentiæ ostentationem faciat? Quorsum ergo

Christus Regum supremus tam silenter, humiliterque in mundum advenit? S. Bernardo tam persuasum erat id ob unam maxime vanæ gloriæ cupiditatem damnandam factum, ut indignabundo similis exclamarit : Jam vero nocte voluit nasci : ubi ergo sunt, qui tam impudenter gestiunt ostentare semetipsos? Ita ille serm. 3, de Nativit. tamquam putarit, post tam luculentum submissionis exemplum neminem posse vanæ laudis ambitu oblectari, nisi qui verecundiæ fines semel totos longe transierit. Itaque quo primum pede Christus terram pressit, eodem formam expressit, quam in vani plausus contemptione imitari debeamus, tenebrasque nobis ostendit, quas petere debeamus, cum lucis opera facere instituimus. *Idem S.* II, *in die Ci.* p. 5.

Sed quam divine nos sui imitatione ad eamdem humilitatis virtutem, et vani plausus contemptionem erudit, cum Sacramentum, sub quo nobis semper corporaliter, quamquam invisibiliter, præsens adesset, instituit! Hoc opus relicti Corporis, et Sanguinis sui in alimoniam nostram, in cibum et potum nostrum, tam est admiribile, ut sit omnium prodigiorum Dei quædam summa, et compendium, quod his verbis prædixisse, et prædicasse S. David videtur, cum ait : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Ps. CXIX, 45, forte an in hoc tanto opere, quo thesaurorum suorum infinitas copias, et ardentissimæ charitatis incendia ostentat, oblitus fuit nos docere, quomodo nostra opera bona obtegere, et virtutes dissimulare debeamus? Minime omnium, imo in hoc uno mysterio plusquam in alio quopiam, hujus rei præceptiones, ac modos pulcherrimos tradit Angelicus Doctor S. Thomas, opusc. 57, c. VIII, ait, in hoc divinissimo Sacramento patescere veritatem vaticinii Isaiæ, qui c. XLV, 15. Deum eucharisticis speciebus tectum appellans dicit : *Vere tu es Deus absconditus*, sive *Deus absconsionum*, (ut alii vertunt) *Deus Israel Salvator.* Absconsionum autem plurium Deus dicitur, quia non unam tantum re in Eucharistia abscondit, sed plures, scilicet personam suam, opus, et modum, inquit angelicus Ecclesiæ Doctor; latent omnia in hoc Sacramento, divinitas, humanitas, corpus, anima, modus adeo, quo hæc ipsa ibi latent. Quorsum istud? Respondit Doctor gloriosus : In his discimus, in nobis quoque tria virtuose abscondi, nostram personam, opera nostra bona, et bonorum operum intentionem. Sub ipso Sacramento absconditus Deus noster abscondere nostra docet, ut, velut ille albo specierum sacramentalium pallio circumtegit personam, opus, et modum, ita nos quoque abdamus, non solum, quæ bona, facimus, sed consilium etiam, quo illa facimus, ut simus ipsi nobis quædam Sacramenta, dum secreta servamus, veloque modestiæ, et larva humilitatis celamus, si quid ex virtute agimus. *Ibidem.*

MISCELLANEA.

Qualitas. — Pulchre seniores nostri naturam morbi hujus in modum cæpe, bulborumque describunt, quæ uno decorticata tegimine, alio rursus inveniuntur involuta, totiesque reperiuntur obtecta, quoties fuerint expoliata. Cassian. l. XI, *inst.*

Vires, et efficaciam gloriæ non male descripsit Ovidius, dicens.

> Excitat auditor studium, laudataque virtus
> Crescit, et immensum gloria calcar habet.
> Ovid. l. IV, *de Ponto eleg.* II.

Et alibi :

> Denique non parvas animo dat gloria vires,
> Et facunda facit pectora laudis amor.
>
> Ardua per præceps gloria vadit iter.
> Ovid. l. V, erist. XV, *eleg.*

Propertius quoque idisum confirmans cadit :

> Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires,
> Non juvat ex facili lecta corona jugo.
> *Ib.* lib. IV, *tri. ele.* III.

Trahimur omnes laudis studio, inquit Cicero, et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi illi Philosophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt : in quo prædicationem, et nobilitatem despiciunt, prædicari se, ac nominari volunt. Cicero *pro Achia Poeta.*

Duplex est gloria juxta Senecam. Una adumbrata, et ex populari rumore progenita, propagataque, quæ nec judicio provenit, nec firma perdurat : quam veluti vitium sapiens minime expetit. Altera vera, et solida, ac durabilis, quæ ex consensu bonorum nascitur; sicut enim consuetudo sermonis est consensus eruditorum, ut Quintilianus ait, sic consentiens laus bonorum gloria appellatur; quam D. Augustinus dixit, esse opinionem hominum bene de nobis judicantium; hæc autem bonis viris non est contemnenda; cum sapiens non gloria, sed conscientia recte factorum virtutem metiatur. SENECA *in* l. XVIII, *epist.*

Democritus dicere solebat : Oratio operis est umbra, significans, laudem ex factis, non aliis qualitatibus nasci. LAERTIUS l. IX, c. VII.

Socrates hanc viam compendiariam ad gloriam dicebat : Si quisque id ageret, ut, qualis haberi vult, talis sit. CIC. lib. II, *Offic.*

Antiqui vanam gloriam per pavonem repræsentabant, quia hic pennas suas tunc potissimum explicat, et ostentat, cum plurimos ad spectandam convenisse advertit. LANGUIS, *in Polya.* f. 481.

Alii per bullam expresserunt, quæ inflata vix comparet, et iterum evanescit. *Ibid.*

Plato dicebat, vitium inanis gloriæ esse vestem, quæ omnium ultimo exuitur : Cui consentiunt, teste Lancizio, Sancti Patres, asserentes, esse origine primum, et conflictu ultimum. LANCIZ. *opus.* IX, n. 265.

Plinius ait, olim malum punicam, et vitem sine foliis repertas, stirpe fructum tulisse, non palmite, et ramis; quod idem viri boni faciunt, non amantes folia laudis, et gloriæ. PLINIUS l. XVII, *hist. nat.* c. XXV.

Idem Plinius narrat, ad extremos fines Indiæ gentem Astomorum degere sine ore, corpore toto hirtam vestiri frondium lanugine, halitu tantum viventem, et odore, quem naribus trahunt. His similes sunt inanis gloriæ amantes; os enim non habent ad Deum, et alios laudandos, vestibus virtutum carent, foliis tantum apparentis virtutis ornantur, et aura vanæ gloriæ vivunt. *Idem* l. VII, c. II.

Tisandri filius Hippoclides, cum Agaristam Clisthenis filiam ambiret, ideoque omnem artem, qua excellebat in saltatione, adhiberet, Pater Agaristæ hac gesticulatione offensus eidem dixit : Perdidisti conjugem saltando, o Hippoclida. Idem plerumque, evenit sic, qui hominum laudes venantur, ut, dum placere maxime volunt, displiceant. HERODIA, l. VI, *ante fin.*

Epictetus nobile documentum quoad hanc materiam relinquens : sicut Sol, aiebat, preces aut blandimenta non expectat, ut exoriatur, sed statim fulget, et ab omnibus salutatur; sic tu nec plausus expectes, nec strepitus vel laudes, sed sponte bene facias, et pariter ac Sol carus eris. *Epicte apud Stob de mag.*

Sicut inter verum maritum, et adulterum hoc discrimen est, quod ille bonum prolis, hic solam voluptatem, quærit; ita inter veros Dei, et falsos amatores pariter hæc differentia est, quod illi solam Dei gloriam, hi hominum laudes, quærant. RODRIG. p. 1, tr. 3, c. V.

Non frustra Deus in Deuteronomio præcepit : Non tondebis primogenita ovium; (DEUT. XV, 19.) nam, ut S. Gregorius explicat, tondere primogenita ovium est occultationis suæ tegmine humanis oculis inchoantia opera bona denudare. Cum ergo vita nostra simplex quid, atque innocuum inchoat, dignum est, ut secreti sui velamina non relinquat, ne nudum hoc humanis oculis quasi subducto vellere ostendat. S. GREG. *mor.* c. XLIII.

S. Macarius percontanti cuidam, cur fame ab hora tertia in eremo pulsaretur, qui in cœnobio integris sæpe hebdomadis refectionem sine difficultate contempsisset? respondit : Quia nullus hic est jejunii tui testis, qui te suis laudibus nutriat; ibi autem te digitus hominum, et xenodoxiæ refectio saginabat. CASSIAN. *colloq.* 5, c. XXII.

FUGA. — Ut fugiamus venenum inanis gloriæ, aquilam imitari oportet, quæ, quia Parias serpens pullis ejus insidiatur, trahendo ad se ventum, ut eum veneno infectum ad pullos remittat, eosque occidat, instinctu naturali lapidem (qui gagates vocatur, et venenum expellit) nido suo inædificat, et in illa parte, ex qua ventus spirat, collocat; Lapis autem hic Christum spiritualiter denotat; qui contra ventum inanis gloriæ cordi inædificandus est. PLINIUS, l. X, c. III, *nat. hist.*

Animalia, quæ olim Ezechiel vidit, quatuor habebant alas, quarum duabus corpora tegebant, duas sursum erectas habebant; hæ significabant opera sursum tendentia, illæ timorem, et humilitatem, quibus ea ab hominibus abscondunt. STAPL. t. III, *in Do.* III, *post. Epist.*

Nec male alius :

Esse Deo quisquis cupiat mage fulgidus, ipsi
  Hereat, et mundi spernat inane decus.
Nam quo mortales quisquam est mage fulgidus inter,
  Hoc minus est magno fulgidus ipse Deo.

JAC. *Billiut. anthol. sac.*

Consentit Boetius, sic canens :

Quicumque solam mente præcipiti petit,
  Summamque credit gloriam,
Late patentes ætheris cernat plagas,
  Arctumque terrarum situm ;
Brevem replere non valentis ambitum
  Pudebit aucti nominis.
BOET. l. II *metro* 7.

Sit tibi tam triste laudari a turpibus, inquit Seneca, quam si lauderis ob turpia : Lætior esto, quoties displices malis, et malorum de te æstimationes pravas veram tibi laudationem adscribe. Sectator epularum non de bene vivente, sed de bene pascente, laudabilem profert sententiam. SENECA.

Thymiama juxta ritum legis confectum Deus sub interminatione mortis in usus suos converti vetuit; quid autem aliud gloria, nisi honor soli Deo reservatus? EXOD. XXX, 38.

DAMNUM. — Puellæ filiæ Loth in monte patrem inebriantes de eo conceperunt; Super quo Origenes ita ait : Observare debes ne forte, cum effugeris flammas sæculi ad instar Loth, et ad scientiæ altitudinem, velut ad quædam cacumina montis perveneris, tibi insidientur duæ filiæ tuæ, a te non discedunt, sed sequuntur etiam cum ascenderis ad montem, nempe vana gloria, et major soror ejus superbia. Quæ idcirco filiæ dicuntur, quia non nobis extrinsecus veniunt, sed ex ipsis operibus perfectionis nascuntur. Vide ergo, ne de his generes filios, quia qui de his nati fuerint, non ingrediuntur Ecclesiam Dei. ORIGENES *apud Gr. lect. com.* f. 602.

Cum olim accipiter insultasset trochilo, quod muscis tantum, et vermiculis viveret; respondit trochilus, non invidere se ipsi delicatam mensam perpetuo bello paratam, cum tamen ipse viliore sua mensa cum pace fruatur; timendum quoque, ne mensa illi sua sat caro constet pretio. Et ita contigit; nam paulo post accipiter columbis insidiatus a rustico capitur; et ex turri in terrorem suspensus est, quo viso trochilus dixit : Quam longe, o frater, vitæ tuæ consultius fuisset, una mecum vermiculos in cibos legere, quam alienas aves insectari! Applica ad gloriæ vanæ venatores. DREX. *in amus.* l. II, c. IV, § 6.

Agasides ab Halicarnasseis in exilium relegatus est, quod tripodem, quem ludis obtinuerat, Deo non dedicasset, sed domum retulisset. Quid ille, qui vitam suam Deo non dedicat? HEROD. l. I.

AXIOMATA.

Ubi multa laus, ibi multa fraus. BUCHLER.

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse;
  Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.
Qui sese laudat, laudis se munere fraudat;
  Laus vera alterius semper ab ore venit.

Laus propria sordet.

Est nimium rarus, qui laudis non sit avarus.

Gloriæ ambitio virorum morbus est felicium. DREX. *in amul.* 2, c. IV, § 4.

Gloria umbra virtutis etiam invito comitatur. *Ibid.* § 5.

Gloria spernentem fovet, aversatur amantem.
Anonym.

Facilius est gloriam omnino fugere, quam rite quærere. DREX. l. c.

Vitam agit leporis, quicumque vanus auceps gloriæ est. *Ibid.*

Gloriæ umbra est parva magnis, pusillis maxima. *Ibid. ex monast.*

Compendio assequi vis gloriam? contemnito. *Trochai.*

AUCTORES.

Jeremias Drexelius in Amussi l. c. IV et V.

Joannes Busæus in Panario V. Inanis gloria.

Ludovicus Granatensis in locis communibus f. 597.

Bernardinus Rosignolius l. II, de disc. c. XXIV.

Alphonsus Rodriguez p. 1, tr. 3, c. II et seqq.

Eusebius Nierembergius de ador. in spir. et verit. l. II, cap. XXI.

Joannes Cassianus l. XI, de Instit.

Jacobus Alvar. de extinct. vitiorum t. II, l. I, p. 2, c. XV et XVI.

Hadrianus Pyræus in apophtegmatis S. Ignatii l. III, c. XI.

Mathias Faber conc. 3, in Fer. cin. et in Auctario them. 5, in Dom. 3, post Epiph. et the. 2, in Dom. 23, post Pentec.

Thomas Stapletonus textu II, in Dom. 3, Adv. et text. 3, post Epiph. et text. VI, in Dom. 4. Quadr. et text. V. Dom. Pass. et text. I. Dom. 1, post Pent. et text. VII. Dom.

7, post Pent. et text. VII. Dom. 10, post Pent.

Josephus Langius in Polyanthæa. Verbo Gloria.

Josephus Mansi in Bibl. mor. tr. 95.

VERBUM DEI

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est id, quod loquitur Deus, ut definit Serarius; (Serar. *in prolo.* c. ii, q. 2.) sic enim etiam Verbum increatum involvitur. Quod si tamen solum creatum Verbum, de quo hic potissimum sermo erit, definire quis velit, dici potest, quod sit sermo a Deo immediate, vel mediate (per homines) prolatus.

Divisio. — Dividitur 1. in *Increatum* et *Creatum.* Illud est ipsa æterna Dei Sapientia, seu Filius Dei, de quo S. Joannes dixit : In principio erat verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. (Joan. i, 1.) Istud est Verbum Dei in tempore per Angelos, vel homines prolatum, de quo S. Paulus ad Hebræos locutus est, dicens : Multifariam multisque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis; novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum. Hebr. I, 1.

Subdividitur 1. in *scriptum*, et *non scriptum.* Illud est, quod in Scriptura, seu Bibliis continetur. Hoc est, quod a primo suo auctore scriptum non fuit, sed solum ore tenus traditum est, unde, et *Traditio* vocatur, de quo S. Paulus Thessalonicensibus dixit : Tenete traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam. (II. *Thess.* ii, 15.) Iterumque subdividitur in *divinam*, quæ ab ipso Christo Apostolis tradita est, qualis est Sacramentorum materia : *Apostolicam,* quæ ab Apostolis accepta est, qualis est jejunium quadragesimæ, et quatuor temporum, et similia : et *Ecclesiasticum ;* quæ nihil aliud est, quam consuetudo quædam antiqua, quæ, vel a Prælatis, vel a populis inchoata, tacito consensu vim legis obtinuit.

Subdividitur 2. in verbum *prædicatum*, de quo Christus : Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ; (Matt. xvi, 15.) et *auditum :* de quo idem dixit ad turbas : Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Luc, xi, 28.

S. Bernardus aliam quamdam accidentalem assignat; dicens : Arbitror, non incongrue quinque lapidibus istis quinque partitum verbum intelligi, scilicet comminationis, promissionis, dilectionis, imitationis, et orationis. Horum quippe verborum late patens copia in divinarum reperitur serie scripturarum; et forte ipsa sunt quinque verba, quorum meminit Paulus, malens quinque verba loqui in sensu, quam decem millia in lingua, etc. Jam vero collectos istos lapides, contra superbiæ spiritum dimicaturus David in vase memoriæ suæ reponat, considerans, quanta nobis comminetur Deus, quanta promittat, quantam nobis exhibeat charitatem, et quam multa nobis sanctitatis exempla proponat, quemadmodum denique orationum nobis ubique commendet instantiam. S. Bern. *s. in Do. 4, post. Pent.*

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum : recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam. Prov. viii, v. 8.

Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se : ne addas quidquam verbis illius, et arguaris, inveniarisque mendax. Prov. xxx, 5.

Non voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. II. *Pet.* i, 21.

Hæc omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram. I. *Cor.* x, 11.

Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. II. *Petr.* i, 19.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. *Ps.* cxviii, 105.

Verbum sapiens quodcumque audierit sciens, laudabit, et ad se adjiciet : audivit luxuriosus, et displicebit illi, et projiciet illud post dorsum suum. *Eccl.* xxi, 18.

Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, et vita sunt. Joan. c. vi, 64.

Qui ex Deo est, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Joan. viii, 47.

Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud. *Psal.* cxviii, 140.

NECESSITAS. — Nisi Dominus exercituum, reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus. Audite verbum Domini, Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum. IS. I, 9.

Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. *Prov.* XXVIII, 9.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus : et emittam famem in terram : non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. AMOS, VIII, 12.

Ecce ego inducam super civitatem hanc, et super omnes urbes ejus universa mala, quæ locutus sum adversus eam : (JERE. XIX, 15.) quoniam induraverunt cervicem suam, ut non audirent sermones meos. *Vid. et Jo.* XI, 48.

Propterea abundantius oportet observare nos ea, quæ audivimus, ne forte pereffluamus. HEB. II, 1.

UTILITAS. — Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum. HEB. IV, 27.

Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. I. *Tim.* III, 16.

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. *Rom.* XV, 4.

Non in solo pane vivit homo : sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. MATT. IV, 4.

Verba, quæ dedisti mihi, dedi eis : et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere, quia a te exivi. JOAN. XVII, 8.

Sciant filii tui, quos dilexisti Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat. SAPIENS, XVI, 26.

Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. ISA. I, 28.

Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. LUC. XI, 28.

Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. *Psal.* CXVIII, 130, *vi et* 105.

Verbum meum, quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quæcumque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud. ISA. LV, 11.

Sustinuit anima mea in verbo ejus. *Ps.* CXXIX, 5.

In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. *Ps.* CXIII, 11.

Tuus, Domine, sermo sanat omnia. *Sap.* XVI, 12.

Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? JERE. XXVIII, 29.

Factus est sermo Dei, quasi ignis exestuans in corde meo. *Idem*, XX, 9.

Assumite gladium Spiritus, quod est verbum Dei. *Eph.* VI, 17.

Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. *Ps.* LXII, 12.

Oves meæ vocem meam audiunt : et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum. JO. X, 22.

Amen, amen dico vobis ; qui verbum meum audit, habet vitam æternam. *Idem*, V, 54.

JUCUNDITAS. — Inventi sunt sermones tui, et comedi eos, et factum est mihi verbum tuum in gaudium, et in letitiam cordis mei. JEREM. XV, 16.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. *Ps.* CXVIII, 14.

Beatus, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. *Ps.* XCIII, 13.

Quam dulcia facibus meis eloquia tua, super mel ori meo. *Ps.* CXVIII, 103.

Favus distillans labia tua, sponsa ; mel, et lac sub lingua tua. CANT. IV, 11.

VERBUM DEI AUDIENDUM. — Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. JO. IX, 47.

Ponite hæc verba mea in cordibus, et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros collocate. DEUT. XI, 18.

FACIENDUM. — Estote factores verbi ; et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. *Vid. Jo,* X, 27.

Fili mi, custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi. JAC. I, 22.

Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. *Prov.* VII, 1.

Si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo ; consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est, qualis fuerit. *Rom.* II, 13.

Omnis, qui audit verba mea et, non facit, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam supra arenam : et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et fuit ruina illius magna. Jac. i, 23.

Qui perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea : non auditor obliviosus factus, sed factor operis; hic beatus in facto suo erit. Matth. vii, 16.

Prædicandum. — Prædica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina. Jac. iii, 25.

Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum. Is. lviii, 3.

Notum facio vobis Evangelium, fratres, quod evangelizatum est a me : quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. Gal. i, 11.

Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Marc. x. 15.

Damnum neglecti verbi dei. — Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit, et ad se adjiciet. *Ecc.* xxi, 17.

Hæc dicit Dominus : Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, ut audiatis sermones servorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos, et non audistis : Dabo domum istam sicut Silo, et urbem hanc in maledictionem cunctis gentibus terræ. Jer. xxvi, 6.

Cui loquar? et quem contestabor, ut audiat? Ecce incircumcisæ aures eorum, et audire non possunt : Ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, et non suscipient illud. *Ibid.* c. vi.

Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet, qui judicet eum; sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. V. X, Jo. xii, 48.

Propterea abundantius oportet observare nos ea, quæ audivimus, ne forte pereffluamus : si enim, qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio, et inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem. *Hebr.* ii, 1; *Vid. etiam Matth.* vii, 26.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Plus est, verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem morituræ carnis terreno cibo satiare. S. Greg. *ho.* vi, *sup. Evang.*

Scriptura, ut fidelis speculi nitor, nullius accipit adulandam personam, sed ad laudanda, et vituperanda hominum facta, illis ipsa indicat, vel legentibus judicanda proponit. S. Aug. l. XXII, *cont. Fa.* c. lxv.

Mare est Sacra Scriptura, habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum, in quod mare plurima introeunt flumina : ex hujus fluminis plenitudine quicumque acceperit, elevat vocem suam : ex hoc flumine aqua saliens in vitam æternam, quæ lætificat civitatem Dei. S. Ambr. l. VII, ep. xliv.

Scriptura Sacra cibus est nobis in obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur, et mandendo glutitur : potus est in locis apertioribus, quia ita absorbetur, sicut invenitur. S. Greg. l. I, *mor.* c. xxi.

Arcus est Scriptura, de qua ad corda hominum, sicut ferientes sagittæ, sic terrentes sententiæ veniunt. Hunc autem Deus intendit, quia per Scripturas peccatoribus minas exhibet : in eo paravit vasa mortis, quia secundum eloquii sui sententiam eos, qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat. *Idem*, l. XIX, *mor.* c. xxviii.

Tanta est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere, in quibus latet altitudo sapientiæ, ut animosissimis, acutissimis, flagrantisimisque cupiditate discendi hoc contigat, quod eadem Scriptura quodam loco habet : Cum consummaverit homo, tunc incipiet. S. Aug. ep. ii, *ad Val.*

Scriptura, et creatura ad hoc sunt, ut ipsa quæratur, ipsa diligatur, et qui ipsam creavit, et qui illam inspiravit. *Idem*, l. II, *de Trin.*

Sic loquitur S. Scriptura, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, virtute magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat. *Idem*, l. II, *in Gen.* c. xix.

A quocumque proferatur verbum Dei, non est attendendum a quo proficiscatur verbum, sed cujus sit verbum, quia Matth. x, dicitur :

Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. BELLO. l. I, par. I, dis. X, *spec.*

Quomodo possunt verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiæ? AMBROS. *in Psal.* CXVIII.

Verba Dei tunc verius mens intelligit, quum in ejus sensum ipsum quærit. GREG. *moral.*

Custoditio verborum Dei intelligenda est operatione præceptorum; frustra enim custodiuntur memoria, si non custodiuntur et vita; nam verba Dei tenendo agunt quidam ne obliviscantur, nec agunt vivendo, ne corrigantur. AUGUS. *in Psal.* CXVIII.

NECESSITAS. — Tentavimus consolari eum de verbo Dei, sed ille non erat de sapientibus formicis; quæ sibi æstate collegerunt, unde hyeme vivant. Cum enim res sunt tranquillæ, tunc homo sibi debet colligere verbum Dei, et recondere in imis cordis sui, quemadmodum formica abscondit in cavernosis penetralibus labores æstatis; per æstatem enim vacat hoc agere; venit autem hyems, idest, intervenit tribulatio, et nisi intus invenerit, quod edat, necesse est, ut fame dispereat; iste enim sibi non collegerat verbum Dei. S. AUG. *in Ps.* XXXVI.

Quid est fides, nisi humanæ intelligentiæ lumen? Et unde in hoc lumine illuminantur Christiani, nisi per verbum Dei? Ideo dicitur ad Rom. X. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei :* Ergo si deficeret verbum Dei in mundo, deficeret fides Christi, et omne lumen necessariæ veritatis. S. BERN. t. II, s. X, ar. 3, c. 2.

Apud nos homo est, non is tantum, qui pane vescitur, sed qui priusquam de ullo cibo, divinis, ac spiritualibus eloquiis perfruitur. Hoc autem hominem esse, disce ex his, quæ Christus effatus est : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Itaque duplex vitæ nostræ est alimentum, unum deterius, alterum vero præstantius, et hoc præcipue capessendum est, ut et animam alere possimus, neque fame illum torqueri sinamus. S. CHRYS. t. V, s. XL.

Titubat fides, si divinarum Scripturarum vacillat auctoritas. Porro fide titubante ipsa etiam charitas languescit. S. AUG. *de doct. Chri.*

UTILITAS. — In Scripturis ignorans invenit, quod discat : contumax, quod timeat : laborantes præmia, pusillanimis mediocris justitiæ cibos, qui, etsi pinguem non faciunt animam, mori tamen non permittunt. Qui autem est magni animi, invenit ibi spirituales escas, quæ perducant eum prope ad Angelorum naturam : qui vero est vulneratus a diabolo invenit in eis cibos medicinales, et salutem per pœnitentiam. S. CHRYS. *sup. Matth.* XXIV.

Geminum confert donum lectio Scripturarum sanctarum, sive quia mentis intellectum erudit, seu quod a vanitatibus mundi abstractum hominem ad amorem Dei perducit. S. ISID. l. III, *de sum. bona.*

Quisquis verbo Christi pascitur, terrenum pabulum non requirit. Nec enim potest panem sæculi capere qui pane reficitur Salvatoris. Negligit famem corporis, qui pabulo lectionis intendit : nec ventris curam habere poterit, qui alimentum cibi cœlestis acquirit ; ipsa enim omnium refectio est, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, cum de divinis Scripturis cibum eloquii perennis accipimus. S. AMBR. *in ser.* XL.

Quærit anima verbum, cui consentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad sapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad jucunditatem. S. BERN. s. XXV, *sup. Cant.*

Omnium medicinarum thesaurus divinæ Scripturæ sunt, et, sive stultitiam exuere, sive affectus sedare, sive pecuniarum cupiditatem expellere, sive dolores contemnere, sive fortem animum induere, sive adversa æquo animo tolerare velimus, quam plurima hinc remedia invenire possumus. S. CHRYS. *ho.* LXIII, *de ira.*

Paradisus est S. Scriptura, in quo arbor vitæ bonos fructus facit, et æternæ spei mandata diffundit per universos populos. S. AMBR. l. VI, ep. XLI.

Omnis doctrina cœlestis lux nobis ad iter vitæ est, quæ, lucernæ modo, in hac nocte sæculi præferenda est, cum aliquid, aut agimus, aut cogitamus, aut loquimur, ut ea in omnem progressum cujuscumque operationis utamur, S. CYPRIA. *in Ps.* CXVIII.

Utere S. Scripturæ lectione vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conservando, et pulchriora faciendo; Scriptura enim speculum est, fœda ostendens, et corrigi docens. S. HIER. *in epist. ad Dom.*

Qui verbum divinum libenter audit, in aures animæ de patria Paradisi transmissas se suscepisse non dubitet. S. AUG. *ho.* II, ex L.

Ama Scripturas sanctas, et amabit te sapientia : dilige eam, et servabit te : honora illam, et amplexabitur te. S. HIER. *ep. ad Demet.*

Evangelii præcepta, fratres dilectissimi, nihil sunt aliud, quam magisteria divina, fundamenta ædificandæ spei, firmamenta corroborandæ fidei, munimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis. S. CYPR. *de orat Dom.*

Eadem divina quædam, et ineffabilis est passionum extinctio : nam, et spinas passionum extirpat, telluremque puram reddit, seminaque dimittit pietatis, atque ad vigorem fructum agit. *Idem, ho.* II, *de pœn.*

Est Ecclesia Dei mercatus quidam spiritualis, medicamentorumque officina animabus; et par est, ut, sicut qui ad nundinas venimus, inde multis mercibus conqusitis redeamus ; vel quasi e medici domo, receptis, quæ animabus nostris congruunt, medicamentis, exeamus, S. CHRYS. *hom.* II, *in Genes.*

Vide, quam congrue dicitur verbum Dei, semen : sicut enim in terra semen seminatum germinat, et crescit : Primo enim, ut dicitur Marc. IV, facit herbam, et deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica : sic verbum Dei seminatum in corde peccatoris, primo facit herbam contritionis, secundo spicam confessionis, quæ se in altum erigit per spem remissionis. Tertio plenum frumentum satisfactionis, de quo Psal LXIV, valles, idest, humiles pœnitentes abundabunt frumento satisfactionis, ut pœna respondeat culpæ. S. ANTON. PADOAN. *in sexag.*

Verbum, quando est prædicatum digne, et auditum devote, illuminat auditores in cognitione spiritualium; quia illa, quæ sunt fidei, per aures debent intrare in corde, non per oculos, nec aliter. Ita sunt alta, et transcendentia illa, quæ fidei sunt, quod non possunt intrare in corde, nisi per aures, v. g. vos creditis, quod quando homo moritur, et anima separatur a corpore, quod vivit, et vadit in Paradisum, si fuit bonæ vitæ, vel in purgatorium; vel, si fuit impœnitens, in infernum : ista veritas non intrat in corde vestro per oculos, quia non potestis videre animam, quando recedit a corpore quantumcumque respiciatis : sed ista veritas intrabit per aures, qua ita dicit Apostolus : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* S. VINT. FER. s. IV, *in Dom.* III, *post Pasc.*

Innumeras utilitates facit verbum Dei in anima, ut ait Bernardus ; nam frœnat eam a peccatis, vivificat, illuminat, inflammat, mundat, pascit, confirmat, sanat, fœcundat, emollit, et totius boni capacem facit; Etenim verbum Dei est frænum, vita, lux, ignis, cibus, medicina, virtus, et purificatio cordium. S. THOM. *Vill. S. in sexag.*

Ibi bonum consilium, ubi bonum est Dei verbum. Misit Deus verbum suum, ut sanaret hominem, non ut perderet. Hoc verbum medicina est. S. AMBR. *in Ps.* XLV.

Sæpe ad auditum ejus mollitur, et cedit illa otiosa duritia cordis, in qua homo non sentit se, nec alium veretur; pietate non flectitur, nec precibus removetur, exemplis non inducitur, minis non terretur, beneficiis induratur, non eruditur flagellis, frontosus ad turpia, pronus ad illicita, subdi nescius, nisi cum resistere non potest. Et in mnibus exemplum sit tibi Pharao cordis duri : sancta est enim violentia, et virtus verbi Dei, ut non sit cor petrinum, et durum, quod sentiens vires illius non confringatur, et emollescat : Unde Jerem. XXIII, *Verba mea sunt quasi ignis ardens, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petras.* (S. BERNARDINUS, t. II, s. IX, *in Do.* I. *Quad.*) In vitis Patrum, ait Joannes Abbas : Quid durius lapide? quid mollius aqua? Et tamen.

Gutta cavat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo :

Sic verbum Dei cor durum aperit ad timorem, et amorem Dei. Unde Psal. XVII, 9. *Ignis a facie ejus exarsit,* id est, ardens a notitia verbi Dei descendit : carbones, id est, homines in peccatis excæcati, succensi sunt ab eo.

JUCUNDITAS. — Nunc festinemus cœleste manna suscipere; istud enim manna, prout vult quisque, talem saporem sapit : Audi enim et Dominum dicentem his, qui accedunt ad se : *Fiat tibi secundum fidem tuam.* Et tu ergo si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, tota fide, et tota devotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum, quodcumque desideras, v. g. si tribularis, consolatur te : dicens : *Cor contritum, et humiliatum Deus non despiciet.* Si lætaris prospere, cumulat tibi gaudium, dicens : *Lætamini in Domino, et exultate justi.* Si iracundus es, mitigat te, dicens. *Dominus sanat omnes languores tuos.* Si paupertate consumeris, consolatur te, dicens : *Dominus suscitat de terra inopem, et de stercore erigit pauperem.* Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem, quemcumque volueris. S. Augus. s. xci, *de temp.*

Verba Dei sunt pascua vitæ, refectio animæ, dulcedinis pocula, dilectorum Christi lætificantia corda, chariora diligentibus Christum super aurum, et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel, et favum. S. Bern., *ser.* x, *in Cœn. Do.*

Manna habet omne delectamentum, et divinus sermo omnibus congruens qualitati audientium condescendit, quem, dum electus quisque utiliter juxta modum suum intelligit, quasi acceptum manna in voluntarium saporem vertit. S. Greg., l. VI, c. vii, *mor.*

Quoties Episcopi, et Sacerdotes in Ecclesia prædicant, toties convivium præparatur; in hoc autem convivio tales potiones, taliaque infirmis antidota anteponuntur, quibus cœci illuminantur, paralytici curantur, mortui resuscitantur, omnesque morbi, omnesque infirmitates sanantur. S. Basil., *hom.* ii *de jejun.*

Favus distillans labia tua, expositio Sacrarum Scripturarum, mel et lac in doctrina tua sub lingua tua, eo quod lacte parvulos nutris, in melle diversorum vulnerum, peccatorum putredines tollis. S. Bern. *in Cant.*

Dignitas. — Si in viris prudentibus expectari id maxime solet, ut ea, quæ loquuntur, gravitate eorum, doctrinaque digna sint, omnisque sermo non sit fortius, et vagus, sed ex rationabilibus causis profectus, et expectationi audientium utilis, et auctori cognitus differentium. Quanto magis id cœlestibus eloquiis opinandum est, ut, quidquid in his excessum est, divinum, rationale, et perfectum esse existimetur. S. Hilar. *in Psal.* cxxxv.

Major est hujus Scripturæ auctoritas, quam omnis ingenii humani perspicacitas. S. Aug. xxv, *super Genes.*

Tanta, ac talis est divinæ Scripturæ sublimitas, ut non solum verba, quæ a Sanctis, vel ab ipso Domino dicta referuntur, sed etiam circumstantiæ rerum, quæ simpliciter positæ videntur, spiritualibus sint plenæ mysteris. *Idem in hom.*

Æquitas. — Vellem scire, si ab illa hora, qua verbum Dei prædicari cœperit, semper pretiosissimas gemmas, et inaures, vel annulos aureos erogare volemus utrum stare, vel accipere vellent filiæ nostræ? sine ulla dubitatione, cum grandi ambitione, quæ illi offeruntur, acciperent. Nos vero, quia ornamenta corporalia offerre nec possumus, nec volumus, ideo non libenter audimur; sed non est justum, ut spiritualia ministrantes superflui judicemur. Qui enim verbum Dei libenter audit, inaures, de patria Paradisi transmissas, se suscepisse non dubitet. S. Aug., n. 10, *hom.* xxvi.

Interrogo vos fratres, vel sorores, dicite mihi, quid vobis plus videtur, Corpus Christi, an verbum Christi? Si verum vultis respondere, hoc dicere debetis, quod non sit minus verbum Dei, quam Corpus Christi? Et ideo quanta solicitudine observamus, quando nobis Corpus Christi ministratur, ut nil ex ipso e manibus nostris in terram cadat; tanta solicitudine observemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de puro corde depereat; quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille, qui Corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit. S. Bern., t. XXV, n. 3, c. ii.

Audiendum. — Unum timeo, ne toties audita verba salutis vilescere nobis incipiant, tamquam verba. Vilis siquidem, et volatilis res verbum hominis, nullius molis, nullius ponderis, nullius pretii, nullius soliditatis. Aerem verberat, unde, et verbum dicitur, et sicut folium, quod vento rapitur, effluit, et non est, qui consideret. Nemo vestrum, fratres, accipiat, nemo sic despiciat verbum Dei : dico enim vobis bonum illi fuisset, si non audisset homo ille. Fructus vitæ sunt verba illa, non folia, et si folia, sed aurea sunt, proinde non parvi pendantur, non pertranseant non prætervolent. Ipsa quoque *colligite fragmenta, ne pereant.* Terra enim, quæ sæpe supervenientem susceperit imbrem, si non fecerit fructum, terra reproba est, proxima maledicto. S. Bern., *serm. in festo SS. Petri et Pauli.*

In sinu cordis abscondemus, quando mandata illius non transitorie, sed implendo opere audiemus. Hinc est, quod de ipsa Matre Virgine scriptum est : *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* S. Greg., l. XVI, *mor.*, c. xvi.

Prædicandum. — Prudentibus viris non placent phalerata, sed fortia : quando non res pro verbis, sed pro rebus enumerandis verba sunt instituta. S. Prosper, l. III, *de vit. cont. c. ult.*

Verborum flosculos non quæramus; qui maturitatis fructum quærit, despicit amœna camporum. S. Chrys., s. xviii.

Ego quid sum, nisi cophinus seminatoris? ille in me ponere dignatus est, quæ vobis spargo : nolite attendere ad utilitatem cophini, sed ad claritatem seminis, et potestatem seminatoris. S. Aug. *hom.* xxvi, *ex* 50.

Ut prædicandi veritas servetur, vivendi altitudo teneatur. S. Greg., *hom.* ii, *in Ezech.*

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Verbum Dei æstimatum, s. ejus dignitas. — Beata Virgo, ut Lucas testatur, omnia verba, quæ Christus loquebatur ad ipsam, conservabat in corde suo. Luc. ii, 52.

Sed et de Esdra narrant S. Litteræ, quod, cum librum legis populo prælegeret, tantus in eo clamor, et tumultus fuerit excitatus, ut compulsi sint Levitæ populo silentium, et quietem imperare. Sed et aures populi omnes erant erectæ ad librum, licet a mane usque ad mediam diem legeretur. Esdr. ii, c. viii.

Cum Christus in terris concionaretur, turbæ irruebant in eum, ut audirent verbum ejus, ita ut neque posset panem manducare. Lucæ iv, et Marc. iii.

Cum Paulus, et Silas Berœam venissent, nobiliores susceperunt verbum cum omni aviditate. *Act.* vii.

Constantinus Imperator Eusebium Cæsariensem concionantem audiens, non nisi stare voluit, dicens : Verbum Dei a stantibus audiri debere, ut altius animo insideat, v. n. 19. Euseb. Cæs., l. IV, *de vit. Constant.*

B. Francisca a Jesu discalceata magna voluptate, et copioso lacrymarum imbre verbum Dei excipiebat; cumque interrogaretur, quomodo interdum conciones tam ineptas tanta cum voluptate audire posset? respondit : Peregrini, exulesque qui litteras, aut nuntios de patria, cognatis, aut amicis audiunt, parum admodum de eleganti eorum elocutione, aut litterarum stylo curant, dummodo gratissimam habeant narrationem; quidni ergo, quicumque, peregrinamur a Domino, etiam minus diserte de eo narrantes libentissimis auribus, ac animis hauriamus?

Margarita conjux Ludovici XI, transiens atrium quoddam, cum conspexisset Alanum oratorem valde disertum dormientem, accessit, et osculum genis impressit. Cuidam vero miranti, et dicenti, cur hominem tam deformem oscularetur? respondit : Non hominem, sed os illud aureum exosculor, e quo tot flumina salutaris doctrinæ ac moralis prudentiæ profluxerunt. Engelgr., p. i. *Luc. Evang. Dom. Senag.*, § 2.

S. Augustinus dicebat : Ego solis iis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc honorem, timoremque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse, firmissime credam. Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinæ præpolleant, non ideo verum putem; quia ipsi ita senserunt ; sed quia mihi, vel per illos auctores canonicos, vel probabili, ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. S. Aug., *ep.* xix, *ad S. Hier.*

S. Maria Magdalena sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius, magno utique desiderio, et attentione. Luc. x, 19.

Romana Ecclesia secundo die Januarii celebrat commemorationem illorum SS. Martyrum, qui, spreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo sacri codices tradi jubebantur, potius corpora carnificibus, quam Sancta dare canibus maluerunt. Euseb., l. III, *hist.*, c. iii.

S. Carolus Borromæus nudo capite, et flexis genibus Sacra Biblia lectitare consueverat. Baling. *in præf. ad l. com.*, c. i.

Alphonsus Aragonum Rex sacrum Bibliorum volumen decies quater evolvit, idque etiam commentariis illustravit; unde ita illa memoriæ impressit, ut bene longas partes verbotenus recitare posset. *Ibid.*, c. iv.

S. Cæcilia sacrum Evangelii codicem perpetuo gestabat in sinu; et volvebat. *Ibid.*, c. v.

Alatini in Africa, cum fidei hostes, Diocletiani jussu sacros codices in ignem pararent injicere, repente, licet sereno cœlo, copiosus imber de cœlo delapsus ignem extinxit. Baron. *ad min.* xx.

S. Edmundus, cum quadam die S. Scripturam legens obdormisset, et interim candela in codicem decidisset, ubi evigilavit, codicem, licet candela ardens diu illi inhæserit, prorsus illæsum reperit. Surius xvi. *Novemb.*

Joannes Franciscus Binnatus, Ordinis minimorum, dies, noctesque de Deo sermonem continuare diceret, modo qui audire vellent, non deessent : nec dicenti ulla oboriebatur lassitudo, quin ab aliis operibus defessus his colloquiis vires sibi maxime instaurari sentiebat. Fuit cum de Petri lapsu disputans, tanta diceret incitatione animi, corporisque, ut illius vim hoc non assequens, facto quasi vitæ divortio sine sensu concideret; ubi vero sibi redditus fari potuit, lænissima voce, vultuque in modestiæ argumentum composito : Mi Deus, inquit, ego altius, quam possum, volui evolare. Jo. Rho., l. I, c. II, ex. 7.

S. Philippo Nerio, ore suavissimo de Deo loqui datum est, tanta dexteritate, atque efficacia, ut et familiarissime congrederetur, et vehementissime flexanima illa suavi eloquentia hominibus animos immutaret. Disseruit ille inter initia novæ disciplinæ e suggestu, utebaturque submisso, atque pedestri dicendi genere, cujusmodi a suis voluit usurpari; verum cum impetu amoris in Deum ageretur, abstinendum censuit a publico, domesticisque collocutionibus agendum. Itaque frequentabatur ejus cubiculum a summis civibus, atque principibus. Hos solitas exceptos hilaritate, jactisque sacræ confabulationis seminibus, jucundissime detinebat, quos divinis plenos cogitationibus a se dimittens messem ipse colligebat amplissimam. *Ibid.*, *ex* 4.

In vita S. Antonii de Padua refert Surius, dum prædicante hoc servo Dei, nobilis quædam matrona compungeretur in corde, ingentemque spiritus conciperet fervorem; dæmon, ut hunc verbi Dei effectum in ipsa impediret, speciem cursoris cujusdam assumpsit, eique filium ejus ab inimicis in servitutem abductum, et occisum esse annuntiavit. Sanctus autem vir Dei, fraude dæmonis conspecta, in præsentia totius populi matronam his verbis affabatur : Ne timeas, domina, filius tuus, et vivit, et recte valet, cursor autem iste diabolus est, ad quas voces instar fumi, cursor evanuit. Surius *in vit.*, c. XXIX.

Constantinus Magnus integris horis verbum Dei stans in pedes erectus, summa cum veneratione audiebat, qui cum ab Episcopo sedere jussus esset, respondit : Nefas videri, institutis de Deo disputationibus aures præbere negligentes; Quin etiam ipsummet Imperatorem, si qua inter dicendum incidisset occasio, loquendi de theologia, assurrexisse, eoque habitu tamdiu constitisse vultu contracto, et depressa voce; atque tanta prudentia, et moderatione, ut præsentium animos cœlesti disciplina initiare, ac devovere videretur, vid. n. 5. Euseb., l. IV, c. XXXIII.

Surius in vita S. Antonii de Padua refert, quod cum devota quædam mulier avida esset apostolicum hunc virum prædicantem audiendi, nec tamen maritus infirmus dimittere eam vellet, ut foris extra civitatem in campo quodam spatioso ipsum prædicantem audire posset, ascendit in solarium domus suæ, et ex fenestra locum concioni destinatum cupida respexit; ut vel sic nonnihil suo desiderio satisfaceret. Accidit tum res admiratione digna; dum enim ad duo milliaria abesset locus ille, vocem viri Dei prædicantis audivit. Cujus suavitate delectata, hæsit diutius ad fenestram, quam vir ejus ferre posset, qui etiam eo nomine objurgavit eam : sed illa respondit, se Patrem Antonium audire concionantem, quod ille audiens, irrisit eam, delirare eam existimans. Illa contra asserente se optime audire eum, ascendit vir ad fenestram eamdem, et etiam ipse viri Dei vocem meritis fidelis conjugis percepit, atque ab eo die numquam ab illius concione abesse voluerunt. Sur., c. XXV.

In vita B. Joannis Columbini legitur, quod ultimo vesperi dierum Bacchanalium in hospitali civitatis Aretinæ in mensa cum multis aliis constitutus, tanto cum spiritu, et energia de Deo ratiocinari cœperit, ut discursum suum per totam noctem sine ullius fastidio, vel nausea continuarit, adeo ut illucescente diluculo sine ullo cibo sumpto ad Ecclesiam pro accipiendis sacris cineribus properarint. Mansi, *disc.* III, n. 6.

Simile factum in vita S. Claræ virginis legitur; cum enim sæpius sanctum Franciscum, cujus spiritualis filia erat, instanter rogasset, ut solidam refectionem una secum die quadam sibi collibita sumere dignaretur; vir autem Seraphicus hanc ejus petitionem multo tempore dissimulasset, tandem die quadam conventum est inter utrumque, ut ad Ecclesiam B. Mariæ Angelorum simul se conferrent, ubi cum frugalis mensa præparata fuisset, jamque prandere cœpissent, Seraphicus Pater de rebus divinis tanta cum suavitate spiritus discurrere cœpit, ut relicto penitus cibo, omnes in exstasim evecti fuerint. *Ibid.*

Utilitas. — S. Ludovicus, seu Aloysius Bertrandus Ordinis Prædicatorum fabulabatur cum Joanne Alarconio, sodali suo, rebus divinis, et qui hominis, cum in eos ingrederetur sermones, mos erat, ardenti animo, atque ore disserebat. Detinuit ea species hominem adolescentem, qui acceptam injuriam, fuste sub pallio armatus, ultum ibat. Eum vero concipit e propinquo divini amoris ignem, quo irarum flammæ consederunt. Itaque propius accedens : Sospitet te Deus, mi Pater, inquit, prohibuisti a me hoc tuo sermone scelus, paratamque misero pestem avertisti. Jo. Rho., l. I, c. II, *ex.* 1.

In miraculis B. Andreæ legitur, cum B. Andreas convertisset concubinam cujusdam Præpositi in prædicatione sua dedit ei Evangelium, ut illum portaret, et ut ejus memoria et virtutes ipsius, a peccato sibi, caveret : uxor autem prædicti Præpositi adhuc habens eam suspectam, fecit eam capi, et ad lupanar trahi, et lenonibus tradi, ut ab eis ludificaretur, et cum accedebant ad eam, perdebant vires suas. Cum autem vestem ejus scinderet unus ex eis, et ea de sinu ejus cadente, vellet vim ei inferre, illa clamante ad Dominum, leno suffocatur; et Angelus apparuit ei confortans eam, et liberans; si hæc in arido, quid in viridi? Bellov., l. III, p. I, *diss.* X.

In vitis Patrum legitur, quod frater interrogavit senem dicens : Ecce ego rogo seniores, et dicunt mihi de salute animæ meæ, et nihil retineo de verbis eorum; quid autem rogo eos, nihil proficiens? Totus enim sum in immunditia. Erant autem duo vasa vacua, et dixit ei senex : Vade, et affer unum de vasis istis, et mitte in eo oleum, et accende intus stuppam, et refunde oleum, et pone in locum suum : et fecit sic. Et dixit ei : Fac iterum sic; et cum fecisset hoc sæpius dixit ei senex : Affer modo utraque vasa, et vide, quod eorum mundius sit, et respondit : Illud, ubi oleum misi. Cui respondet senex : Sic est, et anima de his, quæ interrogat, quamvis nihil retineat eorum, quæ audit, tamen plus ipsa mundabitur, quam illa, quæ non interrogat quidquam. *Vita PP.*, l. V, libel. X, n. 92.

S. Vincentius Ferrerius similem casum refert de quodam, qui sanctum quemdam Eremitam conveniens, ut audiret verbum Dei; contristabatur, quod nihil memoriæ ipsius adhæresceret eorum, quæ audiebat, sed confestim cunctorum oblivisceretur. Tunc sanctus homo volens illi ostendere ad oculum effectum verbi Dei, in purificando a culpis, et maculis peccatorum, misit eum ad fontem cum una cistella foraminibus plena, et immunda, ut portaret sibi aquam in cistella. Ille autem nolens sancto homini contradicere, ivit, et implevit cistelam : sed quando extrahebat eam de fonte, statim cistella evacuabatur, sed fuit purificata. Qui veniens de fonte, dixit, se aquam non posse portare. Sed Eremita ait : Quando tu ivisti ad fontem, eratne cistella immunda? Respondit, quod sic, et modo est pulchra. Ita pari modo quando tu ivisti ad sermonem, de quo Eccl I. *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis :* cistella immunda est, conscientia et vagabunda, et crapulosa, et quando audis verbum Dei, impletur tota; licet memoria nihil retineat, tamen purificatur : Adducitque supra dictam ex Joanne auctoritatem : *Jam vos mundi estis propter sermonem.* S. Vincent. *S.* IV, *in Dom.* III.

Surius de S. Eleutherio, a S. Aniceto Papa ad prædicandum misso, refert, quod, cum multas conversiones infidelium feliciter operatus fuisset, inimicus infernalis truculentam quamdam adversus ipsum Hadriani Imperatoris suscitaverit persecutionem, in qua præfatus Imperator eum ad mortem inferendam quærens, Felicem, exercitus sui ducem, ad eum investigandum dimisit, qui Ecclesiam, in qua S. Eleutherius prædicabat, militibus sui cinxit : ipse vero instar furibundi leonis Ecclesiam ingressus fulmina iræ, et furoris sui in eum evibrare constituit; sed quid accidit? Ubi vidit Episcopum suavissimum doctrinæ fluentum profundentem, et ornatissime pietatem annuntiantem iis, qui cum eo versabantur, mirum in modum admirabatur Christi virtutem, et statim mutata sævitia (visus est enim habere animum aptum ad suscipiendum semina pietatis) fit ovis pro lupo, et pro persecutore discipulus : ejus verbis illuminatus, et baptizatus, idololatriæ caligine exuitur. Surius XVIII. *April.*

Comes quidam lubricus, cum diu in peccatis vixisset, et semel Ecclesiam intraret, et verbum Dei audiret, illud Ezech. XVIII. *Quacumque hora ingemuerit peccator etc.*, ad seipsum reversus, imploravit Dei misericordiam, ut sibi sua peccata indulgeret, quia amplius ei usque ad mortem servire vellet; et postea mundum deseruit, Religionem intravit, et Deo fideliter servivit, et post mortem ejus inventum est supra sepulchrum ejus scriptum litteris aureis illud Psalmi : *Immisit Deus verbum suum et sanavit eum.* Quis obstinatior, et durior reperiri poterat S. Augustino, qui usque ad ætatem triginta trium annorum luto carnalitatis suæ defixus, tot divinas inspirationes, tot amicorum, et præcipue sanctissimæ matris suæ, saluberrima monita, eum ad resipiscentiam exstimulantia, surdis auribus excepit? Ecquisnam vero malleus ille fuit, qui cordis ipsius duritiem contrivit? Sola S. Ambrosii concio, quam frequenter auscultabat, non ut fructum inde animæ suæ adferret, sed delectationis causa ob eximiam ejusdem S. Doctoris eloquentiam extimulatus ad eam accessit. Cum cor aperirem, inquit ipsemet Augustinus, ad excipiendum, quam diserte diceret, pariter et intrabat, quam vere diceret. Stabat namque attentus, et a verbis S. Ambrosii pendebat, non considerando res, quas dicebat, imo potius illas contemnendo, sed in sola ipsius eloquentia se oblectando; et tamen sermo dicentis ipsum vero convertendi vim habuit. Mansi, *disc.* x, n. 6.

In vita S. Philippi Nerii scribitur, quod die quadam, vocato ad se pœnitenti cuidam suo coram se genuflexo, cui Franciscus Zazara nomen erat, (qui adolescens existens, ut ditior fieret, ac sibi fama in urbe conciliaret, Jurium civilium studiis operam dabat, in iisque se perficere satagebat, ut in Curia romana magnus evaderet) abblandiri vir Dei cœperit, dicendo : O te beatum! nunc studiis incumbis, mox doctoratus lauream consequeris : Hinc factus Jure Consultus vim argenti maximam comparabis, familiam opibus, ac splendore amplificabis, ac tandem quis deneget te ad maximas dignitates evolaturum? O te certe beatum! Tunc magnus factus, me pusillum aspicere dedignaberis. Existimabat juvenis, hæc serio a viro sancto proferri, cum protinus sibi ipsum pectori admovens, sic ejus auribus insusurrat : Et quid tandem? Alte animo vox hæc juvenis animo hæsit, ut domum reversus, in unum secum repeteret : Ego studeo, ut in mundo promovear : et quid tandem? Quæ cum defixa cogitatione perpendisset : nec a mente sua illa deponere posset, statuit deinceps cœlestibus duntaxat divitiis, honoribusque comparandis incumbere, ac demum Philippo mortuo nostram Oratorii congregationem ingressus est, in qua maximæ integritatis sacerdos, probis, magnisque viris apprime carus, et de Congregatione optime meritus vixit. Qui cum sibi injunctam Beati Patris inter sanctos referendi causam summo labore, ac studio executus esset, atque a sacra rituum Congretione approbatum de illo Officium ad libitum recitandum obtinuisset, tandem ab optimo parente suo, ut pie credi potest, ad meliorem vitam evocatus fuit. *Vita S. Philippi Ner.*, l. II, c. xv, n. 14.

Josephus Mansi de seipso sequentia narrat : Cum essem in alma urbe notarius, mihique pro stipulando instrumento quodam exeundum esset, solis ardores ingentes, quia æstas erat, fugere volens per Ecclesiam S. Mariæ de Vallicella eo tempore, quo prædicti sermones habebantur, transiens, curiositate ductus, auscultare volui, quid Pater ille, qui pro tempore sermocinabatur, in medium adduceret. Audivi igitur illum de pœnarum infernalium æternitate disserentem, ac tandem hac æternitate cum voluptatem carnalium brevitate comparata, sæpius exclamantem : O æternum, quod numquam habiturum est finem! quæ verba cordi, et memoriæ meæ adeo tenaciter remanserunt impressa, ut, quotiescumque de lasciva societate, cui innexus eram, cogitabam, semper cordi meo insonari hæc verba viderentur : O æternum! sive scriberem, sive animi causa per prata obambularem, sive manducarem, sive quidquam aliud facerem, semper hæ voces mihi observabantur : O æternum : illæque sufficiebant, ut susceptæ cum lasciva illa fœmina conversationi nuntium remitterem, factaque generali confessione mundum pedibus meis subternerem, vitamque pœnitentem, et religiosam amplecterer. Mansi, *disc.* xiii, n. 5.

S. Augustinus, cum diu secum circa mutationem vitæ luctaretur, denique audita voce : *Tolle, lege :* Sacra Biblia in manus sumpsit, et, ubi illa verba : *Non in commessationibus etc.*, legisset, lux, et serenitatis cordi illius infusa, omnes dubitationis tenebras discussit. S. Aug., l. VIII, *conf.* xii.

S. Paulina jugi S. Scripturæ lectione usque adeo se roborabat, ut in quovis eventu, quantumcumque sinistro, semper eadem, et læta appareret. S. Hier. *in vita.*

S. Franciscus Seraphicus, cum illa Evangelii verba : Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta; statim sibi eam regulam sequendam proposuit. S. Bonav. *in vita.*

Serapion Anachoreta, cum in sacro Codice legisset : *Vade, vende omnia, quæ habes, et da pauperibus;* foras egressus incidit in nudum mendicum, cui detractam sibi vestem dedit; ipse vero prope nudus cum ab aliis rogaretur, quis eum tam misere spoliasset? digito in Codicem, quem sub axilla gerebat, intento : *Hic est*, aiebat, *qui me spoliavit. Fab. conc.* VI, *post Epiph.*, n. 3. *Matth.* XIX, 21.

Unica Evangelii lectio, qua S. Simeon Stylites illa verba legerat : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum : Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur :* effecit, ut octoginta annis in columna staret, orationi assiduo vacaret, pene sine cibu, et potu viveret, et angelus potius, quam homo videretur. *Ibidem Matth.* V, 3.

S. Ephrem quondam orans hanc vocem audivit : *Ephrem manduca :* cumque ille responderet : *Quis mihi cibum dabit?* iterum vox dixit : *Abi ad Basilium*, hic te docebit, et panem æternum tibi porriget. Confestim ergo surgens Ephrem S. Basilium quærit, eumque in sacra æde concionantem reperit. Unde facile collegit verbum Dei esse cibum illum, quem manducare jussus erat; maxime cum videret columbam S. Basilio in aurem suggerentem, quidquid in medium proferebat. S. CHRYS. *ho.* XXXII, *in Gen.*

S. Ida sanctimonialis Cisterciensis non infrequenter totam concionem cœlesti rore madentem vidit, quamdiu ex suggestu dicebatur, implente scilicet Deo, quod olim petebat Moyses : Concrescat in pluviam doctrina mea; fluat, ut ros, eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina. PÆDAD. *Christ.* p. II, c. XXII, § 1, v. 1.

Nabuchodonosor arborem illam, quæ statum suum designabat, contemplans, nihil ea movebatur, donec vivam Danielis vocem audiret, qua ad pœnitentiam fuit adductus. DAN. XXIV.

Qui missi fuerant a Pharisæis, ut Christum comprehenderent coucionantem eum audientes ita compuncti sunt, ut ad Pharisæos sint reversi : et interrogati, cur eum non adduxissent, responderunt : Nunquam sic locutus est homo. JOAN. VII.

S. Eleutherius ab Aniceto Ecclesiæ Romanæ Pontifice ad verbum Dei nuntiandum missus, cum multos ad pietatem converteret, dæmon inde rabie agitatus, et Adrianum Imperatorem concitans, cum illo contra veritatem armatur. Itaque Imperator ante alios omnes Eleutherium de medio tollere contendit, et statim cum terribili legatione mittitur Felix ex Ducibus exercitus unus, justus ut per vim eum adducat, et ante tribunal imperatorium sistat. Qui cum ad Ecclesiam pervenisset, eam extrinsecus militum multitudine circumsidet, ut prædam interciperet, deinde templum ingressus, et truculentis oculis, et truculentiore etiam spiritu, tanquam ipso vultu, ejus, qui miserat, sævitiam indicans, ubi vidit Episcopum suavissimum doctrinæ fluentem profundentem, et ornatissime pietatem annunciantem iis, qui cum eo versabantur, ille mirum in modum admirabatur Christi virtutem, et statim mutata sævitia, fit ovis pro lupo, et pro persecutore discipulus, et priorum veluti oblitus, non latro, et persecutor, sed Christi, quem persequebatur, amicus et discipulus, despicit Imperatorem, et ad pedes sancti procidit : et ab eo tempore lubens versabatur cum magistro ejus verbis illuminatus, et sic quidem, ut non curarit, reverti ad eum, qui miserat. Et cum inter eundum in aquam incidissent, ab Eleutherio baptizatur et idololatriæ caligine tamquam putrido aliquo indumento, exuitur. *En Metaph. Sur.* 18 *April.*

JUCUNDITAS. — De duobus Fratribus legitur in vitis Patrum, quod cum comparassent refectionem post jejunium, inceperunt loqui de Deo, et usque in crastinum ita loquendo de Deo assidue perseveraverunt, ut cibum corporis accipere obliti fuerint. BELLEVIC. l. III, p. I, disc. X.

Bollandus in vita Sanct. Birgittæ virginis refert, quod sequitur : Cum convenirent in unum locum sanctus Pater (de Sancto Patritio loquitur) et S. Birgitta cum suis, Beatus Pontifex Patribus per tres dies, et noctes non cessavit prædicare verbum Dei, et nec sol occidit eis, sed omnes putabant esse unam horam; cumque forinsecus perturbarentur, dixit illis Sanctus Pontifex : Per quadraginta dies, et noctes ita fuissemus nisi aliquis indicasset nobis, et nullam lassitudinem, vel esuriem sensissemus. BOLLAND. I, *Fabr. fol.* 164.

DAMNUM SPRETI VERBI DEI. — Wolnamus Wigorniensis Episcopus solebat omni die Dominica, sedula devotione populo verbum Dei prædicare : Et quidem verisimile est idipsum fecisse, priusquam Episcopus esset, quem Frater quidam increpans, solius asseruit esse Pontificis, prædicare : monacho vero silentium, et claustrum competere : cui sanctus respondit, verbum Dei non esse alligatum, nihilque Deo gratius quam Christum annunciare, populumque ab errore viæ suæ revocare, ideoque se non omissurum. Nocte sequente Frater ille ad tribunal ignoti Judicis in visione ductus, et cur servum suum objurgasset, redargutus, in pavimentum visus est sterni, et cœdi : lacrymæ in maxillis, et livores evidentes in scapulis evigilantis apparuerunt. Vult enim Deus, ut non desint Ministri, qui verbum suum annuntient; ac proinde væ illis, qui nihil inde proficiunt ! quod si vero nonnumquam Prædicatores ad manum non sint, id, sæpe fit, ut, minus castigemur, Deo modicum fructum prævidente, quem inde homines reportaturi essent. Surius x, *Jan.*

S. Antoninus refert, quod, cum quadam vice, quidam magnus Prædicator deberet certa die assignata sermonem facere ad populum, ipsa die statuta infirmatus est graviter; populus autem venit ad Ecclesiam illius Ordinis, cujus erat ille frater, copiosissime ad audiendum : Prior autem illius conventus multum anxiabatur super tali defectu prædicationis, et cum per conventum discurreret, cogitando, quid agendum esset, ecce subito venit ad portam quidam notabilis frater illius Ordinis in apparentia, sed diabolus latens in essentia, tamquam hospes, et petit Priorem : Ducitur ad ipsum, et post salutationem consuetam, respicit ille simulatus hospes in faciem Prioris, et dicit : Pater piissime, ut perpendo, debes esse amaricatus super aliquo negotio ; non miror, hoc enim sæpe solet contingere Prælatis, propter varios casus, sed oportet habere bonam patientiam : *Necesse est*, ut dicit Evangelium, *quod veniant scandala :* compatior vobis ; si placeret vobis mihi reserare materiam vestræ angustiæ, libenter, si possem, in aliquo vellem juvare. Respondit Prior : Revera verum est, quia multam tristitiam habeo, et causam vobis explano, declarans defectum prædicationis faciendæ. Tunc ille, scilicet diabolus : Bone Pater, inquit, confidatis in Domino Deo, quia non deficiet vobis : Ego spero in Deo, quod ipse supplebit per me defectum istum, ita quod auditores remanebunt consolati : scitis, quia omnia nova placent, et ego satis studui, et habui practicam bonam in arte hac ; faciatis, possim intrare librariam, videndo aliquos libros; cito inveniam, quod mihi erit necessirium. Interrogat de aliquibus libris solemnioribus, utpote summa S. Thomæ, cum scriptis, et operibus Alberti Magni, et illis sibi ostensis, revolvit libros hinc inde. Populo innumerabili congregato, ascendit frater diabolus umbonem. Advenerat autem ad Prædicationem quidam vir sanctus, qui videns illum ascendere pulpitum, et cognoscens diabolum, obstupuit, nil tamen alicui dicit, sed expectat finem videre. Cœpit Frater diabolus prædicare de bonis Paradisi, de pœnis Inferni, de peccatis, et miseriis mundi, propter quæ et illa perduntur, et inferna sequuntur, et cum tanta efficacia, et rationibus, quod commovit omnes ad lacrymas compunctionis. Finita prædicatione descendenti illi occurrit sanctus vir, et vocans eum ad partem, et contestans ex parte Dei, inquit : O miser, et deceptor hominum, te agnosco ; quomodo præsumpsisti tantum officium Christi, et Apostolorum suscipere ? etsi specialem causam nesciam, scio tamen, quod non nisi ex mala intentione egisti. Unde adjuro te per Deum vivum, ut dicas mihi causam hujus operis. Tunc frater diabolus adjuratus, inquit : Tacere non possum causam, propter quam assumpsi, ut vides, speciem Fratris Prædicatoris ; causa, ob quam prædicavi, est ista. Ecce audisti, quot, et quanta bona dixi de gloria Paradisi, de pœnis inferni, et de peccatis horum populorum ; et vidisti, ad quantum luctum permoti sunt. Scio mores eorum, parum temporis transibit, et obliti verborum omnium, nihil facient de his, quæ proposuerant agere, et unde omnia verba audita erunt eis ad majus judicium : quo dicto, evanuit. S. Ant. p. II, tit. IX, c. xi, § 3.

Rusticus quidam, qui numquam volebat audire aliquid de Deo, mortuus est : cum ad Ecclesiam esset delatus, et Sacerdos, et alii Clerici Officium legendo, et cantando circa corpus, peragerent, imago Crucifici cœpit obturare aures suas, manibus a Cruce separatis : quod cum omnes adstantes aspicerent, mirabantur. Tunc Sacerdos ait : Scitis, quale signum est hoc? Vos scitis, quod iste, qui hic jacet, numquam voluit audire verbum Dei, et ideo est modo in manu diaboli : idcirco Christus obturavit aures suas, ne audiat preces, quas pro eo fundimus : et cessaverunt omnes orare. Mansi, d. xxvi, n. 8.

Apud Janum Nicium in libro de virtutibus, et vitiis sequens legitur, quod Genuæ circa quosdam Juvenes dissolutionibus suis Prædicatorem sub concione turbantes accidit memorabile exemplum. Hi enim in ædes sacras coibant, ea præsertim hora, qua concio tota rerum divinarum interpreti operam dabat, ibique tota populi istius offensione concurrerant, impudentissime mulierum formas contemplari, inter se colloqui, cachinnos tollere, multaque alia facere, quibus ludibrio haberi Deus videbatur. Concionator nullum privatis admonitionibus relictum esse locum animadvertens, statuit, impiam illorum contumaciam de loco superiori palam arguere; quod cum magna vi vocis, et contentione animi ageret, ad objurgationes minas addidit, atque inter cætera interminatus esse dicitur : Si impii in Deum esse pergerent, neque mores corrigerent, fore, ut ille Crucis baculo ipsorum nequitiæ obviam iret. Qua illi oratione vehementer commoti, universi eum adiere, ac verborum contumeliis antea oneratum monuerunt, ut linguam compescerent; nam si pergeret esse molestus, dicendo, ipsos Crucis baculo verberandos fore, ut alias antea, illos valido fuste scapulas, et brachia dolaturos. Quibus vir Dei in præsenti quid responderet, non habuit, verum rem totam in Deum rejecit. Neque vero prædictionem suam fefellit eventus : Nam Deus injuriam sibi factam ultus est probe, siquidem intra anni unius spatium ad unum omnes ferro interempti perierunt. *Ibid.* d. XXVI, n. 8.

Cum vivente S. Laurentio Justiniano Venetiarum Patriarcha, Respublica, illa propter bella, quæ eidem cum Duce Mediolanensi intercedebant, in gravi perditionis periculo consisteret, Senator quidam Venetus ad quemdam sanctissimæ vitæ Eremitam, qui illis temporibus Corcyre morabatur, accessit, ut ab hoc servo Dei, quemnam bellum illud sortiturum esset exitum, intelligeret : qui eidem, juxta revelationem sibi cœlitus factam, respondit, Deum Venetis graviter esse iratum, eo quod populus ille verbum Dei penitus negligeret, jamque dudum civitatem illam in justam injuriæ illius vindictam in desolationem futuram fuisse redactam, nisi B. Laurentius Justin. eamdem efficacissimis suis precibus conservasset. *Id*, d. XXIV, n. 8.

Anno Christi Domini trecentesimo quinquagesimo, sub Rege Saporre gravis persecutio in Persiæ adversus Ecclesiam sæviit : Per id vero temporis etiam Miles Episcopus martyrio occubuit, in primum apud Persas militaverat, postea vero deserta militia Apostolicam vitam est imitatus. Cum autem Persiæ cujusdam civitatis Episcopus esset, multosque sæpenumero cruciatus pertulisset, nec ulli isthic persuadere posset, ut Christianus fieret, iniquo eam impietatem ferens animo, civitatem execratus, inde discessit. Non longo post tempore, cum primarii urbis illius in Regem peccassent, exercitus cum trecentis elephantis, eo profectus urbem evertit, et velut agrum colentes in ea sementem fecere. Hunc in modum verbi divini contemptus pœnas justas et graves, tum Deo, tum Episcopo persolvit. S. THOM. l. II, *tras. Eco.* c. IV.

PRÆDICATUM. — Christus prædicabat verbum Dei, ut potestatem habens, eratque sermo illius potestate plenus. MATTH. VII, 29.

S. Petrus, cum ipsi, et S. Joanni esset a Principibus Sacerdotum prædicatio interdicta, dixit ad eos : Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate : non enim possumus, quæ vidimus, et audivimus, non loqui. *Act.* IV, 19.

S. Paulus de seipso ad Corinthios scribit : Ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi : non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc Crucifixum. (I. *Cor.* II, 12.) Et iterum : Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo Jesu loquimur. (I. *Cor.* II, 17.

S. Dominicus multas sub concione lacrymas emittebat, unde mire auditores commovit, multisque secum lacrymas ex oculis elicuit. *Vita* l. IV, c. IV.

S. Thomas Aquinas multam habebat gratiam in concionibus, in quibus tamen vitabat ea, quæ ad curiositatem potius, quam utilitatem auditorum, pertinere videbantur, ad hominum illorum, quibus concionabatur, captum se accommodans, et acutas, subtilesque disputationes, ac quæstiones ad scholas amandans. *Vita.*

S. Petrus Martyr, ut de eo scribit Antonius Balinghen, tanto cum confluxu populi concionabatur, ut in carruca pictis asseribus clausa fuerit ad cathedram deportandus, ne a populo, ut antea fieri consueverat, tantopere comprimeretur. BALINGH. *in pres. ad oc. com.* XXII.

S. Gregorius Nazianzenus per plures sæpe horas disseruit, tanto cum fructu, solatio, et aviditate auditorum, ut nullum murmur, nulla tussis, nullus screatus audiretur, sed soli frequenter gemitus erumperent. S. GREG. *Naz. or.* XII, q. 2.

Venerabilis Beda, cum aliquando ob defectum auditorum concionem finiret, lapides responderunt : *Amen venerabilis Pater ;* unde hoc nomen ei deinceps constanter datum est. RADERUS *in vita.*

De S. Francisco scribit D. Bonaventura : Erat verbum ejus, quasi ignis ardens, penetrans intima cordis, cum non humanæ inventionis ornatum prætenderet, sed divinæ revelationis afflatum redoleret. Ejus assidua erat concio : *Labor modicus, voluptas æterna : voluptas modica, pœna perpetua : multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio.* S. BONAV. c. VIII, *vit.*

S. Vincentio Ferrerio verba faciente interdum 80000 hominum ad ipsum audien dum confluebant, ita ut sæpe in campis illi prædicandum foret. SURIUS, *in vit.*

S. Antonium de Padua populus etiam ardente sole, et stillante pluvia sub diu audiebat; quin, et pisces ad illum audiendum littori fluminis Marecchiæ adnatasse scribuntur. FAB. *conc. in Dom.* 4, *post. Pent.*

S. Equitius, cum quidam interrogaret, cur ipse sacris Ordinibus non initiatus concionari præsumeret? respondit, quadam nocte speciosum puerum sibi apparuisse, atque in lingua medicinale ferramentum, seu phlebotomum posuisse dicendo : Ecce posui verba mea in ore tuo, egredere ad prædicandum. Ex illa die etiam cum voluero, de Deo tacere non possum. S. GREG. DIAL. l. I, c. XXII.

Fulco de Gandavo, Canonicus apud Insulas, cum a Jacobo Vitriaco Legato Apostolico rogatus, ut secum crucem per Flandriam prædicaret, constanter id renuisset, Jacobus rogavit Deum, ut eum non solum ad hoc opus, quod sprevisset, sed alia etiam omnia, inutilem redderet; ad quæ verba mox eum quartana febris invasit, et usque finem vitæ per viginti quatuor annos irremediabiliter lecto affixum retinuit. CANTIPR. l. I, *apum* c. XXII.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius censebat, Societatem non posse melius innotescere, quam concionibus bonis. Aiebat autem, Concionatoribus, quæ dicturi sunt, diligenter scribenda, et multo ante præmeditanda esse : nihil temere asserendum : vitia hominum potius modeste castiganda, quam plausibilia afferenda, quæ aures tantum delectent. (H. S. p. 1, l. XVI, n. 31.) Suarum vero concionum materia erat, vitiorum detestatio, virtutum prædicatio, et ut peccatores ad cor redirent, et infinitum Dei in se amorem agnoscerent. RIBAD. l. V, c. XI.

S. Franciscus Xaverius Bononiæ cum ingenti fructu concionabatur. Modus ejus erat, maximus ardor, sententiæ gravissimæ, nullus fucus orationis, totius corporis ad modestiam, et humilitatem conformatio; emicans ex ore, et oculis pietas, quæ ostendebat, quidquid diceret, ex intimo pectore proficisci : materia ejus erat amor, timorque Domini. Unde una die in Insula Travancoride decem hominum millia christianæ fidei amor accendit, Christoque per baptismum genuit. (*Vita* l. I, c. VII.) Nec dubitavit Thomas Bozius dicere, plures ab eo per decem annos ad Catholicam fidem adductos, quam per universos Hæreticos seductos esse. BOZIUS l. VI, *de sign. Eccl. sign.* 20.

Primi decem Patres, dum in diversis Italiæ civitatibus anno 1537, concionari inciperent, hunc sibi concionandi modum præfixerunt, ut in auditorum pectoribus studium virtutis ingenerent, et odium acre vitiorum, Decalogi, Ecclesiæque præcepta diligenter enuclerent, et ad ea servanda sempiternis aut superum præmiis objiciendis impellant, aut inferorum suppliciis, omninoque intelligant, sibi magis agendum ad populum ardore animi, atque oculorum lucrandum, quam oratione composita, delectuque verborum. HIST. SOC. l. II, n. 24.

P. Petrus Faber aiebat, concionatorem eo spiritu dicere debere, quo concepit; concipere autem debere ex Spiritu Sancto; sic Christum venisse in templum. (*Vita* l. I, XIX) Cum eum latera infirmiora, et crebræ valetudines a suggestu arcerent, ubicumque tamen pedem poneret, in Italia, Germania, Hispania, Lusitania, frequentissimo celebrabatur concursu hominum, quos suavissima de rebus ad animæ salutem spectantibus confabulatione sæpius æger, ac decumbens detinebat, atque arcana divinæ, interiorisque sapientiæ edocebat. Itaque illius diversoria erant admirabilium sermonum officinæ, quibus libenter inscriberes vetus illud Antigoni : Hic mœrentibus consolatio adhibetur JO. RHO. l. I, c. II, ex. 2, *nost.*

P. Jacobus Laynes sæpe octo, novemque auditorum millia habuit. Una concione de S. Magdal. lacrymis octo meretriculas convertit. *Ib.* l. VIII, n. 18.

P. Franciscus Strada Lovanii Metaphysicæ studiosus, et annorum viginti quatuor, suggerente materiam P. Petro Fabro, concionabatur præcipuis Theologiæ Doctoribus tanto spiritus ardore, ut ubertim illis lacrymæ ex oculis fluxerint. Concurrebant et fœminæ, linguæ latinæ ignaræ, tantum ut os spectarent agentis, et a sacro illius igne incalescerent. Unde et Brixiæ intra modicum tempus centum, et plures adolescentes, licet ipsemet adhuc adolescens concionibus ad varias Religiones perduxit. *Ib.*, l. V, n. 48.

P. Basilius Avila cum Hispali de condonandis injuriis fuisset concionatus, elatis in media oratione clamoribus multi professi sunt eodem in loco se cuncta remittere, hic patris necem, ille matris, tertius filiæ, inimicitias alii inexpiabiles. *Ib.*, l. XV, n. 91.

P. Franciscum Riberam S. Andreæ Festo concionantem, ingens visus est circum micare splendor, et Christus sereno vultu dicentis inniti humeris, ac velut complexu fovere. Dum ille interim ex multis, quæ in solito fervore dixit, hæc serventius pronunciaret. O admirandam Dei, et S. Litterarum dignitatem! nullum habent apicem SS. paginæ, qui non divinis sit plenus mysteriis. Sub hæc, pia anima, cui hæc omnia dabatur intueri Christum dicentem audivit : Hic est, o filia, qui germano Scripturas meas sensu, et ea veritate, quam ipsi infundo, explicat. *Pœdagog. Christ.* p. 2, c. XXII, § 1.

P. Joannes Fernandius, cum jam senex ob imbecillitatem ad suggestum ducendus esset, inter dicendum ita exardescebat, ut nullus juvenum eo intensius, validiusque concionaretur. *H. S.*

P. Sebastianum Barradium Deus, et natura in concionatorem formaverat. Status corporis erectus, et excelsus, augusta facies, vox sonora, insitus quidam a natura lepor, tantus vero zelus, ut ab Academicis alter Paulus diceretur. Materia illius erant quatuor novissima, incertitudo salutis, peccatorum detestatio, mundi vanitas. In omni concione sententiam illam : vanitas vanitatum, etc., et momentum, unde pendet æternitas etc., inculcabat. Solebant plurimi dicere, vereri se, ne Barradium in die judicii accusatorem habeant. Anno 1592, tot juvenes nobilissimos suis concionibus in Franciscanorum Cœnobium movit, ut, Guardianus diceret, optare se, ut Superiores vel Barradium amoverent, aut eos, qui admitti cuperent in suum Cœnobium, in suam Societatem admitterent. Tanti vero erat vel aspectus illius, ut multi dicerent, plus se illius aspectu, quam aliorum comptis concionibus moveri. *Vita itinerario præfixa.*

P. Joannes de la Placa Hispanus concionator erat efficacissimus, sine fuco, plenus gravitate, et ratiocinationibus, sic ut divites fugerunt ejus conciones, ne ad paupertatis amorem persuaderentur. Etsi paucissimos haberet auditores, æque concinabatur, quia, inquiebat : S. Angelus Custos, licet tantus cœli Princeps, non dedignatur uni tantum homini assistere, et consilia sua licet sæpe, repulsa, denuo instillare. Is erat concionis ejus scopus, ut unicuique persuaderet, tutissimam, et facillimam ad cœlum viam esse, si suum quisque officium perfectissime impleret. *Coll. Max.* 1602, *an.*

P. Gonzalvus Silveira conciones suas multo magis divina meditando, quam libros legendo apparabat; longo enim tempore præter Breviarium, Biblia Sacra, et vitas Patrum, alium prorsus non habuit. Christi cruci affixi, et Deiparæ effigies ejus erant præcipui libri; hæc ille volumina maxime volvebat, cum se ad concionem parabat, unde tam instructus redibat ut plerumque duas, aut tres horas (semel omnino duodecim sine interruptione, et tædio auditorum) peroraret. *Vita*, l. II, c. XII.

P. Michael a Fontibus sæpe jussus est inter unius, et alterius horæ spatium concionari; mox ut obediret, ad Christi crucem se prosternens, ex illo libro conciones suas faciebat, et dein ad stuporem dicebat; neque de ardore concionandi remittebat, etsi paucissimos haberet Auditores. *Ann.* 1606. *Pros. Ar. Do. Prof. Valent.*

P. Jo. Baptista Parma, cum Fontenetti in Parasceve de Christi Passione concionaretur, tantam ipse lacrymarum copiam fudit, ut ex ipsa concione aliquot ex primioribus veriti, ne inter lacrymas, et suspiria spiritus, vita ei deficeret, suggestum conscenderint, monituri, ut sibi parceret. *Hist. Soc.*, p. I, l. XIV, n. 68.

P. Ottellus Florentiæ concionator, etsi nihil in eo pictum, nihil elaboratum esset, sed miserabili voce cachinnos potius ab initio moveret; ubi tamen illius fervorem conspexerunt, omnes in lacrymas, et lamentabiles voces erupere. *Ibid.*, l. VII, n. 27.

P. Antonius Madridius novitius ita concionabatur, ut populus diceret, ipsas columnas ejus verbis tremefieri. Is, cum aliquando conversarum meretricum inopiam in concione commendaret, statim quadraginta viri Societatem inivere, ut resipiscentes fœminas singulis diebus invicem alerent. *Hist. Soc.*, l. XVI, n. 57.

P. Joannes Ramirius duas, et viginti pellices una concione convertit; in Quadragesima vero ducentis religionem persuasit. *Ib.* p. 2, l. VIII, n. 26.

Bononiæ descenderant aliquando in templum P. Silvester, et P. Palmius. Cumque ante Eucharistiam orarent, et quilibet alterum concionaturum putaret, monuit tandem æditus, tempus esse, ut unus ad concionem diceret. Jussit ergo Silvester Palmium ascendere, qui non paruit dumtaxat, sed tantos etiam motus excitavit, ut populus effuse lacrymari cœperit, multique tum viri, tum mulieres se in Monasteria abdiderint. *Ib.*, l. XIV, n. 91.

P. Ignatius Magtinius vir ad miracula usque sanctus, Sebastiani Regis Lusitaniæ concionator stupendus, fassus est tamen postea, cum, posito hoc munere, Catechismum doceret, ægros inviseret, diutius contemplari cœpit omnes illos annos, quibus tam eleganter perorabat, misere sibi periisse. *An. Lusit.* 1598. *Coll. Conimbr.*

P. Octavius Gondius concionator admirandus, ante quamvis concionem, se, licet debili esset corpore, flagellabat, et per duas horas ante Christi Crucifixi imaginem multis cum lacrymis suam concionem Deo proponebat. *An. Vex.* 1608.

P. Conradus Onnekinck solebat conciones suas flexis genibus scribere, quasi a Deo illas excepturus. *Prov. Rhe. an.* 1607.

P. Petrus Canisius Augustæ in Quadragesima concionatus, numquam ad dicendum accessit, nisi cum ingenti præmeditatione, multis ad Deum fusis precibus, et magna corporis afflictatione. *Magunt. Coll. Vita*, l. II, f. 191.

EXEMPLA PROFANA.

Saracenus quidam, cum Florentiæ concionem audiens in lacrymas solveretur, rogatus, cur fleret? respondit : Saracenorum calamitatem, et Christianorum oscitantiam, atque ingratitudinem defleo; si namque hæc concio Damasci facta esset in centum millium corona, plures octoginta sex milibus ab errore conversi fuissent. S. Bern. *de Busto p.* 120, *Sar. s.* III.

Theodorus, cum in tragœdia sententiis, S. Scripturæ ad jocos, et risum abuteretur, continuo cæcitate percussus est. Euseb. *cæs.* l. VIII, *de præd. Ev.*

Teopompus historicus, cum ex veteri testamento quædam profanæ suæ historiæ ridicule conaretur inserere, subito in terram decidens insanire cœpit. *Ibid.*

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut pluit Dominus super segetes, et spinas, sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem, et tamen una est pluvia; sic verbum Dei in omnes compluit; videat quisque, qualem radicem habeat; videat quisque, quo trahat pluviam bonam. Si eam trahit, ut generet spinas, numquid Dei pluvia accusanda est, antequam veniat ad radicem? dulcis est pluvia illa, dulce est verbum Dei, donec veniat ad cor malum. S. Aug. *de bened. Esau, et Jacob.*

Sicut medicus ex herbarum, arborum, metallorum venis, et succis, vel animantium naturis medicamenta componit, quas tamen, antequam in medicinam aptentur, parvi faciunt homines; sic licet verbum Dei secundum se vile appareat; si tamen a Deo, et ejus ministris medicinæ loco offeratur, magni æstimandum est. *Hom.* VIII, *in Levit.*

Sicut ex auro uno alii murænas, alii annulos, alii dextralia ad ornamentum faciunt; ita ex una Scripturæ sententia expositores quippe per innumeros intellectus quasi varia ornamenta componunt : quæ tamen omnia ad decorem cœlestis Sponsæ proficiunt. S. Greg. *in Regist.* l. II, *ep* X.

Sicut artificiosæ picturæ cortinis obvelantur, non ut omnino negetur intuitus, sed ut æstimatio concilietur, et desiderium videndi acuatur; sic Deus Sacram Scripturam cortinis parabolarum, et obscuritatis involvit, ad Majestatem ejusdem insinuandam, mentemque lectionis desiderio accendendam. *Fab. conc.* VII, *in Dom.* III, *post Pen.* n. 1.

Sicut una, et eadem species mannæ, aliis vermes et putredines generabat : aliis vero salubrem cibum conferebat, et vitæ nescessarium; ita et nostrum manna est verbum Dei, et apud nos sermo Dei aliis efficitur ad salutem, aliis ad pœnam. *Origen hom.* III, *in Num.*

Sicut agricola non nisi in tempore congruo, et mense opportuno seminat, propitiasque constellationes observat : ita quoque qui in animabus fructum producere contendit, similem habere debet providentiam, ut verbum Dei tempore, loco, et occasionibus opportunis disseminetur. Unde apud Amos dicitur *Ideo prudens in tempore illo tacebit*, *quia tempus malum est*, id est, ut Lyranus exponit, cessabit a correctione vestra, videns quod non esset ad vestram emendationem, sed magis ad peccatorum vestrorum aggravationem. MANSI, d. V. n. 5.

Sicut semen non subito fructum suum producit, sed post multos menses; ita quoque nonnumquam accidit prædicationi verbi Dei, quod non subito operationem suam exerit sed suo tempore idipsum faciet. *Ibid.* n. 7.

Sicut semen in primis radices agit, deinde surgit in caulem, postea in arborem, frondibus, ramis, floribus, fructibus ornatam; sic verbum divinum in animo humano hærens, radicibus primum, deinde virtutibus omnibus coloratum, ramis, floribusque virescit, donec perfectum in gloria sempiterna cultori suo fructum parit. Hoc est, quod Christus dixit : *Regnum Dei intra vos est.* Hæc verba de hoc semine intellexit, quia verbum Dei producit, et virtualiter continet in se regnum Dei : Ex verbo enim Dei oritur Fides, et ex Fide, Spes, Charitas cæteræ virtutes, et opera bona, quibus regnum cœlorum debetur. *Didac. Stella in Luc.*

Sicut semen tunc in securo est positum, deque ipso sperare licet, quod radices, et germina producturum sit, quando est terra coopertum, semen enim nudum, et publice patens a volucribus facile devorari potest; eodem modo sperare licet, quod verbum Dei tunc præcipue fructus in nobis sit producturum, si illud in corde nostro reposuerimus. MANSI, l. III, n. 9.

Sicut semen copiosiorem est allaturum fructum, si terra a spinis, herbis perniciosis, lapidibus, tribulis, aliisque similibus rebus noxiis fuerit repurgata; eodem quoque modo verbum Dei majorem in anima pura, et mundo corde profectum faciet, quam in corde quodam multis inordinatis affectibus coinquinato : Ac proinde Jeremias Propheta ait : *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas. Ib.* n. 10.

Sicut unusquisque libenter audit loqui de re, quam diligit; ita, qui diligit Deum, et vitam beatam, Dei verba libenter audit, et affectuose conservat, et in hoc salus nostra consistit. Debemus ergo verba sacra cum magna attentione, intima affectione, humili reverentia legere, audire, proferre, tamquam epistolas nobis divinitus missas. Beda aliam habet considerationem; quæ etiam in aliis legitur, dicit enim : Interroget se unusquisque, si verba Dei in aure cordis percipit, et intelliget unde sit. Cœlestem Patriam desiderare Veritas jubet, carnis desideria conterere, mundi gloriam declinare, aliena non rapere, propria largiri. Penset ergo apud se unusquisque vestrum, si hæc vox Dei in cordis ejus aure convaluit, et quæ jam ex Deo sit, agnoscet. *Dionys. Cart. in* c. III, *Jo.*

Sicut cibus non prodest, nisi cum fuerit masticatus, et in stomachum descenderit; sic non proficit ad salutem verbum, nisi cum fuerit intellectui, et memoriæ traditum : Nam sicut cibus nihil prodest, si manducaverimus, et iterum evomimus eum de stomacho; sic nihil in nobis prodest verbum, quod audimus, si obliviscimur illud; cibus, qui in stomacho stat, ille confortat; et sermo, qui in memoria manet, ille salvat. *Auctor. oper. imp. h.* XLI.

NECESSITAS. — Sicut luce semper indigemus in tenebris noctis, et multo magis in die : ideo nocturno tempore accendimus lucernam; de die vero sol suum nobis lumen copiose ministrat; eodem modo verbum Dei lucerna appellatur, quia lumen nobis præfert, ne offendamus in gressibus nostris : *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, inquit David. Et S. Ambrosius ait : Nobis lucerna ejus luceat, ne possimus errare : et lucerna verbum est, sicut verum lumen est verbum, quod totum illuminat mundum. S. AMB. l. VII, *in Luc.*

Sicut juxta Philosophos, omnes morerentur, si una die cessaret sol facere cursum suum, qui habet splendorem, calorem, et vigorem; ita si verbum Dei non prædicaretur, et non communicaretur animabus, ut possent incitari, et illuminari splendore veritatis, et calefieri in ardore illius, omnes spiritualiter morerentur. S. BEN. s. IV, S. V, *in Dom.* I, *Quadr.*

Sicut corpus sine alimento subsistere nequit; ita nec anima vivere potest sine verbo Dei. Elias bis pastus exprimit nostræ naturæ infirmitatem, quibus non sufficit simplex pastus, sed duplex, quatenus ad superna valeamus ascendere; sicut enim corpus sine alimento corporali subsistere nequit; ita nec anima vivere potest sine verbo Dei. *Glossa. in* III, *Reg.* I, 19.

Sicut tempore messium, vel vindemiarum, unde caro nostra possit sustentari, colligitur; ita in diebus Quadragesimæ, quasi in spirituali vindemiarum, vel messium tempore, unde anima nostra in æternum possit vivere, congregetur; quia sicut negligens quisque, si opportuno tempore nihil collegerit, per totum anni spatium fame torqueretur; ita qui hoc tempore spirituale triticum, et cœleste mustum in horreis animæ suæ providere neglexerit, in æternum durissimam sitim, et crudelem inopiam sustinebit. Certissime scitote, Fratres, quia qualis est caro, quæ per multos dies non percipit cibum, talis est anima, quæ assidue non pascitur verbo Dei : Et quomodo caro per famen, et inopiam tenuis, et sicca velut quoddam simulachrum efficitur; ita, et anima, si verbi Dei cibo non pascitur, arida, et inutilis, et ad nullum opus bonum congrua, invenitur. S. AUG s. XVI *de temp.*

Sicut caro pascitur cibo; sic reficitur anima Dei verbo, ut totus homo, id est, et exterior, et interior, de sancto, et salubri convivio satiatus exurgat. Nam si sola caro reficitur, et anima Dei verbo non pascitur, ancilla satiatur, et domina fame torquetur. *Idem*, l. c.

Sicut lanæ, ut colorem imbibant, sæpius intingi debent; sic opus est, ut animæ nostræ continuo in sermones divinos intingantur, ut abluamur quidem a veteri opprobrio, induamur autem nova pulchritudine. S. CHRYS. *ho. ex div.*

Sicut in bello non omnis, qui pugnat, vincit; nemo tamen vincere potest, nisi pugnaverit; sic non omnes, qui student, et audiunt verbum Dei, acquirunt scientiam spiritualem, nemo tamen acquirere potest, nisi qui, aut studiosus fuerit ad legendum, vel assiduus ad audiendum. *Idem in Matt. h.* XVIII.

Sicut terra pluviis non rigata, etsi infinita susceperit semina spicas proferre non potest; sic animus divinis Scripturis non irrigatus, etiamsi quis innumera apud eum effundat, fructum nullum proferre potest. *Idem s.* VII, *ap. Max.*

Sicut formica æstate colligit, unde in hyeme pascatur; sic unusquisque Christianus in rerum tranquillitate, quam significat æstas, colligat verbum Dei, ut in adversitate, et tribulationibus, quæ hyemis nomine significantur, habeat, unde spiritualiter vivat. S. AUG. *de decem chord.* XI.

Sicut hi, qui in labyrintho sunt, frustra exitum quærunt sine duce; ita nec innumeros vitæ hujus Mæandros evitare quis potest, nisi per verbum Dei ducatur. *Folong. in Ps.* CXIX.

Sicut is, qui in alto mari navigat, semper ad acum nauticam recurrere necesse habet, nisi aberrare velit; ita, ne a salutis itinere deflectamus, ad verbum Dei recurrere oportet. *Fab. conc. in Fer.* 3, *Pent.*

UTILITAS. — Sicut columbæ juxta fluenta residere solent, ut insidiantium avium umbram in aqua videant; sic sancti viri in Scriptura Sacra fraudes Dæmonum prospiciunt ideoque in illa legenda, et meditanda assidue occupantur. S. GREG. *in Cant.* c. I.

Sicut ex thesauro si quis, vel per modicum auferre sinatur, magnas tamen parat divitias; ita in brevi licet S. Scripturæ sententia ingentem frequenter fructum spiritualesque divitias plerique reportarunt. S. CHRYS. *h.* III, *in Gen.*

Sicut floridum pratum varios, et omnigenos flores, et herbas, ad sanitatem non parum conducentes, offert; sic S. Scriptura Christi, et Sanctorum virtutes nobis proponit, ut, et suavem boni exempli odorem inde hauriamus, et per imitationem animæ nostræ salutem promoveamus. *Idem hom.* XLII, *in Gen.*

Sicut gladius carnes præcidit, sic et sermo divinus concupiscentias carnales. *Id. h.* VIII, *in cap.* IV, *Matt.*

Sicut medicina languenti corpori; sic verbum Dei prodest animæ ægrotanti *Ibid.*

Sicut pluvia irrigat terram, ut fructum proferat; sic verbum Dei hominem irrigat, ut justitiam operetur. *Idem in c.* VII, *Matt.*

Sicut imber in ignem cadens facile flammas deprimit; ita concupiscentias evanescere facit sermo Dei in animam admissus. *Id. in divers.*

Sicut, si quis scintillam in fœnum projiciat, totum fœnum accenditur; ita verbum Dei, in anima receptum, eam totam inflammat. S. CYRIL. *in Jo.* XV.

Sicut granum sinapis, licet minimum inter semina, si tamen in terram jaciatur, fit maximum; ita verbum Dei, licet minimum appareat, si tamen in anima debito modo foveatur, in maximos fructus excrescit. S. Chrys. *h.* v, *in Is.*

Sicut artifices per istrumenta artis suæ, quidquid faciendum susceperint, perficiunt; ita et nos per Scripturas divinitus inspiratas animam nostram depravatam corrigimus et inveteratam renovamus. S. Chrys. *ser.* iii, *de Laz.*

Sicut ramus abscissus, si juxta aquam plantetur, statim virescit; ita si peccator verbum divinum frequenter audiat, viret ejus anima, et in pœnitentiam convertitur. S. Hier. *in Ps.* cxxxv.

Sicut solis natura est eis, qui in hoc mundo sunt, ordinante Deo corporaliter dare vitam, illam conservare, insuper, et augmentare; sic etiam verbum Dei in anima hæc tria spiritualiter operatur. S. Bern. *s,* v, *in Dom.* i. *Quadr.*

Sicut Verbum Dei æternum est pabulum Angelorum in cœlo; ita verbum Dei est pabulum sanctarum animarum in terra; unde Christus dixit diabolo, qui jejunus erat ab hoc cibo : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo etc.* Hoc cibo Magdalena reficiebatur ad pedes Domini, audiens verba oris ejus, ut oblivioni traderet cibum ventris. Bellov. l. III, *spec. p.* 1, *dist.* x.

Sicut descendit imber, et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infudit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti; sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum. Isaiæ, lv, 10.

Sicut ex seminibus herbæ, fructus, frumentum, et alia grana progerminantur, quæ vitam corporalem in nobis nutriunt; ita pretiosum hoc semen verbi Dei etiam in nobis vitam spiritualem, et immortalem gignit, alit, et sustentat. Mansi, d. v, n. 1.

Sicut ignis natura quanto magis auri naturæ adhærebit, tanto magis rubiginem consumet; sic et verborum timor, quanto magis menti imprimitur, tanto magis peccatum impudicitiæ nostræ purgatur. Hoc igne nos examinemus, verbo scilicet doctrinæ, quo minus idipsum cogamur examinare gehennæ igne. S. Chrys. *h.* lvi.

Sicut in speculo vides tuam turpitudinem, et deformitatem, et si habes aliquam tincturam in facie, illam vides, et cognoscis, et sic te lavas; ita est verbum Dei, per quod vides tua peccata, et potes illa cognita lavare per confessionem, et pœnitentiam. S. Bern. s. vii, *de mund. cord. ar.* 1, *c.* viii.

Sicut medicina, corpus male affectum purgando, viscera interius commovendo, pravosque humores evacuando, sitim communiter provocat; eumdem quoque effectum verbum Dei in peccatore habet; efficit enim, ut peccata detestetur, omnes malignantes per confessionem foras ejiciat, dumque ei salutem spiritualem conciliat, simul in eo sitim ejusdem divini verbi provocat, adeo ut, quantumvis frequenter illud auscultet, numquam tamen audiendo satietur. Mansi, d. ix, n. 2.

Sicut medicinæ sæpe sumuntur etiam ab hominibus sanis, tamquam præservativum ad occurrendum morbis, qui furtive nos aggredi possent; eodem quoque modo, licet, dum timore Dei vivimus, hoc remedio non admodum indigeamus, servit tamen velut præservativum contra mala ventura, a quibus infestari possemus; unde Psalmista ait : *In corde meo abscondi eloquias tua, ut non peccem tibi.* Præterea, licet medicina ab infirmo medico præscribatur, eosdem tamen operatur effectus sanandi, ac si ab homine sanissimo administrata fuisset; eodem modo, licet verbum Dei prædicetur ab homine impio, pessimique exempli, non tamen per hoc sua destituitur virtute sanandi infirmitates nostras spirituales. Denique, sicut medicina, nisi tempore opportuno adhibeatur, ad nihilum prodest, quin potius obest; ita quoque nemo nescit, quod sermo opportunus est optimus. *Idem.* d. ix, n. 9.

Sicut silex, cum sit lapis durus et frigidus, nihilominus percussus scintilla emittit; sic verba sunt sacri eloquii, quæ quidem per narrationem litteræ frigida tenentur, sed si quis hæc, aspirante Domino, intento intellectu pulsaverit, de mysticis ejus sensibus ignem producunt, ut in ejus verbis post animus spiritualiter adeat, qui prius per litteram ipse quoque frigidus audiebat. S. Greg. *h.* xxii, *Ezech.*

Sicut gladius ferire nequit, nisi sit nudus; nam intra vaginam constitutus, quantumvis sit pretiosus, et acutus, non scindet, nec vulnerabit; ita verbum Dei, ut impiorum corda vulneret, nudum esse debet, id est, sine figurarum rhetoricarum ornamento, aut vanæ eloquentiæ floribus, debet pronunciari. Mansi, d. xi, n. 1, 6.

Sicut corporalis cibi appetitus indicium est bonæ valetudinis; ita desiderium spiritualis doctrinæ manifestissimum argumentum est animæ bene habentis. Multi autem sunt, qui prædicationem auscultant ex consuetudine, ut faciant, quod alii faciunt, non vero propter finem, ob quem est instituta. S. Chrys. xxxii, *in Gen.*

Dignitas. — Sicut in scriptis sæcularibus sæpe, vel unam syllabam deesse, plurimum refert; ita in Scripturis Sacris, nec apiculus est, vel syllaba, in qua non sit thesaurus, modo attenta mente omnia consulamus. S. *h.* xx, *in Gen.*

Sicut margaritæ inclusæ cochleis positæ sunt in profundo maris; sic mysteria divina verbis inclusa, posita sunt in altitudine sensus Scripturæ. *Idem in* c. vii, *Matt.*

Jucunditas. — Sicut vinum dum bibitur, tristitiam sedat, et cor mutatur in lætitiam; sic et spiritale vinum Scripturarum, dum bibitur, in lætitiam convertit animam. *Idem h.* xxii.

Sicut manna habuit omne delectamentum; ita, dum electus quisque S. Scripturam utiliter juxta modum suum intelligit, quasi acceptum manna in voluntarium saporem vertit. S. Greg. l. VI, *mor.* vii.

Auditio. — Sicut in convivio multa fercula apponuntur, nemo tamen cogitur de omnibus comedere, sed ex iis solum, quæ magis sapiunt, aut conducunt; ita et in concione multæ sæpe doctrinæ proponuntur, quas tamen non omnes implere necesse est, modo una, alterave bene applicetur. *Fab. cont.* v, *in Dom. Sex. n.* 4.

Sicut structores in conviviis non sibi, sed aliis dividunt cibos; ita multi verbum Dei audientes, non sibi, sed aliis illud applicant. *Fab. conc.* v, n. 3.

Sicut, cum Regis leguntur litteræ, altum est ubique silentium, et aures eriguntur, ut sciant, quæ regiis litteris manifestentur, et quisquis, vel parum tumultuatus fuerit, in magno periculo erit; ita multo magis cum magno tremore adstandum est, et altum silentium habendum, et pellendæ cogitationes turbulentæ, ut verba Dei intelligere possimus, quo Deus approbata obedientia nostra majoribus nos muneribus remunerari dignetur. S. Chrys. *h.* xiv, *in Gen.*

Sicut apes omnibus floribus insident, et melle se onerant; ita quoniam eloquia Domini sunt super mel ori meo, cum magna solicitudine excipere oportet. *Ibid.*

Prædicatio. — Sicut gemma magis fulget, quando annulo inseritur; sic cœlestis doctrina voce predicatoris a Deo vocati proposita fortius lucet, ac movet, quam simpliciter tantum lecta. *Ibid.*

Sicut non est audiendus ulcerosus, cum in ulcerum purgatione, vel ustione reclamat; ita nec concionatori curanda reproborum oblocutio, cum salubriter increpantur : sed potius iisdem cum S. Augustino dicere debet : Emendate vitam, et mores vestros, et ego emendabo linguam meam. *Fab. conc.* iv, *in Dom.* xi, *post. Pent. n.* 4.

Sicut patris familias est, filiis panem scindere, vel frangere, et non ipsorum parvulorum, ne seipsos vulnerent; sic non est laicorum Scripturas exponere, et sibi ipsis concionari, sed pastorum Ecclesiæ. *Idem, conc.* iii, *in Dom.* vii, *post Pent. n.* 4.

Damnum. — Sicut non posse percipere cibum corporalem, est signum mortis corporalis; ita non percipere legendo, vel audiendo verbum Dei, quod est cibus animæ, est signum mortis animæ. S. Anton. p. 2, l. IX, c. xi, § 2.

Sicut aqua in horto deficiente, flores, fructus, cunctæque aliæ tenellæ plantulæ arescunt, et languent; ita quoque vivo hoc fonte verbi divini in Ecclesia deficiente, omnes virtutes languescunt, et tabefiunt. Mansi, d. xxv, n. 8.

MOTIVA.

Ad Verbum Dei avide audiendum. — *Quia frequens, et sedula verbi divini auditio est signum prædestinationis* : uti sequentibus verbis S. Chrysost. indicavit : Argumentum est mihi hoc vestri in divinis profectus, quod tanta promptitudine quotidie convenitis, et spirituali doctrina expleri non potestis; nam quemadmodum corporalis cibi appetitus indicium est bone valetudinis; ita desiderium spiritualis doctrinæ manifestissimum est argumentum animæ bene habentis. (S. Chrys. *h.* xxxii, *in Gen.*) Et sicut ignis aurum emollit, et tractabilem facit, atque ad omnium rerum formas recipiendas disponit; ita Spiritus Sanctus qui habitat in homine, disponit ipsum ad recipiendum verbum Dei, eique obediendum. *Fab. cont.* ii, *in Fer.* iii, *Pent.* n. 1.

Quia est optimum instrumentum, et fundamentum ad insignem profectum in sanitate, et perfectione faciendum : Nam, ut recte S.

Chrys. advertit : Sicut arbor perpetua irrigatione crescit in magnam altitudinem; sic et divinorum eloquiorum doctrina assidue irroratus, ad virtutis fastigium pervenit. Hinc Tobias senior filio dixit : *Audi fili mi, verba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundamentum construe :* Idipsum quoque a Verbo Incarnato unicuique animæ fideli dici videtur. At vero, dices : Quænam inter verbum Dei, et fundamentum est proportio? Fundamentum totum sustinet ædificium, aulas, cubilia, cœnacula, ambulacra, solaria, atria, et quicquid boni, et pulchri in vasta aliqua fabrica continetur. (S. CHRYS. *h.* VIII, *de An. et Samuele.*) Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? quærit S. Augustinus; de fundamento prius cogita humilitatis (nos in præsenti dicere possumus, de fundamento prius cogita verbi Dei.) Et quantam quisque vult, et disponit superimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Quanto quis in perfectione altius desiderat proficere, tanto profundius verbum Dei fundamentum debet jacere, quia huic omnes solidissimæ virtutes unice innituntur. S. AUG. s. XVIII, *de verb. Dom.*

Quia est cibus spiritualis animæ, uti Christus dixit : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod exit de ore Dei. (MATT. IV, 4.) Si ergo cibum corporis tanta solicitudine conquirimus, et quotidie bis, aut sæpius sumimus; quanto magis verbum Dei velut cibus animæ solicite quotidie sumendus est, ut animam nutriat, pinguefaciat, et roboret.

Quia est myrothecion spirituale animæ; continet quippe diversa balsama, id est doctrinas aptissimas ad animam in vario genere deliquiorum ex adversitatibus occurrentibus suborientium roborandam.

Quia est armamentarium spirituale animæ : De quo Sponsus in Canticis dixit : Sicut turris David collum tuum (per quod procedit verbum Dei) quæ ædificata est cum propugnaculis : mille clypei pendent in ea, omnis armatura fortium (*Cant.* IV, 4.) : Et Salomon idipsum confirmans : Omnis, inquit, sermo Dei ignitus clypeus, sperantibus in se. *Prov.* XXX, 5.

Quia a peccatis præservat, juxta illud Davidis : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* (*Ps.* CXVIII, 11.) Hinc et S. Bernardinus, verbum Dei, inquit, purgat delinquentes, quia per verbum Dei, cognita veritate, animæ a suis sceleribus convertuntur. Unde Psalmista ait : *Lex Domini immaculata, convertens animas ;* eo quod Dei verbum, eum, quem reperit immaculatum a culpa, præservat, et, quem invenit inquinatum, purificat, et immutat. S. BERN. t. I, s. X, *in Dom.* I, *Quadr.*

Quin emollit induratos. Quantos, inquit S. Thomas Villanov. peccatores induratos, et vidimus, et legimus, ex auditu verbi Dei fuisse conversos, mutasse vitam, emendasse mores! (S. THOM. *Villan. in Sexag.*) S. Bernardus in sermone de multiplici utilitate verbi Dei in hæc verba scribit : Si cor tuum induratum est, memento Scripturæ dicentis : *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea.* Et item : *Anima mea liguefacta est, ut dilectus locutus est.* Si tepidus es, et evomi jam formidas, non discedas ab eloquio Domini, et inflammabit te, quia eloquium ejus ignitum valde. S. BERN. s. *de util. verb.*

Quia vigorem animo confert : Nam hoc inebriati martyres, se rebus temporalibus denudabant, vulnera, et cruciatus corporis pro nihilo ducebant, imo ad mortem alacriter properabant : Subditque auctoritatem S. Bernardi dicentis : Quem talis gustus inebriaverit, ad omne opus, et omnem laborem hilarescit; laborat, nec lassescit; festinat, nec deficit; dolet, et non sentit; laceratur, et nescit; irridetur, et non advertit. BELL. l. III, p. 1. *dist.* X.

Quia ad charitatem excitat : uti S. Thomas indicat versum illum : *Concaluit cor meum intra me :* ita exponens : Id est, concitatus est calor charitatis in ore meo, Prov. VI, *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant?* sic impossibile est, quod homo abscondat verba Dei, cum inflammatur cor charitate. (S. TH. *in Ps.*) Sed et S. Bonaventura exponens illa Discipulorum in Emmaus euntium verba : *Nonne cor nostrum ardens erat in vobis, cum loqueretur in via* etc. ita scribit : verbum namque Christi inflammaverat corda eorum, quia verbum Dei igneam habet naturam, propter inflammationem amoris; unde Jeremias : *Numquid non verba mea quasi ignis?* Et *ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud :* Hoc autem facit verbum immittendo Spiritum Sanctum. (S. BON. *in* c. XXIV, *Luc.*) Unde Beda : Ex audito sermone, cor prius corpore incredulitatis, et timoris frigidum, igne Sancti Spiritus est accensum, ut superno desiderio ardeat : quot enim præceptis instruitur homo, quasi tot facibus inflammatur.

Quia contra dæmones defendit : Nam sermo Dei ignitus est clypeus, teste S. Bernardino, in quo clypeo secundum Apostolum ad Ephes. VI. *Extinguuntur omnia tela nequissimi hostis :* Tela enim nequissimi diaboli sunt omnes modi, quibus nos tentat; unde Psalm. ait : *Scuto circumdabit te veritas ejus,* scilicet verbi ejus. *Non timebis a timore nocturno; a sagitta etc.* ibi enim exprimuntur septem modi, id est, septem tela, quibus dæmones nos impugnat qui omnes extinguuntur per verbum Dei. S. BERN. t. II, s. IX, n. III, c. II.

Quia experientia certa docet, teste S. Bernardino, *populos tantum a Domino flagellari, quantum rebelles inveniuntur in verbo Dei.* S. BERN. l. c.

Quia plurimas utilitates alias affert : Est enim verbum Dei frequenter prædicatum, Primo mentis illuminativum. Secundus affectus inflammativum. Tertius affectus adjuvativum, sive firmativum. Quarto est ad gloriam æternam inductivum. Quid ergo melius? Quid animæ dulcius? Quid homini fructuosius, quam ut verbum Dei prædicabile audiamus devote. (S. BON. II, *de Ev.*) Hinc istam utilitatem intendens Ecclesia, inquit S. Aug., cum excludat a Missa, et a divinis officiis Interdictos, Schismaticos, Excommunicatos, Hæreticos, Infideles, a prædicatione tamen non separat quemquam. Stet populus sine prædicatione triginta annis, et consueto modo audiat Missas; alius quoque consimilis populus absque celebratione Missarum, stet etiam per totidem annos, et sæpe audiat verbum Dei, et licet utrumque nocivum sit, tamen, cæteris paribus experientia teste, majus incomparabiliter sentiret in fide, et moribus detrimentum, absque audientia verbi Dei, quam sine Missarum celebratione. Nonne quotidie experimur : quis timor Dei, vel amor? quæ cognitio divinorum? Qui est peccatorum fœtor, et horror? Quæ cognitio virtutum, atque amor? Quæ Sacramentorum veneratio, atque frequentatio, ubi abfuerit verbum Dei. S. AUG. *ap. Mansi* d. I, n. 3.

Quia est Epistola Dei, uti S. Bernardinus indicavit, dicens : Si unus magnus Princeps scribit unam litteram suo populo, omnes convocantur, et omnes præparant se ad audiendum cum magno desiderio sciendi, et cum magna reverentia, et Cancellarius ascendit in altum coram populo, et cum magna reverentia aperit litteram, quia repræsentat personam domini, et omnes stant reverentes, et attenti. Si igitur hoc in temporalibus sit, quanto magis in spiritualibus, cum prædicator sit Cancellarius magni Regis æterni? S. BERN. t. IV, *S. in Dom.* I, *Quad.* p. I.

Quia æquitas id exigit, teste S. Ambrosio dicente : Videte, fratres, si justum est, ut caro de terra facta interdum bis in die capiat cibum; et anima nostra, imago Dei, vix vel post plures dies accipiat Dei verbum. S. AMB. t. V, s. XXXV.

MEDIA

Puritas conscientia : Nam quomodo possunt verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiæ? inquit recte S. Aug. Certe sicut in magno vase aceti si quis guttam mellis immisceat, etiam mel perdit, et acerbitas aceti non mutatur; sic homini, in hac malorum multitudine constituto : si collocutus fueris justitiæ verbum, et verbum perdis, et ille non temperatur in concupiscentia mundanarum rerum. (*Langius in Polyan. V. eodem.*) Hinc merito S. Joannes dixit : Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit. (Jo. VII, 17.) Nam; ut recte dixit S. Aug. : Bona vita, quæ ex præceptis Dei agitur, tamquam stylus est, quod auditur, scribens in corde. Si in cera scriberetur, facile deleretur; scribite illud in cordibus vestris, et moribus, et numquam delebitur. S. AUG. *in Ps.* XCIII.

Oratio : Nam, ut sapienter advertit idem S. Aug. : Sicut solem non videt oculus, nisi in lumine Solis, sic verum, et dominicum lumen non poterit videre intelligentia, nisi in ipsius lumine, de quo ait Propheta : Domine, in lumine tuo videbimus lumen. (*Idem ad Orosium.*) Quod confirmans S. Cyprianus : Ambulantes, inquit, in tenebris sibimetipsis lumen non possunt ostendere; nisi ultroneum seipsos non videntibus offeratur lumen; ita humana cæcitas ad Deum non dirigit viam, nisi ipse lucernam legis ostendat. (S. CYPR. *de singul. Cler.*) S. Chrysostomus, quoque calculo suo idipsum confirmans : Nihil aut parum fructus, inquit, capi ex Homilia potest, nisi oratio adjungatur. Porro sermoni oratio debet anteire, sic Apostoli dicunt : Nos in oratione, et sermonis doctrina perseverabimus. Sic Paulus fecit, cum in exordiis suarum Epistolarum orat, ut perinde quasi lumen lucernæ, lux ipsa orationis tegat fervorem. S. Chrys. *h.* iii, *de incompr. nat. div.*

Recta intentio : Nam, ut breviter, et recte S. Gregorius dixit : Verba Dei tunc verius mens intelligit, cum in eis semetipsam quærit. Et, ut alius advertit : Sicut gladius rectus non intrat in vaginam curvam; ita nec verbum Dei in os hominis sinistra intentione detortum ; non enim in malevolam animam introibit sapientia. S. Greg. l. *moral. Fab. conc.* iv, *in Dom.* iv, *post Pen. n.* 2.

Libertas a curis, et vanitatibus sæcularibus : Nam sicut pluvia super lapidem canens, desuper quidem sudare eum facit, ab intus autem siccum relinquit, quia non descendit humor in eum; ita, et homini mundiali quando loqueris verbum Dei, tantummodo sonus verbi desuper percutit aures carnales illius, in cor ejus autem nihil descendit. (*Lang. in Polyanth. V. eodem*) Sed et idem medium suadens Origenes : Ut, inquit, si filium tuum scire vis litteras liberales, verbi gratia, rhetoricam disciplinam, numquid eum vacuum, et liberum esse concedis ab omnibus aliis? omissis cæteris, huic uni studio operam dare jubes? Pædagogos, Magistros, libros, impensa das? nihilque deesse concedis, quod ad profectum ejus studii faciat? quis nostrum ita se ad divinæ legis studia convertit? *Orig. h.* xxii, *in Ex.*

Ardens desiderium : Nam, ut S. Hilarius recte dixit : Sicut per os in alimoniam cibos corporis suminus; ita per cor ad vivificandum animam escas doctrinæ cœlestis accipimus, quæ nisi amplificato, et patente ore corda attracta quodammodo fuerint, non adibunt. S. Hilar. *in Ps.* cxviii.

Sedula Meditatio : Nam, ut sapienter advertit S. Chrysostomus : Sicut lucerna, nisi ei subministraveris oleum, extinguetur : sic verbum fidei nostræ, quod credentes accepimus, nisi assiduis nutriatur doctrinis, et meditationibus Scripturarum, extinguitur, nec satis illuminat animam. (S. Chrys. h. v, *in* xxiv, *Matth.*) Et, ut S. Augustinus olim similitudine confirmat : Sicut thus non redolet, nisi ponatur in igne : nec virtus sinapis sentitur, nisi conteratur in lapide; ita nulla S. Scripturæ sententia vim suam declarat, nisi cocta in corde. (S. Aug. *in Specul. peccat.*) Ut adeo vero S. Isidorus dixerit : Quanto magis quisque in sacris eloquiis assiduus fuerit, tanto ex eis uberiorem intelligentiam capit. S. Isid. l. I, *de summo bono.*

Solicita inquisitio : Quippe, ut S. Cyrillus ait : Probus auditor, ac sapiens, quæ intelligentia memoratur, mentis ea thesauro statim commendavit : si quæ vero ardua videntur; sæpe, ac multum investigans, atque interrogans, tandem assequitur; venatorios canes apprime imitatur, qui huc, atque illuc percurrunt feras quærentes. Sic affectum esse sapientem propheticus quoque sermo denotat dicens : Conquire, quære, et habita mecum. Quærendum enim semper est, ut apud eum haberemus, et ad alienas sententias non efferamur. (S. Cyrill. l. III, *in Jo.* xxxix.) Quod ipsum eleganter confirmans Robertus Abbas Tuitiensis, sic ait : Jacob luctatus est cum Angelo, in quo Deus erat, qui, et victum se fatebatur; ita luctari debet verbi Dei amator cum sermone vel Scriptura, in qua Deus est, quæ ex Deo est, nec dimittere antequam vincat vinci volentem, sensumque comprehendat utilem in littera jacentem. Lucta enim pulcherrima est, tamdiu perseverare petendo, donec inveniat; pulsando, donec aperiatur; hæc lucta placet Deo, hac ipse cupit vinci, hac fortitudine opus est, ut nobis aperiat, et det Spiritum Sanctum. Unde S. Augustinus, de manna disserens : Quid est hoc, inquit, manna ergo interpretatur, quid est hoc? vide, si non ipsa nominis virtus ad discutiendum te provocat, ut, cum audieris legem Dei recitari in Ecclesia, semper interroges, et dicas Doctoribus : Quid est hoc? S. Aug. s. xcxi, *de manna.*

Tribulatio : Quod medium insinuat S. Basilius his verbis : Quemadmodum parvi pueri doctrinam despicientes, ob ferulas, flagellaque, quæ Magistri, et Pædagogi adhibere solent, attentius dictata suscipiunt, et ipse sermo ante plagas non auditur, post verbera, doloresque, velut statim apertis auribus, et auditu excipitur oratio, et memoria custoditur; sic qui divina audiunt præcepta, et ad ea servanda negligenter se habent, postquam a Deo disciplina ipsius inflicta est, ad ipsius mandata servanda, ac ei obtemperandum voce quadam excitari videntur. S. Basil. *in Prov.*

Timor Dei : Nam basis quædam verbi Dei est timor sanctus; sicut enim simulacrum aliquod, si in basi statuatur, tunc majorem habet gratiam, standique accipit firmitatem; ita verbum Dei in timore sancto melius statuitur, fortius radicatur in pectore timentis Deum, ne labatur verbum de corde viri, ne veniant volucres, et auferant illud de incuriosi, et dissimulantis tactu. S. AMBR. s. V, *in Ps.* CXIX.

Magna æstimatio : nam infinitus est thesaurus, ait Bellovacensis, hominibus, non Deo, idest, ad utilitatem non Dei, sed hominum, tam ipsius, cui servandus committitur, quam illorum omnium, quibus communicatur. Pergit idem Præsul ulterius, et ostendens, cum qua reverentia, et devotione verbum audiendum, et custodiendum sit, sequenti utitur potentissimo argumento : Si sudorem, qui fluxit e corpore Christi, vel lacrymam de oculo, vel stillam Sanguinis de quocumque membro possemus habere, cum magna reverentia servaremus ; quanto magis verbum, quod de cordis ejus intimis manavit : Psalm. XLIV. *Eructavit cor meum verbum bonum.* Hoc, inquam, verbum de corde Dei productum per Legem, Prophetas, et Apostolos vobis missum, imo et per ipsum Dei Filium, Verbum scilicet, carnem, fructum, nobis audibile, visibile, et legibile, verbaliter propinatum, ut saltem verbum ejus contemnere non possemus. BELLOV. l. III, p. 5, *dist.* X.

Silentium, et quies, uti S. Aug. commendavit dicens : Rogo vos, fratres charissimi, ut secundum consuetudinem fidelium, cum silentio, et quiete, ea, quæ a nobis prædicantur, accipiatis. Animus enim noster, quando potuerit, donante Deo, aliquid de electione Sanctarum Scripturarum concipere, spiritualem nidum in cordibus vestris desiderat invenire; et ideo velut castissimi turtures, divina verba Sancti Spiritus fervore in nido cordis vestri fovere contendite. S. AUG. s. CCXVIII, *de temp.*

Dispositio bona animi : sicut enim eo tempore, quo terra nive contecta est, granum super illam non ejicitur, eo quod intra frigus illud sine fructu congelaretur : eodem modo, ut verbum Dei in nobis fructum proferat, necesse est, ut omne frigus absit, nostraque voluntas per fervorem et devotionem disposita sit ad faciendum fructum ex illo, quod auditum fuit. (MANSI *d.* XXVII, n. 1.) Hinc Divus Chrysologus : Pectora parate, non chartam : sensum acuite, non calamum : et audita non attramento, sed Spiritu ministrante, describite : in ipsa area animæ, in ipsa bibliotheca interni Spiritus est locandum. (S. CHRYS. s. LVIII.) Sed et S. Thomas Villan. Necessarium est primum, quod audiat corde bono, et optimo. Audit corde bono, qui audit libenter, et cum gaudio, et sine fastidio : Audit corde optimo, qui audit intentione, et desiderio perficiendi. S. THOM. *Vill. in Sexages.*

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, cur nullum præceptum datum sit de verbo Dei audiendo. Id quod resolvit S. Bernardinus dicens, id non factum ab Ecclesia propter obligationem Curatorum; nam qui habet animarum curam, tenetur populo suo prædicare, prout habetur, *disc.* XXXVI, *c. Qui Ecclesiasticis.* Et ideo non fuit necesse præceptum iterare : Diebus etenim ex præcepto festivis, illis, quibus animarum cura incumbit, præceptum erat, ut in medio Missæ verbum Dei annuntiarent : Qui ritus etiamnum in multis Diœcesibus, et specialiter in Germania, conservatur. Secunda ratio, quam assignat, est, propter paucitatem prædicatorum, quia rari sunt; rariores, qui prædicent Christum. Tertio propter incommoditatem. S. BERNARDIN. t. II, s. XX, ar. 3, c. II.

Nosse debet, cur viva vox prævaleat mortuæ voci librorum; quam quæstionem S. Thomas Vill. decidit, dicens : Nec mihi dicas, sapiens sum, litteratus sum, habeo in domo mea sermones Augustini, Bernardi, Chrysostomi, quos legam. Nam littera mortua est, vox viva; Habet enim nescio quid latentis energiæ vox viva, quam non habet littera; vivus est enim sermo Dei etc., non sic littera; plus enim movet sermo, quam lectio : Prædicator enim viva vox Dei est, qui loquitur in illo; non venis audire hominem, sed Deum in homine. S. THOM. VILL. *S. in Sexag.*

Nosse debet, cur apud tam multos tam parvum fructum afferat verbum Dei; nimirum quia, sicut semina a formicis arrosa non amplius crescunt, ita idem in nobis persæpe serpens fraudulentus operatur; ne enim semen hoc in beneficium nostrum fructificet, ipse efficere conatur, ut nos illud sinistre interpretemur, existimando, quod aliis, non vero nobis, hoc vel illud prædicatum fuerit, vel etiam, ne prædicationis semen adhibeamus, efficit, ut bonæ prædicatoris famæ interius in corde nostro detrahamus. Aliam rationem insinuabat concionator quidam, qui suis auditoribus dicebat : Optarem, vos omnes mensæ verbi Dei accumbere, tamquam convivas, non vero tamquam sectores epulares : Convivæ etenim ex appositis cibantur epulis, sector vero epularum appositos cibos dividit aliis, sibi aliud nihil reservans, præterquam nuda ossa. Multi sunt, qui, cum spiritualem verbi Dei cibum in memoriam, sive intellectum, in cor suum, tamquam in stomachum reponere deberent, cibum illum pro aliis præparatum esse existimantes, eumdem scindunt, dividunt, et patiuntur, quicquid audierunt; his videlicet documentum aliquod, aliis quamdam reprehensionem, aliis vero comminationem, ac tandem sibimetipsis nihil reservant, nisi quod loco profectus animæ propriæ acquirendi, suos innocenter dividunt proximis. MANSI, disc. v, n. 9.

Nosse debet, cur non desistendum sit a prædicatione verbi Divini, etiamsi fructus non sequatur; Ne dicamus, inquit S. Chrysostomus : Quid nobis opus est tot verbis? nulla ex hoc sermone promanat utilitas. Nam et agricola, ubi semel atque iterum, ac sæpius semen arvo commisit, nec votis respondet proventus, rursus eamdem exercet segetem; neque raro fit, ut totius temporis jacturam uno faciat anno; sic et negotiator, quamquam crebro fecit naufragium, non tamen abstinet a portu, sed postea quam navem detraxit, et nautas conduxit, pecuniis mutuo acceptis eadem agreditur negotia. S. CHRYS. t. V, con. v, *de Laz.*

Nosse debet, quod, licet fructum non sentiamus, non tamen nullum referamus ex verbi divini auditione; uti pulchre ostendit Origenes dicens : Solent medici præbere interdum cibum aliquem, interdum etiam potum dare, v. g. ad discutiendam caliginem visus, nec tamen in edendo sentimus, quia utile est, et prodest oculis; sed cum transierit visum cibi illius, aut poculi virtus, paulatim purgat aspectum, et tunc demum sentire incipimus, quia cibus ille, vel potus profuit oculis; sed et in aliis similiter corporis partibus eadem fieri solent. Hoc ergo modo credendum est etiam de Scriptura Sacra (et idem affirmari potest de prædicatione evangelica) quia utilis est, et animæ prodest, etiamsi sensus noster ad præsens intelligentiam non capit, quoniam, ut diximus, et bonæ virtutes, quæ nobis adsunt, reficiuntur in his sermonibus, et pascuntur. ORIGENES, *apud Mansi, disc.* II, n. 6.

Nosse debet, quomodo verbum Dei fructuose audiendum sit; id quod apte per similitudinem ostendit Auctor operis imperfecti, dum ait : Sicut qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualumcumque cibum, primum molit eum dentibus, et ita demittit in stomachum, sic, et cum audimus omne verbum, necesse est ipsum meditari, et in ore sensus, quasi quibusdam dentibus, idest tractatibus molere, et videre, quid est, quod dicit, aut unde dicit, aut propter quam rem dicit. Aliam industriam insinuat Mansi dicens : Experientia docet, quod terra fructum referat illius sæmentis, quæ super ipsam dispersa fuit, v. g. si super terram seminatum est triticum, germinat, et maturefacit triticum; si avena, avenam; si hordeum; hordeum, et ita de aliis seminibus discurrere licet. Verumtamen observandum est, verissimum esse, quod Apostolus ait, scilicet : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus :* Semen enim calore, motu, et luce solis indiget, nec non influentiis cœlestibus, pluviis, frigore, calore, et aliis similibus qualitatibus, singulis quatuor anni temporibus correspondentibus : Ab his namque semen adjutum, subtiliores terræ partes sibi attrahit, easque in propriam substantiam convertendo fructum producit, et suo tempore maturefacit. Eodem igitur modo anima (discursus est Patris Ariæ) verbum Dei, quasi semen Christi, intra se recipit, illudque in corde suo repositum meditatur, amat, eique subjicitur, et in virtute illius novum hominem, novumque spiritum producit; Ad hoc tamen necessarium est, ut Sol justitiæ cor moveat, calore, et luce sanctarum inspirationum suarum excitet, et flammis divini sui amoris calefaciat, sic enim tandem fiet, ut anima ab hac cœlesti virtute fortificata, partes viciniores sibi, purioresque, idest, potentias suas, memoriam, intellectum, et voluntatem, illarumque operationes, et affectus sibi attrahat, ut ad producendum vitæ æternæ fructum, qui ex divino hoc semine expectatur, eidem uniantur. AUCTOR. *op. imperf. hum.* XLI.

Nosse debet quis præcipue fructus quærendus sit auditione verbi divini : Ille nimirum, quem (ut supra jam insinuatum est) S. Vincentius Ferr. indicavit dicens : Verbum Dei, quando est digne prædicatum, et devote auditum, facit tria : Primo illuminat in cognitione de rebus spiritualibus : Secundo inflammat in dilectione de bonis cœlestibus; Tertio purificat ab infectione de culpis mortalibus. S. VINCENT. *Ser.* IV, *in Do.* III *post Pas.*

Nosse debet, triplicem auditum esse necessarium auditoribus verbi divini, ut Hugo Card. notat, scilicet auditum naturæ, quo verbum suscipitur; auditum intelligentiæ, quo sensus verbi discernitur; auditum obedientiæ, quo res verbi efficitur. HUGO CARD. *apud Mansi, disc.* XXVII, n. 3.

Nosse debet, quomodo intelligendi sint SS. PP. quando verbum Dei Corpori Christi præferunt: nimirum quod hoc verum sit, non quoad essentiam, sed quoad efficientiam, sesecundum Glossam. Quin imo major fructus sequitur ex verbo Dei prædicato, quam Corpore Christi sumpto: Nam per Sacramentum nullus justificatur, si accedit indigne, et incontritus, sed augetur iniquitas sua; sed obstinatissimi homines audiendo prædicationem convertuntur. S. ANT. p. II, tit. IX, c. XI.

Nosse debet necessitatem verbi divini, quam quidem sat clare Philo sequentibus verbis ostendit: Ut vera sanitas, quam nullus morbus præcessit in corpore, a solo Deo largitur quidem, sed ejus liberatio per artem, et medicinam, dum sinit, et a scientia, et artifice nos juvari in speciem, ipse sanat, vel per hæc, vel citra horum operam; sic etiam animæ bona, et alimenta largitur Deus per seipsum; per verbi autem prædicationem, quidquid ad sanandos animi morbos pertinet. PHILO. l. II, *allegor.*

Nosse debet, fructum verbi divini multum ab hominis cooperatione pendere: Id quod pulchre Origenes sequentibus verbis ostendit: Videtur mihi unusquisque sermo divinæ Scripturæ similis esse alicui seminum, cujus natura hæc est, ut, cum jactum fuerit in terram regeneratum in spicam, vel in quamcumque aliam generis sui speciem multipliciter diffundatur, et tanto cumulatius, quanto vel peritus agricola plus seminibus laboris impenderit, vel beneficium terræ fœcundioris indulserit. (ORIGEN. *hom.* I, *in Exod.*) Non tamen propterea terreatur, si fructum non statim adverterit, sed potius doctrinæ ab eodem Origene datæ sit memor: Solent, inquit, medici interdum præbere cibum aliquem, interdum etiam potum dare, v. g. ad discutiendam caliginem visus, nec tamen in edendo ipso cibo, vel in potando sentimus, quod utile est, et prodest oculis: sed cum transierit visum cibi illius, aut poculi virtus, paulatim purgat aspectum, et tunc demum sentire incipimus, quia cibus ille, vel potus profuit oculis. Hoc ergo modo credendum est etiam de Scriptura Sanct, quia utils est, et animæ prodest, etiamsi sensus noster ad præsens intelligentiam non capit: quoniam, ut diximus, et bonæ virtutes, quæ nobis adsunt, reficiuntur in iis sermonibus, et pascuntur, et contrarie torpescunt iis meditationibus, et effugantur. ORIG. *hom.* II, *in Jesun. Nave.*

Nosse debet curandum, ut sibi præ aliis familiaris sit sacrarum litterarum lectio; Eumque in finem nautas imitetur, ut S. Chrysostomus snadet: Qui, cum procellas digressi fuerint, et multum deinceps pelagus currentes, in portum decesserint quietum, demittentes vela, deponentes, egredientes navim, quieti sese, somno corpus recreantes, robustiores conatus reliquam ad navigationem præparant. Sic ergo et ipsi omni procella, tumultuque, et fluctibus liberati, quasi tranquillum ad quærendum portum, Scripturarum ad lectionem impellamus animas. (S. CHRYS. s. VII, *de pœnti.*) Id, quod S. Gregorius quoque suasit, dum dixit: Divinas Scripturas sæpius lege, imo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur in sacris Scripturis, per quas solas plene potes Dei intelligere voluntatem. (S. GREGOR. *in moral.*) Quid autem in hac lectione observari specialiter debeat, pulchre ostendit S. Hieronymus, dum dixit: Utere lectione divino vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conservando. S. HIER. *ad Dom.*

Nosse debet utilem, et solidum modum tractandi S. Scripturam, quem quidem breviter, et bene insinuat S. Chrysostomus, dum ait: Agricola, postquam totius vineæ vindemiam peregerit, non prius desistit, quam singulos etiam minutos acinos decerpserit. Cum igitur nunc quoque videam, sub litteris velut sub foliis latere sensus occultos, age et hos rursus diligenter amputemus, pro falce sermone utentes. Siquidem vinea post fructus semel a vindemiatore defectos, stat nuda fructu, nihil habens præter folia; verum spiritualis divinarum Scripturarum vinea non item, sed quamvis, quidquid videbatur sustulerimus, tamen adhuc amplius superest tollendum. Itaque complures ante nos disseruerunt in hanc Parabolam: Complures fortassis, et post nos disserturi sunt, nemo tamen poterit totas opes eruere: nam ea est hujus opulentiæ natura, quo foderis altius, hoc magis exundant divini sensus. Fons enim est numquam deficiens. (S. Chrys. *Ser.* iv, *de Laz.*) Alibi vero iterum ait : Sicut qui sensibiles thesauros effodere conantur, non in superficie solum fodiunt, sed in profundum descendunt penitiores terræ sinus scrutantur, tametsi sæpe post labores, et sudores vix paucas portiunculas afferunt. Non sic in spiritualibus, sed labor hic minor, et major ubertas; ita et nos ad ima descendentes Scripturarum, vim in breviculis verbis latentem investigemus. (*Idem, ho.* xx, *in Gen.*) Item sicut hi, qui in terris metalla fodiunt, ne minima quidem frusta prætereunt, verum ubi nacti fuerint aliquam venam auream, meatus omnes exacte circumspiciunt; multo magis hoc facere nos oportet in S. Scripturis. (*Idem, ho.* ii, *in Isai.*) Sed nec illud S. Augustini omittendum monitum : Verbi Dei auditor, inquit, similis esset debet animalibus, quæ ab hoc, quod ruminant, munda esse dicuntur; et non pigeat cogitare, quæ in alvo cordis accipit, et cum audit, sit similis edenti : cum audita in memoriam revocat, sit similis ruminanti. S. August. c. cxciii, *de vera innoc.*

Nosse debet, duas præcipue doctrinas in interpretatione S. Scripturæ observandas esse : Quarum primam offert S. Petrus, dum ait : Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetica Scriptura non sit privatæ interpretationis. (II. *Petr.* i. 20.) Alteram S. Augustinus tradit, dum monet, ut cum quis in sacrarum voluminibus litterarum, aliqua velut diversum sonante sententia solicitatur, certa, et inconcussa fide teneat, nusquam deesse veritatem; etsi non facile propter magnitudinem rei intellectus quærentibus occurrit. S. August. *de præd. grat.*

Nosse debet, potissimum fructum, quem in verbi divini lectione, auditione et prædicatione quærere quisque debet, esse impletionem verbi. Sic enim diserte monet S. Chrysostomus, dum ait : Sicut Scripturæ divinæ semper in manibus, et jugiter mente volvantur; nec sufficere tibi putes, mandata Dei memoria tenere, et operibus oblivisci, sed ideo illa cognosce, ut facias, quidquid didiceris; non enim auditores legis justi sunt, sed factores. (S. Chrys. *in Ps.* xcv.) Cui consentiens S. Bernardus : Sic ait : Serva sermonem Dei, quo modo melius servare potes cibum corporis tui; nam, et ille panis vivus est, et cibus mentis. Beati, qni custodiunt illud. Ergo trajiciatur in viscera quædam animæ tuæ, ut transeat in actiones tuas, et in mores tuos. S. Bern. *S.* i, *de advent.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Panem cœli dedit eis; panem Angelorum manducavit homo :* Potest verbum Dei cum manna comparari. 1. Quia de cœlo descendit ut manna. 2. Quia parvum est aspectu, sed magnum efficacia, et virtute, ut manna. 3. Quia diversos sapores continet, ut manna. 4. Quia diversos habet effectus, ut manna; nam aliquibus in salutem, aliis in damnationem cedit, si debito modo non sumatur; Unde tres doctrinæ erui possunt. Prima, ut inde colligatur, quanti divinum verbum sit faciendum, tum ob locum unde venit, tum ob effectus, quos producit, non in corpore tantum, ut manna, sed in ipsa etiam anima. Secunda, quod mane, idest, mature, colligendum sit verbum divinum, ne alioqui occasio non sit amplius id audiendi, dum vellemus. Tertia, ut quisque tantum colligat, quantum pro se, et animabus sibi commissis sufficit, quæ omnia facile fusius, et practice explicari possunt. *Psal.* lxxvii, 24.

Ex occasione thematis : *Semen est verbum Dei* (Luc. viii, 21) : Potest ostendi, quam recte verbum Dei semini comparetur : 1. Quia vere etiam indiget ut in terram bonam, idest, ab omni peccato, cura, et sinistro affectu liberam animam, projiciatur. 2. Quia perinde ut semen occultari, et conservari, et per influxum cœli fertile effici debet. 3. Quia multo magis, quam semen, aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum fructum refert, dum alii affectus, et proposita viæ purgativæ, alii illuminativæ, alii unitivæ convenientes ex audito Dei verbo referunt; de quibus videri potest Faber c. i et v, in Sexag. fusius disserens.

Ex occasione thematis : *Comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo* (Jac. i, 23) : potest verbum Dei speculo comparari, uti suasit S. Hieronymus, dicens : Utere divina Scriptura vice speculi. Itaque 1. ostendatur, quam recte verbum divinum speculo comparetur, cum vere sit lucidum, teste Davide, illuminans oculos, et suam cujusque faciem animæ ostendens. 2. Quam libenter, et frequenter hoc speculum inspici debeat, cum totum fere fundamentum christianæ perfectionis positum sit in notitia sui, quæ per inspectionem hujus speculi obtinetur. 3. Quo fine, et fructu debeat inspici hoc speculum, scilicet ut, quemadmodum D. Hieronymus monet : Fœda corrigantur, pulchra conserventur, et augeantur, quod per aliquos casus, et exempla practica facile amplius ostendi potest.

Ex occasione thematis : *Simile est regnum cœlorum grano sinapis* (Matth. xiii, 31) : Potest verbum Dei grano sinapis comparari ; et 1. ostendi, quod, ut sinapis, habeat quidem magnam acrimoniam, magnæ tamen salubritatis sit. 2. Quia licet, ut sinapis sit contemptibile, magnam tamen habeat efficaciam, cum illuminet intellectum, roboret mentem, accendat charitatem, præservet a vitiis, provocet ad pœnitentiam, incitet ad virtutem, soletur in adversis; quæ omnia fuse et accommodate ad efficaciam sinapis ostendit Faber conc. vi, in Dom. vi, post Epiph. 3. Quia, ut granum sinapis, non habet efficaciam, nisi masticetur, et per seriam considerationem ruminetur.

Ex occasione thematis : *Et cœperunt simul omnes excusare* (Luc. xiv, 18) : Possunt proponi, et refutari excusationes, per quas se aliqui ab auditione verbi eximere volunt. Nempe 1. Quia concionator non placet; quia refutandi ex similitudine cibi, vel potus, qui si sapiat, parum curatur, qualis coquus aut hospes sit, qui eum coxit, vel obtulit. 2. Quia ipsa concio non placet, vel quia nimis longa, vel inculta est, vel antiqua inculcat; qui refutentur, ostendendo iterum in conviviis, quam nec longitudo, nec repetita appositio ciborum, absterreat, et famelico quivis cibus sat sapidus existat. 3. Quia ipsimet sibi docti satis videntur, aut nihil retinere possunt; qui refutentur ex eo, quod, licet docti sint, non tamen sibi applicent; et aqua desuper ex cœlo cadens multo melius irriget, quam quæ ex terra ascendens super agros transcurrit. Deinde etsi non omnia retineant, semper tamen aliquid manet, sicut cum cibus sumitur, aut aqua per cribrum transfunditur. Videatur hac de materia fusius discurrens Faber them. ii, auct. in Dom. iv, post Pentec.

ALII CONCEPTUS.

Qualitas. — S. Isidorus Pelusiota in ep. Zosymo Presbytero scripta, cum retulisset angustiam qua quidam premebatur, eo quod ab aliquo Sacramenta receperat, divinaque mysteria participarat, qui vitam suam lubricam pessima fama denigraverat; significat, se talem hominem sequentibus verbis instruxisse : Nullo detrimento is, qui suscipit, afficitur, etiamsi is, qui tribuit, indignus esse videatur, neque incontaminata mysteria conspurcantur, etiamsi sacerdos omnes mortales improbitate superet. Id quod exemplo corvi Eliæ probat, qui, licet avis sit deformis, cadaveribus bestiarum fœtidissimis devorandis assueta, vorax, rapax cunctisque exosa, nihilominus a Deo electus fuit, ut Prophetam adeo sanctum, adeoque benemeritum, pane et carnibus, mane et vesperis sustentaret : Neque Elias provisionem hanc per longum tempus ab hoc corvo accipere renuit, sed gratanter, et libenter eamdem acceptavit, ut vitam suam mortalem, cibique indigam hac ratione sustentaret; Imo nonnulli sacri expositores in ea sunt opinione, carnes illas, et panes, ex sacrilegi Achab inimici Dei mensa fuisse surreptos : Quod si mihi dissidis (scribit Isidorus ad Zosymum) corvum cogita, impurum, inquam illud, atque in pullos suos crudele animal, cujus opera ille in cœlum excurrens, ac cœli civis, Elias alebatur. Quotiescumque igitur anima nostra pane verbi Dei indiget *(non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei)* audacter alimentum hoc spirituale, et salutare accipiat, licet ei a corvo, idest homine avaro, carnali, iracundo, aut alias vitioso, subministretur. S. Isidor. iii, ep. cccxl.

Vera est etiamnum Ezechielis querela c. xxxiii. *Factum est verbum Domini tamquam carmen musicum.* Audivistis subinde nocturnos grassatores, qui gratissimam faciunt musicam, numquid placuit? et complures ex lectulo ad fenestram excivit; sed quid finita musica dixistis, aut certe cogitastis? cogitastis certe : o quam bene? et ad lectulum rediistis. Forte et ventriculum nocturno ex frigore infrigidastis. Verbum Dei tamquam carmen musicum. Sic sit multis peccatoribus, altum stertentibus. Concionatorem audiunt, evigilant, approbant, nisi forsan stomachentur, ad lectulum redeunt, et Concionem habent pro carmine : vox, prætereaque nihil ex omnibus retinetur; debet retineri verbum Dei, inquit Magnus Greg. : Si cibus non retinetur in stomacho, quid prodest homini? Mansi, d. xxi, n. 4.

Necessitas. — Joannes Cluniacensis, et plures alii dubitare cœperunt, quo mysterio factum sit, quod Christus nullum, quantum quidem ex Evangelistis colligi potest, patravit miraculi beneficium tempore passionis suæ, præter hoc unum, quod Malcho amputatam auriculam reposuit sanam. Quam ob rem vero per talis miraculi operationem tunc se potissimum prodere Christi potentia voluit, qui alia ante ac usitata prodigia facere, et vel leprosos sanare, vel oculorum usu donare cœcos, vel membrorum agilitatem restituere claudis, et paralyticis poterat? Id procul dubio factum, ut significaretur, quanta sit et utilitas, et necessitas prædicationis verbi Dei, quod auribus hauritur : *Fides* enim *ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* (*Rom.* x, 17.) Cum ergo tempus advenisset, quo Christus, et sanguinem et vitam daturus erat, prius improbi servi aurem curavit, velut dixisset, parum profuturam suam passionem, parum utilitatis allaturum sanguinem, quem effusurus erat, nisi præter cruciatus, quos tulit, et cruorem, quem fudit, relinqueret prædicationem. Aut hoc indicare certe voluit, quod propter prædicationem patiebatur, ideo spectare, ut surdæ curarentur et ægræ sanarentur aures; quomodo enim audient sine prædicante? inquiebat Apostolus. Joannes Cluniac. x, 2, § 38.

Cum scandalum dedoceret Magister divinus, etsi jusserit, et oculos erui, et pedes, manusque abscindi, eo quod *melius sit, luscum, vel claudum in cœlum intrare, quam duos oculos, et pedes, manusque habentem mitti in ignem æternum.* Matth. v, et Marci ix. De auribus tamen nihil dicit, ut abscindantur, si scandalizant; quasi insinuaret, placere illum Deo non posse, qui auribus caret. Cum enim *sine fide impossibile sit placere Deo,* Hebr. i, 6. *Fides autem ex auditu.* Rom. x, 17, auritos vult omnes, qui omnes desiderat esse fideles. Quid? quod contra oculos excipiat : *Beati qui non viderunt;* auribus vero beatitudinem addicat ; *Beati qui audiunt. Hartunc. con. Aul. in Dom. quod* § 1.

Utilitas. — Magnæ vir experientiæ scripto consignavit, se per quinquaginta, et amplius annos tres hominum quæsivisse, et nuspiam vidisse, legisse, audivisse, videlicet laboriosum, qui panem non habuisset, abstemium, qui brevis ævi fuisset; sedulum verbi divini auditorem, qui probe non vixisset. Citius album corvum, nigrum cygnum invenies, quam verbi divini auditorem sedulum, qui malus sit.

Convivium instruxerat Dominus, et quidem ultimum, cui etiam Judam adhibuit, eique manu propria buccellam intinctam in signum sinceri amoris porrexit. Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo : erat autem nox. Jo. xiii, 3. Quid ita properas Juda? tam cito satur es? tot te urgent negotia? Mane saltem cum cæteris, donec pro more gratias post mensam dixeris, an non respectum habes cæterorum? quid dicent de tua hac incivilitate? qui suspicabuntur? At Judas nihil horum ponderat, sed currit festine. Permittamus illum currere. Quam timeo, ne incurrat in laqueum, et hæreat. (*Idem* § 1.) S. Cyrillus Alexandr. l. IX, c. xix, quærit, quo instigatore properaverit Judas, et respondet, sine omni dubio impulsorem fuisse illum, qui homines a concionibus abstrahit, vel extrahit ante finem. Strategema hoc fuit nequissimi hostis, qui suspicatus est futuram probabilitur a cœna concionem, sicut etiam fuit pulcherrima, descripta a Joan. cap. xiii, xiv, xv, xvi, xvii, qua illos hortaretur ad constantiam, revocaret ad frugem; et cum deberet esse ultima concio, omnes nervos eloquentiæ intenderet ad persuadendum : timuit idcirco diabolus, ne suum Judam perderet : veni proinde cito foras, mi pullule, priusquam audias, et convertaris de peccato ad justitiam, de perfidia ad pietatem, de inimicitia ad fidem. Timebat diabolus, ne morando locus pœnitentiæ daretur : hac de causa festinat. Ita D. Cyrillus. S. Cyrill. Alex. l. IX, c. xix.

S. David Psal. xlvi, ait : *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis,* et paulo infra : *Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris,* v. g. quando nimirum Apostoli indomitam gentilitatem jugo Evangelii subdiderunt. Quid ait hoc loco S. Joannes Chrysostomus, quomodo nundus subactus, et tanta variarum gentium ferocia domita fuerit? Respondet, id factum in voce exultationis, verbis Evangelii, hoc est, votivis, et gaudiosis novæ gratiæ nuntiis. Subdit autem mox S. Doctor : Solent exercitus, quando inclinat exercitus hostium, non uti extrema victoria, sed concordi voce, et clamore, fractos jam et abjectos eorum animos conquassare : quod est claræ victoriæ, et trophæi maximi argumentum, quando bellum non manibus, sed clamore decernitur, isque loco manuum, et armorum sufficit. Itaque pugna manibus geritur, vocibus victoria debetur. Dicit nunc

Propheta : *Jubilate Deo in voce exultationis :* velut diceret : Labores, et sudores prælii, quo contra inimicos nostros dimicatum, debentur (neque hoc negari potest) sanguini, quem magnus Dux noster Christus fudit, verum triumphus, et victoria voci divini verbi adscribenda sunt : verbo enim Dei proscripta sunt idola : verbo Dei conversa est Gentilitas : verbo Dei proclamata est pro cœlo victoria : verbo Dei erudiuntur peccatores, et omnis nobis felicitas paratur : bellum non manibus, sed clamore decernitur, isque loco manuum, et armorum sufficit. (S. Chrys. *in Ps.* XLVI.) Huc allusit Tertullianus, quando de Christo hæc dixit lib. de Patient. Taceo, quod figitur; ad hoc enim venerat : de Domino sit Magister : tamquam dixisset : Plurimas gratias debeo Redemptori pro immensa liberalitate, qua in crucis stipite sacrosanctum suum sanguinem fudit; contentiosiore prælio decertare non potuit, quando tam pretiosum liquorem inter dimicandum fudit : At enim de Domino fit Magister, nec videretur etiam ita quicquam præstitisse, nisi Magister factus, et ipse nobis verba salutis annuntiasset, et alios Evangelii satores, ac præcones, ignaro rerum salutis suæ orbi terrarum, submisisset. Tertul. *l. de Patien.*

S. Bernardinus utilitatem hanc exemplo Lazari demonstrat, dicens : Unde animæ in peccato mortali defunctæ resurgent ad vitam gratiæ, nisi ex vivificante calore divini verbi? Hinc Prov. XIII, dicitur : *Lex Dei fons vitæ, ut declinet a ruina mortis.* In suscitatione Lazari voce magna clamavit : *Lazare, veni foras; et statim prodiit qui erat mortuus,* ut ostendatur, quod in verbo Dei animam vivificante, est veritas in voce, charitas in magnitudine, et potestas in clamore, statim prodiit ad vitam gratiæ, qui mortuus fuerat in interitu culpæ. Joan. V. *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.* S. Bernar., t. II, *s.* IX, *in* I, *Dom. Quad.* a. 2, c. I.

Deus olim Ezechielem Prophetam ad agrum quemdam remisit, calvariis, nudisque mortuorum ossibus plenum, qui cum in eodem loco hinc inde circumspexisset, a Deo in hæc verba interrogatus fuit. *Fili hominis, putasne vivent ossa ista?* Cui Propheta respondit : *Domine Deus, tu nosti.* Præcepit igitur illi Deus dicens : *Vaticinare de ossibus istis, et dicet eis : Ossa arida, audite verbum Domini.* At vero quodnam in eo latet mysterium, quod increata sapientia Ezechielem huic tam ingenti ossium mortuorum multitudini, quæ nec aures, nec animam, nec intellectum habent, prædicare jusserit, dicendo : *Ossa arida audite verbum Domini?* Quo fine jubebatur divinum ipsius verbum prædicare in vanum? *hæc dicit Dominus ossibus his* (verba sunt Prophetæ prosequentis relationem ejus, quod operatus est Deus : *Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis, et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnem, et scietis, quia ego Dominus :* Enim vero continget nonnumquam, quod peccator aliquis habituatus, in cujus ossibus hoc, vel illud vitium firmiter radicatum sit, hujus cor aridum sit instar silicis; continget, inquam, quod si talis prædicationi cujusdam Ezechielis v. g. vel alterius apostolici prædicatoris præsens assistat, sub eaque compunctus in corde suo convertantur, suamque pristinam duritiam detestans, ad vitam gratiæ redeat; de hoc tunc vere dici poterit : *Ecce crescere faciam super vos carnem, et superextendam in vobis cutem, et dabo vobis spiritum, et vivetis, et scietis, quia ego Dominus :* Et vero vix prædicare cœperat, cum ecce Propheta dicit : *Factus est sonitus prophetante me, et ecce commotio, et accesserunt ossa ad ossa, et unumquodque ad juncturam suam; steterunt super pedes suos exercitus grandis nimis.* Ecce tibi, quæ verbum Dei patrat miracula, nimirum defunctorum ossa revivificat, et revirescere facit, atque ex frigidis cineribus integros armat exercitus. Mansi, *disc.* XIII, n. 6.

Mysterio non vacat tributum illud, quod subditi Prophetæ Jobi, post superatas omnes illius ærumnas, revertere, et obsequiose eidem obtulerunt; dicit enim sacer textus : *Dederunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem auream unam.* Enim vero quod ei ovem unam singuli donarint, haud difficulter intelligitur, cur id fecerint, quia pretiosiores illius sæculi divitiæ, non in argento, et auro, sed in gregibus, armentis, aliisque similibus rebus fructiferis consistebant; quod vero vel maxime admirationem meretur, est, quod singuli præter ovem, etiam inaurem auream unam obtulerint; quæ enim est inter ovem, et inaurem proportio, quod simul hæc duo conjunxerint? Pro responsione advertendum est, inaurem auriculæ esse ornamentum, mysticeque denotare facilitatem optimamque dispositionem ad audiendum; ac proinde ovi, quæ animæ, ad gloriam prædestinatæ, est symbolum, merito inauris adjungitur, ad denotandum, quod audiendo, et adimplendo vocem Dei, æterna prædestinatio comparetur : nam, ut Didacus Stella ait : Habent divina verba nescio quid divini, et paterni amoris, quod audientes filii Dei, qui ad æternam beatitudinem destinati sunt, in ipsis agnoscuntur, gaudent, et exultant. *Idem disc.* XV, n. 1.

DIGNITAS. — Guerricus Abbas, tres ait esse Christi matres, quarum prima Virgo Maria, secunda Gratia, tertia Sapientia, quæ suis erga Christum officiis sibi admodum sint similes, illudque commune habeant, quod suo quæque modo illum inumbret, contegat, et obnubat, et major sit omnium erga illum reverentia. Mox ut natus est Christus, mater Maria quibusdam assumentis pannorum involvit infantem. Sic mater Gratia dispensatoriis speciebus rerum (panis puta, et vini in Sacramento Eucharistiæ) ejusdem sacri Corporis nobis obtegit veritatem : Sic etiam mater Sapientia ænigmatibus, et figuris arcanam divini verbi contegit majestatem, ut sit majori in pretio, enixiusque colatur, quo minus intelligitur. Hinc accipio, quantum revereri debeamus prædicationem divinam, et sapientiam evangelicam, cum sit mater Dei, et Verbi æterni, per quam sit, ut in animabus nostris generetur. Certe cultum illi nihilo inferiorem debemus, quam matri Gratiæ, quæ in augustissimo altaris Sacramento elucet. GUERRICUS, *serm.* V, *de n. Christi.*

Vendidit Magistrum suum Judas, et triginta, non amplius argenteis vendidit : *Constituerunt ei triginta argenteos,* inquit S. Matthæus c. XXVI. Quærit S. Pascasius ibidem; quod consilium esse potuit perfidiosi, et infamis discipuli, qui triginta solum argenteis Christum vendidit? Respondet, id Judeos fecisse ut eum utrinque, quam possent, despicatissime abjectum facerent, adeo triginta (quod nulli homini alteri probrum accidit) argenteis venalem dedisse. Triginta, ac tres annos inter homines homo Christus egerat, ex quibus triginta priores totidem argenteis, uno videlicet quemque annum argenteo, emerunt, quo significare voluerunt, tam vilem, ac sordidam fuisse ipsius vitam, ut majoris, quam argenteo, unusquisque illius annus emi nec posset, nec deberet, nisi quod etiam sic nimiam in illo pecuniam collocari putarent : Tot argenteis emitur, quot annis peregrinatus est in hoc mundo usque ad baptismum, inquit ille. Hic ergo illud quæro qui factum, quod reliquis tribus, quos Christus supra triginta vixit annis, non constituerunt pretium, non deputatum suum cuique vel argenteum? causa fuit, quod ii fuerunt anni prædicationis, quibus suam illis doctrinam ministravit; et quamquam eam audissent ab homine, de quo abjectissime sentiebant, sat illis tamen erat, fuisse prædicationis eos annos, ut nullum iis pretium designarent. Tametsi enim improbissimi, et contaminatissimi essent Scribæ, ac Pharisæi, tametsi perfidissimus Judas, at tamen iis annis pretium invenire non posse putabant, quos vel Christus, quem vilissimum habebant, prædicando transmiserat. S. PASCHASIUS, *apud Didac. Nyss.* § 8. *Fer.* II, *post Dom.* III. *Quad.*

Aod, cum designasset animo necem, quam inferre Eglon regi volebat, sedentemque illum in æstivo cœnaculo solum reperisset, sic appellavit : *Verbum Dei habeo ad te.* Judic. III, 20. Vix audivit mentionem verbi Dei fieri Eglon, quando, tametsi erat crassus nimis, ut eum Scriptura delineat, et Rex, statim surrexit de throno. Quare istud? Respondet Abulensis : In reverentiam verbi Dei, ut non audiret illud sedendo. Dixerat Aod, verbum Dei se habere, quod illi annuntiaret, quando is statim a Sella se proripiens constitit, ut eo Dei verbum cultu deveneraretur, indignum arbitratus, si illud sedens auscultaret. At si homo gentilis tantum detulit Dei verbo, quantum illud observare debet Christianus Catholicus, quod est mater Sapientiæ, quod est ros animarum, et nutrimentum earumdem, quod aperit fores gratiæ, et inducit in gloriam?

Tantæ dignitatis divinum verbum est, ut major ex dignissima ejusdem perceptione Deiparæ accedere visa sit dignitas, quam ex corporali Verbi incarnati conceptione. Non mea, sed magni Augustini hæc est oratio : Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Deum corde, quam carne gestasset : Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Hæc San. Augustinus. Quamquam nec ventre conceptura Christum fuisset Virgo benedicta, si mente prius non concepisset, antequam parturiret; Peperit, inquit de Deipara vates Evangelicus Isai. LXVI, in quæ verba Rupertus cap. XXXI, in Isaiam. Antequam Filium visibilem ederet, peperit, et mater ejusdem Verbi effecta est; concepit enim corde, et verbum Dei peperit ore. Quare, et prædicatores omnes in Matre Dei figuratos vult Bernardus ser. VIII. Maria prædicatores significat, qui enim aliis evangelizant, quasi Jesum in utero portant, et aliis pariunt. Beati proinde, qui audiunt verbum, ut concipiant in corde suo Jesum. S. AUG., *l. de S. Virgin.*, c. III, *in* tr. X, *sup. Joan.*

Sed et ex eo colligi videtur posse verbi divini dignitas quod majorem apparatum adhibere Deus visus sit concionatores instituendo, quam divinissimam Eucharistiam dispensando; ad hujus enim præparationem pedes Apostolicos, adhibito in ministerium aquæ elemento, abluit; at vero, cum prædicatores adornandi essent, Spiritus Sanctus in ignis (elementorum principis) specie, cœlo descendit, et non pedes modo, sed caput, et manus, et Apostolos totos depuravit, ut sua prædicando, divino verbo constaret dignitas : *Beati, qui audiunt verbum Dei.* HARTUNCK., l. c., § 8.

Pater Æternus, qui ante Filii in carne apparitionem non nisi semel locutus dicitur *Semel locutus est Deus*, Psal. LXI, v. 12, posteaquam Unigenitus prædicationis suæ officium inchoasset, semel, iterumque loqui auditus est : *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite* : Audiri jubet Filium, non videri, non tangi, non gustari. Cur audiri potius, quam miracula spectari? quam Corpus sacrosanctum manducari? quam fimbriam vestimenti ejus contingi? imo, quam cum eo tormenta sustinere? cum eo sacrificium litare? *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi :* Ps. XXIX. Non imperat sacrificium offerendum, sed aures verbo divino audiendo commodandas; quia a verbo audito veræ felicitatis sumitur exordium. Audire divinum verbum, est Filio Dei assimilari, et in Filium Altissimi faustissima metamorphosi transmutari. Dixit id Pater cœlestis ore Davidico, *Ps.* LXXXI, 6. *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Repetiit eamdem, confirmavitque sententiam Filius Dei Joan. VIII. Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est. Ut indubitatum sit, ratione divini Sermonis, divinum homini Nomen communicari, inquit Eminentissimus Cajetanus. *Arias ibi.*

DAMNUM NEGLECTI VERBI DIVINI. — Ex Genealogia Christi excluduntur a S. Matthæo tres : Ochozias, Joas, Amasias; cur hi præ ceteris, quos extra dubium est sceleratiores hac triade fuisse? Respondit S. Aug. q. 88, in nov. testam. Quia alii nequissimi Reges, qui nominantur, habuere parentes saltem bonos, quorum merito referuntur ipsi in syllabum progenitorum Christi; hi autem habuere idololatras parentes; et ipsi fuere tales, ut constet, quantum virtus parentum filiis prosit. Respondet deinde S. Hieronymus, S. Hilarius, S. Paschasius, Abulensis, D. Thomas, et alii, quia fuere filii, nepotes, et abnepotes Regis Achabi, cui Deus minatus fuerat, se omnem ejus posteritatem usque ad quartam generationem deleturum. III. Reg. XXI, vers. 2. Tantum nocet majores habuisse malos! Respondet præterea Rupertus Abbas hic, tres Reges ideo omissos, quia non audiverunt verbum Domini, sed illius præcones interemerunt. De Ochozia constat ex II. Part. XII, v. 4, quod contemptis Prophetis, malos consiliaros adhibuerit in interitu suo, Joas occidit Zachariam, II. Paral. XXIV, v. 22. Amasias contradixit Prophetæ. II. Paral. XXV, v. 16. *Num consiliarius Regis es? quiesce ne interficiam te.* Hi proinde non sunt digni Genealogia Christi, ob verbi divini contemptum. Ex quo infero, deletos videri de libro vitæ, qui non sunt in numero auditorum verbi divini. Ruperti verba sunt : Isti soli de memoria præsenti, de libro generationis Jesu Christi repulsi sunt, qui verbum audiri, vel præcones verbi Dei vivere passi non sunt. *Ibid.*, § 4.

In vita S. Odonis legitur, quod, cum Religiosus quidam in extremo agone cum morte luctaretur, in aliis Monachis confratribus suis lectum ejus instar coronæ cingentibus magna cum animi anxietate se recommendaverit, elata voce clamando : Modo raptus sum ad judicium, ibique protulit contra me accusator humani generis de micis panis sacculum plenum, quas colligere secundum consuetudinem nolui, et de mensa ceciderunt. Quanto igitur est verisimilius, quod Deus ad nostri justissimam condemnationem suo tempore faciendam, minutissimam habiturus sit rationem micarum spiritualium panis verbi divini, de quibus præceptum habemus manifestum : *Colligite fragmenta, ne pereant.* MANSI, d. XXV, n. 6.

In lib. IV, Reg. cap. VII, legitur, quod cum Samaria arcta obsidione cincta, adeo extrema urgeretur fame, ut matres propriarum prolium vescerentur carnibus, et Eliseus Propheta prædiceret, futurum, ut sequenti die ingens in urbem panis abundantia advenienda esset, unus e Ducibus verbum hoc risu excepit. At vero Propheta hanc ei pœnam prædixit : Videbis oculis tuis, et inde non comedes : Et revera ita accidit, quia a nimia populi multitudine, et pressura suffocatus fuit; per istum vero, qui fuit incredulus verbo Elisei, ut Lyranus ait, intelligetur quilibet incredulus verbo prædicantis verbum Dei, et ideo, sicut ille Dux ex hoc incurrit mortem corporalem, sic iste mortem spiritualem. *Ibidem*, n. 2.

Advertendum est, quod de illis, qui Manna nausearunt, dicentes : *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo*, sacer textus mox subjungat : Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, et mortes plurimorum etc. Idem quoque supplicium Deus frequenter illis immittere solet, qui pretiosissimum divini verbi manna nauseant, et aversantur; scilicet, quod illos potestati serpentum infernalium dimittat, permittendo, ut omnigenæ tentationis nidus eant, et centrum, vel etiam ut a quolibet quantumvis horrendo serpente, id est, peccato, intoxicentur. Porro multi sunt, qui graves in hac vita experiuntur sibi obvias ærumnas, et adversitates, quæ tamen, si cuncta bene considerentur, sæpe hujus a nobis abominati, et neglecti vel contempti verbi Dei pœnæ sunt, et supplicia. S. Augustin. in tom. IX, tr. v, de tempore barbarico ita scribit : Advenit tempus illud quod prædixit Dominus : Putas cum venerit Filius hominis fidem inveniet in terra? quis habet fidem? quis credit verbis divinis? Prædicamus, et non facimus, auditis, et facere non curatis. Merito omnes sub flagello conterimur, et doctor, et auditor, et contemptor. S. Aug., to. IX, *de temp*. I, *Barb. tr*. v.

MISCELLANEA.

Qualitas. — S. Thomas in illud Apostoli : *Perpaucis scripsi vobis* (*Hebr.*, v. 12) : commentans, sermones ait, breves valde accepti sunt, quia si sunt boni, avidius audiuntur : si vero mali, parum gravant. S. Thom., *in* c. XIII.

Demosthenes, cum coram Atheniensibus perorans, parum eos attentos esse adverteret, subito incepit fabulam de quopiam, qui asinum conduxerat, et cum sub meridiem ob calorem Solis sub asino sedere, et umbram capere vellet, prohibitus est a locatore, eo quod asinum, et non umbram, conduxisset. Ad quam litem narratam cum valde attentos videret auditores, e concione se proripere voluit; illis vero eum retinere conantibus, et, qua ratione finis talis foret, edicere jubentibus, his verbis graviter increpatos dimisit : De umbra asini audire cupitis, de Græciæ salute audire non vultis. Plutarch. *in Dom.*

Dicentis laus in fletu sit audientium. S. Hier.

Dignitas. — S. Paschasius in illa verba : Constituerunt ei triginta argenteos : quærit, cur Judæi triginta argenteos obtulerint Judæ pro Christi venditione? et respondet, eos pro singulis annis, quibus Christus privatim vixit, singulos argenteos constituere voluisse; pro ultimis tribus autem in prædicatione verbi Divini consumptis nullum obtulisse, eo quod satis æstimari eos non posse crederent. *Nyss. s. in* III. *Domin, Quadr.*

Regis Chinensis, qui sexaginta sex Regnis imperat, litteris tantus honor a Chinensibus exhibetur, ut purpurea regis sella inclusæ, a quatuor equis regiis ut Rex ipse portentur, et a satellitibus quoque stipentur; quanto majori honore verbum Dei excipiendum erit, quod SS. Patres Epistolam Dei vocant? Engelgr. § 2. *Dom. Sexagen.*

AUCTORES.

Mathias Faber Domin. Sexag. conc. I, 5 et 6. Item Dom. VI, post Epiph. conc. VI. Item Dom. III, post Pent. conc. VII. Item Dom. IV, post Pentec. conc. II et IV. Item Dom. IV, post Pent. c. IV. Item in Auctario th. I, in Dom. VI, post Epiph. Item th. I et II. Dom. IV, post Pent.

Henricus Engelgrav. part. I. Evangel. embl. 14, in Dom. Sexag.

Thomas Stapletonus Dom. Pass. text. 2. Dom. Sex. text. 1, 2, 3 et 8. Dom. III. Quadrag. text. 7. Dom. IV, post Pent. text. 1. Dom. II, post Pent. text. 2.

Ludovicus Granatensis in locis comm. V. Prædicator. fol. 137, et V. Scriptura Sacra fol. 769, et V. Auditor verbi. fol. 119.

Philippus d'Outreman in Pædag. Christ., p. 2, c. XXII.

Joseph. Lang. V, eod. et V. Scriptura in Polyanth.

Laur. Beirlynck. in theatro vitæ humanæ. V. eod.

Antonius Dauroltius in Catechismo historiali c. III, tit. 74, 75 et 76.

Joannes Major in magno Speculo Ex V. eod.

VIRTUS

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — *Est habitus seu bona mentis qualitas, nos promptos reddens ad bona opera secundum rectam rationem efficienda.* Quam brevius descripsit Lactantius, dicens, esse *cupiditatem recta et honesta faciendi.* (Lact. v; II. Eth. vi.) Vel, ut Aristoteles voluit, *qualitatem, quæ et bonum facit operanter, et opus ejus bonum reddit,* sive : Est habitus, qui habentem perfectum reddit, facitque ut opus ejus sit bonum. (II. Eth. vi.) Fusius vero per effectus descripsit Jacobus Alvarez hoc modo : *Virtus est supplementum naturæ, ornamentum mentis, facilitas boni operis, qua bene, sancteque vivimus, qua veris malis, scilicet peccatis, resistimus, qua meritis cumulamur, qua vitam æternam promeremur, et Christi imagines ac Dei imitatores efficimur.* (To. II, l. III, p. 1, c. i.) Arias virtutem definit, quod sit *certa quædam qualitas et habitus animæ, ad bene operandum inclinans, faciensque, ut homo bene vivat : neque potest homo eo male uti.* (Arias. t. II, *thes.* tr. iii, c. i.) Sic eam definit S. Augustinus, negatque, hominem virtutis habitu male uti posse, quia adeo vere determinateque ad id, quod bonum est, inclinet ac moveat, ut, si homo, eo uti, cumque eo operari debeat, nihil quicquam facere queat mali. Unde, quando homo pro ea, qua pollet, libertate, mali quid facit, non sequitur in eo habitum virtutis, sed contra id facit, ad quod eum virtutis habitus inclinat, ac movet. Idem sanctus Pater totam naturam virtutis ad amorem Dei revocat : sic loquens : Nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Namque illud quadripartita dicitur virtus, et ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes (quarum utinam si ita in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium) sic etiam definire non dubitem : ut temperantia sit amor, non integrum se præbens ei, quod amatur : Fortitudo amor tolerans facile omnia, propter quod amatur : Justitia amor soli amato serviens, et propterea recte dominans : Prudentia amor, ea, quibus adjuvatur, ab eis, quibus impeditur, sagaciter eligens. S. Aug. lib. II, *de mer. Eb.* c. xv.

Divisio. — Dividitur in virtutem *Intellectus, et voluntatis:* quarum prior potentiam intellectivam, posterior volitivam, perficit, et ad optimum disponit. Utraque vero subdividitur in *Theologicam*, et *Moralem ; Theologicæ*, sive de Deo ita dictæ, quia Deum pro objecto habent, respiciendo eum, et immediate circa eum operando. Harum sunt tres, *Fides, Spes, et Charitas;* quæ ex toto supernaturales, itaque sublimes sunt, ut nequeat homo eas omnibus naturæ suæ viribus acquirere, nec proprie se ad eas disponere, sed oporteat ipsas libere, gratuitoque a Deo dari, et infundi. Et quamvis homo, postquam eas consecutus est, iisdem augmentum ipsarum mereri possit, tamen antequam eas habeat, non potest ipsas ullo modo mereri. Aliæ virtutes sunt *Morales*, quæ proprie in moribus rite componentis occupantur, hominemque bonum, et virtuosum efficiunt, sic appellatæ, quia ad bona opera sunt inclinationes, et, quemadmodum bona quæpiam, consuetudo ad bonum inclinat, ita hæ virtutes hominem ad bene operandum, vivendumque inclinant, ac movent. Earumdem primariæ (*Cardinales* dictæ, quia ex ipsis velut ex fonte, cæteræ virtutes omnes oriuntur, et velut principio iis ipsis innituntur) sunt quatuor : *Prudentia, Justitia, Fortitudo, et Temperantia.* Et harum virtutum unaquæque multas alias, tamquam suas partes, quæ sub ipsis comprehenduntur, et ad eas pertinent, habet. Ad virtutem Prudentiæ spectant *Providentia*, quæ res futuras respicit, ut, quod ad eas necessarium est, provideat. *Circumspectio*, quæ omnes negotii circumstantias, ut recte de eo judicet, considerat. *Sancta Cautela*, quæ virtutis impedimenta, ut evitentur, attendit : *Diligentia, bonaque solicitudo,* quæ res a Prudentia imperatas suo tempore exequitur. Ad Justitiæ virtutem, tamquam ejus partes, pertinet, *Religio, Pietas, Obedientia, Gratitudo, Veracitas, Liberalitas, Affabilitas*, seu *Comitas, Observantia,* et aliæ virtutes his similes. Ad virtutem Fortitudinis revocantur, *Magnanimitas, Bona Fiducia, Magnificentia, Patientia, Longanimitas, Perseverantia, Bonæ Animositatis,* et id genus aliæ. Ad Temperantiam spectant *Abstinentia, Castitas, Mansuetudo, Clementia, Sancta Severitas, Modestia, Humilitas,* multæque aliæ virtutes, quæ illi subjectæ sunt, aut certe convenientiam cum illa habent, et affinitatem. Arias, *Ibid.*

Porro harum virtutum moralium quædam vocantur *acquisitæ*, quippe quas homo continuo exercitio, et per proprios actus acquirit, et comparat; siquidem operante homine virtuose, in anima habitus ad similia opera inclinans generatur, qui dicitur virtus acquisita proprioque Marte hominis parta. Et hæ virtutes pro regula habent rationem humanam; pro fine, bonum, cujus cognitionem naturalis ratio hominis assequitur, tam pro fine universali, qui est Deus, quam pro particulari virtutis cujusque in specie. Neque hæ virtutes acquisitæ per quodcumque peccatum mortale, quod homo committit, amittuntur, adeo ut si quis virtute Justitiæ, et Castitatis, et Temperantiæ præditus, proximo suo verbum injuriosum diceret, aut jejunium violaret, non idcirco virtute Castitatis, neque Justitiæ, neque Temperantiæ, quamvis contra eas operatus esset, excideret : quandoquidem habitus diuturno exercitio comparati, non penitus destruuntur uno actu contrario, tametsi imperfecti remanent ac debiles. Aliæ sunt virtutes morales, Prudentiæ, Justitiæ, Fortitudinis, et Temperantiæ, cum omnibus cæteris a Deo supernaturaliter *infusæ*. Has homo non operatur, neque bonorum operum exercitio acquirit, sed Deus per se ipse sine nostra cooperatione animæ infundit atque communicat; infantibus eas una cum gratia infundit, mediante Sacramento Baptismi, adultis, qui eas una cum Baptismo perceptas amiserunt, mediante viva Fide, Pœnitentiæque Sacramento, denuo infundit, ita quidem, ut si homo per contritionem, aut certe per Pœnitentiæ Sacramentum ad gratiam se præparat, hanc cum virtutibus Theologicis recipiens, omnes etiam virtutes morales infusas recipiat : Adeo ut licet homo eas non operetur, sed Deus per se solus; tam idem homo se ad eas per auxilia supernaturalia, et divinæ inspirationi, vocationique consentiendo disponat. At postquam eæ a Deo infusæ sunt, tametsi homo bonorum operum exercitio eas non auget, virtute sua ipsarum augmentum operando, tamen bonis, quæ facit, operibus meretur, ut eas ipsi Deus augeat; idque Deus ita facit, ut quanto plus homo se in bonis operibus exercet, tanto ei amplius gratiam, omnesque virtutes infusas augeat. Habent vero hæ virtutes infusæ pro regula non solam rationem humanam, sed Legem divinam, et evangelicam, quæ multo plus docet, quam naturalis ratio assequitur. Habent item pro communi, et ultimo fine Deum, objectum beatificum, ac finem supernaturalem lumine fidei revelatæ cognitum : alios quoque particulares fines, supra humanam rationem elevatos, et ad hunc ultimum finem, qui est clara Dei visio, beatificaque possessio, proportionatos, ac ordinatos habent. Quæ denique virtutes omnes per quodlibet mortale peccatum amittuntur, quia gratiam et charitatem comitantur. Ac quemadmodum per quodvis peccatum mortale amittitur gratia, et charitas, quæ est vita, et perfectio Fidei, ac Spei, habitusque fidei, et spei mortui remanent, sine perfectione, ac statu virtutum; sic universæ quoque virtutes morales infusæ amittuntur, manetque homo peccator secundum animam nudus, et illis omnibus exutus. *Ibidem.*

Actus. — *Magnam de virtute æstimationem concipere :* ita ut dicere quis cum veritate possit illud Salomonis : Præposui illam regnis, et sedibus, divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum. *Sap.* vii, 8.

Magnopere illam desiderare : nam, ut recte S. Hieronymus ait : Non sufficit nobis velle Justitiam (seu virtutem) nisi et famem illius patiamur : initium enim illius verissima disciplinæ concupiscentia, teste Salomone. *Sap.* vi, 18. *Ap. Rod. p.* 1, *tr.* i, c. ii.

Insignem in virtutibus consectandis conatum adhibere : ita enim Sponsa in Canticis exemplo suo docuit, dum non solum trahi petit a Sponso, sed etiam adjunxit : Curremus in odorem unguentorum tuorum. *Cant.* v, 4.

Deum frequenter, et ardenter pro dono hoc virtutum supernaturalium obsecrare : cum enim omne datum optimum, et donum perfectum desursum sit, descendens a Patre luminum, teste S. Jacobo, merito per frequentes, et ardentes preces a Deo postulandum est. Jac. i, 7.

Ad majorem semper profectum anhelare : nam, teste S. Bernardo, ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. (*Epist.* ccxi.) Et, ut S. Hieronymus loquitur, ubi cœperimus stare, descendimus, nostrumque non progredi, jam reverti est. E contrario vero, ut idem ait : Tamdiu non relabimur retro, quamdiu ad priora contendimus; si volumus non redire, currendum est. Certe Jacob Patriarcha in scala ad cœlum omnes Angelos, vel ascendentes, vel descendentes, nullos autem sistentes vidit. *Epist. ad Demetr.*

Etiam alienas virtutes amate : nam, qui

vere amat virtutem, ubicumque illam deprehenderit, ei placebit; hinc Seneca ait : Scias enim multis virtutibus abundare, qui alienas amat. *In Prov.*

Nullam difficultatem, aut laborem, qui in virtutis studio occurrit, horrere : Si enim Jacobo omnis labor levis, et omne tempus breve videatur, præ amoris, quo Rachelem prosequebatur, magnitudine; quanto magis zelatoris virtutis nulla difficultas, aut labor gravis accidere debet. *Gen.* XXIX, 20.

Gradus. — Varie assignantur hi gradus ab auctoribus. Aliqui enim a modo exercendi eo desumunt, sicque primum gradum aiunt esse, cum difficultate gravi virtutem exercere. Secundum, cum levi resistentia operari. Tertium, sine difficultate, sed potius cum voluptate, actus virtuosos elicere. *Jac. Alv.* t. II, l. III, p. 2, II.

Alii gradus tales a fine desumunt, sicque primum gradum constituunt, propter ipsius virtutis honestatem operari : alterum propter Deum velut finem supernaturalem virtutes exercere; tertium propter solum Dei beneplacitum, et gloriam virtutem amare, et elicere. *Idem.*

Alii denique a conatu ad illas perveniendi desumunt diversitatem graduum, uti S. Bernardus fecit, sic loquens : Non omnes uniformiter gradiuntur ad Deum. Quidam passu, sicut illi, qui terrenorum curis impliciti vix aliquando respirant, ut Domini recordentur. Quidam modesto incessu, sicut hi, qui Domini servitio mancipati, et Deo quidem serviunt, et tamen erga seipsos indulgentiores existunt. Alii veloci, idest rapido cursu, sicut hi, qui super carne sua intuentes, et se et transitoria contemnentes, celeriter proficiscuntur ad Deum. *In lib. Sentent.*

EX SACRA SCRIPTURA.

Qualitas. — Ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus in Sion. *Ps.* XCXIII, 8.

In abundanti Justitia virtus maxima est. *Prov.* XV, 5.

Disce, ubi sit Prudentia, ubi virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul, ubi sit longiturnitas vitæ, et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax. Bar. III, 14.

In quacumque die invocavero te, exaudi me : multiplicabis in anima mea virtutem. *Ps.* CXXXVII, 5.

Quærite Dominum, et virtutem ejus quærite faciem ejus semper. I. *Par.* VI, 11.

Qui edunt me, adhuc esurient : et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur : et qui operantur in me, non peccabunt. *Eccl.* XXIV, 29.

In me omnis gratia vitæ, et veritatis? in me omnis spes vitæ, et virtutis. *Ibid.* 27.

Non dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. II. *Tim.* II, 7.

Utilitas. — Quasi is, qui arat, et qui seminat, accede ad illam, et sustine (id est, expecta) bonos fructus illius; in opere enim ipsius exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius. *Eccl.* VI, 9.

Exerce teipsum ad pietatem (seu virtutem); nam exercitatio corporalis ad modicum utilis est : pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ. I. *Tim.* IV, 8.

Longitudo dierum in dextra ejus, et in sinistra illius divitiæ, et gloria.

Mecum sunt divitiæ, et gloria, opes superbæ, et justitia. Melior enim est fructus meus auro, et lapide pretioso, et genimina mea argento electo. *Prov.* VIII, 8.

Si justitiam quis diligit : labores hujus magnas habent virtutes : sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutes, quibus utilius nihil est in vita hominibus. *Sap.* VIII, 7.

Proposui hanc adducere mihi ad convivendum : sciens, quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei. *Ibid. v. p.*

Qui tenuerint illum, vitam hæreditabunt : et quo introibit, benedicet Deus. Qui serviunt ei, obsequentes erunt sancto : et eos, qui diligunt illam, diligit Deus. *Eccl.* IV, 14.

Infinitus est thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. *Sap.* VII, 14.

Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. *Ib.* 25.

Dignitas. — Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua; homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. *Eccl.* XLIV, 1 et 7.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es, et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. *Ps.* LXXXVIII, 18.

Habebo propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis : et acutus invenias in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero. *Sap*. VIII, 10.

Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius. *Sap*. VII, 12.

Jucunditas. — Lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia (seu virtus) et ignorabam, quoniam horum omnium mater est. *Ib*. 12.

Intrans in domum meam conquiescam cum illa; non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam, et gaudium. *Ibid*. VIII, 16.

In novissimis invenies requiem in ea, et convertetur tibi in oblectationem. *Eccl*. VI, 29.

Viæ illius viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ. *Prov*. III, 17.

In amicitia illius delectatio bona, et in operibus manuum illius honestas sine defectione. *Sap*. VIII, 18.

EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

In hac vita virtus non est, nisi diligere, quod diligendum est; id diligere prudentia est : nullis inde molestiis averti fortitudo est : nullis illecebris, temperantia : nulla sapientia, justitia est. S. Aug. *in Epist. ad Maced.*

Non virtus est, non posse peccare, sed nolle; atque ita tenere perseverantiam voluntatis ut voluntas infantiam, virtus imitetur naturam. S. Ambr. *sup. Luc.*

Bonus circuitus est, si justitia quærit, prudentia invenit, fortitudo vindicat, temperantia possidet, ut justitia sit in affectu, prudentia in intellectu, fortitudo in effectu, temperantia in usu. *Idem de offic.*

Mensuretur perfectorum fidelium vita per quadrum, et tantum habeat spiritualis atrii latus unum, quantum latera singula; quia unusquisque tantum est prudens, quantum temperans, fortis, et justus; tantum temperans, quantum prudens justus, et fortis fuerit. Greg. h. IX, *sup. Ezech.*

Fertur virtus habitare in rupibus aditu difficilibus, nunc autem celerem castum locum tenere, et quæ nec aspici possit omnium mortalium ciliis, sed ab eo demum, ad quem sudor venit. S. Clem. *Alex*. c. IV. *Stromat.*

Virtus in pace acquiritur, in pressura probatur, approbatur in victoria. S. Bern. *ad Episc. Aquit.*

Vis scire, quales quærat Dominus ornatus? habeto justitiam, temperantiam, prudentiam, fortitudinem : nihil hac gemmarum varietate distinctius. S. Hier. *ad. Alv.* t. II, l. III, p. 1, c. I.

Non est satis recte facere, nisi etiam maturare adjicias quod facis : uberiores fructus habet celerata devotio. Aug. l. VIII, *de Civ. Dei.*

Virtus non debet sequi gloriam et honorem, sed ipsam virtutem. *Lactant*. l. V.

Virtus non potest cerni, nisi habeat vitia contraria, aut non potest esse perfecta, nisi exerceatur adversis. Ambr. *in offic.*

Maxima sunt fundamenta virtutum, silendi patientia, loquendi opportunitas, et divitiarum contemptus. *Id. sup. Beat. Immaculat.*

Nulla sine labore virtus est, quia labor processus virtutis est. Bernard, *in Epist.*

Rara virtus est, alienæ non invidere virtuti, multo rarior, gaudere de illa. Greg. *in moral.*

Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat. S. Ambr. l. I, *de Carn*. a. 5.

Necessitas. — Magisterii auctoritas constat ex vita : docenda faciens obedientem perficit auditorem. S. Bern. *in serm.*

Cujus vita despicitur, restat, ut etiam prædicatio contemnatur. S. Chrys.

Tunc vitia fideliter extirpamus, cum virtutibus cedere cogimus, idque non ad tempus dumtaxat; alioquin illa redeunt, et fiunt novissima pejora. Neque proderit omnia cum sæculo reliquisse, nisi virtutum gressibus tota Christum intentione sequamur. S. Bonav. p. 2, *Spec*. c. II.

Quæ sine virtute est gloria, profecto indebita venit, propere affectatur, periculose captatur. S. Bern. *S. in Nat. S. Vict.*

Æquitas. — Indignum tibi judica, formam a pellibus murium et opibus vermium mutuari. Ille est verus propriusque cujusvis rei ornatus, qui, nulla interveniente materia per se inest. *Idem in serm.*

Habent mores suos colores, habent et odores colorem in conscientia, odorem in fama. *Id. S*. LXXI, *in Cant.*

Utilitas. — Qui deficit sibi, ut virtuti adhæreat, amittit, quod suum est, accipit, quod æternum est. S. Ambr. *sut. Beat. immac.*

Veræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuo dives sit. S. Bern. *in serm.*

Virtus ubique lucet, et inexpugnabilis est. Non divitiæ, non paupertas, non principatus, non subjectio, non morbi, non ignominia; sed his omnibus relictis in terra, ad cœlum ipsa pertingit. Dumtaxat sit animus generosus, et nihil poterit solidum, ac strenuum impedire. S. Chrys. h. xi, *in epist. ad Philipp.*

Gaude innocentia, et exulta : gaude, inquam, quia ubique illæsa es, ubique secura; si tentaris, proficis : si humiliaris, erigeris : si pugnas, vincis : si occideris, coronaris. *Idem in serm.*

Si bene merentibus aliena gratia non respondet, merces tamen sua virtuti non deerit, quæ fructus, et lucri satis habet, simpliciter apud se de bono felicis conscientiæ testimonio gloriari; neque enim subjecta est externæ dispositionis arbitrio, sed in sua propriæ puritatis majestate consistens, ab indignioribus præmia non requirit. *Sassiod. in epist.*

Dignitas. — Virtus gradus ad gloriam; virtus mater gloriæ est. Fallax gloria, et vana est pulchritudo, quam illa non parturivit. Sola est, cui gloria jure debetur, et secure impenditur. S. Bern. s. i, *de natal S. Pict.*

Probati viri genus virtutis prosapia est; quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Ambr. *in serm.*

Qui major honor potuit homini esse, quam ut ad similitudinem sui Factoris conderetur, et iisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus Conditor, de quo legitur : Dominus regnavit, decorem indutus est, id est, omnium virtutum splendore, et totius bonitatis decore ornatus? *Id. de dig. hom. condit.*

Nihil facit nomen adeo immortale, ut natura virtutis. Id ostendunt Martyres, ostendunt Apostolorum Reliquiæ, ostendit memoria eorum, qui recte ex virtute vixerunt. S. Chrys. *in Ps.* xlviii.

Extremus virtutis finis est, quod facit ad summum bonorum fastigium pertingere, et Dei esse similes, quantum conceditur. *Idem Psal.* cxxxiv.

Omnis sancta virtus res est divina, incorporea prorsus atque mundissima, quam mente inquinatæ non inquirunt, sed ipsa inquinatas emaculat : cujus participatione formantur informia, suscitantur mortua, sanantur infirma, corriguntur prava, reconciliantur adversa. Hanc non habet, nisi Deus, et is, cui dederit Deus. S. Prosp. l. III, *de vit. cons.*

Jucunditas. — Ubi est virtus, et felicitas, quid aliud quæritur? quid ei sufficit, cui virtus, felicitasque non sufficit? Omnia quippe agenda complectitur virtus, omnia obtinenda felicitas. S. Aug. l. IV, *de Civ. Dei.*

Virtutis autem studium pretiosa quidam se habenti possessio est, jucundissimum vero spectaculum illis exhibet, quibuscum congreditur familiariter. S. Basil. *ep.* xli, *ad Max.*

Quem bene vivere perspicies, et omnia ad divinum cultum referre intelliges, hic si innumeris etiam catenis obsitus fuerit, si semper in carcere vixerit, si apud indignos servitutem tulerit, si pauper sepulchro sepultus combustusque fuerit, si denique, quidquid dici grave potest, passus fuerit, hunc beatum, hunc felicem dicere, hunc ad astra tollere memineris. S. Chrys. *in S. de vir et vit.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas. — Illi maxime in virtutibus proficiunt, qui ea, quæ magis gravia sunt, et contraria, virilius vincere nituntur. L. III, xxv, 13.

Sine solicitudine, et diligentia nunquam acquires virtutes. *Id.* § 2.

Necessitas. — Vere alta verba non faciunt justum, et Sanctum, sed virtuosa vita efficit Deo carum. L. I, c. i, § 3.

Non est culpanda scientia, aut quælibet simplex rei cognitio, quæ bona est in se considerata, et a Deo ordinata : sed præferenda est semper bona conscientia, et virtuosa vita. L. II, c. iii, § 4.

Adveniente die judicii non quæretur, a nobis, quid legimus, sed quid fecimus : nec quam bene diximus, sed quam religiose viximus. *Ibid.* § 5.

Æquitas. — Vita boni Religiosi (imo, et Christiani) omnibus virtutibus pollere debet, ut sit talis interius, qualis exterius apparet. L. I, xix, § 1.

Utilitas. — Bona vita facit hominem sapientem, et expertum in multis. L. I, c. iv, § 2.

Multa verba non satiant animam, sed bona vita refrigerat mentem, et pura conscientia magnam ad Deum præstat confidentiam. L. I, II, § 2.

Dignitas. — Gloria boni hominis testimonium bonæ conscientiæ. L. I, VI, § 1.

Jucunditas. — Si gaudium est in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. L. II, IV, § 2.

Justorum lætitia de Deo, et in Deo est, et gaudium eorum de veritate, et virtute. L. II, VI, § 1.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

De Christi profectu in virtutibus testimonium dat S. Lucas, dicens : Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum, et homines, intellige, quoad externam apparentiam. (Luc. II, *v. ult.*) Sed et S. Bernardus de eo sic loquitur : Ipse hominis seculique Auctor, quamdiu cum hominibus conversatus est, nunquid stetit ? et quidem teste S. Scriptura, pertransiit benefaciendo, et sanando omnes. Pertransiit ergo, sicut non infructuose, ita non remisse, non pigre, non lento gradu, sed quemadmodum de eo scriptum est : Exultavit ut gigas ad currendam viam suam : porro currentem non apprehendit, qui et ipse pariter non currit. *Epist.* CCLIV.

De B. Virgine fuse probat Suarez, eam tantum in virtutibus profecisse, ut semper secundum totam mensuram gratiæ operata sit, meritisque omnes homines, et Angelos simul sumptos superarit. (*In* III, p. q. XXXVII, *d.* XVIII, *s.* CLXXXI.) Hinc Rupertus dixit, eam in prima sanctificatione fuisse ut Auroram, in Filii conceptione ut Lunam, in morte ut Solem.

Josephus Patriarcha quantæ virtutis fuerit, testatur S. Ambrosius, dum ait : Josephus humilis usque ad servitutem, verecundus usque ad fugam, patiens usque ad carcerem, remissor injuriæ usque ad remunerationem. L. II, *de offic.* XVII.

De Ruth Moabitide dicebat Booz : Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis. *Ruth.* III, 12.

Judith erat in omnibus famosissima, quia timebat Dominum valde; nec erat, qui de ea loqueretur verbum malum. Judith. VIII, 8.

S. Jacobus Apostolus a Theodoreto laudatur, quia quotidie in divinis rebus crescebat. *In hist.* XII, s. 1.

S. Fulgentius parum putabat omne quod faciebat, de die in diem melior fieri gestiebat. *Id.* l. c.

S. Pachomius plurimorum Patrum considerans instituta, dabat operam, cum proprio Fratre ad majora virtutis augmenta consurgere. *Ibid.*

Abbas quidam habuit quinque fratres, quibus præcepit, unusquisque referret virtutem suam. Primus dixit : Decem annis quotidie feci generalem confessionem. Secundus dixit: Quotidie bonam attentionem per viginti annos studui habere in oratione. Tertius dixit : Per triginta annos quotidie quantum potui, misericors fui, et intravi infirmatorium, quærens, cui servirem. Quartus dixit : Per quadraginta annos neminem conturbavi, omnia patienter sustinui. Quintus dixit : Per quinquaginta annos quæsivi despectionem, et non inveni mihi similem in humilitate. Abbas igitur Deum rogavit, ut sibi ostenderet, quis inter illos melior esset. Et venit ad eum, vox dicens : Primus seipsum dat Domino. Secundus invenit Dominum. Tertius portat Dominum. Quartus emit Dominum. Quintus vincit Dominum. *Discipal. Prompt.* l. V, *ex* 27.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius præsentem diem cum hesterno conferens, et cum profectu profectum, longius se quotidie progressum, et ardentioribus in dies inflammatum studiis reperiebat. (*Ribade. in vit.* l. V.) Sed et in constitutionibus suam de virtutum præstantia opinionem satis explicavit, dum dixit : Omnes, qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum, et perfectarum et spiritualium rerum studium incumbant, ac in hujusmodi majus momentum, quam in doctrina vel aliis donis naturalibus, et humanis constitutum esse ducant; illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanere ad finem nobis propositum oportet. (*Psal.* X, § 1.) Hinc Jacobo Tyrio nimio ardore scientiis vacanti decem annis post mortem apparens dixit : Minus de scientia, plus de virtute. Barrol. l. V, c. VIII, *vit.*

Sanctus Franciscus Xaverius tam insigni erat virtute præditus, ut multi sociorum nulla alia de causa eum viserent, nisi ut cœlesti illo aspectu exhilarati, ad beatæ vitæ studium illius eximia alacritatis ardorisque cogitatione accenderentur. Sed et ad Socios scribens dicebat : Mementote, Societatis nostræ Amplificatores, multis, ac malignis ærumnis exercitos, virtutes omnes enixe coluisse; vosque ita demum illorum meriti, ac gloriæ participes futuros, si in Societatis nomine amplificando fueritis imitatores industriæ. Dictitare item erat solitus, quod boni virtus non parit, humanas artes nequaquam parituras sine virtute. Proinde caverent diligenter nostri, ne pervulgata hominum via dignitatem atque honorem aut appeterent, aut appetere viderentur, seu suis dictis factisve potius, quam ad divinam tenderent gratiam. Veram utique auctoritatem egregiæ virtutis comitem non hominum donum esse sed Dei. Itaque si quando homines ipsi per se humanis artibus (omisso cœlesti præsidio, germanaque virtute) quærant auctoritatem, divino consilio fieri, ut et eam parare dum student, funditus pereant, nec scilicet vilia sint hominibus dona cœlestia, sed haud secus, quam par est, expectentur e cœlo. *Vita.* l. VI, XI.

S. Francisci Borgiæ ea erat vultus hilaritas, decus, atque maturitas, ut Socii etiam auctoritate summa præditi, cum pietatis calorem refrixisse sentirent, vel aspectu illius ad pristinum ardorem redirent. Dicebat quoque ex neglectu eorum mediorum, quæ hominem cum Deo conjungunt (uti sunt virtutes) omnes sacrorum Ordinum ac Religionum dissensiones, ærumnasque subsequi, ac succrescere; et sicut ex siccitate terræ arborum flores, et fructus arescunt, ita si mens in virtutis studio arida perseveret, omnem florem fructumque spiritualem exurendum. *Vit.* l. IV, c. IV, n. 23.

P. Petrus Faber studebat, nullum omnino diem ducere sine insigni aliqua progressione virtutis; unde tantam virtutis perfectionem, et opinionem consecutus est, ut eo e vivis erepto crederetur eodem casu ipsa etiam Societas interitura. *Vit.* l. II, c. XI, *et ult.*

P. Jacobus Laynes, etsi summæ fuerit doctrinæ, mirifice tamen conjunxit scientias cum spiritu, maxime vero cum solidis virtutibus humilitatis, et charitatis. *In Epist. S. Borgia*, § 5.

P. Franciscus Suarez in tanta doctrinæ abundantia tantam tamen virtutis curam habuit, ut Doctor Oviedus Complutensis Professor de eo diceret, neminem a se visum, in quo modestia, et doctrina tam ex æquo certarent. Idem postea Abulensis Episcopus factus, Suarezium quidem apprime doctum, sed sanctiorem esse dicebat. *Vit. to. de Aug. præfixa.*

P. Balthazar Alvarez tantos in virtute progressus fecerat, ut S. Teresia per divinam revelationem cognoverit, nullum eo tempore in terris sanctiorem vivere. Hinc et summopere etiam diligebat eos, qui virtute impensius studebant, eosque Deo impense commendabat, ac, quo poterat, subsidio officiisque fovebat. *Bibl. Ser.*

P. Ludovicus de Ponte quantum processerit in omni genere virtutum, testatus est præter alios Episcopus Vallisoletanus, sic ad Pontificem scribens : Hunc virum insignem invenimus multum processisse in omni genere virtutum, et tam ardentem fuisse in amore erga Deum, ut inflammati affectus cum perduxerint ad terminos amittendi vitam naturalem : salutis alienæ tam studiosum, et solicitum, ut plus quam annis quadraginta nemo viderit otiosum, sed agentem semper cum Deo in oratione, aut sacrificio, aut laborantem in bonum animarum. *Vit.* l. III, c. V, § 3.

P. Thomas Sanchez altissimos semper sibi proposuit virtutum fines, ad quos toto pectore incumberet, eosque in ephemeridem relatos non minore, quam contenderat, assecutus est laude. Nimirum seduli more mercatoris negotiationem spiritualem cum summo vitiorum odio, virtutisque amore singulari, sic coluit semper, et exercuit, ut omnem dicendi docendique rationem excesserit. Quotidie, quæ negotiationi subjiciebat, proponebat mane, et in libellum secretiorem referebat : diei decursu exercebat, quæ constituerat : certis denique temporibus a se rationem exigebat, incredibili lucro atque profectu, qui ei sanctitatis famam, et opinionem apud omnes peperit. Totis quadraginta tribus annis, quibus in Societate vixit, nihil in hoc negotiationis studio remisit, ut, qui eum diligentius observarunt, vehementer sint admirati incredibilem ejus in suscepta vitæ ratione constantiam, perpetuumque tenorem, nullis studiorum occupationibus, aut gravissimorum virorum interventu violatum. Nulla virtus non ab ipso in summo fastigio tenebatur. *Bibl. Ser. Sociæ.*

Franciscus a Villa regali Coadjutor cum tanta vitæ sanctitate defunctus est, ut mortui funus multis ex Proceribus comitati sint, et non sine fletu manus, et pedes ejus deosculati, ejus preces expeterent, partesque vestis præcidentes, quorum unus priusquam partem talem gestaret, confiteri voluit, ne maculis peccatorum suorum pollutus gestaret, quod tanta morum innocentia, et vitæ integritate præditus homo gestasset. *Annuæ* 1509, *post f.* 919.

Joan. Baptista Gentilis Coadjutor tam pie sancteque vixit, ut, ne obsolesceret ejus memoria, plerique tum domi, tum foris, ex ejus rebus aliquid sibi, tamquam reliquias decerperent. Aiunt oculati testes, nihil ad exquisitum Anachoretam, et Coadjutorum virtutem amplius potuisse requiri, quam quantam ille factis exhibuit. *Annuæ* 1650, *Prov. Madiol. Col. Taurin. n.* 23.

Didacus Bonhomus Coadjutor a multis annis nullius deliberate admissi peccati conscientia tangebatur. Ubi festa otium dabant, præter immaculatæ Virginis Officium, Rosaria, septena, octona, vel etiam altero tanto numero auctiora decurrebat, in quibus sibi, Collegiis, Societati, particulatim certa virtutum decora flagitabat. Internos virtutum actus ita combiberat, ut vel semel mensæ inserviens facile ducentos actus repetierit. Quidquid diceret, domi, foris, veræ sanctimoniæ documentum erat, unde et Sancti nomen illi adhæsit. *Annuæ* 1650, *Prov. Rhe. ins. Coll. Colon. n.* 22.

EXEMPLA PROFANA.

Themistocles dicere solebat, excitari se subinde a somno trophæis Miltiadis, cui successerat, quod ejus præclara facta secum reputans, multum angebatur, ne illius gloriam degener obscuraret. Fab. *conc.* ii, *in festo S. Jacobi.*

Demetrius Phalereus cum audivisset, Athenienses demolitos fuisse statuas suas, quas illi posuerant : At virtutem, inquit, non everterunt, cujus gratia illas posuerant. Laer. l. V.

Phocion Atheniensis hanc divinam esse legem dicebat : ut unica virtus sit potens, reliqua autem cuncta nugæ. Stobæus, *S. de prudentia.*

Agesilaus interrogatus, quomodo quis maxime apud homines probaretur ? Si dicit, respondit, optima, et faciat honestissima. Virtus enim ejusmodi est, quæ ipsis statim rebus gestis ita afficiat homines, ut non modo admirentur opera, verum in auctorem quoque summo studio incendantur. Plato, *ap. Beirlinck V. Virtus s.* clxii.

Ephialtes cum Dux ei paupertatem exprobraret, cur non, inquit, etiam alterum dicis, quod justitiam, et virtutem colam, et diligam? Ælianus, l. XIV.

Gorgias cum a Socrate percontaretur, an Persarum Regem putaret felicem : Nescio hercule, inquit, quantum virtutis et disciplinæ habeat. Sensit vir prudentissimus, neminem esse felicem, nisi omnibus virtutibus præditus sit. Laert.

Charilaus interroganti, quam arbitraretur optimam rempublicam : In qua, inquit, plurimi cives de virtute inter se certant citra seditionem : In plerisque civitatibus certamen est de opibus et honoribus; de virtute qui certent, pene nulli. Quamquam hoc quoque certamen de honesto debet hactenus sentire, ne prorumpat in seditionem. Jam enim non est concertatio virtutis, sed ambitionis. Qui vera virtute præditus est, nihil spectet, nisi ut prosit Reipublicæ. At seditio præsens est veneum civitatis. Erar. *ex Plutarc. in Lacon. Apopht.*

Anaxandridas Leontis filius cum quemdam videret, acerbe exilium ferre, dixisse fertur : Noli, vir optime exhorrescere exilium ; a virtute enim et justitia exulare, illud horrendum est. Sensit vir optimus, eos omnes exules esse, qui a virtutibus alieni sunt : eos autem nequaquam exules, qui variis virtutibus ornati ubique patriam inveniunt. Plut. *in Lacon. Apopht.*

Pantholidas legatus cum in Atheniensium gymnasio Philosophos egregie de virtute disputantes audivisset, interrogatus, an placerent, quæ jam disputata essent : Probæ profecto, inquit : sed illæ disputationes sunt vobis plane inutiles, qui virtutem habetis in ore, factis non autem ostenditis. *Ibid.*

Antigonus secundus adolescenti cuidam, qui patrem habuerat fortem, quamquam ipse non admodum, ut videbatur, bonus erat miles, postulanti, ut patris stipendia caperet : At ego, inquit, o adolescentule, non nisi ob proprias cujusque viri virtutes mercedem, ac munera dare soleo. Hoc sermone juvenem stimulans ut patris fortitudinem æquaret, si quantum ille capere solebat, vellet accipere. *Ibid.*

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut cortex in arboribus

pene semper amarus, et asper, fructus ejus suavis, et gratus est; ita virtus, etsi amara sit, dulces tamen fructus parit. S. Chrys. *ho.* xxx, *in Epist. ad Hebr.*

Sicut in equis militaribus ea facilitas, qua fræno aptissime parent, potissimum laudatur; ita in virtutis amatoribus, promptitudo mandatis Dei, et rationis obtemperandi potissimum laudatur. Beirlinck. *in Fest. Visi. them.* i.

Sicut gemmæ, quamvis abjiciuntur in lutum, fulgorem tamen non amittunt; ita viri virtute præditi, quamvis in silentio lateant, et a mundo contemnantur, verum animi decus retinent. *Idem the.* vi, *in festo Omn. SS.*

Sicut fulmen, quidquid invenit in terra, ferit, præter laurum; sic magna calamitas omnia potest auferre, præter virtutem; est enim virtus pulchra laurus, semper virens, nullo igne e nubibus erumpente, nullo impetu tormentorum, et ærumnarum exusta aut labefactata. Hector. *Pintius in c.* xvii, *Ezech.*

Sicut solis vis et lux integra est etiam inter opposita, et, quamvis aliquid interjaceat, quod non prohibeat ejus aspectum, in opere est, cursu suo fertur; eodem modo opposita virtuti nihil detrahant; non est minor, sed minus fulget, nobis forsitan non æque apparet, aut nitet, sibi eadem est, et more solis obscuri in occulto vim suam exercet. Senec. *de vit. beat.* c. xxv.

Sicut raro auri, et argenti vena reperitur, nisi alia non procul sit; unde et Græci nomen indidere; ita nulla virtus solitaria est, sed alia aliam adjungit. Dadræus, *in loc. to. s.* xli.

Sicut non ille dicitur dives, qui multas intelligit divitias, sed qui possidet eas; ita non ille justus est, qui scit de virtutibus disserere, earumque definitionem agnoscit, sed qui illa præditus colit illam, et exercet. Hector. *Pintius*, c. xx, *in Ezech.*

Necessitas. — Sicut ii, qui pro Principe domum apparant, non semper in domo purganda sunt occupati, sed quandoque etiam aulæa appendunt; ita is, qui domum, et palatium in anima sua Deo adornat, non semper in domo a vitiis purganda laborare, sed aliquando etiam virtutum tapetes suspendere debet. Hugo Rot. *in Via Regia.*

Sicut ballista, si solo fœno et pulvere onerata sit, parum prodest ad hostes debellandos; ita homo sola scientia instructus parum in animarum salute efficiet, nisi etiam virtus jungatur. *Anonym.*

Sicut ii, qui a pice inquinari nolunt, prius oleo manus perungunt; ita et ii, qui cum sæcularibus sine damno agere cupiunt, prius se virtutibus solidis muniant, oportet. Rodr. *v.* 3, *tr.* i, *c.* v.

Sicut nubes, si vacua sit, quovis vento circumfertur; ita et is, qui interius virtute destitutus est, velut nubes levis quovis tribulationum vento jactatur. *Idem.*

Sicut lactuca, non cum parva est, sed, cum adulta, semen transmittit speciei: et pulli avium non volare queunt, nisi perfectis alis: structuræ recentes, ut alios secure protegant, solidari debent: Fœminæ partus suos maturant antequam effundant; impubes fœmina lac offerre non potest: nec nubes effundere imbrem, si repleta non sit; ita nec prodesse aliis potest, qui ipsemet virtute caret. *Idem* c. iv.

Sicut, cum febris ad interiora penetrat, et viscera omnia incendit, nihil nobis prodest, si superior corporis superficies nihil tale patiatur; ita dum anima internis distrahitur passionibus, nihil externus apparatus juvat. Quod ne fiat, undique Prophetæ concurrunt, et Apostoli passiones nostras reprimunt, omnem appetitus rationis expertis feritatem a nobis amandant, et multo angustiorem regno principatum nobis committunt. S. Chrys. *in illud : Si esurierit inimicus.*

Sicut, qui diu in eadem classe desidens non proficit, tandem cum ignominia ejicitur, et a Parentibus ad servile opificium applicatur; ita qui in schola Christi progressum in virtute non facit, Deo exosus est, et vel celeriore morte extinguitur, vel in hæresim, aliave vitia graviora labi sinitur. Faber *conc.* i, *in Dom. post Epiph.*

Sicut navis contra ictum fluminis descendens uno in loco nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur; ita nec mens humana in eodem statu permanere potest, sed aut proficere debet in virtutibus, aut deficere. S. Greg. l. III, *Past.* n. 35.

Utilitas. — Sicut in pecuniis, qui duos lucratus est aureos, proclivis est ad decem, et viginti colligendos, congregandosque; sic usu venit in virtute: qui fecerit opus bonum, officiumque præstiterit, stimulationem aliquam, aut exhortationem ad agendum sumit, ut alia quoque benefacta aggrediatur. S. Chrys. *erat.* iv, *advers. Judæos.*

Sicut in arboribus accidit, si quis fructum cum foliis auferat, et ramos omnes amputet, radice manente, tota cum majori etiam ornatu arbor resurgit; sic si pietatis (seu virtutis) radix maneat, et si divitiæ auferantur et corpus corrumpatur, omnia rursus nobis cum majori copia redeunt, quod in Job deprehensu facile est. *Idem ho.* IV, *ad pop. Antioch.*

Sicut unguentum odoriferum fragrantiam suam in seipso non detinet inclusam, sed protinus illam emittit, et aerem odore penetrans vicinorum quoque sensus occupat; ita et generosi ac præclari viri virtutem suam in seipsis clausam non habent, sed fama sua multos juvantes, etiam meliores reddunt. *Idem ho.* II, *in* I, *ad Thessal.*

Sicut per lubricum incedentes labuntur, fallente vestigio : qui vero per siccam viam gradiuntur, certo gradu iter faciunt; sic qui per corporea, externaque bona ducunt animam, nihil aliud, quam cadere illam assuefaciunt, hæc enim lubrica, et parum firma sunt, sed qui per virtutum contemplationem ad Deum properant, tutum inconcussumque iter dirigunt. *Idem l. de Abr.*

Ut acer equus suapte sponte facile currit; ita qui ardet virtutis amore, non eget admonitore, sed suomet impetu ad metam perfectionis properat. PLUTARC. *in moral.*

Sicut ingentes obelisci magno negotio statuuntur ob pondus, sed collocati semel, infinitis durant seculis; ita et virtus. PLINIUS, l. XXXIV, c. IX.

Sicut iter agentes, si quando locum aliquem insidiis Militum, aut Latronum obnoxium prænoverint, citatis equis eum pertranseunt, sicque periculum facilius declinent; ita qui mundi pericula agnoscunt, viam virtutis festino gradu percurrunt, ut ne in dicta pericula incidant, et pereant.

DIGNITAS. — Sicut minuta lumina claritas solis obscurat; sic dignitas virtutis omnia alia hominis ornamenta vilescere facit. *Anonym.*

Sicut oriens sol totum cœlum radiis illustrat; ita virtus suis radiis, ubi mentem penetraverit, lucidissimam efficit. PHILO, *in l. de plan. Noe.*

Sicut mulieres modica pulchritudine præditæ ascititiis coloribus formosam efficere faciem conantur : secus vero, quæ a natura magnam pulchritudinem acceperunt; ita anima, quæ virtutis pulchritudinem sortita est, etiam sine aliis ornamentis placet, et æstimatur. *Anonym.*

Sicut inter homines non is, qui personam fictitiam Regis sustinet, sed qui vero titulo regnum possidet, honore regio dignus censetur; ita non is, qui ab hominibus honoratur, æstimari debet. *Idem.*

Sicut aquila, quia altius volat, et solem clarius perspicaci suo visu intuetur, omnibus aliis avibus merito præferri, aviumque regina vocari meretur; ita virtuosi homines, cum ob virtutem altius eleventur, Solique Justitiæ appropinquet, merito quibuscumque aliis hominibus præferuntur. *Idem.*

JUCUNDITAS. — Sicut convivium absque sermone, et colloquio; ita opulentia absque virtute nullam habet voluptatem. STOB. s. I, *de prud.*

Sicut in itinere labor, in termino vero quies est jucundissima; ita, licet iter ad virtutem arduum sit et difficile, possessio tamen illius est plena voluptatis. GRANAT. *in loc. comm. s.* CCXII.

Sicut malitia etiam ante gehennam eos, qui eam exercent, cruciare consuevit; ita virtus etiam ante regnum Dei illos, qui eam operantur, præparat voluptati, et cum spe optima, et delectatione perpetua vivere facit. S. CHRYS. *super Jo.*

Sicut qui amara bibunt antidota, patienter ferunt quidem molestiam, et tunc percipiunt sensum sospitatis ; ita tale quiddam est etiam virtus, tale quoque illic malitia. In ista primum est voluptas, et sequitur ægritudo; in illa vero primum est mœstitia, et tunc jucunditas procreatur, sed nihil simile est : non enim est simile, cum primum aliquis contristatur, et postea gaudio perfruitur, et cum primo gaudet, et postea in mœrores incidit. Et quomodo hoc? hic enim timor futuræ tristitiæ præsens gaudium imminuit : illic autem spes futuræ jucunditatis detrahit præsenti tristitiæ. *Idem ho.* XXX, *ad Hebr.*

Sicut is, qui superexcelsam petram stat, fluctus ridet, quos videt ad scopulum magno impetu rumpere, et protinus in spumam solvi; ita et virtuti vacans, in securo constitutus loco, nihil in anima sua fert a rebus turbulentis, tranquillus animo et quietus sedet. *Idem* c. XXVI, *in Gen.*

MOTIVA.

Necessitas : nam de virtute vere etiam intelligitur, quod S. Paulus de charitate dixit : Si linguis hominum loquar et Angelorum :

si habuero prophetias, et noverim omnia mysteria; et omnem scientiam : si habuero fidem omnem, ita ut montes transferam : et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et tradidero corpus meum, ut ardeam, charitatem autem, et virtutem non habuero, nihil sum, et nihil mihi prodest. Adde, quod omnes Discipuli Christi sumus ; quisquis autem in schola Christi non proficit, indignus est ejus magisterio, teste S. Bernardo. I. *Cor.* XIII, 1; *Ep.* CXXXI.

Utilitas : quia 1. Virtus præstat omnibus talentis efficaciam, et auctoritatem, uti S. Ignatius supra § 6, citatus, prudenter advertit; 2. Benedictionem etiam in temporalibus impetrat; talis enim jure illa verba Psalmistæ usurpare potest : Dominus regit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocavit. (*Ps.* XXII, 1.) Sed et virtus jure ad talem illa Jacob Patriarchæ verba, ad Laban socerum prolata usurpare potest : Modicum habuisti antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es : benedixitque tibi Deus ad introitum meum. (*Gen.* XXX, 30.) 3. Mentem a terrenis abstrahit : sicut enim, qui sensibilem cursum magna contentione peragit, nullum occurrentium videt, etsi sæpius in illum incidat, sed animo ad cursum incitato facile omnia transit, festinans ad destinatum scopum ; eodem modo qui virtutis cursum tenet, et a terra ad cœlum redire concupiscit, omnia terrena deorsum derelinquit, donec veniat ad verticem. 4. Sola ipsa comitatur post mortem, ut olim sanctus Barlaam Josaphato pulchra parabola ostendit, dum dixit, fuisse aliquem, qui tres habuit amicos, quorum priores duos omni benevolentia sibi demereri conatus sit, maxime vero postremum curavit; verum cum ad Judicem vocatus esset, et prædictorum amicorum opem implorasset, a primo nihil aliud, quam vestem : ab altero comitationem usque ad Judicem : a tertio autem solo defensionem coram Judice impetrasse. Ut vero intelligeretur sensus parabolæ, addebat, per primum amicum divitias : per alterum homines cognatione, aut alio quocumque titulo obstrictos : per ultimum bona opera intelligi, ex quibus divitiæ post mortem solummodo vestem pro tegendo cadavere offerunt. Cognati ad sepulchrum comitantur; virtutes vero, seu opera bona coram ipso etiam Judice defendunt, et benignam sententiam impetrant, juxta illud Apocalypsis : Beati mortui, qui in Domino moriuntur. (S. CHRYS. *ho.* XXVIII, *in Genes.*; *Apoc.* XIV, 13.) Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos. 5. Ad dæmonem vincendum singulariter juvat : nam, ut apposite Sanctus Chrysostomus discurrit : Diabolus formam serpentis gerit, deorsum trahit, ab inferiore loco depugnat, id est, a rebus, quæ infra nos sunt, a voluptate, divitiis, rerum terrenarum amore. Si quem viderit volantem ad cœlum ferri, primo eo usque pertingere non potest : deinde id aggressus celeriter labetur; neque enim pedes habet, ne formides : non alas, ne vereare; super terram trahitur, nihil sit tibi cum illo commune : velut serpens spinis occultatur, intra divitiarum imposturas assidue latitans. Quod si spinas incenderis, aufugiet timidus, incantationes divinas noveris, cœlestium amore tactus statim vulnerabitur. (*Ho.* VIII, *in epist. ad Rom.*) 6. Ad omnes homines ad se trahendos miram vim habet : nam bonus homo, et bonis, et malis carus est, malus nec bonis, nec malis; hinc recte dictum a nonnemine : Virtus etiam in hoste laudatur.

Dignitas : nam, teste Sancto Bernardo, sola virtus mater gloriæ est; Sola enim est, cui gloria jure debetur, et secure impenditur; id quod jam olim Romani per gemina templa Honori, et Virtuti extructa significarunt, dum ita illa construxerunt, ut nemini aditus ad templum honoris pateret, nisi qui per templum virtutis prius transiisset. S. I, *Natali S. Victoris.*

Jucunditas : nam Virtuti proprie convenit, illud Ecclesiastici dicere : Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini : Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas, mea super mel et favum *Eccl.* XXIV, 16.

Facilitas : tum quia ipsa natura nos ad eam impellit, (quælibet enim res ad finem suum consectandum inclinat; finis autem hominis connaturalis est secundum virtutem, et rationem vivere,) tum quia Christus, et Sancti omnem difficultatem qua doctrina, qua exemplo sustulerunt; unde jam olim prædixit Isaias dicens : Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons, et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. (ISAIÆ, XL, 4.) Adde quod ubique virtuti locus sit, etiam inter medias, gravissimasque calamitates, cum calamitas sit lectulus virtutis.

Æquitas : quid enim æquius, quam ut quisque conatum suum in objecto præstantissimo consectando impendat, cum videat, mortalium plerosque in vilissimis objectis quærendis vitam, et vires consumere? moveat nos, inquit S. Bernardus, ipsum quoque sæcularis cupiditatis exemplum. Quem enim ambitiosum videmus aliquando contentum adeptis dignitatibus, ad alias non anhelare? Sic et curiosi cujusdam non satiatur oculis visu, nec auris auditu impletur. Qui eorum, qui avaritiæ serviunt, aut amatores sunt voluptatum, seu vanas hominum sectantur laudes? nonne, et ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentiæ, et tepiditatis? Pudeat certe spiritualium non honorum minus cupidos inveniri. S. BERN. *Ep.* CXLI.

ALIA MOTIVA. — *Quia virtus est unicum bonum hominis;* sunt enim virtutes bonum ingens, bonum perfectissimum, pretiosissimumque, de quo S. Petrus loquens, Deus, inquit, *pretiosa nobis promissa donavit*, (I. *Petr.* I), idest, bona quæ magnitudine, ac valore, quidquid dici potest, superant, suntque in seipsis aliorum, quæ in altera vita speramus, majorum bonorum pignus, ac promissio. Et hæc sunt propria hominis bona, ad ipsum principaliter secundum animam spectantia, quippe quam implent, et optime tranquillant : suntque bona, quæ homo possidet, et ad arbitrium suum conservat; neque nolanti quisquam auferet; neque ulla in cœlo, neque in terra creata vis est, quæ invitum iis spollire possit : sunt, inquam, bona, quæ ille non modo hac temporali vita durante possidet, sed etiam in æternitate, ad quam eum ex hac vita comitantur, et in qua meliorata, summeque perfecta durant in sempiternum.

Quia virtus est verus thesaurus, et divitiæ hominis, uti S. Gregorius indicavit, dicens : Solæ divitiæ veræ sunt, quæ nos virtutibus divites efficiunt. Ad has divitias quærendas cœlestis Magister Christus tam serio, et tanta cum auctoritate, ac verborum pondere nos hortatus est, dicens : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi,* si metalla sint, *ærugo;* si panni, *tinea demolitur;* si gemmæ, aut lapides pretiosi, aut vasa, signave aurea, *fures,* loca, in quibus ea asservantur, *effodiunt, et furantur.* (MATTH., c. VI.) Quasi dicat, si vere divites esse, si veris potiri divitiis, verosque thesauros possidere vultis, nolite vestrum desiderium, ac solicitudinem ponere in cumulandis terrenis bonis prædiorum, redituum, honorum, dignitatum, voluptatum, et deliciarum, cum bona sint caduca, temporalia, innumeris periculis, ac casibus, quibus consumuntur, et cum sui possessoris damno pereunt, obnoxia : *Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, neque furantur :* hoc est, omnem vestrum affectum, solicitudinem, laboremque ad acquirendas, et exercendas, sanctisque charitatis, misericordiæ, ac patientiæ operibus; nec non piis orationis, contemplationis, pœnitentiæ, ac mortificationis exercitiis augendas virtutes convertit, quando hæ summi pretii opes, et immensi valoris thesauri sunt, quibus comparantur cœlestia bona, in quibus hominis felicitas, et gloria consistit, quæ sunt vita æterna, bona immortalia, atque perennia, quæ cum perpetua securitate jucundissime possidentur. S. GREG. *in Evan.*

Quia virtus est vera dignitas, et nobilitas hominis; uti S. Bernardus dixit : Sola virtus mater gloriæ est; et, teste S. Hieronymo : Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus, et merito; hæc enim est, quæ illos spiritualiter, id est, per vitæ, Sanctorumque morum imitationem, propinquos, et filios Patriarcharum, Prophetarum, Divorumque Regum constituit; hæc, quæ per gratiæ communicationem eosdem generi seu prosapiæ Dei inserit, et per adoptionem filios facit admodum claros, carosque eidem Deo, Domino immensæ majestatis, et omnium conditarum rerum absoluto Regi, et denique Fratres Christi, universalis cœlorum, ac terrarum Regis, summe gratiosos. Hinc, cum aliquando Christus in quadam domo verba ad circumsedentem turbam faceret, eadem sanctissima ejus Mater cum aliquot suis consanguineis ad ipsum audiendum concessit, et, cum intrare nequirent, præ foribus eum præstolabantur; moniti ergo quidam, qui eos ibi viderunt, interpellantes Dominum *Ecce,* inquiunt, *mater tua, et fratres tui* (fratres, Hebraico more cognatos secundum carnem vocant) *foris, stant, quærentes te :* quibus ille respondit : *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et circumspiciens, manumque in præsentes discipulos suos extendens : Ecce, ait, mater mea, et fratres mei : quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* (MATTH. XVII.) Qua sententia significavit, prosapiam carnalem, quamvis illustrem exiguo apud Deum pondere esse, neque propter eam homines secundum divinæ legis, ac judicii veritatem pluris æstimari : contra vero stirpem, cujus Deus magnam ducit rationem, et quapropter homines plurimi facit, esse spiritualem, quæ ex virtute petitur, qua quis Sanctis Patribus assimilatur, obedit Dei voluntati, ejusdemque mores, et perfectiones imitari studet. Unde merito pronuntiavit S. Chrysostomus : Illa sola, veraque nobilitas, et cognatio cum Christo est, quæ in facienda Dei voluntate consistit. Hic mirabilis honor, hæ incredibiles virtutis vires sunt, quæ virtuosos homines ad tantam dignitatem evehunt, quanta est, esse Fratres, et Matrem Christi; et cum tam altus honor sit, esse Matrem Dei, ut omnem laudem excedat, participat eum homo justus, qui Dei voluntatem facit. S. Ber. *s.* i, *de nat. S. Vict. S. Hier.*, lib. II, *ep.* xx.

Quia virtus est præcipuum ornamentum, et vestis animæ, qua comitur, et operitur anima, fitque pulcherrima, et Dei oculis longe gratissima. Vestes materiales corpori nec adimunt deformitatem, nec, qua caret, pulchritudinem tribuunt, sed deformitatem ejus tegunt, et bonam quamdam speciem foris ei conferunt. At hæ vestes animæ, virtutes, inquam, omnem ab ea deformitatem vere tollunt, tantamque ei pulchritudinem, et gratiam, tamque divinum dant splendorem, ut omnium universi mundi rerum visibilium pulchritudinem venustatemque quam maxime excedat. De his vestibus ipsa Veritas, Christus, per Joannem cum peccatore dixit, qui iis carebat, loquens : Dicis, inquit, quia dives sum, et nullius egeo; nescis, quia tu es miser, et spiritualium bonorum pauper, et gratia virtuteque nudus, suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, id est, studere veræ charitati, divinæque sapientiæ, per pœnitentiam tuorum peccatorum, a liberalitate, ac misericordia mea impetrandæ. qua veris divitiis locuples fias, et vestimentis albis splendidisque virtutum induaris, et orneris, et coram Deo non appareat confusio nuditatis tuæ. Romani, si quem magistratum, honoremve publicum ambirent, per eos dies, quibus comparebant, veste candida induti comparebant in campo Martio, ubi comitia habebantur, populusque de mandandis honoribus suffragia ferebat : unde qui eos petebant, candidati, hoc est toga candida amicti, vocabantur : eoque modo vestiti incedebant, donec honorem acciperent, quo obtento alium majoris auctoritatis vestitum sumebant. Idem fidelibus, qui regnum cœlorum petunt, usu venit, ut toto tempore, quo petitio durat, toto, inquam, vitæ hujus curriculo, vestibus candidis, pulchris splendidis, gratia et multiplici virtute amœnis ornati incedant, donec cœlestis regni dignitatem obtineant : tum demum pretiosius vestiuntur, cum stola gloriæ, quæ pretio, pulchritudine, splendore, jucunditateque incomparabiliter omnia, quæcumque in hac lacrymarum valle possidentur, bona superat, induuntur. *Arias*, l. I, c. v.

Quia virtus etiam in hac vita beatum facit; nam virtus cœlestis infusa, æternæ beatitudinis principium, radix, fons, ac pignus est, habentque virtuosi actionem, seu jus ad beatitudinem, et certam ejus spem, minimeque vulgarem gustum. Id quod Apostolus de fidelibus virtute, et gratia, quam Christus promeruit, præditis, non uno loco affirmavit. Deus, inquit, Corinthiis scribens : gratia sua, ac donis divinis unxit nos, qui et fide sua, vitæque suæ imitatione signavit nos, et dedit signum spiritus, hoc est, gratiam, et virtutem, qua mediante, Spiritus Sanctus nostras animas inhabitat in cordibus nostris. Pignus vocatur, sive arrha, quæ sicut hæc in contractu venditionis ad ejusdem certitudinem datur, et in sponsaliorum contractu ad matrimonii securitatem; sic gratia, et virtus securos nos, certosque de ea, quam expectamus, beatitudine reddit. Et ad Ephesios scribens ait : *Credentes vos in Christo, verboque ejus obedientes, signati estis spiritu promissionis sancto, qui verbo Dei obedientibus communicatus, est pignus hæreditatis nostræ, nempe æternæ, quam in cœlo expectamus, beatitudinis.* Et quoniam in divinis litteris una eademque res est beatitudo, et regnum cœlorum, cum virtus, quæ in hac vita possidetur; inchoata beatitudo sit, et meritum, radix ac fundamentum beatitudinis completæ, atque perfectæ, quæ in altera vita possidetur, consequens est, ut etiam virtus regnum cœlorum sit, virtuosique regnent, et cœli sint reges; et jam in hac vita, ubi virtutem habent, et exercent, regnum obtineant, et regnare incipiant, et in altera vita, ubi virtutis præmium percipitur, cœlestes reges futuri sunt, et in regno Dei una cum Christo, qui supremus cœlorum Rex est, perfecte regnaturi; quod totum nobis Sacra Scriptura testatum facit. Loquens enim Christus præcipue illis, qui fide viva credebant : *Regnum Dei*, inquit, *intra vos est*, hoc est, intra animas vestras dona sunt, quibus mediantibus, vos regnatis, et Deus regnat in vobis. Et Divus Paulus hoc regnum explicans : *Regnum Dei*, ait, sive bonum, quo mediante; Deus in nostris animabus regnat, nosque regnamus, et regnaturi sumus, *est justitia*, qua Deo, proximo, nobisque ipsis, quicquid debemus, tribuimus; *et pax*, id est, unio cum Deo, et proximo per charitatem*; et quies* nostræ conscientiæ; *et gaudium*, cujus auctor est Spiritus Sanctus, quo lætamur de gloria Dei, deque bonis proximi, et animæ nostræ, et libenter, ac cum devotione bona opera facimus. Hoc est regnum Dei, et regnum cœlorum, quod in hac vita incipit, consistitque in perfecta virtute, quæ nos dominos, ac reges nostri ipsorum, et passionum, appetituumque nostrorum facit, et subjicit nos in omni re divinæ voluntati, ut ille nobis imperet, nec aliud in nobis velle regnet, quam Dei. Et hac virtute meremur, ac consequimur in altera vita regnum perfectum, et æternum cœlorum, in quo tamquam gloriosi triumphatores cum Christo regnabimus, et Christus regnabit per gloriam in nobis. Hoc Dei regnum est, quod desiderare, magni facere, totoque corde quærere, et ad quod obtinendum omnes nostros nervos, omniaque Dei, quæ idcirco habemus, auxilia contendere nos oportet : medium vero promerendi, comparandique, virtus est; quapropter virtus regnum Dei dicitur, quia est titulus, quo id meremur, et medium, quo idem acquirimus. Ad hoc exhortans, animansque nos Christus : Quærite, inquit primum, ac præcipue, non temporalia bona, quasi magnum quid, cum vana sint, sed post gloriam, et honorem quærendum pro Deo in omni re, pro vobis ante omnia regnum Dei, ut cum eo in ipsius gloria æternum regnetis, fruentes ipso, possidentes ipsum, perfecteque ab ipso possessi : et quæ rite justitiam ejusdem Dei, hoc est, fidem ipsius, obedientiam, amorem, omnemque perfectam virtutem, qua justitia vere justi sumus, Deique regnum et meremur, et consequimur in æternitate.

MEDIA.

Ardens desiderium; nam, ut recte advertit S. Chrysostomus, is Dei mos est ut quoties videt animam multo desiderio promptitudineque intentam spiritualibus insistentem, liberaliter illam gratia, et opulentis donis suis locupletet. (S. Chrys. *ho.* xliv, *in Gen.*) Abundantius vero fructus hujus desiderii explicans S. Laurentius Justinianus dixit, ad perfectionis fastigium desiderio impellente pertingi; ipso enim prorogatur gratia, dimicandi subsistit peritia, additur robur, adversariorum debilitantur vires, virtus augetur, spe erigitur animus ad cœlestia; virtutis præcedente, ac concomitante concupiscentia Sancti naturam vicerunt, superarunt dæmones, debellarunt mundum, seipsos subegerunt, diripuerunt, cœlum, imitatores facti sunt Dei. Virtutum desiderium præcellit miraculorum operationem, prophetiæ donum, linguarum genera, interpretationem sermonum, sanitatum gratiam, cognitionem cœlestium, naturalium scientiam. Multi talibus ornati perierunt, virtutibus autem nemo. Semper virtutum desiderio munitus incedat, qui vi cœlorum conatur diripere regnum. (S. Laur. Justin. *de int cons.*, c. ix.) Sed et S. Isidorus Pelusiota recte advertit : Qui virtutem amant, ac sapientiæ studio tenentur, inexplebili quadam cupiditate flagrantes divinam hanc facem in animis suis excitare minime intermittunt, hoc quidem pro serio opere, alia autem omnia pro rebus levioris operæ ducentes. Ac propterea parva esse videntur, quæ alii magna, et ampla existimant; atque ea, de quibus alii digladiantur, risui habent, et quæ alii suspiciunt, pedibus proculcant, cœlestiaque sola expetunt. Cum igitur in hujusmodi chorum nomen tuum adscribere in animum induxeris (scribit Strategio monacho) æquum profecto fuerit, te insomnem animæ oculum conservare, nimirum, ad attendendum studio virtutum. (S. Isidor., l. III, *epist.* cccxxiv.) Cui etiam S. Laurentius Justinianus adstipulatur dicens : Ad perfectionis fastigium, quod triumphus est pugnæ, virtutum desiderio impellente pertingitur. In ipso prærogatur gratia, dimicandi subsistit peritia, per ipsum quoque additur robur, adversariorum debilitantur vires, virtus augetur, spe erigitur animus, patentque cœlestia, virtute præcedente, ac concomitante Sancti naturam vicerunt, superaverunt dæmones debellaverunt mundum, subegerunt seipsos, diripuerunt cœlum, imitatores facti sunt Dei. Quid referam amplius ! Virtutis desiderium præcellit miraculorum operationem, prophetiæ donum, linguarum genera, interpretationem sermonum, sanitatum gratiam, et cognitionem cœlestium. Multi talibus ornati perierunt, virtutibus autem nemo. Semper virtutum desiderio munitus incedat, qui vi cœlorum conatur diripere regnum. Hinc S. Gregorius Nazianzenus, primo post Dei auxilium loco ponit desiderium, causam sui profectus. Ita demum, inquit, progrediebamur, Deo, et cupiditate adjutoribus utentes. S. Laur. *Just.* c. ix, *de inter Conflict.*

Meditatio frequens : per quam necessitas, utilitas, dignitas, jucunditasque virtutis sæpe, ponderatur ; ex hac enim meditatione exardescet ignis amoris, et desiderii erga virtutem.

Oratio crebra, et ardens : ita enim David suo exemplo docuit, dicens : Quacumque die invocavero te, exaudi me : multiplicabis in anima mea virtutem (*Ps.* cxxxvii.) : nam sicut terra, licet culta, ac semine plena non statim fruges producit, sed clementiam cœli expectat; sic virtus nequaquam solis præceptis innititur, sed sursum datur, ac cœlesti irrigatione perficitur. Hinc Sanctus Jacobus c. i, suasit dicens : *Si quis vestrum indiget sapientia* (seu virtute, quæ est vera sapientia) *postulet, a Deo qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* (*Langius in Polyan. f.* 1209.) Hoc ipsum medium etiam præ cæteris suasit P. Petrus Faber e Societate Jesu, qui inter monita Sodalitati Parmensi a se relicta, hoc quoque reliquit : Ubi Sacerdos Christi Corpus rite confecerit, aut elevatum ab ara sublime populo præmonstrarit, tum vos (quod in summis numerandum est donis) petetis a Deo famem, sitimque Justitiæ. L. I, *vit.* c. vii.

Conatus serius, et constans exercitium virtutum; nam, ut recte S. Bernardus dixit, virtutes non natura, sed usus facit. (S. Bern. *l. de consil.* xi.) Et, ut ait Aristoteles, sicut ædificando ædificatores, citharizando citharœdi efficiuntur; ita quoque justa agendo justi, temperantia temperantes, fortia fortes evadimus. Non dat natura virtutem, inquit Seneca : Ars est, bonum fieri, virtus non contingit animo, nisi instituto, et edocto, et ad summum assidua exercitatione perducto. Omnis habitus, et facultas, ait Epictetus, assiduis actionibus conservatur, et crescit. Et, ut ait Plutarchus : Si vel parum pergas superaddere parvo, idque frequenter agas, magnum cito habebis acervum. Non de pecunia dumtaxat augenda, verum est, sed ad omnia pertinet, maxime ad virtutis incrementum, cum ad doctrinam, assidua, atque efficax adjungitur assuefactio. (*Aristh.* l. IV, *Eth.* c. iv.) Hinc noster P. Petrus Faber malebat propter virtutum inopiam quam propter quotidianas noxas minimas, compungi. (*Vit.* l. II, c. xi.) Quo in errore hi plerumque versantur, qui sanctitati præ cæteris student, ut ad errata quotidiana, magis intendant aciem, quam ad lucra virtutis. Cujus et aliquando fraudis Fabrum piguit, studiosius forsitan persecutum artes errandi, atque cadendi, ut ipse in quodam suo scripto loquitur, quam ipsa decora, et ornamenta virtutum. Quamquam enim virtus est, vitia fugere, ut præstans Poeta dixit : tamen in unis deplorandis, contemplandisque peccatis, perpetuo hærere defixum, nec majora, et potiora suspicere, id animi retardat impetum grandia molientis, et ipsa infringit, atque hebetat incrementa virtutis, quæ denique ipsa esse non possunt, sine fuga, et diminutione vitiorum. Denique exercitium hoc adeo est necessarium, ut sicut bellator sine armis esse non potest; ita nec sine exercitatione virtus. Unde et Dominus in Evangelio ait : A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum cogitur, et cogentes diripiunt illud. Idipsum confirmans alibi ait : Nulla sine labore virtus est, quia labor virtutis processus est.

Examen assiduum super progressus : quod remedium S. Augustinus sequentibus verbis suasit : Proficite, fratres mei, discutite vos ipsos sine dolo, sine adulatione, sine palpatione; non enim est aliquis intus tecum, cui erubescas, et jactes te. Est tibi, sed cui placet humilitas; ipse te probet. Proba et teipsum tu ipse. Semper tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod non es; nam ubi tibi placuisti, remansisti. L. II, s. xv, *de verbis Apost.*

Longanimitas : uti commune illud distichum, omnia potiora media comprehendes indicat :

> Exopta, meditare, ora, atque operare frequenter.
> Excute te crebro, longanimisque mane.

Si enim mendici diu ante domum divitis expectantes, nummum tandem extorquent; quis dubitet, eum qui magna cum patientia fores liberalissimi Dei sæpius pulsat, demum optatissimum virtutis donum obtenturum.

Peccati fuga : nam, teste Sancto Bernardo, non potest virtus pariter cum vitiis crescere; ergo ut illa vigeat, ista crescere non sinantur. (*Serm.* LV, *in cant.*) Idipsum Sanctus Basilius duabus similitudinibus confirmans ait : Impossibile est, ut capaces divinæ gratiæ reddamur, nisi perturbationes, et vitia, nostras animas possidentia, prius ejiciamus. Vidi ego medicos non prius medicinas salutares dare, quam vomitu materiam illam verbi evacuassent, quam ex malæ diætæ genere homines intemperantes sibi ipsis creaverant. Sed et vas, quod humore quopiam odoris tetri, et graveolentis præoccupatum fuerit, atque imbutum, ni id elueris diligenter, odorati cujuspiam unguenti influxum neutiquam poterit recipere. Opus itaque, ea, quæ prius insunt, effundere, ut eorum fiat capax, quæ immittere constuisti. (*In Ps.* LXI.) His tertiam similitudinem adjungens Boetius canit :

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat arva prius fruticibus,
Falce rubos, silicemque resecat,
Ut nova fruge gravis crescat.
L. III, *de consolat. met.* I.

Sed et quartam similitudinem idem S. Basilius addidit, dum dixit : Principium recuperandorum bonorum est recessio a malis : declina, inquit, a malo, et fac bonum; si enim tibi statim proposuisses perfecta, pigrius ea aggressus fuisses : nunc vero iis, quæ facilius comprehenduntur, te assuefacit, quo majore animo sequentia aggrediaris. Ut enim in scala primus ascensus est a terra discessio; ita in divina politia principium progressus secessio est a malis. *Ora.* VII, *de virt. et vitio.*

Exempla Sanctorum frequenter considerare : nam teste S. Gregorio, plerumque ad exercenda bona opera, aliena non exempla utiliter persuadent, et cum mente humili opinionis alienæ bona suscipimus, nobis vel ad melius bona producimus, vel ad bonum mala permutamus. Cumque nos de vita proximi famæ splendor irradiat, mens nostra, quæ ad obtinendum virtutis iter se dirigit, quasi in lunæ lumine gressus ponit. (L. XXII, *mor.* c. VII.) Nimirum uti ruta alioquin amara juxta ficum posita dulcior fit, et mitior, teste Pierio, (S. I, *hieroglyph.*) ita is, qui amaris est moribus, mitescit in societate bonorum. Uvaque conspecta livorem ducit ab uva.

ASCETICA.

Quinque sunt, quæ de virtute præcipue bene ab Asceta discenda, aliisque inculcanda sunt ; *Primum est, ut cognoscat proprietates, seu indicia virtutis solidæ,* quarum tres sunt præcipue. Prima est, ut sit *pura*, id est, ex legitimo motivo elicita; nam, ut eleganter Sanctus Augustinus dixit : Virtutes non officiis, sed finibus distinguuntur. Officium autem est quod faciendum est; finis vero, propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, peccare non videtur; cum autem non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Ut vero sciatur, qualis finis præfigendus sit, paulo post addit : Absit autem, ut virtutes veræ cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus : Domine Deus virtutum converte nos; proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel commodis, et emolumentis corporalibus serviunt, veræ esse non possunt. Quæ autem nulli rei servire volunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviant in hominibus, a quo donantur hominibus. (S. AUG. l. II, *cont. Julian.*) Altera proprietas est, ut *discreta* sit : nam discretio, teste Sancto Laurentio Justiniano, omni virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorem et perpetuitatem confert. Imo non solum virtus est, sed virtutum moderatrix, ordinatrix effectuum et doctrina morum, quæ fixo gradu possessorem suum perducit ad Dominum; nulla enim virtus perfici potest sine discretione. Tolle hanc, et virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ. Hæc virtus lucerna est, in viam Paradisi dirigens. Hæc bona Domini multiplicat nobis commissa, thesaurus quippe desiderabilis in tabernaculo prudentis, sed imprudens homo dissipabit. (S. LAUR. *Just. l. de ligno vitæ* c. III.) Porro discretio ista in eo consistit, ut medium ubique teneatur, nam, ut recte Sanctus Bernardus discurrit, medium vitiorum virtus tenet, ac proinde sedula eget non solum putatione, sed circumcisione : alioqui verendum est, ne circumquaque a lambentibus, vel potius rodentibus vitiis, illa, dum nescit, paulatim elangueat, aut, si supervenerint, suffocetur. Unum in hoc discrimine consilium est, observare diligenter, et mox, ut renascentium capita apparebunt, prompta severitate succidere. (S.

Bern. s. liv, *in Cant.*) Aliud ad discretionem hanc obtinendam medium Sanctus Gregorius suppeditat sequentibus verbis : Semel virtutum sensus, hoc est, pondera, et quanti quæque sit virtutis actio, ac qualis, melius preces, quam discussiones, inveniunt; nam ea quæ perscrutari in nobis ipsis nitimur, sæpe verius orando, quam investigando penetramus; cum enim mens ad alta per quamdam contemplationis machinam sustollitur, omne, quod ei de ipsa occurrit, sub seipsa dijudicando certius contemplatur. (S. Greg. l. II, *mor.*) Sed et Cassianus suam hoc in negotio symbolam conferens ait : Nullatenus decipi poterit quisque, si non suo judicio, sed majorum vivat exemplo : nec valebit ignorantiæ ejus callidus hostis illudere, qui universas cogitationes nascentes, perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobat, vel admittit. (*Cas. coll.* 2, c. xi.) Tertia est, ut *constans* sit : id est : non tantum prosperitatis, sed etiam adversitatis tempore exerceatur : quam proprietatem apte nonnulli bona similitudine explicant, quarum prior ex facie fucata, et naturaliter pulchra desumitur; nam sicut illa superfusa aqua calida colorem, et cum hoc etiam decorem, amittit : hæc autem non conservat modo pulchritudinem, sed etiam auget; ita vera virtus in infirmitatibus, et adversis perficitur, falsa vero deficit, et vitium suum prodit. Posterior ex pastillis pulverem nitratum, vel materiam pro grato fumo excitando aptis desumitur, quarum illæ igni admotæ undique flammas, et ingratum odorem spargunt, hæ vero constantem lucem, et suavem odorem emittunt; ita namque, et homines virtuosi etiam inter adversa sibi constant, et lucem, ac odorem boni exempli præbent; secus vero falsæ virtutes : hæ enim potius ignem, id est, vindictam, et indignationem, aspirant, et per hoc pessimum odorem mali exempli relinquunt.

Secundum est, ut magnam habeat æstimationem de virtute, quam quidem ut concipiat, nihil perinde conducet, quam si certo sibi persuaserit, in hac totam hominis felicitatem in hac vita consistere, simulque semen pro futura quoque sempiterna felicitate contineri; cum vere cujusque rei felicitas in assecutione finis consistat; finis autem hominis in hac vita sit vivere secundum rationem, in altera vero in fruitione beatifica Dei, consistat; ad quam utramque obtinendam virtus sola unicum est efficacissimumque medium, ut ex superadictis patet.

Tertium est, ut bene cognoscat ordinem connexionemque virtutum inter se; quem quidem clare Sanctus Laurentius Justinianus indicavit, dum dixit : Dilectionis radix est charitas, virtutes vero cæteræ spirituales rami esse noscuntur, in illa tamquam radice insertæ. Succide radicem, et repente rami, fructus exsiccantur, et folia. Tolle de corde hominis justificati charitatem, et infructuosæ cæteræ efficiuntur virtutes. (*De triomp. Christi agone* c. xiv.) Sicut autem rami sine radice non fructificant; ita nec radix sine ramis; et fructibus proderit; unde sic quisque studere debet charitati, ut cæterarum quoque virtutum studium non intermittat; nam, ut sapienter discurrit Sanctus Gregorius : Una virtus sine aliis, aut omnino nulla est, aut imperfecta, quia nec prudentia vera est, quæ justa, fortis, temperans non est : nec perfecta temperantia, quæ fortis, justa, et prudens non est : nec fortitudo integra, quæ prudens, temperans, justa non est : nec vera justitia, quæ prudens, temperans, fortis non est. (Lib. XII, *mor.* c. i.) Cujus ratio ex ipsa finis ultimi natura, atque perfectione desumenda est; cum enim hæc in unione perfecta cum Deo consistat, ideo prius quidem requiritur Fides, per quam saltem in ænigmate, idest confuse, cognoscatur; quia vero nihil appetitur, nisi cujus obtinendi spes concipitur, ideo et hæc charitati permitti debet, et tum demum charitas propositum sibi bonum amplectitur. Neque tamen in hoc amplexu sistit, sed, cum Deus felicitatem æternam nos per merita propria obtinere velit, ideo prudentiam exigit, quæ docet media eligere ad talem finem consequendum, qualia sunt, ut debitum Deo, et proximo cultum, et amorem exhibeamus, ad quod præstandum justitia inclinat; verum non sine grandi difficultate, quam duplex impedimentum, scilicet cupiditas bonorum sensibilium, et timor variarum difficultatum in virtutis exercitio occurrentium creant, ad quorum proinde impedimentorum remotionem aliæ duæ virtutes, temperantia nempe, et fortitudo, ordinantur, quarum prior inordinatam cupiditatem, posterior timorem inordinatum coercet, rationique subjicit.

Quartum est, ut apta solidaque cognoscat media ad virtutem addiscendam; qua quidem supra in paragrapho antecedente copiose sunt explicata, atque adeo hoc loco non sunt repetenda.

Quintum est, ut bene cognoscat indicia ex quibus profectus in virtutibus cognosci potest; quæ frequentia a probatis auctoribus assignantur :

(1). *Primum est, si opera quotidiana virtutum promptius, et facilius eliciantur, quam antea;* nam, ut recte advertit S. Theodorus Studita : Inquietum est quid virtus, quæ haud cessat unquam, quin præditos se in melius provehat semper. (S. Theod. s. cviii.) Quod demonstrans Apostolus ait : *Quæ retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis, in Christo Jesu :* ut quies sit in virtute nulla. Nam a virtute quies, vitiis est exordium. Itaque nec nos quiescamus, fratres, a virtutis curriculo, sed assiduo pernices, ac novitii, e robore in robur provehamur, dum in virum adultum evadamus, necnon in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

(2). *Secundum est, si cum minore repugnantia amoris proprii, et vitiatæ naturæ fiant;* nimirum, ut Abbas Nestero ait : Ita virtutum perfectione mens sit nostra formata, ut talis non jam coacta, et quasi violento imperio subjecta famuletur, sed tamquam naturali bono delectetur, atque pascatur. (*Collat.* xiv, c. iii, *apud Cas.*) Hanc repugnantiam in bono abigit frequentatio bonorum operum. Nam, ut docuit Christus Dominus Sanctam Birgittam : Ego habeo unum gazophylacium, in quo sunt reposita, et gravia quasi plumbum, et cella, ubi ista sunt, est circumsepta acutis aculeis pungentibus. Sed qui hoc primo incipit vertere, et revolvere, et deinde portare didicerit, levia videntur sibi postea, quasi pluma, et sic levissima fiunt, quæ antea ponderosa videbantur, et suavia, quæ antea pungere videbantur. Hoc gazophylacium est amor meus; via, quæ ducit ad illud est abnegatio, et abjectio propriæ voluntatis. In amore autem meo videtur aliquibus esse onus, quasi plumbum, quia, cum jejunare debent, et vigilare, seu refrænare carnem, quasi plumbum sibi portare videntur. Si autem verba, et contumelias audierint, si in religione, et oratione morantur, quasi inter aculeos resident, et in omni hora angustiantur. Sed qui in amore meo esse vult, incipiat primo vertere onus, id est, faciat ea quæ potest, cogitando sic : Hoc bene facere possum, si Deus dederit mihi auxilium ; deinde perseverans in incepto, cum tanta alacritate, quæ videbantur sibi prius esse onerosa, incipit portare, quod omnis labor in jejuniis, seu vigilis, et aliis laboribus quibuscumque, est sibi tam levis, quasi pluma. Et in tali sede quiescunt amici mei, quæ est malis, et desidiosis quasi circumsepta aculeis, et spinis : sad amicis meis est summa quies, et levis quasi rosa. Ad gazophylacium est via recta contemptus propriæ voluntatis, quando homo, considerata passione, et charitate mea, non curat facere voluntatem suam, et resistit totis viribus, et conatur semper ad majora. Et licet ista via in principio sit aliquantulum gravis, tamen in processu multum delectat, in tantum, quod ea, quæ prius videbantur ad ferendum impossibilia, fiunt postea levissima, ut merito dicat intra se : *Jugum Dei suave est.*

(3). *Tertium est, si cum gustu quodam, et delectatione fiant*, uti Sanctus Barlaam promittebat Sancto Josaphat a se converso : Omnibus, inquit, viribus assuesce virtutibus, easque ita cole, atque exerce, ut earum habitus tibi comparetur. (*Vit.* c. xix.) Nam si paulum laboris in ipsis susceperis, atque earum habitum contraxeris, postea, ut reipsa se expertum Sanctus Augustinus fatetur : dicens : Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, tu vera, et summa suavitas, et intrabas pro eis, omni suavitate dulcior. S. Aug. l. IX, *conf.* c. xi.

(4). *Quartum est, si cum majori fervore, et actuum intentione fiat.* Quod indicium Sanctus Abbas Theodorus apud Cassianum indicavit, dicens : Cum ita spiritus ardore succensus, ad ea, quæ invisibilia sunt, et æterna, et tota animi alacritate transmigrat, ut nequaquam se credat jam in carne consistere, hoc est, ac si non esset in carne, sed totus spiritus quidam, ob fervorem spiritus. (Cass. *col.* 6, c. xx,) Imo lumine naturæ edoctus Plutarchus in Moralibus ait : Ut non est verus amor, qui caret zelotypia ; ita non amat vehementer virtutem, nisi qui ardet æmulatione recte factorum ab aliis. Ideo S. Climacus ait : Monachus est, qui ita virtutibus affectus est, ut esset voluptatibus alius, scilicet affectu magno, et fervore.

(5). *Quintus est, si constanter, etiam tempore adversitatum, exerceatur;* nam, ut recte

S. Dorotheus dixit : Quanto magis anima profecerit, tanto robustior efficitur, et ad quævis molesta ferenda validior. (S. DOROTH. *Ser.* VII.) Adeo violentis debet esse amor virtutis, ait Sanctus Chrysostomus, atque, ut ita loquar, tyrannicus, ut nulli cedat occasioni, sed continenter inhæreat amantis animo neque committat, ut ulla afflictio, aut ullus labor superet animum. (S. CHRYS. *ho.* II, *ad Phil.*) Nam, ut ait S. Bernardus, virtus, si perfecta sit, facile animum victorem sui, et invictum reddit ad omnia. Bene dixit, ad omnia, scilicet non tantum ad adversa, sed etiam ad prospera, quorum desiderio multi resiliunt a studio virtutum. *Ser.* XXXVIII, *in Cant.*

(6). *Sextum est, si celeriter, et quasi connaturali inclinatione, eliciatur;* nam, ut S. Ambrosius recte dixit : Opus Dei præproperam etiam festinationem exigit. (S. AMB. K. *de* XLII, *mans.* n. 26.) Talis erat virtus Sancti Ignatii Loyolæ, de quo apud Orlandinum dicebat P. Andreas Frusius (quem Ignatius, aliique noti ob innocentiam vitæ, singularemque sapientiam, Angelo simillimum judicabant) cœlestem Christi gratiam in Ignatio quasi ingenitam, ac naturalem videri, adeo constanter, ac semper ubique, adeoque facile modum, virtutemque servabat. ORLAN. l. XVI, *hist. Soc.* n. 123.

(7). *Septimum est, si quis alios etiam ad similem virtutis amorem perducere studeat;* sicque illud Plinii encomium mereatur, quod dedit Trajano Imperatori : Tanto laudabilior es, quod cum ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti. Quod quidam iis potissimum curandum est, qui vel præsunt aliis, vel ad talem statum sunt vocati, cujus finis est in aliorum quoque salutem, ac perfectionem incumbere; ii enim conari debent juxta Apostolum, ut exhibeant omnem hominem perfectum in Christo Jesu. Nec contenti esse debent levi aliqua perfectione, sed ad altissimam aspirandum est. Medici animarum, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus, scopus est, animæ pœnas addere, ac mundo eam eripere, Deoque dare, et Christum per Spiritum Sanctum in pectoris domicilium admittere; atque, ut summatim dicam, eum, qui superni agminis sit, Deum efficere, ac supernam beatitudinem ei comparare. S. GREGOR. NAZ. LXIX, 5.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem* (*Prov.* IX, 1) : potest breviter natura, et connexio virtutum septem, Theologicarum, et moralium, explicari; et in priori quidem parte ipsa connexio, ejusque necessitas ostendi, ut in paragrapho proximo num. 3, videri est. In posteriori vero parte demonstrari potest præstantia hujus domus, tum ex dignitate illius, cui præparatur, scilicet Sapientiæ increatæ; tum ex affluentia bonorum, quæ in ea continentur : nam omnia bona venerunt pariter cum illa; tum ex ipsa pacis, et securitatis jucunditate, quæ in ea percipitur, non enim contristabit justum, quidquid ei acciderit. (*Prov.* XII, 21.) Unde tandem auditores excitari possunt ad omnem conatum, et laborem, in hac domo ædificanda adhibendum, illaque Davidis verba in memoriam revocari : Totis viribus meis præparavi impensas domus Dei mei, opus enim grande est; neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. I. *Paral.* XXIX, n. 1 et 2.

Ex occasione thematis : *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa* (*Sap.* VII, 11) : possunt explicari motiva ad virtutis studium impellentia, et ostendi, quod triplex illa bonitas, quam homines tantopere appetunt, nullibi melius, quam in virtute, reperiatur. 1. Ergo probetur solas virtutes esse veras divitias, atque adeo utile bonum, ut supra § 2 et 3, ex SS. Paulo, et Bernardo offendimus. 2. Pariter demonstretur veros honores, et dignitates per solam virtutem obtineri; hæc enim est unica causa, ob quam homo dignus honore æstimari potest. 3. Delectabile quoque bonum ab ea sola provenire; vere enim, si gaudium est in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis, et magnæ virtutis homo, id quod per comparationem cum felicitate æterna ostendi potest. Vide Franciscum Labatam in loc. comm, prop. I, II, XI, XIV.

Ex occasione thematis : Jesus *autem proficiebat sapientia, ætate, et gratia coram Deo, et hominibus* (LUC. I) : ostendatur, quomodo quivis homo ætatem suam fructuose impendere, et cum Christo crescere debeat, scilicet in *sapientia*, id est, rerum cœlestium, pura supremi finis, et mediorum ad illum ducentium, cognitione, et *gratia*, seu charitate, per quam suprema felicitas obtinetur, et tanto quisque Deo hominibus gratior, amabiliorque efficitur, quanto plus in hac virtute profecerit, ut variis exemplis facile demonstrari potest.

Ex occasione thematis : *Exercitatio corporalis ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ* (I. *Tim.* IV, 8.) : probari potest, solam virtutem esse quasi animam hominis, et 1. quidem *vegetativam*, quia per hanc solam ab intrinseco movetur, et per intus susceptionem augetur, et crescit in gratia, et gloria. 2. *Sensitivam :* quia per hanc solam vere *videt* ea, quæ videre debet, scilicet ultimum suum finem, et media ad illum necessaria : *audit* verbum Dei, et custodit illud : *odoratur* odorem suavissimum exemplorum Christi, et Sanctorum : *gustat* suavitatem consolationum cœlestium : et *tangit*, apprehenditque opera vocationi suæ, statuique congrua : ac denique movetur ambulando per triplicem viam, purgativam, illuminativam, et unitivam, eundo de virtute in virtutem. 3. *Rationalem :* per virtutem enim meretur *memoriam* eorum omnium, quæ ad cognoscendum, et amandum Deum pertinent : *intellectum* objectorum supernaturalium, et præcipuæ proprietatum, et attributorum divinorum, ac suarum propriarum imperfectionum : *voluntatem* optime ordinatam, et ad omne bonum propensam. Excitetur proinde auditor, ut de virtute sibi applicet, dictumque putet illud Salomonis : Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit. *Prov* IV, 13.

Ex occasione thematis ; *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus* (*Psal.* XLI, 14.) : demonstrari potest, omnem bonitatem, et perfectionem hominis in virtute consistere, quia hæc sola omnes conditiones ad verum bonum requisitas continet. Nam 1. hæc sola directe id finem ultimum ducit, ob quam conjunctionem (puta cum summo bono, seu bono per se) quælibet res, sed præcipue homo, respective bonus dicitur. 2. Hæc sola in cujusvis hominis potestate est, et quovis tempore, statu, et loco exerceri et possideri potest. 3. Hæc sola inauferibilis est, cum, etsi omnia alia cum ipsa vita auferantur, hæc tamen nolenti eripi numquam queat; ut adeo merito Philosophus quidam rogatus, an non doleret, se bonis suis exutum, et e patria pulsum esse, responderit : Cur doleam? omnia mea mecum porto. Hoc fundamento posito, ostendatur, quam insipienter agant, gravissimeque errent, qui vel in divitiarum, vel in honorum, aut voluptatum sensibilium abundantiam suam felicitatem positam existimant, cum omnia hæc extrinseca sint, et e fortuna, vel aliena voluntate dependeant, ideoque contra voluntatem auferri possint. Quæ omnia confirmentur tandem exemplo Salomonis, hæc omnia præ omnibus hominibus abundanter possidentis, et tamen postremo fatentis, se in iis nihil nisi vanitatem, et afflictionem animi reperisse.

Ex occasione thematis : *Sine me nihil potestis facere* (JOAN. XV, 5.) : ostendatur, virtutem esse optimum instrumentum ad non suam dumtaxat, sed alienam quoque, salutem cum fructu procurandam ; idque probetur 1. auctoritate ipsius Christi dicentis ad Apostolos : Ego sum vitis vera, vos palmites : sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis, scilicet per virtutem charitatis, et aliarum cum ipsa connexarum. Hinc neque ac prædicandum Evangelium ipsos dimittere prius voluit, quam virtute ex alto induerentur. 2. Idipsum ostendatur ex conditionibus ad verum instrumentum requisitis ; nam in primis conciliat *auctoritatem*, tam necessariam operario ; hinc virtus, et scientia plerumque soli, et lunæ comparantur, ut ostendatur, sicut lunam lumen a sole, ita scientiam, et alias similes dotes a virtute suam dignitatem, æstimationemque accipere, ut adeo recte Petrus Chrysologus dixerit : Magisterii auctoritas constat ex vita; dicenda faciens perficit auditorem : e contrario vero, cujus vita despicitur, restat, ut etiam prædicatio contemnatur. Deinde confert *efficaciam :* uti clare Christus loco supra citato per similitudinem vitis, et palmitum insinuavit (*Ser.* CLVII.) ; et S. Paulus egregie confirmavit, dum dixit : Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, et cymbalum tinniens (I. *Cor.* CV, 1.) nimirum longum iter per sermones, breve, et efficax per exempla, quia plerumque homines plus oculis, quam auribus, credunt ; hinc Sanctus Ignatius suos tantopere hortatus est, ut omnes in virtutum solidarum, ac perfectarum, ac spiritualium rerum studium incumberent, et in illis majus momentum, quam in doctrina, vel aliis donis naturalibus, et humanis, constitutum esse ducerent; illa enim interiora esse, in quibus efficaciam ad exteriora promanare ad finem nobis propositum oportet. (*P.* x, *Const.* § 1.) Denique *securitatem* etiam magnam continet; nam a triplici periculo, quod plerumque imminet operario, fortiter eum defendit; non enim permittit eum efferri per *vanam gloriam* ex prospero operum successu, cum doceat ipsum, ejusmodi successum non sibi, sed gratiæ Dei, adscribere, dicereque cum S. Davide : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo, de gloriam, (*Ps.* cxiii, 9.) et cum S. Paulo : Abundantius illis omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum. (I. *Cor.* xv, 10.) Nec sinit per conversationem cum peccatoribus eorum *vanitate* imbui; quia illum perinde ut tres pueros Babylonicos ab igne concupiscentiæ sæcularis defendit, existens similis Filio Dei : estque ea ipsa herba, qua olim P. Araozius e Societate Jesu fatebatur se in aula versantem ab omni graviori lapsu fuisse præservatum. Nec denique sinit *adversis casibus frangi*, et ab incepto desistere; quia propter amorem sui, velut pulcherrimæ Rachelis, omnes labores, et adversitates ei breves, et leves facit, ut adeo merito animæ veri operarii virtute hac instructi illud Sponsæ elogium applicetur : Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens (propter intentionis rectitudinem) pulchra ut luna (propter scientiæ abundantiam) electa ut sol (propter fervorem charitatis) terribilis ut castrorum acies ordinata (propter constantiæ, patientiæ, humilitatis, aliorumque similium virtutum copiam.)

ALII CONCEPTUS.

Isaias vidit Dominum in throno excelso, et elevato, et duo Seraphim, qui contentis vocibus, et alternis vicibus illi acclamabant : *Sanctus, Sanctus Sanctus :* Isaia vi, 3. Ergone aliud nihil, aut viderunt, aut invenerunt in tanta Majestate ardentes illi præcones, quod admirarentur, ac dilaudarent, quam unicam, solamque sanctitatem? Non poterant prædicare omnipotentiam, omniscientiam, justitiam, misericordiam, et ex infinitis attributis ejus alia aliqua? Respondet S. Ambrosius, a sanctitate potissimum extulisse Deum, ut intelligeremus, sanctitate nihil debere esse nobis antiquius, nihil carius, aut venerabilius. Deum enim ipsum cum sanctitate laudamus a digniore commendare non possumus : Nihil pretiosius invenimus, quo Deum nominare possimus, nisi ut sanctum appellemus, inquit ille l. III, de Spir. S. c. xviii. Plutarchus Tract. de doctrina Principum (ut ne illud Ambrosii nimium mirere) plus dixit : Non felix est Deus vitæ spatio, inquiens, sed eo, quod est princeps virtutis : nisi enim Deus esset æque sanctus, ac æternus, miseram ageret æternitatem, aut æternam miseriam. Quomodo ergo possit homo de quacumque gratia gloriari, dum illa careat, charum gratumque Deo, quæ facit? Ut desint cætera, hæc una illum locupletissimum facit : abundet aliis, absque hac, omni mendicabulo magis mendicus est. S. Ambr. l. III, *de Sp. Sanct.* xviii.

Lucæ xv, aiebat Dominus : *Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat eam*? S. Gregorius Nyssenus plurimum admiratur tam sedulam, solicitam, et avaram hujus mulieris in conquirenda una drachma curam, quæ fecit, ut et lucernam medio die accenderet, et everreret, tantumque non everreret domum, et omnia locis suis moveret, et nullum angulum inexploratum relinqueret. Si novem reliquas perdidisset, magnitudo jacturæ tantum conquirendi laborem meruisse, videri posset. Quæ vero drachma illa fuit, quam tanto studio indagavit, sine qua nullam putavit habere reliquam, tametsi novem superessent, qua sola se magis divitem putavit, quam cæteris omnibus? Respondet S. Nyssenus, hanc drachmam esse gratiam Dei, quæ nos in illius amicitiam asserit, quæ nos illi acceptos, et charos facit. Ea vero sola tam studiose, ac solicite investigatur, cæterarum præ hac ratio nulla habetur. Quæ gratia Dei destituta est anima, ea tam est orphana, tam vidua, ut cæteris omnibus bonis, donis, ornamentis exutam nudatamque existimare possis; reliqua nempe omnia absunt, ubi non adest illa : Et si omnes adsint (puta virtutum quarumvis facultates) illa tamen una remota sit ab animo illo viduo, nulla existit utilitas. S. Greg. *Nyssen. de Virg.* xii.

S. Joannes Chrysostomus apud Anastasium Nicænum quæst. xviii, magnopere admiratur Moysen, quod tantum vestium ornatum Aaron concesserit, quoad ministerium Dei uteretur, ipse vero nihil Pontificalium ornamentorum sibi usurpaverit, qui tamen cum

Deo familiarius, quam Aaron, quin, et facie ad faciem, loquebatur. Erat Moyses illa veste nudatus, Moyses non fuit unctus oleo, non gestavit vestem sacerdotalem, inquit ille : Quamobrem vero non similiter ac Aaron, cum vestitus sacri majestate ille magis uti debuisse videbatur, qui cum Deo familiarius communicabat? Respondit sanctus Doctor; Ut discas, quod ei, qui est secundum Deum perfectus, ornamentum sufficit virtutis. Quod Moyses non splendide, ut Aaron, et cæteri Sacerdotes, se vestivit, non id factum, quod ejusmodi ornamenta non plus illis mereretur : sed ut nos admoneremur, perfectionem, neque in Pontificia, neque in alia, seu regia, seu majore potestate positam esse, sed in eo, quod quis sit impiger Dei servus, et gratiosus illius; seu Pontificiam cidarim, seu regium diadema capite gestes, nihilo illustriorem facit ornatus, si gratia nudus est animus : Ei vero, qui est secundum Deum perfectus, ornamentum virtutis sufficit. *Anastas. Nicæus.* c. XVIII.

Quis Christo conjunctior in terris, quam quæ illum peperit terris? cui alteri tam propense addictus ille fuit, quam suæ sanctissimæ Matri? Erga illam prolixus fuit, quantum erga hominum aliorum neminem. In illam congessit donorum, et gratiarum ornamenta, quanta conferri in creaturam aliquam possunt, et hoc tamen illi non dedit, quod plurimis aliis longe inferioribus, ut, solemnem Baptismum conferre, consecrare, benedicere, et alia his affinia facere posset, sed neque hoc indulsit, ut Regina mundo imperaret, quod mulieres aliæ nonnullæ fecerunt. Quamobrem talia Matri optimæ Filius potentissimus negavit? Sanctus Ephiphanius lib. III, hær. 79, respondet : Non permisit Deus Beatæ Mariæ dare Baptisma; non benedicere discipulos, non imperare in terra jussit, sed solum ipsam sanctificationem esse voluit. Exornavit, locupletavitque Matrem suam ea virtutum copia, ea sanctitatis affluentia, qua nullum in terris hominem, nullum in cœlis Angelum, cui baptizandi, consecrandi, benedicendi munia non concessit, ut hinc intelligeremus, beatitudinem, etiam vitæ præsentis, qua Mater ejus supra omnem gavisa fuit, positam esse non in dignitatibus officiorum, non in bonorum titulis, non in majestate imperii, sed in sola sanctitatis gratia, inque Dei amicitia, ut proinde sola ea omni studio anxie quæri, et ardentissimis votis expeti debeat. *Epiph.* l. III, *hær*. 79.

Postquam e terra, et aula Regis Abimelec Isaac Patriarcha noster expulsus fuit, apparuit ei nocte quadam Dominus, utpote timore perculsum, et anxium in mediis solicitudinibus consolaretur, ait : *Ego sum Deus Abraham Patris tui, noli timere, quia ego tecum sum;* Genes. XXVI, 24. Quamdiu enim ego lateri tuo adhærebo, non erit, quod formides conjuratos in tuam perniciem hostes, aut persecutores adversarios pertimescas. Videtur hoc loco Dominus imperium suum angustis limitibus circumscripsisse, et plurimum coarctasse Jurisdictionem, inquit fere Sanctus Joannes Chrysostomus, cum se unius tantum subditi dominum facit; An nonne ad ostentandam magnitudinem potentiæ, et amplitudinem regni sui melius fecisset, si terræ cœlorumque Dominum et totius universi monarcham absolutum se pronuntiasset? Quid ergo est, quod jurisdictionem suam, et monarchiam sic contrahit, ut unius tantum hominis Dominum se vocet? Respondet Chrysostomus homil. 52, in Genes. Orbis Conditor unius hominis Deum se dicens, non concludit, et abbreviat cum Patriarchæ appellatione suum Dominum. Ita, inquit, eum mihi fecit proprium, ut apud me reputetur tanti, quanti alii homines. Quod ergo unius Abrahæ Dominum se Deus vocavit, ea re non in arctum coegit suum imperium, sed indicare voluit, unum Abraham sibi omnium reliquorum hominum instar esse. Docemur ea re, verissimum esse, quod hujus capitis titulus habet, nempe magnitudinem rei cujuspiam non in multitudine, neque pretium in mole, sed in valore, et qualitate, positum esse. Nam unius Abrahæ in una bilancis parte positi pondera apud Deum graviora erant, et pretium majus, quam totius mundi reliqui : Ita eum mihi feci proprium, ut apud me reputetur tanti, quanti alii homines. Sic videmus unum solem stellis omnibus potiorem esse, adamantem unum multis rudibus saxis præstantiorem. S. CHRYS. *ho.* LII, *in Gen.*

Concepit sterilis Rebecca, et geminos, Esau, et Jacob, quamquam magnis cum doloribus, enixa est : Quorum ille abominabilis fuit Deo, hic pergratus oculis supremæ illius majestatis. Fuit conceptio miraculosa, et postquam Jacob peperit, alios post hæc edidisse liberos, sacer textus non memorat, qui tamen hoc non dissimulasset, si illa prolem aliam mundo dedisset. Quærit ergo nunc eruditus interpres Guilielmus Eboracensis in cap. XXVI. Genesc. claus. IV, qu. 12, quamobrem formosa Rebecca finem pariendi fecit, postquam mundum felici illo partu Jacob nobilitavit? Respondet quæstioni : Quod non plures filios ediderit, hoc ideo forte fuit, quia post dictum miraculum rediit ad pristinum statum, scilicet sterilitatis; debuit enim illi sufficere genuisse Jacob, qui appretiari poterat super mille alios filios. Plus satis erat sterili matronæ, quod Deus illi aperuerat fœcunditatis fores, per quas ad illustrandum mundum prodiret tam magnus, et insignis Patriarcha, quam erat Jacob, qui solus liberos millenos exæquare poterat. *Guil. Eborac in* c. XXVI, *Gen. claus.* 4, *qu.* XII.

Sacrum oraculum, quod inter angustias posita Rebecca consuluit, hoc illi responsum dedit : *Duæ gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori :* Genes. XXV, 23, hoc est, Esau Jacobo. Sed cur minor Jacob reportabit benedictiones, et obtinebit primogenituram, cæterisque privilegiis domus Isaac potietur, et meliorem locum occupabit, quam natu major Esau? Una omnium expositorum responsio est, id factum, quod Jacob esset vir sanctus, perfectus, et qui adamussim voluntatis Dei vitam suam institueret; Esau vero, homo (ut illum Apostolus vocat Hebr. XII, 16.) profanus, simoniacus, gulæ deditus, aliisque flagitiis addictus, quibus animam suam contaminavit, et genus suum dedecore aspersit. Præcedat ergo Sanctus peccatorem, profanum religiosus quamquam profanus, et peccator tempore sit major, priorque ab utero matris in mundum prodeat, ut hinc accipiatur, illum in domo Dei esse antiquiorem, qui virtutum ditior; illum esse majorem tempore, qui bonorum operum meritis affluentior. Ille primus est (inquit Sanctus Petrus Chrysologus serm. LXXIII, de his ipsis gemellis loquens) quem cœlestis gratia generat, non natura mortalis; ille primus, quem gratia semper beate victurum gignit, non quem caduca natura propediem dissolvenda enititur. S. PETRUS, *Chrys. Ser.* LXXIII.

Sacer scriptor, cum ab annis Abrahamum, honestamque ejus conjugem describeret, quos habebant, quando Angelus miraculosam, et sanctam illis posteritatem promittebat, sic ait : *Erant ambo senes, profectæque ætatis;* Genes. XVIII, 11. Origenes Adamantius, homil. III, in Genesc. et Philo Alexandrinus lib. de Abraham hunc sacri textus loquendi morem diligenter expenderunt, atque illud in his verbis subnotarunt, quod horum conjugum provectior ætas prima commemoratur, sic ut majorum, quos habuerunt, nullus senex factus in ulla scripturæ parte superiore narretur. Hinc primum nominant seniorem, inquit Philo, quamvis majores ejus triplo, et amplius longæviores fuerint, quorum neminem legimus hac appellatione dignum habitum. Quid mysterii habeat, quod primus hic noster Patriarcha Abraham venerabili senis appellatione cohonestari meruit, cum illum ad id temporis usque plurimi annis plurimis superarunt, et non pauci secula tota, neque pauca supra quam ille, vixerint? Seth fuit annorum nongentorum, et duodecim, Enos nongentorum quinque, Cainam nongentorum decem, Malaleel octingentorum nonaginta quinque, Mathusalem nongentorum sexaginta novem, Lamech septingentorum septuaginta septem, et alii plurimi in longiores annos produxerunt vitam suam, quam Abraham. Quid sibi vult ergo, quod his tam decrepitis, et Abrahamo tam multo provectioribus honorificus senum titulus denegatur, quibus debitissimus videbatur, et uni credentium Patriarchæ ante omnes tribuitur? Respondet Philo : Proavorum Abrahæ neminem legimus hac appellatione dignum habitum, et merito : Cur merito? Nam revera senior non ex longitudine temporis, sed ex laudata vita, putatur. In illa cœlorum Regia non vocatur antiquus, qui longos annos exegit, nec qui sæcula pluscula transmisit, sed qui multis meritis excellit : Et, quoniam Abraham majores suos omnes, a quibus ætate superabatur, virtutum copiis, et perfectionis gradu longe infra se relinquebat, idcirco huic gloriosum senectutis vocabulum conceditur, non illis. Ex quo intelligimus, antiquitatem, ut eam Deus supputat, *nach Gottes Rechnung*, non a longis annis, sed a multis, et magnis meritis, æstimari : siquidem, ut Philo Hæbreus in hujus rei amplificationem : Porro, inquit, qui multum ætatis in tempore vixerunt sine probitate, longævi pueri dicendi sunt. *Origenes Adamantius in Gen. h.* III.

Ablegabat Dominus Jeremiam ad prædicandum cum amplissima commissione, *ut evelleret, et destrueret, et disperderet, et dissi-*

paret, et ædificaret, et plantaret, constituens illum super gentes, et super regna. Cum se tam sublimi provinciæ impositum, tantique muneris dignitate auctum sanctus Propheta cerneret, oculosque ad rudem ætatem suam converteret, et annos teneros cum asperitate operosi officii componeret, deprecabatur tam grave onus, ætatem prætendens, quæ tam arduo, et negotioso muneri præmodum impar esset. Prætextum alium, quam ætatis immaturæ, et perimbecillis, nullum reperit, quo præfecturæ tam gravis pondera a suis humeris prohiberet. Verum Dominus respondit, longe infirmissimam esse, eam rationem, qua injuncti officii susceptionem effugere posse putarit, inquiens : *Noli dicere, puer sum;* Jeremiæ I, 7, non est bona de paucitate annorum petita excusatio, non enim in annis posita est virtus, sed in recto rationis judicio, et sensuum maturitate; hæc enim est, quæ annos facit, et annosos eos, qui rudes ætate. Nam, ut Sanctus Ignatius *epist.* VI, *tom.* III, *Biblioth. Vet. PP.* habet, non annosi continuo sapientes sunt, nec senes intelligentiam possident, sed spiritus, qui in hominibus est. Samuel parvulus Heli nonagenarium reprehendit; similiter Jeremias audit a Deo : Ne dicas : Junior sum. Adolescentia igitur non est contemnenda, quoties Deo consecrata fuerit; verum is contemnendus est, qui improbo est animo, tametsi multorum dierum tempore plenus sit. In domo namque Dei, qui sanctior, idem antiquior, et qui virtutum splendorem habet majorem, is decentiore loco honoratur, et cæteris antefertur. S. IGNAT. *in ep.* VI.

Ignavissimorum quorumdam hominum consuetudo est, ut, cum inter vitia senuerint, nullique pares sint, sola se præferant senectute, inquiebat Franciscus Petrarcha in quadam *Invect. in medic. lib.* I. Sunt, neque pauci, qui in solis canis omne existimationis suæ præsidium habent constitutum, et ob unicam diucule actam vitam, et exactam ætatem omnibus magnæ venerationi, et admirationi esse volunt. At stultum est, ex ea re sola singularem observantiæ cultum in domo Dei expectare, in qua ille antiquior habetur, qui consenuit in usu virtutum, et incanuit in bonis meritis. *Petrarch. l.* I, *invect. in med.*

Sapiens, cum de annis loqueretur, quos vivendo improbi homines percurrunt, ait, perbreves fore, et angustis limitibus circumscribendos; justorum e contra prolongandos, et extendendos. Verba illius Prov. X, versic. 27 sic habent : *Timor Domini apponet dies, et anni impiorum breviabuntur.* Habet suam hæc sententia difficultatem. Nam si ita est, ut Salomone affirmat, quomodo cum illo cohæret, quod in dies crebo experimento discimus, homines sanctissimos magno sæpe compendio exigere vitam, consceleratos vero, qui nulla, nisi pessima ex flagitiis fama sunt insignes, longos annos degere, et tota vivendo sæcula exæquare, non etiam numquam superare? Secundum hæc, quomodo illa Salomonica præmia accipienda, quæ seram ætatem timenti Deum spondet, impio autem parva temporis spatia minatur? Occurrit huic difficultati Robertus Holkot lect. LXXIX, in Proverbia, inquiens : Potest dici, quod dies bonorum augentur, malorum autem abbreviantur, quia solus ille dies dicitur noster, in quo bene viximus. Et quoniam unum quodlibet opus bonum velut dies quidam est vitæ, et justi opera bona plurima facere student, propterea de iis dicitur, quod multos annos vivunt; de improbis vero, concisum ætatis tempus degere, eo quod illos operum laudabilium, et virtutis spiritus destituat. Itaque plus vivit, qui plus boni operatur, et quidem quempiam sine boni alicujus operis exercitatione transmisit, illum obliterare, et e numero dierum vitæ suæ expungere potest, adeo non vixisse putet annos quos male vixit. *Robertus Holkot hec.* 79, *in Prov.*

Refert sacer textus obitum Ismaelis, et Abrahæ patris ejus mortem quoque narrat. Et Ismaelis quidem occasum sic describit : *Anni vitæ Ismaelis centum triginta septem :* Gen, XXV, 17. Abrahæ vero totam ætatem ad hunc modum recenset *: Fuerunt dies vitæ Abrahæ centum septuaginta quinque anni :* ib. v. VII. Sed est observandum mysterium, quod habet textus Hebræus in computatione annorum vitæ Abrahæ, qui apud Nicolaum Lyranum, Abulensem, et Honcalam talis est : *Fuerunt dies annorum vitæ Abrahæ centum anni; et septuaginta anni, et quinque anni.* Tam distincte annos Ismaelis idem textus non enumerat; quid ergo sacramenti subsit, quod Sancti Patriarchæ anni tam articulatim, partite, distributeque calculantur, filii autem anni confuse, verbo, ut sic dicam, unico, indicantur? Respondent Doctores paulo ante nominati, quod vita Abrahæ per cæteros annorum articulos tam enucleate distincteque digesta fuit, id factum, ut significaretur, quia Patriarcha in qualibet ætate congruam ei perfectionem habuit : illic autem non explicatur nomen annorum per singulos numeros, quia Ismael pluribus vitæ suæ annis minus pie vixit. Sic Lyranus : Vita ergo Abrahæ per certos numeros discreta fuit, Ismaelis non item, ut indicio esset, quod Abraham vitam semper integerrimam, perfectamque duxit, ætatem suam fructuose transmisit, et vitam pretiosissimam, hoc est, cum virtute conjunctam, vixit : atque idcirco dicitur, quod diem suum obiit plenum dierum : ii nemque sunt pleni dies, et vita plena atque perfecta ea vocari potest, quæ bene, et laudabiliter operando exigitur. Non sic loquitur sacer scriptor de Ismaele, cujus anni omnes velut conglobatim aut cumulatim exprimuntur, quasi unus annus fuisset omne tempus, qui vixit, quia minus pie vixit, et probabile est, male collocasse suos annos, adeo virtutis annum nullum vixit : quæ forte causa sit, quod deficiens mortuus esse dicitur, hoc est, jam mortuus occubuisse. Nam qui vixit, et vitæ suæ tempus non exigit in actionibus sanctis, et laude dignis, ille, cum moritur, sepulchro infertur, non tunc primum defunctus, sed pridem in vita præmortuus. Ille nimirum potest dici vivus, qui bonorum meritorum est studiosus; ille multos annos habet, cujus animus multis virtutibus est locupletatus. (*Lyran. in* c. xxv, *Gen.*) Huc spectat, quod noster Cordubensis Philisophus Senec. ep. xciii, ait. Non, ut diu vivamus, curandum est, sed ut satis; nam ut diu vivas, fato opus est; ut satis, animo; longa est vita, si plena est, si conferta meritis, si dives virtutibus.

Jacobus de Lonzona apud Holkot memorat rebus publicis bene institutis olim magnæ curæ fuisse designare homines, qui ex officio totas ostiatim obirent civitates, domosque ex ordine singulas inviserent, et quibus studiis quisque in diem supremum usque occuparetur, solicite perquirerent, diligenter adnotarent, denique post cujusque obitum, subductis accurate rationibus, non alios vitæ dies numerarent, quam quos bene agendo transmisisset. Postquam ergo ad calculos omnia fideliter revocassent, ætatem virtutis, vitæ dies, tumulo ejus adscribebant. Illique dies sic collecti in fine sculpebantur in sepulchris eorum; ita quod unus, qui quadraginta annorum erat, etiam quatuor habuit, et sic similiter de aliis. Hæc ille ibi. Fiebat ergo, ut alicui, qui annos natus quadraginta vivere desierat, ejusmodi monumentum ponerent : *Hic homo quatuor tantum annos vixit, et mortuus est quadragesimo.* Alterius epitaphium tale erat : *Hic homo obiit quinquagenarius, et nullum diem vixit.* Alterius sepulchro illud ex Sap. iv, 13, insculpebatur : *Consummatus in brevi explevit tempora multa. Hic jacet, qui anno ætatis trigesimo mortuus, anno supra mille vixit.* (Lonzona *ap. Didac. Nyss.*, p. i, *pol.*, l. IV, l. III.) Nam ut Seneca epistola illa superiore 93, dicebat : Octoginta annis quis vixit. Interest, mortem ejus, ex quo die numeres. At ille obiit viridis, sed officina boni amici executus est, in nulla parte cessavit, licite ejus ætas imperfecta est. Octoginta annos vixit, nisi forte sic vixisse eum dicis, quomodo dicuntur arbores vivere.

Antiquus Pater Algerus quærit, quæ causa sit, cur Dominus permittere voluerit, ut carus illius Præcursor in teneris vitæ suæ annis inter mortales agere desineret; in florentissima quippe ætate jussit illum obtruncari effœminatus Rex Herodes, et decollavit eum in carcere. Marci vi, 27. Fuit Joannes, si virtutum ejus copiam spectes, maximus : si vitæ Sanctitatem, et prærogativa consideres, illustrissimus, et omnium ex mulieribus oriundorum eminentissimus. Hoc de illo pronuntiavit perfectionum, quæ in hominem cadere possunt, scientissimus, et justissimus et falli nescius arbitrator, spiritum ponderator Dominus, Prov. xvi, 2, penes quem fuit pondera, numeri, et mensuræ meritorum omnium, Christi, æterna Sapientia Patris, cujus est illud assertum : *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista;* Matth. ii. Quod cum ita habeat, cur tam parum vixit : et annos vitæ triginta tres non explevit? Triginta duorum, et semis esse voluit : Triginta duobus annis, et medio solum, spiravit hominum post Christum, ejusque Matrem Virginem optimus, maximus, inquit, venerabilis ille Doct. *l.* 2, *de Sacram. Alt. capit.* 7. *Tom.* 6. *Bibl. Vet. PP.* Cur non exæquavit annos Abrahæ, ætatem Isaaci, et tempora Jacob, et vitam Patriarcharum aliorum, quorum fuerunt longissimi dies, et vita prolixissima, ut supra dicebamns? Cur? Ut intelligamus, annorum multitudinem, et vitæ longævitatem non de numero dierum, sed de cumulo meritorum, æstimandam; adeo Joannes diutius omnibus vixit, quia intra paucum illud tempus incitatiore cursu majora spatia emensus est, quam alii omnes. Et ut multum itineratus dicitur, non qui multas horas eundo trivit, sed qui plura milliaria post se reliquit; sic ille multos annos vixisse dicendus, qui multos bene vivendo consumpsit. *Ibid.*

Fulcrum subjiciam huic veritati responso, quod Barlaam Josaphato dedit, cum in illius colloquium primo venit. Venerabatur hic illius canos, suspiciebat vultum, admirabatur senium, quod tam longævum illi videbatur, tamquam ex primis mundi hominibus quidam fuisset. Interrogatus autem Barlaam de annis, quos exegisset, respondit : Vitæ annos quadraginta quinque, neque plures numero. Attonitus inexpectata responsione Josaphat, comiter illi, ac perurbane his fere verbis occurrit : Fieri non posse videtur, ut frons hominis non adultioris tam crebris, et profundis sit exarata rugis, et vir decrepitus, qualem tuum canum caput loquitur, non longiores vixerit dies. Cui venerabilis, et sanctus Senecio apud B. Joannem Damascenum historiæ Barlaam, et Josaphat cap. XVIII. Si computem annos, quibus Deo vixi, ii tantum sunt quadraginta quinque, et hos tantum annos vitæ computo; cæteros, quos in vanitate transegi, mortis annos reputo. Itaque desinas mirari postquam ex his, quæ dixi, accepisti, a Deo illos tantum recenseri in annis vitæ, quos bene merendo bene collocamus; illos vero numerari in annis mortis, quos peccando male prodigimus. Non vivit peccator, numquam moritur justus, et qui in plures incumbit virtutes, is magis longævus æstimari potest. *Vit.*, c. I, 8.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Nulli præclusa est virtus, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, non eligit dominum, non censum, nudo homine contenta est. SENECA. *Epist.* LXXX.

Ille bonus artifex est, qui de omni materia facit optimum, quod fieri possit; ut Phidias de omni materia faciebat optimam statuam, sic sapiens, si licebit, virtutem etiam in divitiis explicabit; sin minus, in paupertate, quamcumque fortunam acceperit, aliquid memorabile ex illa efficiet. *Idem, epist.* LXXXIX.

Quintus Græcius virtutem in hoc schemate depinxit : In altissima rupe stat procera palma, plena fructibus, inter quos in pulchro solio virtus aureas coronas projiciens sedet; sed ad hanc rupem, et palmam aditus spinis est obsitus. KISSELIUS, tom. I, conc. LXVI, § 7.

Non, ut quibusdam visum est, arduum in virtutes, et asperum iter est : plano adeuntur. Multo difficilius est facere illa, quæ facitis. Virtutum tutela facilior est : vitia magno coluntur. SENECA., l. II, *de ira.*

Potest ex casa vir magnus exire, et ex humili deformique corpusculo formosus animus, ac magnus. Quosdam itaque videtur mihi in hoc natura tales generare, ut approbet virtutem in omni loco nasci. *Idem, epis.* LXVII.

Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ. Non vis esse justus sine gloria; at mehercule sæpe debebis justus esse cum infamia. Et tunc, si sapis, mala opinio bene parta delectat. *Idem, epist.* CXV, *hom.*

Virtutis pars disciplina constat, pars exercitatione : et discas oportet, et quod didicisti, agendo confirmes. *Idem, epist.* XCIV.

Omnes præclari effectus a Deo in monte fere sunt patrati. In Monte Moysi legem, Eliæ audientiam, dedit. In monte Sion Spiritus Sanctus Apostolis datus. In monte Oliveti Christus in cœlum ascendit. In monte Calvariæ passus est; ut disceremus, viam virtutis arduam esse, nec sine labore ad eam perveniri. (STAPLET. *them.* I, *in Dom.* II, *quadr.*) Hinc, et Salomon in throno suo reclinatorium quidem aureum, sed ascensum purpureum, fecit, et media charitate constravit. *Cant.* III, 10.

Proprium est virtutis, non quid actum, sed quid agendum sit, nec quid adsit sibi, sed quid desit attendere; unde est, ut sæpe illam non de quæsito gloriantem, sed de quærendo solicitam, videam. Dicerem, si liceret, avaram, aut certe avaritiæ similem esse virtutem. Jugiter sitit, quotidie inardescit : quo plus quæsierit, eo sibi pauperior videtur, et plus appetit. Nullus ei desiderii modus est : Nullus sat magnus cumulus meritorum. PETRARCH. *Dial.* X.

Antisthenes negabat sapientem vivere juxta leges ab hominibus institutas, sed juxta normam virtutis; sentiens, non ideo quid faciendum, aut vitandum, quia leges jubent aut vetant : sed quia ipsa ratio dictat, hoc esse honestum aut turpe. LAERT., l. VI.

Idem discipulis suis dicere solebat, virtutem esse rem operum, non autem multis verbis indigere. *Ibid.*

Recte dixit quispiam :

De virtute loqui, facile est, virtutibus uti,
Hoc Sampsonis opus.
Apud Beirlinck, them. I, *in festo Visit.*

Nec male Horatius virtutis genium expressit sequentibus versibus :

Virtus recludens immeritis mori,
Cœlum negata tentat iter via.
Cœtusque vulgares, et udam
Spernit humum fugiente penna.
L. III. *Od.* II.

Cum Philippus Rex Macedo post devictum prælio Archidamum Regem Lacedæmoniæ, insolentem illi epistolam scripsisset, respondit Archidamus : Si metiaris umbram tuam, haud quaquam reperies majorem factam, quam erat ante victoriam. PLUTARCH. *in Lacon.*

NECESSITAS. — Cum duo fratres ad senem in Scythia venissent, et eorum alter diceret : Abba, totum vetus, et novum Testamentum memoria comprehendi. Respondit ei senex : Implevisti aerem verbis. Cum vero alter diceret : Ego utrumque testamentum scripsi : iterum dixit senex : Et tu implevisti fenestras chartis; an ignoratis, quia dictum est : Regnum Dei non est in sermone, sed in virtute. *Vita PP.*

Charislaus interrogatus; quam Rempublicam judicaret optimam? eam respondit, in qua cives inter se de virtute contenderent. PLUTARCH. *in apopht.*

Bias ad Ægyptios eunti filio, et percontanti, quod ei maxime gratum faceret? Viaticum, respondit, senectutis possidendo, virtutem intelligens. S. BASIL., *orat.* VII, *de virt.*, l. IV.

Recte necessitatem virtutis Ovidius sequentibus expressit versibus :

Materiemque tuis tristem virtutibus imple.
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, si felix Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.
Ars tua Tiphy jacet, si non sit in æquore fluctus :
Si valeant homines, ars tua, Phœbe jacet.
Quæ latet, inque bonis cessat, non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturque malis.
Dat tibi nostra locum tituli fortuna, caputque.
Conspicuum pietas, quo tua tollat, habet.
Trist., *ep.* III.

UTILITAS. — Nulli non virtus, et vivo, et mortuo, retulit gratiam, si illam bona secutus est fide. SENECA, *epist.* LXXX.

Phocion missam sibi ob virtutem ab Alexandro sexaginta millium aureorum summam remisit, dicens : Sinat igitur me esse talem. RODRIG., p. 3, tr. III.

Socrates interrogatus, an Regem Persarum judicaret felicem esse? Respondit : nescio, hercle, quantum virtutis, et disciplinæ habeat. LAERT., l. VI.

Antistihenes dicebat, virtutem esse armaturam, quæ detrahi non possit : ensis enim, et clypeus excutiuntur; sapiens autem, ac virtute præditus numquam non armatus est, eoque vinci non potest. LAERT., l. VI.

Antigonus adolescenti cuipiam patris, viri fortissimi, stipendia petenti dixit, se non nisi ob proprias cujusque virtutes mercedem, ac munera dare solere. PLUTARCH. *in apopht.*

Arca Noetica, quia Dei jussu bitumine intrinsecus, et extrinsecus bene oblita erat, in mediis fluctibus navigabat secura; multo magis vero anima, si virtutibus internis, et externis prope fuerit communita, a procellis tentationum non timebit. ALVAR., t. II, l. III, p. I, c. VI.

DIGNITAS. — Unum hominis bonum ipsa virtus est, quæ inter hanc fortunam, et illam superba incedit cum magno utriusque contemptu. Virtus rectorem ducemque desiderat; sed sine Magistro vitia discuntur.

Una res est virtus, quæ immortalitate nos donare possit, et pares Diis facere. SENECA *in epist.*

Dignitatem virtutis, quæ in imitatione Christi consistit, recte quidam sequentibus verbis expressit : SENECA *apud Lactant.*, l. III, *instit.*

Si Christum discis, satis est, si cætera nescis :
Si Christum nescis, nihil est, si cætera discis.
Apud Fab. conc. III, *in Dom.* I, *post Epiph.*

Euripides dicere solebat : Bonus mihi vir nobilis videtur. Qui vero non est justus, licet a patre meliore, quam Jupiter, sit genitus, ignobilis mihi censetur. *Apud Fab. conc.* II, *in festo S. Jacobi.*

Alphonsus Rex, cum eo præsente commendarent aliqui virtutes, et facinora Nicolai Picennini, unus vero imaginariæ nobilitatis opinione inflatus diceret : Hæc omnia aliquid essent, si non esset lanionis filius : subjecit : Equidem malim Nicolaus Picenninus, quam Regis filius, esse. *Ibid.*

JUCUNDITAS. — Abraham non in die nativitatis filii sui Isaac, sed in dies ablactationis, instituit convivium; in quo, ut aiunt SS. Ambrosius, et Augustinus, intelligitur profectus mentis, quia idoneus factus est Isaac fortioris gratiæ cibo, et virtutis alimento, non adhuc, ut Corinthii, lacte potandus, sed epulis solidioribus. *Idem conc.* IV, *in Dom.* I, *post Epiph.*

Non male Horatius canit :

> Non possidentem multa vocaveris
> Recte beatum; rectius occupat
> Nomen beati; qui Deorum
> Muneribus sapienter uti,
> Duramque callet pauperiem pati,
> Pejusque letho flagitium timet.
> Non ille pro charis amicis,
> Aut patria timidus perire.
> L. IV. *Od.* IX.

Liber, qui S. Joanni in Apocalypsi devorandus tradebatur, in ore quidem dulcis, in ventre amarus erat; ut intelligatur, amaram quidem virtutis esse adeptionem, jucundam tamen possessionem. GRAN. *in locis com.*, f. 212.

Hoc uno beati esse possumus in hac vita, si fugientes illecebras voluptatum, solique virtuti servientes, in omnibus laboribus, miseriisque vivamus, quæ sunt exercitia, corroboramentaque virtutis. *Lactant. apud Beir.*, *the* V *in fest. Omn. Sanctor.*

AXIOMATA.

Suus sibi quisque hæres optimus : Quod axioma Heliogabalus Imperator pro symbolo habuit. *Chronol. Principum in serie Imper.*

Non gens, sed mens scilicet beatum, et laudabilem, ac potentem efficiunt; uti Æmilianus Imperator in suo symbolo habebat. *Ibid.*

Virtus, dum patitur, vincit : Quod dictum a Constantino Imperatore pro symbolo usurpatum est. *Ibid.*

Marcet sine adversario virtus : Valetiani Maximini Imperatoris erat symbolum. *Ibid.*

Difficilia, quæ pulchra : Constantinus Imperator pro Symbolo eligebat. *Ibid.*

Omnia mea mecum porto : Valentinianus III, in symbolo gerebat. *Ibid.*

Unita virtus valet : Othonis III, Imperatoriis symbolum. *Ibid.*

Animus est, qui divites facit : Adolphi Nassovii Imperatoris symbolum. *Ibid.*

Quod optimum, idem jucundissimum; Alberti Austriaci Imperatoris symbolum. *Ibid.*

Sola bona, quæ honesta : Ludovici V. Bavari Imperatoris symbolum. *Ibid.*

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum. *Ibid.*

Non male quoque alius canebat ;

> Auro quid melius? Jaspis. Quid Jaspide? Virtus.
> Quid virtute? Deus. Quid Deitate? nihil.
> HORATIUS *in Ep. Buchlerius.*

Virtus non eget hedera. *Idem.*

In re præsenti experimentum virtutis.

Virtus amatorem non admittit sordidum. FLORILEG., p. 2.

AUCTORES.

Jacobus Alvarez tom. II, de adeptione virtutum.

Antonius Gaudier de perfectionis natura, fol. 118, 122, 357.

Franciscus Arias tom. II, tract. I.

Joannes Busæus in Viridario V. eod.

Franciscus Labata in locis comm.

Ludovicus Granat. loc. comm. f. 201.

Hadrianus Lyræus Apophthegmatum S. Ignatii l. II, apophth. IV.

Hugo Roth, in via regia virtutis p. 1, c. V et p. 2, c. XVII et p. 3, c. XXV.

Ludovicus Cressolius in Anthologia sacra. Decad. II.

Jacobus Marchantius in Horto Pastor. tr. IV, lect. IV.

Mathias Faber tom. I, concil. II, in Festo S. Jacobi, et tom. II, conc. IV, in Dom. post Epiph. et conc. V, n. 2, et tom. III, conc. VI, in Dom. VI, post Pentec.

Laurentius Beyrlinck them. I, in Festo Visit. et th. V, in Festo omnium Sanctorum.

Thomas Stapletonus text. II, in Dominic. XII, post Pentec. Item text. I, in Dom. II. Quadrag. et text. VII. Dom. II. Advent.

Bernardinus Rosignolius de actionibus virtutum tom. toto.

UNCTIO EXTREMA

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est Sacramentum a Christo institutum, ad ægroto periclitanti de vita conferendam salutem animæ, vel etiam corporis, per unctionem olei benedicti, et orationem Sacerdotis. Cum enim mortis articulus ob multa, quæ tunc occurrunt, sit formidabilis, statusque vitæ nostræ incertus, ac futuræ incertior, multæque se tunc ingerant tentationes, opportune nobis Christus providit institutione hujus Sacramenti, quo spiritualiter recreamur, et in spem erigimur, etiam ab ea infirmitate nos eximendo. S. Tho. iv, dist. xxiii, q. i, art. 1.

Divisio. — Dividitur in septem partiales unctiones, videlicet oculorum, aurium, narium, oris, manum, renum, ac pedum, eo quod in his præcipue organa sensuum, atque adeo et fomenta peccatorum resideant. Unde et in forma dicitur : Per istam sacram unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, etc. *Ritual. Roman.*

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas, — Exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent; et dæmonia multa ejiciebant; et ungebant oleo multos ægros, et sanabant. Marc. vi, 12.

Utilitas. — Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei. Jac. v, 14.

EX SS. PATRIBUS

Utilitas. — Quando ungunt oleo ægrotos, infirmitatem fidei virtute corroborant. Corroborant autem intercessione, et oratione fidei, quam Dei clementia exaudiet, et se exorabilem præstabit, cujus Sacramentum est oleum consecratum. S. Hier. *in cap.* vi, *Marci.*

Est oleum et ad labores utile, et lucis fomentum, et hilaritatis effectivum, significatque misericordiam Dei, et gratiam Spiritus, per quam a labore liberamur, et lucem, et gaudium, hilaritatemque percipimus. Theophy. *apud Marchant. er.* vi, *candelabr. lect.* iv.

Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur præcantatores, non sortilegi, non carcarii, neque per fontes, aut arbores, aut bivia phylacteria exerceantur; sed, qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat, et Eucharistiam cum fide, et devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde corpus suum ungatur et secundum Apostolum oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, non solum corporis, sed et aminæ sanitatem accipiet, complebiturque illo, quod Dominus in Evangelio promisit dicens : Omnia, quæcumque petieritis Patrem in nomine meo in oratione, credentes accipietis. S. August. *in tr. de rectit. cath. convers.*

Nec prætermittendum est illud Apostoli Jacobi præceptum : Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine Jesu, et oratio fidei salvabit infirmum. Ergo sic roges de te, et pro te fieri, sicut dixit Apostolus Jacobus, imo per Apostolum suum Dominus; ipsa videlicet olei sacrati delibutio intelligitur Spiritus Sancti typicalis unctio. *Idem, in* l. II, *de visit. infirm.* c. iv.

EXEMPLA CHRISTIANA.

Qualitas. — Sanctus Malachias, cum oleo sacro ungi se vellet, exeunte Fratrum conventu, ut solemniter fieret, non sustinuit, ut ad se ascenderent, ipse descendit ad eos. Jacebat siquidem in solario, domo superiori. Ungitur, et sumpto viatico, Fratrum se orationibus, et Fratres commendans Deo, ad lectum revertitur. S. Bern. *in vit. illius.*

Cum Reginaldus unus ex Discipulis S. Dominici moneretur, ut se extrema unctione ad luctam cum dæmone præpararet, respondit : Ego hanc luctam minime reformido, quin potius lætus expecto; jam enim dudum mater misericordiæ me inunxit, in quo plurimum confido, et ad quam cupide proficiscor. Erat autem, ut dicebat, ea unctio ab ipsa sanctissima Virgine peracta, quæ ad Reginaldum multorum annorum infirmitate detentum invisit, et unguento, quod attulerat, oculos, aures, os, manus, et pedes unxerat. March. l. c. lec. iii.

S. Lyduvinam graviter ægrotantem Christus ipso Paschatis die cum Matre, Apostolis, multisque Sanctis, et Angelis visitavit, et ad lectuli dextram sedit, Matre ad sinistram assidente, reliquis in orbem dispositis; quo facto surrexit Christus, et ad mensam oleo sacro, cruce elegantissima, et cereo totum cubiculum illustrante instructam, accedens, sumpsit oleum, eamque more in Ecclesia recepto, sed sine verbis inunxit, et tandem cereum in manum tradens, idem adstitit, donec spiritum exhalavit. *Ibid. in Surio* vii *Apr.*

Sanctus Elzearius Comes Arianus in vitæ agone constitutus gravissimos eosque perpetuos dolores patientissime spe futurorum tolerabat, spiritus ejus jugiter cum Deo fuit, volebatque nihilominus etiam bona audire, jubebatque Christi passionem sibi legi, nec lingua etiam a divinis cessabat laudibus, crebro repetens illum versum : Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus : universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus? (*Ps.* XL.) Sumpto autem Dominico Sacramento, cum sacro oleo ungeretur, et versum illum dicerent; Per sanctam crucem, et passionem tuam, libera eum Domine, ipse eumdem ter repetivit, et addidit : Hæc est spes mea, et in hac volo mori.

S. Heduvigis Poloniæ Ducissa priusquam in eum morbum incideret, qui ei finem vitæ attulit, accito ad se Fratre Matthæo Cisterciensis Instituti, qui tunc ei a sacris confessionibus erat, extremæ-unctionis Sacramentum ab eo sibi petiit ministrari; id ubi Sanctimoniales compererunt, non mediocriter consternatæ sunt, haud obscure inde colligentes, propinquare jam tempus migrationis ejus a corpore, præsertim cum non ignorarent illam non temere id petere, quæ spiritu prophetico polleret : Dolebant igitur et perturbabantur, quippe quæ matrem ipsas in Christo foventem, atque diligentem perdere formidarent. At soror Adelheidis pro singulari familiaritate ad eam accedens : Domina, inquit, cur sacram unctionem expetendo nostros affligis animos, cum sis incolumis, nec ulla in te mortis signa visuntur? Neque enim hoc Sacramentum ministrari solet, nisi ubi de ægroti periculo metus est. Cui illa respondit : Scio, Adelheidis, scio ita esse, ut tu dicis, et morem Ecclesiæ tu bene explicas; sed est tamen quod hic advertere te oporteat. Cum enim extremæ-unctionis Sacramento homo moriturus, tamquam armis spiritualibus contra spirituales nequitias muniatur, ejusmodi præsidium cum summa devotione accipiendum est; Ego autem etsi incolumis adhuc sum, tamen mox secus habitura sum, vereorque ne in crescente morbi dolore, tam salutare auxilium, cum tanto possim devotionis fervore percipere, quanto par est animam ad Dominum properantem. Ita ergo satisfactum est ejus desiderio, et oleo sancto uncta est : nec diu post in morbum incidit, nec Sacramentum hoc denuo percipere voluit. *In vita ejus apud Sur.* c. XXXIII, to. VII, *sepr.* XXVIII.

Vir quidam primarius Brunensis civitatis in Austria, cum non satis, ex virtute et officio vitam degisset, admonitus gravi morbo, ne, ut corporis sic animæ salutem in discrimen vocaret, ad obeundum supremum diem nostrorum adjutus ope, comparare se cœpit. Ergo actam ad id tempus ætatem in mentem revocat, Sacerdotique quidquid apud Deum offenderat, dolenter explicat; Cum autem ingravesceret morbus, salutare viaticum postulavit, et mox etiam quod in his locis perrarum est, Unctionis-ultimæ Sacramentum, semperque nostros adesse voluit, qui se contra diaboli fraudes suis sermonibus confirmarent. Ita pio morbi genere minus laudabilem vitam, id quod raro accidit, terminavit. *Ex lit. annuis Soc. ann.* 585.

NECESSITAS. — Quidam vir magni meriti in extremis laborans, cum interrogatus fuisset, num sacro oleo ungi vellet; respondit : Nolite, obsecro, quia omnes, qui inunguntur statim moriuntur. Atque his dictis spiritum reddidit. Cum autem linteaminibus involvendus esset, spiritum resumpsit, oculosque aperuit, ac dixit : Quia extremæ-unctionis Sacramentum salutare abhorrui, centum annis in purgatorio, justo Dei judicio, torquebor. Si autem unctus fuissem, de ægritudine convaluissem; sacra enim unctio non est mortis acceleratio, sed dilatio, quibus dictis iterum expiravit. MATTH. *l. c. lect.* II,

S. Malachias Abbas, qui ad aliorum opinionem Sacramentum unctionis ab ægra muliere petitum, in sequentem diem distulerat, et interea mulier mortua fuerat, in omnium adstantium præsentia contestatus est, nullam consolationem recepturum, nisi, quam tulerat, liceret restituere gratiam. Quare totam noctem in oratione, et lacrymis consumens, et suos quoque ad eamdem exhortans, impetravit, ut mortua vitæ restitueretur, et ab eo inuncta mox etiam sanitatem reciperet. S. HIER. *in vita.*

UTILITAS. — S. Maria Ogniacensis vidit, dum ægroti Sacramentum unctionis perciperent, Christum cum Sanctorum multitudine adesse, egrotum corroborare, dæmones expellere, animam purgare, seque, cum membra ejus ungerentur, quasi in lumine per totum corpus diffundentem. Cum vero, et ipsa ungeretur, Apostoli omnes adfuere, et B. Petrus claves ostendens pollicebatur, se illi cœli januam patefacturum. SUR. XXIII, *Jun.*

Quidam circa Lugdunum magno febris æstu conflictatus, inter confitendum, urgente morbo de potestate mentis exierat, seque jam damnatum esse clamabat. Verum postquam sacro oleo inunctus est, mox mentis sanitatem, et etiam corporis valetudinem recuperavit. *Annuæ soc.* 1596, *Col Lug.*

Rupertus Rex Romanorum cum de extrema-unctione suscipienda admonitus, diu reluctatus fuisset, ubi tandem consensit, precesque consuetas recitari audivit, mentem, et vocem erigens, dixit : Revera si scivissem, tantum valere hoc Sacramentum pro utriusque hominis sanitate, ut nunc percipio, et audio, jam diu illud devotissime postulassem. Convaluit igitur, et multis annis sancte gubernavit, et vixit. Nider. l. IV, *formic.* c. xi.

S. Hieronymus refert, sanctissimum virum Hilarionem Constantiæ nobilissimæ fœminæ generum ex ipsis mortis faucibus eripuisse, et aliis quam plurimis a venenatis serpentibus ictis, integram sanitatem reddidisse. Laurent. Beirl. *in theat. vit. eod. v. eodem.*

SIMILITUDINES.

Utilitas. — Sicut oleum in mare effusum sedat tempestates maris; ita oleum sacrum homini applicatum sedat fluctus tentationis a dæmone excitatos in agone mortis, ubi maxima sævit tempestas. Faber. *conc.* iv, *in Dom.* xx, *post Pent.*

Sicut olim luctatores oleo ungebantur ante luctam, quia per illud corroborari se credebant; ita Ecclesia quoque suos fideles ad ultimam luctam fortiter subeundam inungit. *Ibid.*

Sicut oleum vulneratorum dolorem lenit, et ideo a Samaritano in vulnera illius, qui inter latrones incidit, infusum est; ita oleum extremæ-unctionis sanat, et lenit vulnera per latrones tartareos contracta. *Ibid.* n. 2.

MOTIVA

AD UNCTIONEM EXTREMAM LIBENTER SUSCIPIENDUM.

Necessitas : cum enim in ultimo agone pugna pugnanda sit, a qua tota pendet æternitas, merito omnia media, quæ ad felicem illius successum præcipue conducunt, adhibentur; quale utique censeri debet hoc Sacramentum, utpote a Christo ipso pro hoc fine summa cum charitate, et sollicitudine institutum?

Utilitas : cum enim per hoc Sacramentum singulare robur animæ conferatur, reliquiæ peccatorum tollantur, et sanitas etiam corporalis, si infirmo expedit, conferatur; merito permagni æstimandum est, summaque cum alacritate, ac desiderio expetendum.

Æquitas : si enim medicinæ quantumcumque amaræ, tam prompte assumuntur, quia per illas sanitas corporis obtinenda speratur; an non æquissimum censeri debet, ut hoc Sacramentum, per quod sanitas corporis, et animæ promittitur, majori promptitudine expetatur, et recipiatur? *Ibid.* n. 2.

Dignitas : si enim Davidem, et alios olim magnopere honoratos credimus, dum oleo in Reges inuncti sunt; quanto majorem sibi honorem exhibitum creditis, qui per hoc oleum sacrum se in regem, et possessorem regni cœlestis unctum, et ordinatum credet?

MEDIA.

AD EXTREMAM UNCTIONEM LIBENTER SUSCIPIENDAM.

Consideratio charitatis; qua hoc Sacramentum a Christo institutum est, hæc enim efficiet, ut non facile negligamus, quod cum tanta sollicitudine, sapientia, ac dilectione in nostram salutem, ac commodum ab eodem ordinatum est.

Consideratio circumstantiarum, quæ mortis articulum et ultimum agonem difficilem faciunt, videlicet infirmitatis corporalis, quæ ipsum etiam animum non parum debilitat, cum juxta S. Augustinum illic, rapiatur tota intentio mentis, ubi est vis doloris : timoris nataralis, quo ipsam corporis, et animæ dissolutionem, et secuturum judicium, pœnasque horremus; et tandem gravissimæ impugnationis a dæmonibus sustinendæ ; hæc enim omnia efficient, ut medium hoc ad tollendas illas difficultates singulariter destinatum magna alacritate arripiamus. S. Aug. s. xlviii, *ad FF. in Eremo.*

Consideratio fructuum, quos affert religiosa hujus Sacramenti perceptio, maxime sanitatis corporalis, et allevationis spiritualis, quæ fit per reliquiis peccatorum sublatas, et spem æternæ felicitatis obtinendæ ingeneratam.

ASCETICA.

Tria præcipue sunt, quæ circa hoc Sacramentum ab Asceta specialiter notanda sunt. Primum est, ut bene cognoscat finem, propter quem institutum est, qui quidem clare, ac diserte a Concilio Tridentino sequentibus verbis insinuatur. Visum est autem sanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de pœnitentia adjungere ea, quæ sequuntur de Sacramento extremæ-unctionis, quod non modo pœnitentiæ, sed et totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus; Primum itaque circa illius institutionem declarat, et docet, quod Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus mediis adversus omnia hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviori Spiritus incommodo possint; ita extremæ-Unctionis Sacramento finem vitæ tamquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi Adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat, et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitium vitæ perspicit. *Consil. Trid.* s. XXIV.

Secundum est, ut pariter bene cognoscat naturam, et tempus institutionis hujus Sacramenti, de quibus idem Concilium sic loquitur : Instituta autem est sacra hæc Unctio infirmorum, tamquam vere, et proprie Sacramentum novi Testamenti; a Christo Domino nostro apud Marcum quisdem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum Domini Fratrem Fidelibus commendatum, ac promulgatum. Infirmatur quis in vobis etc. Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium Ministrum, et effectum hujus salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissime Spiritus S. gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat. Formam deinde esse illa verba : per istam unctionem etc.

Tertium est, ut dignam de hoc Sacramento æstimationem concipiat, quod fiet, si effectus illius a citato Concil. sequentibus verbis indicatos bene ponderet : Res porro, et effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur : Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etiam hæc est gratia Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat, ac confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda, et labores levius fert, et tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis, interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. (Cap. II.) Quod autem hæc sanitas modo post Sacramentum hoc acceptum tam raro sequatur, duplicem rationem affert March. Primam, quod infirma admodum eorum, qui id suscipiunt, fides sit; testatur quippe Evangelista, Dominum apud suos non multas virtutes fecisse propter incredulitatem eorum. Alteram, quod serius, quam oportet, id suscipiant; neque enim per hoc Sacramentum miracula expectanda sunt, quale foret, si is, qui animam agit, repente convalesceret. MARCH. tr. VI, *candelabri*, *lect.* VI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini* (JAC. VII, 24) : possunt effectus hujus Sacramenti per similitudinem olei demonstrari, videlicet. 1. Quod sicut oleum *mundat*, (unde virgines pro Assuero Rege præparatæ, sex mensibus oleo myrtino ungebantur) ita, et hoc Sacramentum animam purificet, reliquis peccatorum, id est, peccata venialia, et pœnæ reatum, tollendo. (ESTH. II, 12.) 2. Quod sicut oleum *sanat*, (unde Samarit. illius, qui in latrones incidit, vulnera alligans, oleum, et vinum pro curatione infundit,) ita hoc Sacramentum sanitatem corporis afferat. (LUC. X, 14.) 3. Quod sicut oleum *roborat*, (unde olim Athletæ pugnaturi oleo se ungebant,) ita etiam hoc Sacramentum specialiter pro ultimo, et periculosissimo agone confortet. 4. Quod sicut oleum *lætifi-*

cat, (juxta illud Psalmistæ : Propterea unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis) (*Ps.* XLIV, 8) ita, et hoc Sacramentum tanto majorem lætitiam afferat, quanto majorem spem facit perpetuæ, et felicitatis, et lætitiæ obtinendæ, utpote quod est consummativum Justitiæ Christianæ (quemadmodum ait Concilium Trid.) atque adeo efficit, ut, sicut cum Christus moriturus dicit : Consummatum est; ita etiam cum eodem vere dicere possit : Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

Ex occasione thematis : *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum* (*Ps.* LXXXVIII, 22) : potest ostendi, quomodo hæc ipsa verba etiam Deus ad eum, qui hoc Sacramentum percipit, cum magno illius solatio dicat. Et 1. quidem, quomodo invenerit servum fidelem, qui faciat omnes voluntates ejus, dum etiam hoc Sacramentum, quod per se non est de præcepto, sed solum de consilio, et beneplacito Dei, cum magna alacritate, ac religione suscipit. 2. Quomodo vere etiam oleo sancto unxerit eum, oleo scilicet sacramentali, oleo gratiæ suæ specialis in hoc Sacramento conferri solitæ, et oleo interioris lætitiæ ex susceptione hujus Sacramenti oriri solitæ. 3. Quomodo manus ipsius auxilietur ei; dum scilicet, sicut olim ægris manus imponebat, et sanabat; ita et nunc per hoc Sacramentum, aut omnino confert sanitatem, aut certe molestias morbi mitigat interna consolatione. 4. Quomodo brachio suo confortet eum; dum robur illi adversus hostes confert; ut possit, et fortiter pugnare, et feliciter, ac gloriose vincere.

Ex occasione thematis : *Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem : et liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus* (I. *Reg.* X, 1) : potest explicari triplex unctio, qua Deus quemlibet hominem Christianum inungi sinit, ad similitudinem triplicis unctionis, qua David olim inunctus est. Nam 1. sicut ille in domo patris sui unctus est, et per eam unctionem ad regnum initiatus; ita Christianus in Ecclesia velut domo Patris sui per Baptismum ad regnum cœleste initiatur, et jus acquirit; quod beneficium tanto majus est, quanto plures sunt Ethnici, præ quibus tamquam fratribus eligitur ipse ad hoc regnum. 2. Sicut David unctus est in Hebron, ut regnaret super domum Juda, et post illam unctionem variis adversitatibus agitatus fuit, atque probatus; ita et Christianus per Chrisma Confirmationis ungitur in Regem super domum Juda; id est, Ecclesiæ, actu *confitentis* Christum, et ab eo tempore a variis hostibus, (cum sit militia vita hominis super terram) impugnatur. 3. Sicut David denique unctus est in Regem super universum Israel, et tunc in pace paulo post regnare cœpit; ita et per Sacramentum extremæ-unctionis inungitur Christianus, ut sit Rex super cœlestem Jerusalem velut regnum æternæ pacis. Tunc enim dicere potest cum S. Paulo : Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de reliquo mihi reposita est corona justitiæ. II. *Tim.* IV, 7.

MISCELLANEA.

Cum Jacob scalam in cœlum vidisset, Deumque scalæ innixum, mane evigilans tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper; appellavitque nomen urbis Bethlehem. (*Gen.* XXVIII, 18.) Idem fecit Christus, dum lapides in hoc mundo tunsionibus, et pressuris expositos, sibi, velut angulari lapidi, non prius conjungi voluit, quam oleum a se institutum desuper fuisset effusum. Unde bis, scilicet in principio, et fine vitæ inungi illos voluit, ut per primam unctionem Baptismi initiarentur velut lapides Ecclesiæ militantis, per postremam velut lapides Ecclesiæ triumphantis.

In Levitico præcepit Deus : Anima, cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio, fundetque super eam oleum, et ponet thus. (*Levit.* II, 1.) Quod aliqui de anima interpretantur, quæ velut panis mundus Domino offerri debet, juxta illud Sanct. Ignatii M. dictum : Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. Oleum, et thus similæ imponendum materiam, et formam unctionis extremæ significant; hæc enim faciunt, ut gratior Deo fiat oblatio.

Adumbravit Christus in Evangelio hoc Sacramentum, cum Apostolos misit, ut prædicarent pœnitentiam, et ungerent oleo infirmos ad sanandum eos (MATTH. VI), per hoc enim oleum indicare volebat nobilius oleum, quo suo tempore ad sanandos, et roborandos ægros instituere decreverat.

UTILITAS. — Olim Sacrificuli sacrificaturi clamabant : Procul hinc sit lotus, et unctus;

eo quod dæmones, præsentibus Christianis, impedirentur a suis oraculis, et delusionibus; merito ergo Christiani oleo in fine unguntur, ut diabolus, qui tunc descendit ad hominem in lectum, habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habeat, artes, et fraudes suas exercere non possit. Fab. *conc.* IV, *in Dom.* XX, *post Pentec.*

AUCTORES.

Petrus Canisius p. II, de Sacramentis Ecclesiæ.

Jacobus Marchantius in Horto Pastorum tr. IV.

Laurentius Beirlinck in theatro vitæ humanæ V. eodem.

Matthias Faber conc. IV, in Dom. XX, post Pent.

Antonius Dauroltius in Cathechismo historiali c. LI, tit. L et LI.

VOCATIO

AD VITÆ STATUM ELIGENDUM, ET AMPLECTENDUM.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Vocationis nomine hoc loco aliud nihil intelligitur quam *dispositio providentiæ divinæ, quæ pro suo beneplacito diversa, in republica, tam ecclesiastica, quam politica, officia distribuit, atque ad eadem rite obeunda gratiam aliasque qualitates necessarias subministrat.* Ut adeo quivis ex hominibus sibi applicare possit illud Christi (Jo. XV) dictum : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et illud S. Pauli (*ad Hebr.* V.) *Nullus sumit sibi honorem*, et officium, seu statum *sed qui vocatur a Deo.*

Divisio. — Quemadmodum duæ sunt animi potentiæ principales, voluntas, et intellectus; ita *duo* quoque *vocationum genera, voluntatis, et intellectus* reperiuntur. *Vocatio voluntatis* dicitur, *quando voluntas ad certum vitæ genus sic movetur, ut eadem intellectum rapiat, et ejus approbationem quasi extorqueat. Vocatio intellectus* est, *quando ratio illuminatur, ut status cujuspiam commoda, et aptitudinem ad ultimum finem a se consequendum cognoscat, et ipsam etiam voluntatem ad statum talem amplectendum permoveat.* Hier. Platus, l. III, *de bono stat. Relig.* c. XXXVI, §. *Quin etiam.*

Alio modo etiam dividi potest *in perpetuam, et non perpetuam,* seu *ad tempus. Illa* est, *per quam quis ad statum vocatur, in quo per totam vitam permaneat; Ista est, per quam quis a Deo vocatur, ut tantum per aliquod tempus in eo permaneat;* qualem vocationem dari, P. Nicolaus Lancizius ex communi Ascetarum sensum affirmat; solet enim suavis Dei sapientia aliquibus injicere desiderium amplectendi certum aliquem Ordinem, non quod velit, ut eum ingrediantur, vel perpetuo in eo maneant, sed ut probet eorum obedientiam, et amorem erga se : primum illis inspirat affectum ad aliquem Ordinem, vel eorum complexioni minus repugnantem (ut postea ad asperiorem eos inducat) vel certe prius ad asperrimum illos impellit, ut heroica electione rei difficilioris plurimum mereantur; postea vero ad mitiorem amplectendum efficaciter movet, sciens, illos non habere vires illas corporis, quas exigit Ordo asperior, vel alia ad eum requisita. Sic videmus, Christum vetuisse primum, ne Apostoli gentibus prædicarent, quos tamen postea ad easdem misit. Sic S. Benedictus ab initio vitam Eremiticam duxit, et postea primum suum Ordinem instituit. Sic S. Dominicus prius Oxoniensis Ecclesiæ Canonicus Regularis fuit, deinde Ordinis Fratrum Prædicatorum Auctor extitit. Sic S. Antonius Patavinus pariter prius Canonicorum Regularium Institutum suscepit, et postea ad Franciscanorum Ordinem transiit. Quidni ergo aliis etiam idem contingere possit? Negari tamen non debet, quin major in tal mutatione suscipienda consideratio sit adhibenda, ne per speciem majoris boni amor proprius illudat. Nicolaus Lanciz. *opusc.* I, n. 238.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Non turbetur cor vestrum. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Jo. XIV, 1.

Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. I. *Cor.* VII, 29.

Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit. *Psal.* II, 12.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis. *Ephes.* IV, 1.

Æqua pars erit descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas, et similiter divident. I. *Reg.* XXX, 24.

In veritate comperi, quia non est personarum acceptator Deus, sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. *Act.* x, 34.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Non una salutis via, nec unus modus est, verum per multos, ac differentes. Quod quidem Christus indefinite dicit, cum multas in Patris domo mansiones esse asserit. Paulus vero sub distinctione quadam idem loquitur, sic scribens : *Alia charitas solis, alia lunæ, et alia stellarum. Stella enim differt a stella in claritate.* S. Chrys. l. III, c. v, *adversus Vitup. Monast.* I. *Cor.* xli.

Quia omnes vult salvos fieri Dominus Deus noster, dedit, per Joseph etiam iis, qui sunt in servitute, solatium, attribuit magisterium, ut non desperent etiam in ultima conditione posse mores esse superiores, nec ullum statum immunem esse virtutis, si animus uniuscujusque cognoscat, carnem servituti subditam esse, non mentem, multosque servos esse dominis liberiores, si in servitute positi a servilibus putent operibus abstinendum. Servile est omne peccatum, libera innocentia; unde, et Dominus ait : *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* S. Ambr, *lib. de Joseph.* c. iv.

Vere admirari licet vehementer justi hujus (Lot) virtutem, quod conversans in medio tam impiorum, non solum non fuit inde negligentior factus, sed et majorem virtutem præ se tulit, et cum omnes (ut ita dicam) in præceps ruerent, ipse solus in tanta multitudine rectam ambulavit viam. Ubi igitur sunt, qui dicunt, quod non sit possibile in media civitate versantem servare virtutem, sed opus esse secessu, et montana quadam conversatione, et non posse domui suæ præfectum, et habentem mulierem, et filios curantem, ac famulos, virtute præditum esse? videamus ergo justum illum cum muliere, et pueris, et famulis, et in civitate degentem, et inter tam malos, ac impios conversantem; et quasi scintillam quamdam in medio mari lucentem, et non solum non extingui, sed et quotidie lucem clariorem emittere. S. Chrys. *hom.* xliii, *in Gen.*

Et hæc dico, non prohibens secessum ab urbibus, neque interdico montium, et solitudinum conversationem; sed monstro volenti sobrie agere, et vigilare, nihil inde obstaculi esse. Sicut igitur negligenti, ac supino nihil prodest solitudo : neque enim locus nos virtute facit præditos, sed mens, et mores; ita et prudens, atque vigil non offenditur, etiam in media civitate vivens. *Ibidem.*

Non Jerosolymis fuisse, sed Jerosolymis bene vixisse, laudabile est; singuli credentium non locorum diversitatibus, sed fidei merito ponderantur, et veri adoratores neque Jerosolymis, neque in monte Garizin adorant Patrem, quia Deus Spiritus est : *Spiritus autem ubi vult spirat,* et de Jerosolymis, et Britania patet aula cœlestis, *Regnum Dei intra nos est.* S. Hier. ep. xiii.

Quid prodest, quod discedis, qui undique astrictus es vinculis passionum, quem hinc atque inde circumvallant vitia tua? Quid, inquam, prodest, quod discedis, qui quocumque locorum vadis, te tecum portas? Digne aliquis discessit, si illo ire possit, ubi illum diabolus invenire non possit. Nemo se fallat, non fugiat adversarium de loco ad locum, sed de vitio ad virtutem, de passione ad emendationem. Euseb. *Emiss. ho.* iii, *ad Monach.*

In quocumque statu sive vocatione homo fuerit, quamdiu ei cor est, et respirat, numquam se excusare poterit, quod Deum amare nequeat, et proximum propter ipsum : *Non est, qui abscondat se a calore ejus.* Nec est, qui se possit excusare, qui eum diligere non possit, interpretatur Hugo Cardinalis. Hugo Car. *in Ps.* xviii.

Quod martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas, et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus. S. Bern. *in Festo Om. SS.*

EXEMPLA SACRA.

VOCATIONIS.

Per vanitatem mundi offensam.

Rolandus, cum diem integrum lætus inter convivia, choreas, ac lusus exegisset, tandem vespere ad se reversus hæc animo volvit : Heu! ubi nunc est festum, quod egimus? ubi tota hujus diei lætitia, quæ jam abiit? Itaque secum perpendens, sic totam vitam abituram, nihilque permansurum præter dolorem, et pœnitentiam, postero die Divi Dominici Religionem ingressus est. Platus. l. II, c. *ult.*

Joannes Darius cum Juris esset Doctor, videretque causa justissima cecidisse quempiam propter potentiam partis adversæ, motus fuit, ut sœculum nequam fugeret, et Religioni se junxit. NADASI, 8 *Janii, Ann. dier. memor.* Soc. *Jesu.*

Joannes Nicolaus Pedelongus, cum Jurisprudentiæ peritissimus videret innocentem quempiam contra Jus, et fas damnari ad mortem, crudeli sœculo nuntium remisit, et facultatibus suis in egenos distributis, Religionem est amplexus. *Idem*, 11 *Octob. ex Ann. Neapoli.* 1679.

Theodorus ille magni Pachomii alumnus, qui generosa admodum familia a copiosis ortus parentibus, ipso ætatis anno quarto et decimo, cum festiva quædam celebritas in ejus domo ageretur, inter illa ipsa gaudia reputare secum cœpit opes, commoditates, delicias, in quibus natus, et ad eam diem nutritus fuerat; atque in ea cogitatione sic secum ipse divino instinctu loqui : Miserum me, quid mihi hæc brevia, ac fugacia proderunt si priver æternis! quando hæc Dei lex est, ut nemo utramque consequi possit felicitatem; Itaque suspirans ac de sua salute solicitus recepit se a turba et strepitu in interiorem ædium partem, ubi humi fusis multis lacrymis Deum oravit, ut doceret se facere ipsius voluntatem. Ab eo igitur die omnibus carnis commodis renuntiavit. Monachi jam vitam in paterno palatio agens; nec multo post ad sacram Pachomii familiam se contulit, in qua brevi ad tantam pervenit sanctitatem, quantam hæc ipsa tam præclara initia ostendebant. JER. PAC. *de bon. stat. cœli*, lib. I, c. XV.

Memorabile est illud, quo Franciscus Borgia ad hanc vitæ perfectionem vocatus est; Nam cum esset Gaudiæ Dux magnaque apud omnes auctoritate, ita contigit, ut Isabellæ, quæ Caroli Quinti Imperatoris uxor fuerat, nuper mortuæ corpus Granatæ sepeliendum honoris gratia comitaretur. Quare cum necessitas incidisset, ut aperta capsa cadaver inspiceretur, isque scaturientibus vermibus putridum et corrosum aspexisset, illico hæc ejus animum subiit cogitatio, quo tandem venisset illa tantæ fœminæ potentia et gloria, cujus paulo ante viventis, vel ipsi nutus terrori fuerant, quamque nulla sit in morte, et post mortem differentia inter principem, et pauperem : itaque illa humanæ fragilitatis cogitatio tantum valuit in ipso, ut ad principatum deponendum, et religiosam humilitatem amplectendam, eum adegerit. *Ps.* l. II, c. XXXVIII, *de bon. stat. Relig.*

Per necessitatem.

Abbas Moyses metu mortis, quæ ei propter homicidii crimen intendebatur, impulsus ad monasterium se recepit; qui ita necessitatem conversionis arripuit, ut ea in voluntatem propria animi virtute convertens, ad perfectionem summam pervenerit. *Anonym. in Methodo elig. stat.*

S. Paulus Eremita primus, dum fugiens Decii, et Valeriani imperatorum sævitiam, casu specum ingressus aliquamdiu latuisset, cœpit delectari solitudine, et quod prius necessitate fecerat, deinceps voluntate tota vita tenuit. *Idem.*

Per contemptum hominum.

Petrus Consalvus ad delicias, et mundi vanitatem omnem pronus, cum quadam die equo superbe vectus, totam urbem cum suis æqualibus obiret, accidit, ut a jumento lasciviente in profundum lutum excuteretur; ex quo cœnosus extractus a puerorum grege circumstante, et aliis procaciter sannis, ac risibus exceptus vehementer confusus fuit, sibique iratus : Quandoquidem, inquit, o munde, sic a te tractor, cui tam graviter servivi, ego quoque vicissim te, prout mereris, tractabo. Itaque eo momento statuit, Deo se famulaturum, atque id paulo post est executus. PLATUS, l. c.

Solebant Londini in Anglia dies Christo nascenti, et Epiphaniæ interjecti, chorearum, musices, ludorum, et comædiarum apparatu incredibili celebrari; concurrebat flos Londinensis, et circumvicinæ juventutis spectaturus, aut spectaculo futurus. Instituendi festi, et sumptuum cura penes illum erat, cui præ cæteris demandare illam Reginæ placuisset. Incidit in Thomam Pondo Anno 1569, sibique plurimum gratulatus est honorem juvenis, quod et in sumptu faciendo videri gauderet splendidus, et quod arte saltandi, et elegantia corporis parem aula haberet neminem. Ejus specimen artis, et magisterium editurus, saltationis eligit formam, quæ in sustentando pedis unius extremis articulis, et circumagendo simul in gyros corpore desivit, durante per tot vertigines puncto nixas, agilitate, et roboris, et capitis firmitate. Saltavit Thomas tam eleganter, et docte mimum versatilem egit, ut ei tota acclamaret, et applauderet scena, manum ejus Regina prenderet nuda manu, saltationis dato premio valde singulari; galerum Comitis Leicestriensi, operiendo sudanti mitteret, ac post interludia quædam invitaret ad saltationem iterandam. At hic arrecto in pedis articulos corpore, dum se rotat, agensque in gyros multiplices vexat obnubilante oculos vertigine capitis, humi toto corpore sternitur; exploditurque haud minori sannarum, et ludibrii sonitu, quam quo illi ante ad plausum fuerat. Regina indignans dedecoratam ab eo festi lætitiam, insultat jacenti, et: surge bos, inquiens, crudeli sarcasmo risus integrat spectatorum, cum ignominia jacentis. Assurgit in genu cernuus, et venerabundus se illi inclinat; illud quidem tacite apud se mussitans, sic tamen, ut perciperetur a circumstantibus: *Sic transit gloria mundi.* Exin aulam, et urbem, et publicum exosns, Belmontio suo se condit solus, ubi suo ex casu, ejusque mercede præmium reputans servitutis in mundi obsequio collocatæ, virorum stultissimum se incusat, et stultissimorum miserrimum: haud tamen (quæ Dei est gratia) illorum, qui tunc solum aperiunt oculos, cum cadunt in sepulchrum, numquam surrecturi. Post ex se ipse inquiritans, quanto tunc secum beatius ageretur, si Deo se sacrasset, et rationibus externis, quæ Reginæ oculis in Dei contemptum, et Religionis Sacrosanctæ, tum egerat, tum passus fuerat, atque profuderat, magnam sui concepit miserationem, et horrorem; et ex præteriti revocandi desperatione, tam ardens, et constans emendandi futuri propositum, ut per annos exinde quatuor supra quadraginta, alius omnino ab eo, qui fuerat, vixerit (erat vero tunc annorum triginta) et quotidianis virtutum accessionibus vitam cumularit, ac se totum daturus, sacræ religioni addicere decreverit, in Societatem Jesu a P. Everando Mercuriano præposito Generali receptus. BARTOLUS, p. I. *Histor. Eur.* l. I. c. IV.

Per mortis timorem.

Gerardus a Kempis Toparcha opulentus amplas sibi ædes, ac percommodas exstruxerat, suppellectili omni non modo nesessaria, sed perquam sumptuosa adornatas. Ad has regio epulo instructo, dominos suo territorio vicinos invitarat, ut geniali haustu novam fabricam irrigaret. Capaciorem forte sub bellariis scyphum manu prensans convivas percontatus est, quid sibi, quid suæ fortunæ deesse putarent: an non se, ut vere felicem, suspicerent? omnibus applaudentibus unus mentis candidæ hæc effatus est: Cognate mi, has, quas ædificasti, ædes percommodas, et amplissimas, censeo esse imperfectas, quia foramen aliquod prius obturandum est, ut opus omnibus numeris absolutum censeatur. Et quodnam illud? quærit Gerardus; respondit alter, ostium, per quod ex hoc diversorio brevi ad cœmeterium transiturus es, et hanc domum brevi alteri relicturus: Quod viri sane prudentis dictum ita Gerardi animum movit, ut sæculo spreto ad Religiosum claustrum commigrarit. LAERTIUS, *in Larva Mundi præfat.*

Franciscus Cajetanus cum videret domestici famuli adolescentia, et morum comitate florentissimi, repentinum funus, quod diu coxit, maturavit; et ne ardor mundi infidi relinquendi remitteret, calvariam cubiculo intulit, eique pulvino subjecto indormivit. RHO. l. V, c. III, n. 1, *ex nostris.*

Joannes Ribera ad Societatem venit, illa sibi canens: Fallax gratia, et vana est pulchritudo; ea videlicet occasione, quod consanguineæ suæ puchritudinem, tanta omnium oculorum admiratione laudata, vidisset in morte repente miserandum in modum fædatam. *Anno Philippinæ* 1621.

Per inspirationem.

Cum Claudio Aquavivæ venisset in mentem illud Domini dictum: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Jo. X, invasit eum timor, ne, si cœlesti illi consilio non obediret, non esset ex ovibus Christi. Qua de causa eadem hora, ac pene momento ad Societatis Jesu domum venit, seque ei toto animo addixit. PLATUS, l. III, c. XXXVIII.

Alexander Capochius Florentinus tribus noctibus ter illum versiculum insusurrari sibi audiit: *Docebo iniquos vias tuas*, etc. Ps. L. Quo incitamento ille se Ordini Prædicatorum devovit, in eoque sanctissime doctrina, virtute, et miraculis clarus vixit, præsertim dono curationem celebris. THOM. BOZIUS, l. XI, *de signis Eccl.*

Bertrandus Cornelius hilarem illam ante Cineres noctem agebat lætus in sæculo juvenis, ingenio tamen turbido, et ad vana projecto. Repente illa nocte tactus divinæ lucis radio, de æternitate ad socios tanta efficacitate verba fecit, ut, qui nugari hominem primo putabant, ubi serio agentem viderunt, stupuerint mutationem dexteræ Excelsi : duobus, qui aderant, viris primariis repente hujus oratione ad meliora conversis. Ipse vero, societate illa deserta, Societati Jesu se addixit, exquisite ad omnem rerum divinarum, et officii sui apud ægros tractationem attentus. *Anno Belg.* 1602.

Sacerdos quidam omni studio diligentiaque sibi a quorumdam Religiosorum, consuetudine cavebat : verebatur enim, ne, qua dicendi arte pollere illos existimabat, facile persuaderent, ut nuntium terrenis rebus mitteret. Hæc dum forte secum agitaret, quamdam vocem dicentem sibi exaudire visus : Non est, cur de me queraris in extrema judicii die, Religioni tibi nomen dandum esse prædixi, salutis viam ostendi, tuum erat, vel hanc ingredi, vel alio te conferre. Permotus his vocibus ad Religiosos accurrit, rem aperuit, omnibus precibus admitti petiit, et exauditus est. *Ann. Nespol. Anna* 1601.

Joannes Nunnus Hispanus nobilis de Gusmanorum familia, cum juvenis anxius de vitæ genere deliberans integro anno a B. Virgine postulasset, sibi a Deo certam vivendi viam ac rationem indicari, quam secure tenere, sequique posset; apparuit dormienti Dei Mater augusta specie comitata duobus Societatis Patribus, et Nunno inspiravit, dicens : Vis servire filio meo usque ad defatigationem? Cui Nunnus : Omnino Domina. Sequere ergo, ait illa, hos viros. Ostendit vero illi comites suos, nimirum, Patres Fabrum et Stradam, ac disparuit. Nunnus vero ex habitu judicatus est, viros illos esse Societatis Jesu, sed sibi prorsus ignotos, nec Domina indicavit, quo eos loco inveniret. Quare partim anxius, partim lætus cœlesti visitatione, reliquum suæ patronæ Virgini Matri commendavit. Contingit autem, ut iter facienti duo Societatis Patres temere occurrerent, visoque habitu eos aggressus est; cumque de admissione mentionem intulisset, tum Pater Faber : Vis, inquit, servire Christo usque ad defatigationem? Qua interrogatione, ille perculsus venit in mentem verborum Virginis Matris, quæ eisdem verbis usa fuerat. Unde ille, velut certam suæ vocationis tesseram reputans, oculos in vultum utriusque defixit, et eos agnoscens procidit eis ad pedes obtestans, ut se ad Societatem admitterent; narrataque totius vocationis serie, admissus est summa sua, et Patrum consolatione. PETR. *Matth. in vit. B. Ignatio* l. II, XXVI.

Per auditionem verbi divini.

S. Antonius ingressus Ecclesiam, ibique audiens ex Evangelio : *Qui non odit patrem, et matrem, et filios, insuper, et animam suam, non potest esse meus discipulus. Et si vis perfectus esse, vade, et vende, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me;* Luc. XIV. Præceptum hoc Domini velut specialiter ad se directum cum summa cordis compunctione suscepit, confestimque cunctis renuntians secutus est Christum. *Vitæ.*

S. Fransciscus audiens Evangelium de SS. Apostolis recitari, et in eo illis prohiberi, ne aurum, argentumque possiderent, pecuniam in zonis, in via peram ne ferrent, nec duas haberent tunicas, vel calceamenta, divina luce fuit illustratus, calceos exuit, baculum pecuniamque abjecit, una contentus tunica, cingulum coriaceum, quo fuit adstrictus, posuit, et se hunc succinxit, atque sic vitam Apostolicam inchoavit. *Vitæ.*

Per lectionem.

S. Augustinus, cum cogitationum æstu miserrime agitaretur, audivit : *Tolle, lege, tolle lege.* Arripui, inquit *lib.* VIII, *Confess.* aperui, et legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt occuli mei : *Non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione, et æmulatione : sed induimini Christum Jesum : et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis.* Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine hujusce sententiæ, quasi luce sinceritatis infusa, corde meo omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. S. AUG. s. VIII, *confess.*

S. Hilarius Abbas ex Tuscia oriundus, cum puerulus epistolas S. Pauli legeret, divino spiritu inflammatus, et a seniore quodam de vita solitaria instructus annorum tredecim, Deum rogavit, ut eum ad locum deduceret ubi ipsi servire posset Eremita. Cui Angelus apparuit, et eum Urbe Romana eductum ad montem Æmiliæ comitatus est, ubi in sanctitate vitæ Deo soli vacare cœpit. PETRUS, *Natal. l.* III, CXXXVI.

EXEMPLA.

Perfectorum in vario statu.

Esther vixit in aula regis gentilis, et idololatræ, cui acceptus erat Amam, non defecit tamen, imo crevit in spiritu, et servitio veri Dei; veluti colligitur ex ejusdem protestatione, quam fecit : *Tu scis necessitatem meam quod abominer signum superbiæ, et gloriæ, meæ, etc. et numquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus Abraham.*

In vita D. Gregorii Magni legitur de quodam S. Eremita, quod multis annis vixerit solitarius; post austeras frequentesque peractas pœnitentias, aliaque devotionis, et orationis exercitia, instanter Deo supplicavit, ut dignaretur ei manifestare præmium in cœlis sibi præparatum, propterea quod deseruisset domus suæ delicias, ac Deo in ista mendicitate servivisset. Nocte in sommo ei responsum fuit, tale tibi expectandum præmium, quale deberetur paupertati Gregorii Papæ. Audiens hujusmodi responsum Eremita, attonitus, et turbatus, hæsit, existimans Deo non placuisse paupertatem suam, si non majus, sed idem cum tam divite Principe, qualis erat Gregorius, præmium recepturus esset; et quia die noctuque deplorabat infelicem suum statum, dormiens alia nocte audivit Dominum sibi dicentem : non bona, neque bonorum possessionem facere homines divites, sed affectum; modo tu, inquiebat, divitias Gregorii cum tua paupertate conferre, et comparare audes, qui cattum, tugurii tui incolam, pluris æstimas, et diligis, quam Gregorius omnia sua bona cunctosque, quos possidet, thesauros, quos ne quidem amat, sed spernit, et animo benefico erogat in pauperes, ut propterea in corde suo te sit longe pauperior. MANSI, *disc.* n. 6.

Non absimile exemplum legitur in vita Sanct. Severini Archiepiscopi Coloniensis, quod hucusque dicta mirum in modum confirmat. Magnus quidam dominus ipso die nuptiarum suarum ab Angelo invitatus fuit, ut ipsum sequeretur, desereret sponsam, divitias, dominium, et omnia quæ haberet in sæculo. Conductus ergo fuit ad eremum, ubi pluribus annis vitam duxit valde austeram; cumque et ipse die quodam corriperetur curiositate sciendi, quale sibi in Paradiso destinatum esset præmium, in quadam visione intellexit, parem ipsum esse Severino Archiepiscopo Coloniensi. Quare hunc sine dilatione videre desiderans, accedit, intrat Ecclesiam, et Severinum in throno Pontificali conspicit, sedentem cum magna majestate, toto stipatum Clero, pluribusque aliis Principibus, et Nobilibus. Sacro finito pergit ad palatium, ubi Sanctum Archiepiscopum deprehendit præsidem lautissimæ mensæ, cui et plurimi assidebant Comites, et Nobiles. Hæc omnia ubi spectat Eremita, abjicit animum, suspicaturque, Deo forte minime gratam esse vitæ suæ austeritatem, eo quod promitteretur retributio premii æqualis utrique, sibi, et tali Præsuli, qui viveret in tanto Majestatis splendore, in talibus deliciis. Verum nocte sequenti Angelus cœlestis melius ipsum instruxit, erroremque suum ei detexit; nempe quod nimium lagunculæ suæ (hanc cingulo appensam gestare solebat) Severinus autem nullum prorsus haberet affectum ad honores, thesauros, et delicias, esto quis ei totum donaret mundum. *Ibid.* n. 5.

Refert Theodoretus, Angelum Dei tradidisse Paphnutio regulam in cœlo compositam, quam per multorum annorum decursum observaverat, et quia eidem conformem etiam, immaculatam, summeque austeram duxerat vitam, optabat divinitus informari, quis similis sibi esset in cursu perfectionis; unde Deus sive ad mortificandum illum, sive ad excitandos sæculares in perficiendo cursu virtutis, et salutis, per Angelum ei intimari curavit, Alexandriæ morari aliquem fistulatorem, et tympanistam, qui ei merito, et sanctitate æqualis esset. Quare sine mora inquisivit illum, et invenit; at quo proprius accedebat, eo magis fugiebat ille, ac si ex instinctu profundæ humilitatis voluisset ad imitationem S. Petri dicere : Exi a me, quia homo peccator sum. Tandem tamen substitit, audiens Dei voluntatem revelante Angelo manifestatam, ut huic Eremitæ totam vitæ suæ referret seriem; retulit post modestam renitentiam, et dixit : Nihil quidem boni mihi sum conscius, nisi quod, cum elapso tempore cum aliis latronibus, et lupis ulularem, peregrinantes expoliarem, cæteri vero collegæ mei intercepissent virginem aliquam, cui honorem, et pudorem eripere vellent, ego defenderim illam; eripiendo illam ex manibus eorum et restituendo domui suæ intactam, et illæsam; ex quo etiam periculo eripui plures alias mulieres; subjunxit deinde, quod frequenter distribueret eleemosynas pro liberandis captivis; illud vero, quod lucraretur ex arte fistulandi, erogaret in pauperes; totamque suam curam in eo positam esse, ut proximum suum amaret, et juvaret, eique bene faceret. Audivistis jam hujus fistulatoris bona opera, cum hisce optarem nunc conferri ipsius Paphnutii ecstases, visiones, revelationes, raptus, miracula, prophetias, conversiones, solitudinem, cilicia, rigorosa jejunia, vigilias, aliasque similes austeritates, numquid mirum, et consideratione dignum, quod cum omnibus hisce operibus, et austeritatibus Paphnutii, ipso judicio Dei; concertent merita unius fistulatoris? Publicani, et peccatores præcedent vos in Regno Dei. *Pallad.* c. LXV.

B. Catharina de Genna, quæ vivebat in sæculo, die quodam Religiosum audivit sibi dicentem, quod in religioso statu Deum longe ferventius amare posset, quam in sæculo; id audiens repleta sancta quadam indignatione respondit : Nullam hucusque creaturam sibi fuisse impedimento, vel obstaculo, quo minus Deum amasset, quantum voluisset, et potuisset. MANSI, *disc.* VI, n. 8.

In vitis Patrum legitur de S. Abbate Paphnutio eremi cultore, quod secunda vice ei irrepserit desiderium sciendi, cui Sanctorum similis haberetur, apparueritque ei Angelus dicens : Tu es similis Protocomiti vicini hujus pagi. Paradoxon hoc illi videbatur, quod aliquis homo sæcularis nobilitate, divitiis, dominio præditus, sibi in vita spirituali, quam jam pluribus annis transegisset in variis virtutum exercitiis, comparari posset. Unde accessit illum, et subito Comes occurrit adventanti hospiti, eumque humillime excepit, introduxit in domum prostratusque ante pedes ejus, uti in more habebat, profusis lacrymis illos plus abluit, quam aqua. Præstito hoc charitatis officio, Sanct. Eremitam deduxit ad aulam, ubi mensam lautissimis instructam reperit cibis. Hisce omnibus spectatis attonitus Paphnutius secum dicebat : Ego in horrido illo deserto inter asperrimas rupes me affligo, continuus ferarum socius, famelicus; et hic homo inter delicias domus suæ lucrebitur cœlum? Quocirca inter epulas ab hospite suo petit, qui actus ei, quod studium, cujusque operis haberet exercitia, protestaturque, nihil se ex cibis sumpturum, nisi prius vitæ suæ institutum sibi referret. Tum dixit Comes, magnum se esse, peccatorem, nec quicquam se præstare boni, neque dignum se esse, qui ei solveret calceamenta; mirabatur vero Comes Paphnutium tam avide inquirere in vitæ suæ institutum, et quia illius petiit scire causam, respondit S. Eremita, ab Angelo sibi fuisse dictum : Vade, quia ille Comes multis Monachis evasit superior. Videns ergo Comes, se astringi, dixit : Triginta jam completi anni sunt, quibus una cum conjuge me vixi uti frater cum sorore; suscepi autem ex ea tres filios; horum enim causa solummodo cognita mihi uxor est, nec præter eam alia nec ipsa ultra jam cognita. Suscipere hospites numquam cessavi, sed ita eis ministravi, ut neminem ante me paterer advenienti occurrere peregrino. Non dimisi unquam de domo mea hospitem sine viatico, pauperem nullum despexi, sed quæ necessaria fuerunt, præbui. Si in judicio sedi, nec filii mei personam contra justitiam accepi. Alieni laborum fructus numquam introierunt in domum meam. Litem si vidi, numquam præterivi, donec reconciliarem dissidentes ad pacem. Nemo unquam deprehendit in culpa famulos meos. Numquam greges mei læserunt fruges alienas. Quantum in me fuit, numquam permisi, ut potentior infirmum premeret. Semper studui in vita mea, ut neminem contristarem. Judicium si fuit apud me, neminem condemnavi, sed dissidentes revocare in concordiam studui. Hæc interim mihi vitæ institutio, Deo donante, hactenus fuit. Audiens hæc Paphnutius, Comitem amplexatus est, et difficulter ab eo recessit, cogitans apud se : Si, qui sunt in sæculo, tot, et tanta faciunt opera bona, quanto magis nos, qui perfectionem majorem profitemur, bonis operibus insudare, et vacare debemus? vidit postea animam Comitis hujus ab Angelis deferri in cœlum, qui cantabant : *Beatus, quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis. Pallad.* c. III.

S. Fransciscæ Romanæ, quamvis tota proclivis esset ad vitam religiosam, Deus tamen mediante Confessario significavit, divinæ suæ esse voluntati conforme, si nuberet, et in statu conjugali ei serviret : obedivit illa, regimen domus, et familiæ conjunxit cum solitudine mentis, cui sæpe ipsa vacabat, absque tamen domus, familiæque detrimento, ac præjudicio, simulque adimplevit illud

S. Hieronymi consilium, quod olim suggesserat Celantiæ dicens : Ita habeto solicitudinem domus, ut aliquam tamen vocationem animæ tribuas; eligatur tibi opportunus, et aliquantum a familiæ strepitu remotus locus, in quem velut in portum quasi ex multa tempestate curarum te recipias : tantum bi sit divinæ lectionis studium, tam crebræ orationum vices, ut omnes reliqui temporis occupationes facile hac vacatione compenses. Duo S. Francisca selegerat sibi eremitoria; unum in sublimiori parte domus, alterum in aliqua horti caverna, ubi a strepitu domestico separata, mente in Deum elevabatur, et frequenter orabat. In voto, quod composuit Cardinalis Bellarminus in ejus canonizatione, reperimus, ipsam in Ecclesia Dei lucidissimi instar speculi præfulsisse in variis vocationibus : B. Francisca omni statui, omni sexui, omni gradui exemplar virtutum proponetur quippe ab ipsa infantia multis annis virginitatem coluit, aliis non paucis in casto conjugio versata est, postea etiam laboriosam viduitatem exercuit : ad ultimum vitam perfectam, et religiosam in Monasterio duxit : Itaque et Virginibus, et Conjugatis, et Viduis, et Sanctimonialibus ejus declarata sanctitas mirifice proderit. MANSI, d. VIII, n. 2.

Pœnæ neglectæ vocationis.

Anno 1591, quidam Taurini ad certam Religionem admissus, cum properaret ad domum probationis, in ipso itinere mutavit mentem, flexit in patriam miser. Vix eam attigerat, cum ab homine nescio quo, qui se in hostem suum incidisse putabat, gladio fuit trajectus. In terram ruens : Has, inquiebat, do pœnas, ob neglectam Religionem, ad quam vocabar, et expiravit. *Annuæ Taur.* 1591.

Philippus quidam domus illustris germen egregium, cum flagranter Societatem Jesu expeteret, parentis blandiloquentia nec obstitit, et animum mutavit. Paulo post in pugna cum Nobili orta confossus occidit, nullius Sacramenti ope adjutus. *Nadast in Annuis trist.*

Quidam in Hispania nobilissimus Juvenis vocationem habuit Societatis Jesu, sed ei restitit per annos aliquot, et distulit. Factus dein Canonicus Toletanus inter divitias, et luxum vitamque vitiosam penitus evanuit, et vocationem neglexit. Monebatur sæpius, abstineret a vita flagitiosa, quam (etsi non notorie) vivebat, et confiteretur. Frustra. Quodam tempore faciebat iter Toleto Complutum, hic incidit in febriculam, sed quam contemnebat. Visebat illum P. Æmilianus Garcias Societatis Concinator sanctus, et modeste ad confesssionem hortabatur. Promisit ille se facturum, cum convaluisset : Instare Pater sæpius, tandem post triduum se confessurum pollicetur juvenis. Tunc in aurem insusurrat medicus præstantissimus, ipsum tamdiu non victurum; quare magis Sacerdos urgere, ille abnuere; hic rem acrius agredi, et ægro denunciare medici sententiam, non fore sex dies reliquos; Imo medicus Patri ingerere : sed neque sex horas. Ridere ad omnia Canonicus, abnuere, relinquerent sese, nolle se nunc confiteri. Convocat ergo omnes dominos extra cubiculum stantes Concionator, periculum denuntiat, ante ægrum in genua procidit, orat, velit sibi consulere; orant alii, sed irritæ fuerunt preces, renuit infelix. Tum Sacerdos, Oremus, inquit, pro obstinato, producit Crucifixum, et incipit Psalmum *De profundis*, cæteris prosequentibus. Cum perventum fuisset ad illa verba : *Fiant aures tuæ intendentes* etc. Christus crucifixus brachiis, et manibus sponte e crucis stipite solutis aures suas obturavit, missis, in auriculas digitis, et converso ab ægro (pallente, et sudore mortali perfuso) vultu intonuit : *Quia vocavi, te, et renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo.* Recensuit Patri Stephano Viro Societatis Jesu, Pater Gaspar Mena Thologiæ Professor, qui hoc factum Salmantica coram aliquot millibus narravit, *P. Casp. Menas. S. J.*

Juvenis quidam Societatem Jesu ingrediendi instinctum voto firmaverat : verum, nescio quo suorum suadente, in ipso ad Novitiatum itinere ad aliud institutum deflexit. Dum cujusdam bonorum præfectura fungeretur, animo semper mœsto erat, atque a conscientia torquebatur, demum fluctuantem mors inexpectata occupavit. Nam cum aliquot Hispanis, colloquentem absque ullo, quod hominem æternitati prætpararet, verbo, vel signo, vita decessit. *Annuæ Granat.* 1652.

Pœnæ avocantium a vocatione.

Taurini Adolescens quidam ad certam Religionem animum appulerat, sed acceptis litteris ab amico dissuadente, abjecit consilium; tum Sacerdos quispiam re cognita dissuasori scripsit, admonens; ut, si bene alteri vellet, adhortaretur ad ingressum. Retulit in litteris historiam de juvene ex alia Provincia, qui, cum Deo non pareret vocanti, assumptus in partem facinorum a latronibus, eorum scelerum, et suspendii particeps fuit. Paucis post diebus comprehensus cum turba grassatorum, et conjectus in vincula ad eumdem dedit litteras, veniam petiit, simul atque significavit, sibi commissum scelus cum sociis capitali supplicio esse luendum. *Annuæ Mediol.* 1591.

Alius Adolescens rescivit, suum condiscipulum Societatis Jesu studiosissimum ei se velle dedere. Quod cum matri retulisset, causa fuit illius e scholis educendi; graves propterea pœnas dedit; nam ex eo tempore adeo infausta illi omnia acciderunt, ut sibi ipsi vitam eripuerit, et dein a canibus fuerit discerptus. *Annuæ Austriac.* 1513.

Cum ad Societatem Jesu Adolescens quidam animum adjecisset, et parenti aperuisset, nec assensum impetrare posset : hanc tandem ab irato extorsit vocem, me superstite, vide, ne quid ejusmodi in mentem inducas tuam, me sublato e vivis, fas tibi erit, quod voles aggredi. Mirum ! vix biduum intercessit, cum parens repente moritur, et filius cogitata perficere toto pectore laboravit. *Annuæ Polon.* 1602.

Mechlinienses anno 1627, perhibent, juvenem Religioni nomen dare optantem, a matre, atque vitrico prohibitum esse, ac Lovanium missum, ut consortio uteretur unius ibi degentis cognati; cum Mater curavit significari, malle se filium sibi peste abreptum, quam Religioni adscriptum audire. Non multo post illam pestis e vivis eripuit, vitrico et filio mox secutis. *Annuæ Mechlin.* 1617.

Generosa executio vocationis.

S. Columbanus obstanti Matri, et limini ostii inhærenti supplicavit, annueret, ac benediceret properanti ad Monasterium : At illa ejulans, ac pavimento prostrata negavit, se id permissuram. Hic adolescens limen, matremque transiliit, et ad cœnobium confugit. *Beda in ejus vita* II.

S. Joannes Chrysostomus solitudinis, et divini servitii amore captus, sanctoque actus instinctu, nihil matris quamvis viduæ, nihil sororculæ precibus facilis fuit. Nec curans secundissimam auram popularem, divitias paternas, florem ætatis, affluentiam divitiarum, amicorum, cognatorumque dissuadentium eloquentiam, spes certas honorum magnorum, totum se Divino obsequio, Asceterium ingressus mancipavit, in quo mirus disciplinæ, vigebat rigor. *Vita.*

S. Bernardus Religiosum statum meditatus, a parentibus, cognatis, amicis fuit gravissime oppugnatus, sibi tamen fortis constitit, et triumphavit tam feliciter, ut dissuadentes in suam traxerit sententiam. Nam suo patruo, fratribus tribus, et aliis triginta vitam Religiosam persuasit, cum iis Cisterciensis familiæ nomen dedit. *Vita.*

Albertus ex Germania oriundus illustri admodum familia, quippe Falchenbergensis Comitis filius, et Regi Galliæ affinitate junctus, ad quem missus fuit, ut cum Regis liberis Lutetiæ educaretur. At ille ad cœlestem militiam animum adjecit, eamque in sacro Prædicatorum Ordine est aggressus. Quod ubi ad patrem perlatum est, etsi jam natu grandis esset, Lutetiam tamen cum magno suorum comitatu advolavit, omnesque machinas ad filii unici voluntatem piam evertendam admovit, sed frustra. Amor divinus carnalem vicit, et novum Christi militem firmavit. Succssit pugna fere difficilior. Theodoricus consobrinus dolore ardens omnia tela vibravit ad sternendum sacrum tyronem, puta lacrymas, preces, argumenta familiæ desertæ, stirpis perituræ, matris denique infelicitatem, quam præ doloris magnitudine, ut jam mortuam esse, aut moribundam decumbere lamentabatur. Consederant ambo e regione iconis cujusdam, in qua Christus (ut pingi solet) inter Matrem, et Joannem discipulum in Cruce pendebat. Tum Albertus oculos, ac digitum in eam tabulam intendens, eo, inquit, Dei Filius, cum Matrem, et consobrinum, utrumque sibi tam charum, doloris, gladio confossum videret, tamen e crucis patibulo (quod facile poterat) descendere noluit; sed et in eo cum suo, et illorum cruciatu usque ad mortem permansit. Quare nec ego hanc crucem vitæ religiosæ deseram unquam, quamvis et Matrem, et te consobrinum ad pedes meos exanimes jacere viderem : quin tu potius hanc eamdem crucem mecum conscendis teque mundi hujus laqueis expedi, in quibus cum tanto periculo hæres? quid plura? Tantum valuit constantis adolescentis oratio, ut eum permoverit ad idem institutum amplectendum, tota civitate obstupescente, eo magis, quod is antea omnibus vanitatibus fuisset admodum addictus. *Plat.* l. III, XXXIV.

Puer quidam Taurinensis, cum sibi aditum in Societatem Jesu undique clausum videret, quod, et unicus esset, et Patris confecta jam ætate filius; facinus edidit memorabile. Religiosissima oppidi Taurini templa adire, Deum, Deique Parentem, Divosque omnes enixe orare instituit, ut alterum parentibus suis filium darent, quo sibi liber, et expeditus in Societatem pateret ingressus. Nec illum sua pietas, nec spes fefellit. Haud ita multo post pater sexaginarius ex conjuge filium genuit. Ubi per se voti compotem factum comperit, mire lætus instare parentibus cœpit, ut, quando ei Deus novum hæredem dedisset, priorem filium Deo consecrarent. At illi nihilominus pio filii consilio obstabant, et alias Mediolanum, alias Papiam studiorum causa ablegabant, ut ibi a mente pia deduceretur. Sed tandem omnes parentum conatus ad nihilum reciderunt. Puer ubicumque esset, per litteras summopere nostros urgebat, ut, quemadmodum a Deo impetrasset, ut unicus non esset, impetraret ab eis, ut, impedimento, quod unum erat, sublato, in Societatem adscriberetur : et per idem tempus pater mortuus est. Contra illa lacrymis, maternisque blanditiis filii animum attentare, nuptiis pellicere, honorum illecebris irretire, idemque ut facerent, cognatos et propinquos magnopere rogare instituit. Puer omnium certaminum victor, ad extremum, cum satis pietati fecisse videretur, ad salutis perfugium relicta matre profugit. *Annuæ Mediol.* 1593.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut scala, per quam ascenditur in altum, ex variis composita, et constructa est gradibus; ita fideles Redemptionis, et meritorum Christi effecti participes, per varios gradus vocationum, professionum, et statuum ascendunt ad cœlum. *Idem, disc.* I, n. 4.

Sicut in Comœdia non attenditur, quam personam quis repræsentet, sed quomodo id faciat, consideratur; ita non tam curandum est, ad quem statum quis vocatus sit, quam, quomodo vocationi satisfaciat. *Anonym.*

Sicut in aula Principis omnes sunt honorabiles, quia omnium finis est Principi servire; ita quicumque Deo serviunt, honore digni sunt, licet in humili statu constituti sint; quia servire Deo, regnare est. *Idem.*

MOTIVA.

AD VOCATIONEM SEDULO INQUIRENDAM, ET EXEQUENDAM.

Quia sic honor, et gloria Dei exigit; nam ut recte S. Climacus discurrit : Si vocante nos terreno rege, et in suum obsequium nos militare jubente, nihil moraremur, neque occasiones fugiendi quæreremus, sed omnibus dimissis illi summa cum alacritate pareremus : Attendamus nobis ipsis, caveamusque diligenter, ne forte Regi Regum, et Domino Dominantium, et Deo Deorum nos vocante ad cœlestem hunc Ordinem propter nostram desidiam, et negligentiam obtemperare recusemus, et postmodum ante tribunal illud horrendum inexcusabiles inveniamur. Sed et S. Cyprianus idipsum indicat his verbis : Ipse de servo tuo exigis servitutem, et homo hominem tibi obedire compellis; et cum sit eadem vobis sors nascendi, conditio una moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis, nisi tibi pro arbitrio tuo serviatur; nisi ad voluntatis obsequium pareatur, imperiosus, et nimius servitutis exactor flagellas, verberas, fame, siti, frequenter, et carcere affligis, et crucias, et non agnoscis miser Dominum Deum tuum, qui sic exerces in homine dominatum ? S. Cypr.

Quia salus nostra a vocatione dependet; uti S. Greg. ad Mauritium Imperatorem scribens, eumque ob edictum, quo militibus ingressum in Religionem interdixit, reprehendens insinuavit, dum dixit, hanc legem iniquam esse, quod per eam multis via cœlorum claudatur; quoniam licet multi sint, qui etiam in statu sæculari bonam vitam ducere possunt, plerique tamen nisi omnia reliquerint, salvari nullatenus possunt. Licet enim vocatio ad Religiosum statum sit consilium tantum, atque adeo per se sine peccato executioni non mandari queat : multi tamen damnantur ob peccata mortalia, in quibus Deus eos morituros præviderat, si in sæculari statu morerentur : ad quod proinde exitium præcavendum, illos ad statum Religiosum vocaverat. Ut adeo merito timeri possit, ne tales illa Salvatoris Matth. XV, sententia comprehendat : *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* Et ut Salomon. Sap. XLIII, dixit : *Spuria vitulamina, seu plantæ adulterinæ, quæ non sunt in veritate, sed mendacio fundatæ, non dabunt radices altas. Etsi in ramis in tempore germinaverint, infirmiter positæ, a vento commovebuntur, et eradicabuntur* ex loco, in quo ab adultero suo affectu collocati sese excitarunt. S. Greg., l. II, *ep.* LXI.

Quia ipsa ratio dictat, nihil æquius esse, quam ut vocanti Deo promptissime, perfectissimeque per omnia pareamus. Quid enim conformius est, quam ut is, qui personam in comœdia quapiam sustinere vult, circa electionem talis personæ totum se arbitrio Choragi committat? Atqui teste S. Paulo. I. Corin. IV. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, et hominibus;* cum ergo Deus, velut supremus hujus comœdiæ Choragus, per infinitam suam sapientiam optime noverit, quæ cuique persona sit maxime conveniens; an non æquissimum erit, ut personam ab eo designatam promptissime accipiamus, perfectissimeque repræsentare studeamus? Quid itidem magis ratio dictat, quam ut servus, seu mancipium, illud in domo officium suscipiat, quod eidem a Domino fuerit præscriptum? An non autem omnes homines servi, et mancipia Dei sumus? An non omnibus dictum est : *Dominum Deum tuum adorabis? et illi soli servies?* Quidni ergo officium, et statum ab eo præscriptum libenter amplectamur, et studiose geramus? An non ulterius idem lumen nostrum rationale dictat, vel maxime decens, imo et necessarium esse, ut milites in exercitu non aliud munus aut stationem ambiant, quam quæ a duce fuerint imperata? Atqui teste Job capit. VII. *Militia est vita hominis super terram;* cur ergo, ut tanto peritius militemus, victoriamque certius obtineamus, non statum, et stationem a Deo, velut supremo Archistratego assignatam, præ aliis nobis convenientem arbitremur, et æquissimo animo teneamus? Quod si denique nos ipsos, velut membra corporis mystici consideremus, omnemque influxum a Christo (qui jam olim dixit : *Sine me nihil potestis facere*) velut a capite accipere debere credamus : an non iterum rationis convenientissimum est, ut nostro officio contenti, Capiti nostro perfectissime pareamus, et pro arbitrio non nostro, sed ipsius dirigi nos sinamus, sicque influxus illius, et gratiam constanter recipere mereamur. *Anonym.*

Quia certum est, ex recta electione status, vocationisque suæ impletione, magna ex parte dependere lætitiam cordis nostri, conscientiæ pacem, profectum in spiritu, bonam vitæ nostræ directionem, in virtute perseverantiam, et ipsam nostram salvationem. Contra vero ex hujus electionis errore provenire, ut tota vita nostra multas patiatur tristitias, tribulationes in multis defectibus, et erroribus, cum ingenti damnationis nostræ periculo. Dic enim mihi, inquit idem auctor, an aliquid sit magis periculosum, quam quod quis gravissimum aliquod sibi onus imponat, non habens vires, et sufficentia auxilia ad illud portandum? aut quid sperari possit de ingenti aliqua ædificii mole, supra levi, et falso fundamento exstructi? Quæ igitur prudentia est, eum statum amplecti, qui nec viribus, et facultatibus tuis conveniat, et respondeat, ex quo non possit aliud sperari, quam quod ipsum onus a te projicias, corruatque ædificium cum jactura æternæ vitæ? Quamvis enim verum sit, Deum nulli denegare auxilia necessaria ad salutem consequendam, nostro tamen humano modo loquendi, licet dicere, Deum non teneri vires suppeditare ad onus portandum, quod ipse non imposuit, nec subsidia ad eum statum, ad quem ipse non imposuit, nec subsidia ad eum statum, ad quem ipse non vocavit : Qua enim fiducia auxilium petes a Deo ad calamitates, et afflictiones occurrentes in eo statu, quem ut tuam sequereris voluntatem, contra ipsius divinam elegisti? aut quomodo habebis animum ab eo petendi, ut eruat te e periculis, in quæ incideris officio, quod sola tua ambitione, nihil faciens voluntatem divinam, obtinuisti? jure enim tibi respondere poterit, ut pro auxilio recurras ad eum, qui te vocavit, et ut ab angustiis, et anxietatibus liberet, qui te in illas conjecit. Ita evenit Israelitis, cum de Deo conquererentur dicentes : *Deus meus, cognovimus sanctum nomen tuum, cur nos deseruisti in angustiis nostris?* quibus ipse per Oseam respondit : *Projecit Israel bonum, inimicus persequetur eum. Ipsi regnaverunt, et non ex me : Principes extiterunt, et non cognovi. Idem.* OSE. VIII, 1.

MEDIA.

Gratiam divinam invocare, in qua se electurus Deo humilem, et ad omnia paratum sistat, *atque magna fiducia postulet, ne ipsum negotio tanti momenti, vel a dæmone, vel affectu, aut homine decipi permittat.* Unicum remedium, seu refugium oratio est, et frequens gemitus ad Deum, ut quid, quando, et quatenus nos facere velit, assidue nobis demonstrare dignetur, ut ait S. Bernardus serm. LVII, in Cant. Aderit vero Deus optimus, et faciet cum servo suo secundum misericordiam suam, atque docebit justificationes suas. S. BERN., *serm.* LVII, *in Cant.*

Conscientiæ puritatem procurare; cum in malevolam animam non intret sapientia. Sap. I, nec fas sit immundo, ac spurco vasi balsamum pretiosissimum divinæ gratiæ committi. Ideo præ omnibus mandata divina accurate servanda sunt. Juveni Evangelico affirmanti se præcepta Decalogi ab ineunte ætate observasse, dixit Christus : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, et sequere me.* (MATTH. c. XIX.) Hinc allaborandum, ut vocationem inquisiturus, malos habitus peccatorum (si quos forte habet) deponat, et sibi discat imperare. Hi enim mali habitus erunt stimuli ad peccandum, et consuetudinem inducent, alteram prope naturam, quæ sicut delinquendo roboratur in malo, ita animum ad bonum prorsus enervat, oculum mentis excæcat, ut non videat, multo minus probet, quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. *Rom.*, c. XII.

Sancti cujusdam, vel plurium, maxime Reginæ Sanctorum, et Angeli custodis opem frequenter implorare, quibus suam deliberationem (rem tanti momenti) sedulo commendet, maxime sub Sacrificio Missæ, post confessionem, sub sacra Communione, aliisque temporibus, pro vocatione deliberaturus. *Method.*, p. 1, c. V, n. 5.

Pia opera usurpare, ut eleemosynas, spontaneas corporis afflictiones per cilicia, flagella, jejunia etc. Pro animabus in flammis purgantibus detentis frequenter divino Numini supplicare, atque ita in has esse misericordem, ut et ipse misericordiam consequatur. *Ibid.* n. 2.

Indifferentia ad omnem statum procurare, uti S. Climacus insinuavit asserens : In divina voluntate indaganda necessarium est, ita nos comparare, ut nostra omnis voluntas cesset, ac in neutram partem magis vergat. Nam cum ea ab omni proprio affectu purgata, et nudata fuerit, apta erit ad Dei instinctum percipiendum. (S. CLIMAC., *grad.* XXVI.) Ad hanc indifferentiam plurimum facit S. Patris Ignatii in libello Exercitiorum præludium ad electionem faciendam, in quo hæc habet : Ad bene quidpiam eligendum nostræ sunt partes, ut oculo puro, ac simplici spectemus, quorsum fuerimus creati; nimirum ad laudem, et gloriam Dei, et salutem nostram. Quapropter sunt eligenda ea tantum, quæ conducunt ad hunc finem, cum ubique fini medium, non medio finis debeat subordinari. Unde errant, qui uxorem ducere primitus, aut Ecclesiasticum munus, seu beneficium adipisci statuunt; atque ita demum Deo postea inservire, utentes præpostere fine, ac medio, nec ad Deum tendentes recte, sed oblique ipsum ad perversa sua vota pertrahere conantes. Atqui e contrario plane agendum est : proposito primum divino cultu, tamquam fine nostro, et electo deinceps conjugio, vel Sacerdotio, cæterisque rebus omnibus, quatenus expedit, ad præfixum finem ordinatis. Idcirco nihil movere nos debet, ad utendum mediis quibusvis, aut supersedendum, nisi habita in primis tam divinæ laudis, quam nostræ salutis certa ratione.

Peritum directorem eligere, qui discretione polleat, puram Dei gloriam spectet, ardens amore sancto, et gravitate morum ornatus. Consultissimum vero est, ut sit ipse, qui deliberanti est a Confessionibus, et cui conscientia hujus est perspecta : poterit enim melius, et fidentius dirigere, amovere obstacula, præscribere media magis congrua, in pio proposito firmare. His usi sunt BB. Aloysius, et Stanislaus Kostka, ut eorum vitæ referunt. Causam adhibendi affert Sanctus Laurentius Justinianus his verbis : Vocati ad mundi contemptum, et ad obedientiæ gloriosum conflictum, discernendorum spirituum regulam nequaquam contemnant, verum neque ipsi eamdem se habere confidant. Rara utique virtus, et paucissimis collata, illis videlicet, ut arbitror, qui sunt corde humiles, mente puri, atque tentationibus variis diutissime probati; Donum quippe Dei est, et a S. prorogatum Spiritu, non minus ad illorum, quam ad ipsorum recipientium utilitatem. In rebus igitur arduis, præsertim in renunciatione sæculi, et in arripienda institutione novæ vitæ, nullus sibi in re propria credat : sed eorum acquiescat consilio, qui discretione pollent, et proximorum dilectione flammescunt, atque morum sanctitate clarescunt. (S. LAUR. *Just l. de obed.*, c. XXVI.) Hæc docuit S. Joannes Climacus grad. XXV, similitudine navis, necessitatem hujus cum Confessario consultationis explicans : Sicut navis perito gubernante instructa facile ad portum pervenit; sic anima, quæ pastorem bonum delegerit, licet per se rudis sit, facile verum cœlestis gloriæ portum assequitur; at contra sicut qui ductore caret, etiamsi sapiens sit, sæpe tamen errat in via : sic, qui suam voluntatem, ac judicium in hac vita spirituali sequi decernit, licet omnem sapientiam obtineret solus, facile tamen in animæ exitium ruet. Hinc nullo modo amici carnales, aut propinqui in consilium quoad hoc negotium adhibendi; nam sicut ille qui vult ædificare, aut ex aliquo morbo decumbit, non aliquem nautam, aut sutorem vocat, sed architectum hic, ille medicum, et uterque quidem peritum, et optimum; ita in hoc tanto opere, quo ædificanda est illa turris evangelica, et domus spiritualis, quæ nimirum stet firma adversus ventos, grandines, torrentes, ac flumina, an eorum judicium requiramus, qui vel nullam in his rebus habent notitiam, experientiam, peritiam, atque judicium? vel id ipsum ob varios, vanos, et sæpe impios affectus perversum, eversum? Quid stultius, quam si vel terra, vel mari iter sis facturus, eum ducem eligere, qui numquam vita omni sua iter illud confecit? Maxime, cum habeas plurimos, qui nihil aliud tota vita sua egerunt. Hinc S. Gregorius Venantio amico suo consulenti scribens : De causa vitæ, inquit, consilium a fautoribus mortis quæris, qui dum non te, sed res tuas diligunt, nulla tibi, nisi quæ ad tempus placent, loquuntur; si consiliarium quæris, me ipsum accede, nullus enim tibi potest esse consiliarius fidelior, quam qui non res tuas, sed te diligit. Istis, qui hac in re hujusmodi homines consulunt, evenit, quod Christus Dominus dixit Matth. XV. *Si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt,* nempe deceptionis in hoc mundo, et postea in ipsum infernum; cœci enim sunt, quorum animæ oculos excæcat amor, nec patitur eos aliud videre, quam quod est carni, et sanguini plausibile. S. Greg., *ep.* XIII, l. I.

ASCETICA.

Hoc in genere præcipue bene instructum esse oportet Ascetam, ne, si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadant. Itaque.

Primo nosse debet, et bene etiam electuro proponere fundamenta ad vocationem spectantia, quæ fere sequentia assignantur a Doctoribus.

Primum est, Omnis creatura ab ipso naturæ impetu ad bonum suum appetendum, et quærendum inclinatur; ideo ex ipsa hac inclinatione Philosophi bonum definiunt, dicuntque bonum esse, quod omnia appetunt.

Secundum est : Bonum cujusque rei nihil aliud est, quam finis, ad quem creata est, possessio; uti præclare indicavit Seneca epist. LXXVI, dum dixit : Id cuique optimum est, cui nascitur, quo censetur. Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum, et aureum rostrum est, nec cujus tutela ebore cœlata est, nec quæ fiscis, et opibus regiis pressa est, sed stabilis, et firma, et juncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum maris incursum solida, gubernaculo parens velox, et consentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis acies, et mucro munimentum omne rupturus.

Tertium fundamentum est : Finis hominis secundum esse naturale spectati, est, juxta rectæ rationis præscriptum vivere, uti iterum Seneca loc. cit. indicavit dicens : In homine optimum quid est? Ratio; hac antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est, cætera illi cum animalibus, satisque commmunia sunt.

Quartum est : Finis hominis secundum statum elevationis spectati, est, Deum amare, et per hunc amorem in hac vita ipsum inchoative. in altera vero perfecte possidere. Ita Sanctus Augustinus in Confess. indicavit, dum dixit : Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Et clarius in Psalm. CII, dum ait : Bonum tuum quære, o anima, est enim bonum aliud alteri; et omnes creaturæ habent bonum quoddam suum. Quære tuum bonum, id est, summum bonum. Quid ergo deest, cui summum bonum est? Sunt, et inferiora bona, quæ aliis, et aliis bona sunt. Pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentia, dormire, gestire, vivere sanum esse, generare? Tale tu bonum quæris, cohæres Christi? Quid gaudes, quia socius es pecoris? Erige spem tuam ad Deum, bonum bonorum omnium.

Quintum : Amare, est idem velle, et nolle cum altero; per hanc quippe voluntatem homo moraliter Deo velut summo bono unitur, eumque, prout potest, possidet. Hinc recte nonnemo dixit : Eadem velle, et nolle vera amicitia est. Et ipse Christus Joan. XV. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.*

Sextum : Vult Deus, ut faciamus bonum; et non vult, ut faciamus peccatum: atque adeo in his duobus capitibus tota perfectio hominis consistit, uti S, David Psal. XXXIII, indicavit dicens : *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Declina a malo, et fac bonum.* Et confirmavit Salomon Eccel. XII, *Deum time* (per peccatum scilicet offendere) *et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo.*

Septimum : In specie vult Deus, ut quisque opera status, et vocationi suæ convenientia faciat. Est autem status nihil aliud, quam certa quædam vivendi ratio, in corpore Ecclesiæ mystico suscipi peragique solita : sicut enim ad conservationem gubernationemque corporis humani oportebat diversa membra eumdem quidem finem, non tamen perinde etiam eumdem usum habentia constitui; ita in corpore quoque Ecclesiæ mystico conveniebat, ut varii status constituerentur, et quidam quidem, ut S. Paulus ait, *essent Apostoli, alii Prophetæ, Evangelistæ, Doctores, Pastores: alii alia officia sustinerent in consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem, et perfectionem corporis mystici.* (*Ad Ephes.* XLI.) Hinc tanta officiorum varietas reperitur inter homines, ut omnes aliquod suæ capacitati, et facultati accommodatum invenire possent, in quo salutem, et perfectionem consequi queant, si velint. Omnes autem hos status dirigit, movetque unus Christi Spiritus, qui eos charitate connexit, et ad propria cujusque status officia conformiter movet, sicut una eademque anima movet diversa corporis membra.

Octavum : Quæmadmodum in ordinata aliqua communitate, vel Republica, officia non a quolibet pro libitu assumuntur, sed a supremo moderatore distribuuntur; ita in ipsa quoque hominum diversorum communitate officium, et statum, quem quisque tenere debet, non pro arbitrio proprio, sed Deo velut supremo mundi Gubernatori, assignari convenit; uti sat clare iterum S. Paulus indicavit, dicens : *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et Divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et Divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis, prout vult.* I. *Cor.* 12.

Nonum : Sicut autem supremus Gubernator, qui officia distribuit, etiam sumptus, et media confert, ad illa rite administranda; ita multo magis Deus illis, quos ad certum statum, seu vitæ genus vocavit, necessaria auxilia subministrat, ad statum talem cum debita perfectione, et satisfactione sustinendum; uti sat clare iterum S. Paulus Philippensibus indicavit, dum dixit : *Cum metu, et tremore salutem vestram operamini; Deus est enim, qui operatur in vobis, et velle et perficere pro bona voluntate.* (PHILIP. c. II.) Unde et alibi fatetur : *Abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum.* II. *Cor.* 15.

Decimum est : Non modo non impossibile, sed potius e contrario facile admodum esse, cognoscere vocationem; uti colligitur ex ardentissimo illo desiderio, quo *Deus*, teste S. Paulo : *Omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire;* (I. *Tim.* c. I.) uti ex Incarnatione Christi, et adventu in mundum, qui, ut ipse fassus est, ideo contigit, ut *homines vitam habeant,* (JOAN. c. X.) colligitur. Ex quibus testimoniis sic argumentari licet. Qui vult finem, vult etiam media ad illum finem consequendum necessaria : atqui ad salutem nostram medium vel maxime necessarium est, ut quisque vocationem suam rite intelligat, ut in priori parte ostensum est; ergo dubitandum non est, quod Deus, sicut salutem nostram ardentissime, desiderat, ita et paratissimus quoque sit ad voluntatem suam circa status electionnem manifestandam; ut merito cum S. Davide exclamare possumus : *Signatum est super nos lumen vultus tui : dedisti lætitiam in corde meo,* (*Psal.* 4.) illam scilicet, quæ ex cognitione voluntatis tuæ oritur. Hoc ipsum videtur Salomon sequentibus verbis indicare voluisse : *Numquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam? In summis, excelsisque verticibus, supra viam, in mediis semitis stans, juxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur, dicens : O viri ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Beati, qui custodiunt vias meas.* (*Prov.* 8.) Clarissime vero S. Bernardus id ipsum indicavit, dum dixit : Nec enim laborandum est, ut ad vocis hujus perveniatur auditum. Labor est potius aures obturare, ne audias. Nimirum vox ista se offert, ipsa se ingerit, nec cessat pulsare ad ostia singulorum. Est enim non tantum vox virtutis, sed et radius lucis, annuntians hominibus peccata eorum, et illuminans abscondita tenebrarum. (S. BERN. V, *ad Clar.* c. I.) Quæ sententia (inquit P. Hieronymus Platus) illam quoque rationem habet certam, et evidentem, quod, cum Deus ideo nos vocet, ut ad se accedamus, frustra vocaret, nisi ita vocaret, ut a nobis percipi possit. Quis enim herus servo aliquid imperans quod eum exequi velit, non ita imperat, ut ipse intelligat? Magistri autem cum id spectent, ut discipulos erudiant, non solum ea afferant oportet, quæ ab illis capiantur, sed ad illorum quoque intelligentiam adhuc satis tenuem sese accommodent, eaque, si opus sit, sæpius iterent, et involuta explicent : quod nisi faciant, vitio ipsis datur, quod quidem vitium non cadit in Deum. Neque dicas, si de salute tua tantopere solicitus est Deus, cur non clarius nobis manifestat per se ipsum suam voluntatem; ut tanto certiores, et securiores de vocatione nostra, essemus? Nam hoc ipsum ob commodum nostrum non fecit, scilicet ut occasionem exercendæ fidei, obedientiæ, humilitatis, aliarumque virtutum haberemus, sicut ob eamdem causam articulos fidei non per se ipsum, sed per alios, revelare, et sola fide credi voluit. Unde quilibet sibi illud Salomonis monitum applicare debet : *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate quærite illum; quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent illum. Sap.* c. I. *Plat.* l. III, *de Stat. relig.* c. XXXVI.

Nosse debet, quomodo vocatio voluntatis cognosci queat nimirum ex sequentibus indiciis. 1. *Si ab ipsa pueritia diu, et constanter sentiatur, potissimum dum oratur, et cum Deo agitur.* 2. *Si quis ita constitutus sit, ut nisi putaretur a Deo venire talis impulsus, eidem nullo modo obsequi vellet.* 3. *Si semper ab eo ad bonum moveatur, nihilque nisi animæ salutem, et gloriam Dei spectet.* 4. *Si in illius status, ad quem impellit se sentit, consideratione ante oculos Domini, non item in alterius, conquiescat.* 5. *Si, dum ad talem statum suscipiendum se offerat, serenum et tranquillum se esse, et bona spe repleri; dum vero se ab eo avertit, et alio applicat, male affici, nec sibi satisfacere advertit.* 6. *Si sentiat, sibi quasi vires promitti ad constantiam, et servandum probitatis tenorem; e contrario vero difficultates, et impugnationes diaboli non horrere.* 7. *Si rationibus, et exemplis alio ferentibus non multum se affici, et quidquid alii faciant etiam amici, præstare tamen in suo sentiat.* Hujusmodi voluntatis affectionibus, nisi lumen intellectus valde repugnet, et manifestæ rationes pro meliori, et convenientiori statu occurrant, merito quis obsequi potest, maxime si ad religiosum statum inclinetur; nam, ut recte aliqui advertunt : Si ad sæcularem statum quis impellatur, non tam facile iis est assentiendum, cum inordinatus sui amor, et vitæ liberioris studium hic magis se insinuent, et animum in transversum agant; unde ulteriori ipsius etiam intellectus examine opus erit.

Nosse debet, quomodo vocatio intellectus indagari, et cognosci queat; nimirum si sequentes industriæ adhibeantur : Primo suadendum, *ut certo quodam die, qua quis deliberationem instituere decrevit, Confessionis, et Communis Sacramenta devote ad hunc finem obeantur, et hoc negotium Christo hospiti illis Sancti Apostoli verbis :* Domine, quid me vis facere? *sedulo commendetur.* Secundo, *ut quoniam Deus, dum ad cor loqui animæ decrevit, eam in solitudinem ducere,* teste Osea c. II, *consuevit, deliberaturus a turbis, et arbitris remotum in locum se conferat, et invocato Spiritus Sancti auxilio, et SS. Patronorum pro hoc fine electorum Patrocinio, ipsam deliberationem sequenti fere modo aggrediatur* Tertio, *cum res præcipue sint status, de quibus deliberari potest, an sint suscipiendi, nempe Matrimonii, Celibatus, et Religionis; quivis separatim ante oculos statuendus, et de sequentibus capitibus discutiendus est.* 1. An specialis in animo inclinatio ad illum sentiatur. 2. Quæ commoda aut incommoda contineat ad finem ultimum certius et facilius obtinendum. 3. An corporis animique talenta melius et perfectius in eo impendi queant. 4. An eumdem alteri, quem æque, ac me ipsum nossem, et diligerem, suasurus essem, si meam hoc in negotio sententiam, consiliumque requireret. 5. An hunc ipsum statum elegisse me vellem, quando moriendum mihi, et severa coram tremendo Judice ratio reddenda fuerit. 6. An plures pro eo, quam pro alio suscipiendo rationes militent; his enim accurate, et prudenter discussis, electio tandem juxta modum, qui indicabitur, erit facienda.

Nosse debet, et deliberaturo proponere commoda, et incommoda variora statuum, quæ quidem sequentia fere assignantur.

PRO MATRIMONIALI STATU.

INCOMMODA.

Hæc in genere S. Paulus I. Corinth. VII, indicavit, dum dixit : *Si nupserit virgo, non peccavit; tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* In specie vero Christus in nuptiis Canæ Galilææ insinuavit, dum sex hydrias aqua plenas, sibi afferri jussit; cum enim per aquas in Sacra Scriptura frequenter tribulationes intelligantur, ut cum Cantic. ultim. dicitur : *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem :* per hydrias has Christus *sex species tribulationem in statu maritali* occurrentium voluit indicare, quarum.

Prima est tribulattonem ex ipsa conjuge orientium, qui, cum frequenter ingenio, ac indole moribusque sint discordes, hoc ipso in gravia dissentionum, odiorum, et contentionum incommoda eos incidere necesse est.

Secunda est tribulationum ex liberis proficiscentium; dum sæpe nulli, licet maxime optentur, haberi possunt : sæpe nimis multi contra voluntatem acquiruntur : sæpe citius, quam gratum sit, eripiuntur : et, quod caput est, currupta indole moribusque, et ipsa sustentationis educationisque cura, ac sollicitudo innumera fastidia, ac molestias creant.

Tertia species est tribulationum ex domesticis servis occurrentium; qui, cum frequenter inobedientes admodum, infidi, et immorigeri negligentesque sint, tanto graviores displicentias, et indignationes creare solent, quanto majora ex talibus eorum negligentiis, moribusque damna timentur.

Quarta species est tribulationum ex consanguineis oriri solitarum; qui hoc ipso, quod arctius nobis conjuncti sunt, tanto frequentior nobis tristitiarum, et dolorum causa existunt, quanto pluribus variarum miseriarum, atque ipsius etiam mortis periculis, casibusque sunt subjecti, quos omnes sicut ad nos quoque pertinere judicamus; ita non aliter quoque, ac nostros, ejusmodi casus dolemus.

Quinta species est tribulationum a vicinis, seu concivibus, vel aliis, quibuscum agendum est, aut quibus subesse debemus, creari solitarum, quæ etiam tanto graviores, et frequentiores sunt, quanto plures sunt, qui vel invidere nobis bona nostra, vel subtrahere, vel minuere, vel, si superiores sunt, dure tractare conjuges, aut opprimere possunt.

Sexta species est tribulationem a propria cujusque persona proficiscentium; quas Thomas Kempens. indicavit, dum dixit : Interdum relinqueris a Deo; interdum a proximo exercitaberis, et, quod amplius est, sæpe tibimetipsi gravis (Thom. Kem. l. II, c. XII, n. 4) : propter fastidia scilicet, impatientias, et tristitias, quæ ex oneribus, et curis sustentandæ, gubernandæ, et conservandæ domus, et rerum temporalium oriuntur.

COMMODA.

Etiam hæc videntur a Christo indicata in dictis Canæ Galilææ nuptiis, dum aquam in vinum convertit, ut ostenderet, si nuptiæ præsente se, seu ex legitima vocatione, et fine celebrentur, tribulationes matrimonii in non leves consolationes conversum iri.

In primis enim *non levis est consolatio, numerum hominum augere,* et per hoc Dei gloriam, Ecclesiæ, tam ecclesiasticæ, quam civilis incrementum, et bonum procurare. *Nec minor secundo consolatio est, si liberis vita non tantum temporalis, sed etiam æterna, eaque felicissima procuretur* : quo forsan allusit Christus, dum dixit : *Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem peperit puerum, jam non meminit præssuræ, quia natus est homo in mundum. Tertio, magna quoque consolatio censenda est, quod onera, et miseria hujus vitæ facilius per mutuum amorem, et concordiam supportentur* (Jo. XVI); sicut enim, si duo boves eidem jugo subdantur, levius laborem tolerant; ita jugum grave, quod teste Siracide creatum est super filios Adæ, facilius portabunt conjuges, si vires suas jugo tali annexi conjungant. Quod alibi quoque confirmans Salomon, *Væ soli!* inquit : *melius est esse duos simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ! si unus ceciderit, ab altero fulcietur.* (Eccl. XL.) Et si quispiam prævalebit contra unum, duo resistunt ei. *Quarto, ex ipsis etiam consanguineis non exigua hauritur consolatio, ob auxilium, et solatium, quod in variis necessitatibus præstant, propter vinculum necessitudinis, quod ad mutuum auxilium ferendum adstringuntur.* (Eccl. IV.) Unde iterum Salomon dixit : *Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma erit. Quinto, con-*

solatio magna ex ipso etiam Sacramento, quod conjuges suscipiunt, oritur (Prov. xviii); si enim cuipiam grave onus ferenti non modicum crearet solatum, qui medium offerret ad vires roborandas idoneum; quidni magna quoque consolatio oriatur conjugibus ex Sacramento matrimonii, quod specialiter institutum est ad gratiam pro oneribus matrimonii levius ferendis largiendam. *Sexto* denique, *non minima consolatio est, quod ipsa etiam res familiaris per concordem cohabitationem non modice augeatur;* cum, juxta commune axioma, Concordia res parvæ crescant, discordia maximæ dilabantur.

PRO CŒLIBATU.

INCOMMODA.

Primum est, quod oneribus, et curis temporalibus non modice graviter hic status. Secundum, quod gravibus periculis incontinentiæ sit subjectus, Tertium, quod in adversis casibus fido auxilio plerumque destituatur : juxta illud Salomonis : *Væ soli, quoniam, si ceciderit, non habet sublevantem se. Quartum, quod frequentibus suspicionibus, oblocutionibus, et detractionibus sit obnoxius, maxime si diversi sexus cohabitant.*

COMMODA.

Primo, *Libertas a molestiis, et curis, quæ ex conjugum cohabitatione, et liberis oriuntur.* Secundo, *meritis, et gloriæ augmentum ex castitate servata, aliisque mediis ad majorem perfectionem conducentibus.* Tertio, *occasio frequentior orationi aliisque exercitiis spiritualibus vacandi*, juxta illud S. Pauli : *Qui sine uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* (I. Cor. vii.) Quarto, *facilior supportatio adversitatum, et victoria tentationum ob majus auxilium statui a Deo, utpote cui gravior, conferri, solitorum.*

PRO SACERDOTIO.

COMMODA.

Occasio divinæ gloriæ, salutis propriæ, et alienæ perfectius promovendæ, per sacrificium Missæ, Horas Canonicas, Sacramentorum administrationem, verbi divini prædicationem, instructionem parvulorum, infirmorum, et moribundorum consolationem. *Secundo, exemptio a potestate sæculari, et oneribus, quibus sæculares premuntur. Tertio, auxilium, et consanguineis, et pauperibus, per pias largitiones, et eleemosynas præstandum.*

INCOMMODA.

Primo, pericula otii, tentationum, vitiorum, salutis. Secundo, libertas perniciosa, et plurimorum malorum ferax. Tertio, cura molesta œconomiæ, et familiæ, et consanguineorum vexatio, et murmuratio. Quarto, gravis ratio Deo pro tot animabus reddenda.

PRO STATU RELIGIOSO IN GENERE.

COMMODA.

Vivitur jucundius ante mortem, propter carentiam solicitudinis de rebus ad corporis sustentationem necessariis; propter majorem quietem, et gustum in cibo, et somno capiendo, aliisque corporis delectationibus : propter securitatem conscientiæ, quia, ut S. Bernardus recte notavit : Religiosus vivit purius, cadit rarius, surgit velocius; incedit cautius, et irroratur, et roboratur frequentius, et validius per divinas consolationes, et illustrationes : denique propter paternam curam Superiorum, et Fratrum auxilium. *Vivitur* quoque *secundo jucundius in morte*; tum propter vitam æternam promissam; tum propter vitam sanctius transactam; tum propter Sanctorum Patronorum ferventius cultorum, et sibi conciliatorum, assistentiam; tum propter fratrum, precibus suis contra tentationes defendentium, auxilium. Unde merito S. Bernardus dixit : O vita secura, ubi mors absque formidine expectatur; imo, et exportatur cum dulcedine, et excipitur cum devotione (S. Bern. c. ii, *ad mil.*) : *Vivitur tertio etiam jucundius post mortem ;* tum quia purgatur citius ob satisfactionem præteritam propriam, et alienam per indulgentias, et commilitonum sacrificia, et suffragia; et remuneratur copiosius; tum propter centuplum a Christo promissum; tum quia, ut S. Gregorius recte notavit, animam suam justi in vano non accipiunt, quia intentione continua ad ejus utilitatem referunt, quidquid corporaliter operantur, quatenus, et transeunte opere, operis causa non transeat, quæ vitæ præmia post mortem parat. S. Greg. l. VII, *mor.* c. xvii.

INCOMMODA.

Per incommoda hæc, non intelliguntur talia onera, quæ Religioso per se damnum afferunt (nam ut sic immerito illis nomen incommodi tribueretur) cum potius grandia commoda dicenda sint, utpote non minima perfectionis assequendæ subsidia, sed quæ non modicam difficultatem continent, atque adeo non facile ab alio assumenda sunt, nisi ab eo, qui legitime ad talem statum vocatum se sentit, ideoque ob gratiam vocationis se parem iis portandis futurum confidere potest, qualia sunt, *Primo, tria vota essentialia, paupertatis, castitatis, et obedientiæ. Secundo, stabilitas loci*, quæ sive propter locum ipsum solitarium, sive propter stabilem Superiorem, eumque durum, et rigidum, sive propter imperfectos, et ingratos Fratres, non modice gravitatem status Religiosi auget. *Tertio, opera pœnitentiæ*, puta flagellationis, cilicii, jejunii, nuditatis, et similium, ex voto, vel consuetudine obeunda. *Quarta, Chori, et aliarum orationum prolixa frequentatio. Quinto, ministeria varia, periculosa, et difficilia, ad nutum Superiorum suscipienda. Sexta, victus, vestitus, et habitatio quandoque vilis, et tenuis, et carentia quasi perpetuo corporalium delectationum :* quæ omnia bene perpendenda sunt prius, quam quis Religiosum statum suscipiat; hi enim sunt sumptus illi, quos Christus inquiri voluit ab eo, qui turrim Evangelicæ perfectionis ædificare decrevit.

PRO RELIGIOSO STATU IN SPECIE.

COMMODA.

Religionum non Mendicantium, ut Canonicorum S. Augustini, S. Benedicti, S. Bernardi, S. Norberti. 1. *Occasio commodissima serviendi Deo.* 2. *Cura, et vigilantia Superiorum.* 3. *Vota tria Religiosa, et regulæ salutares.* 4. *Absentia periculorum, et occasionum peccandi.* 5. *Usus frequentissimus SS. Sacramentorum.* 6. *Exempla sancta Religiosorum confratrum etc.* 7. *Lectio pia, et quotidiana meditatio.* 8. *Adhortationes piæ. Examina conscientiæ.* 9. *Instructiones Patrum spiritualium. Horum cura paterna.* 10. *Devotio in choro etc. et extra illum.* 11. *Usus operum pœnitentiæ, et aliarum virtutum.*

INCOMMODA.

In iis votum stabilitatis sæpe grave, maxime sub uno eoque dum vivit perpetuo Prælato, si Religioso minus sit gratus, vel benevolus. Hoc ipso aggravatur, *Primo ex convictu apud confratres*, si mores eorumdum non arrideant, vel quædam orta sit alienatio animorum ex quacumque causa. *Secundo, cum vivendum sit per totam vitam in eodem loco*, qui subinde nec ad gustum, nec ad valetudinem est. *Tertio, eadem semper sunt ministeria, occupationes etc. Quarto, solitudo quoque votum hoc gravius reddit*, si sit Cœnobium in locis infrequentibus, minus celebribus pagis etc. *Quinto, perpetuitas Superiorum*, quæ subinde imperium acerbum, et despoticum reddit etc. *Sexto, paupertas*, interdum videtur in leges charitatis, et prudentiæ impingere etc. *Septimo, frequens, est Paræciarum administratio, cum cura animarum, quam plerique soli in pagis obeunt.* His itaque incumbunt omnia onera, et incommoda Parochorum; nec desunt pericula propter fœminas, et alia. *Octavo, Chorus. Sæpe nulla, vel non adeo magna studiorum occasio, aut horum usus. Nono, Ministrorum sæcularium licentia*, qui non raro sibi indulgent liberius, et devorant panem filiorum Dei. *Decimo, visitatio cænobiorum sæpe per personas non sui Ordinis, et sæculares etc.*

COMMODA RELIGIONUM MENDICANTIUM UT PP. FRANCISCANORUM, CAPUCCINORUM, CARMELITARUM, DOMINICANORUM, SOCIETATIS JESU, ET SIMILIUM.

Præter ea, quæ omnibus Religionibus sunt communia. 1. *Major occasio serviendi proximo.* 2. *Mutatio Superiorum, Ministeriorum, domiciliorum.* 3. *Facilior ad mediatos Superiores recursus.* 4. *Major subordinatio, et dependentia subditorum a Superioribus.* 5. *Major fidelium in has religiones favor, commiseratio.* 6. *Pro defunctis plura suffragia.*

INCOMMODA.

1. *Apud quosdam Chorus.* 2. *Statæ pænitentiæ*, jejunia, vigiliæ, etc. In quibusdam vestis auctoritas, nuditas pedum, et aliæ asperitates. 3. *Item vivere mendicato, et stipem colligere sæpe solum, et sine aliquo socio, non sine periculo animæ, et magnis corporis incom-*

modis. Ipsa mendicatio libertatem agendi cum hominibus, et eos corrigendi, adimit. 4. *Subinde minor subordinatio erga Superiores immediatos atque obedientia quæ exemptis maxime prodesse non potest.* 5. *Mutatio locorum, ministeriorum valde ingrata.* 6. *Studium litterarum, subinde intensum.* 7. *Probationes in virtute diuturnæ et prolixœ etc.*

Nosse debet, et docere, et quid post electionem factam observari debeat a deliberante; nimirum sequentia : 1. *Gratias Deo humiliter agat*, eique frequentissime supplicet, ut hujus rei lumen gratissimum misericordissime concessit, et amorem Religionis est largitus, illius quoque tum suscipiendi opportunitatem, tum ad felicem exitum hujus sancti negotii perducendi facultatem, et gratiam impertiatur. 2. *Suum Confessarium frequenter consulat*, et ei, si quid occurrit, fideliter, et filiali affectu manifestet, atque sequatur directionem. Ejusdem utatur opera apud Superiores illius Religionis, quam elegit. 3. *Valde necesse erit, ut eligens paulatim comparet se ad illum statum quem decrevit inire.*

Unde *primo*, investiget, ac cognoscat spiritualia sui propositi impedimenta, eaque removeat. *Secundo*, præparet animam ad Dei servitium per accommodationes suarum virium ad exercitationes illius Religionis quam elegit. Itaque abjiciat gaudia, et oblectamenta, quæ in Religione sacra locum non habent, ut sunt comessationes, saltationes, lusus etc. Similiter excutiat licentias in usu proprii arbitrii, prolixis, ac lubricis confabulationibus, singularitatibus locorum, vestium etc. Deinde assuefaciat corpus illis, quæ sunt ei Religioni usitata, ut opera pœnitentiæ, labor studiorum, oratio prolixior, lectio spiritualis, frequens Sacramentorum usus, totum pendere ex arbitrio majorum. Quantum enim in his veluti rudimentis profecerit, tantum emolumenti, et facilitatis in Ordine experietur. 4. *Cavet omnimodo, ne abreptus errore vulgi, titulo valedictionis plus sibi indulgeat, et malignis cupiditatibus pabulum, et libertatem concedat.* Sentient profecto in Ordine maximas dein difficultates, multa, (et utinam!) non levia peccata committet; sæpius postea a recurrentibus antiquis speciebus infestabitur, et periculum erit, ne succumbat, vel in disperationem ruat etc. Quod vero pessimum erit, majorem sui tyrociuii partem in perturbationibus, erroribus, et forsan Dei offensione transiget, vix cuiquam tolerabilis. Certe ad hunc valedictionum scopulum non pauci naufragi perierunt. Declinavit eum Bernardus Mentonius, qui vocanti Deo ad Religionem cum Samuele respondit : *Ecce ego* (I. *Reg.* III); initio memorabili conatu vidisses omnia in melius commutari, ab ipso Sacramenta, orationem, sancta opera solito frequentius iterari, eum ab hominum congressu, et oblectamentis etsi honestis, se subducere. Quæ agendi ratio longe a plurium imprudentium consuetudine adhorret, qui mundo nuntium remissuri prius in omnem vitæ licentiam se effundunt, a Bacchanalibus ad jejunia, more delirantis vulgi, transituri. Atque hic postremus dæmonis conatus est. Quis vero umquam vidit, vitia potuisse virtuti viam sternere? hinc evenit, ut libertas animi voluptate illecta fræna sibi laxet, et salutis jacturam facit. 5. *Labor sit, ut secundum S. Scripturæ loquendi morem Eccl.* II, *præparet animam suam ad tentationem, et santificationem more omnium, qui Deum timent, et in conspectu ejus ambulant.* Maximo autem studio se armet contra illud genus tentationum, quod poterit eum impedire ab ingressu Religionis, vel retardare, ut sunt, affectus immoderatus erga parentes, et consanguineos, atque horum blanditias; erga bona, et divitias, singulares amores, et desideria carnis etc. Errant vero illi, qui vel juvenibus aureos montes promittunt, vel ipsi juvenes, cum solem, ac cœlum semper serenum futurum sibi imaginantur. Ad quamcumque professionem (ait S. Augustinus Concil. I, in Psalm. XXXVI) te converteris, pati fictos (tibi nempe clam adversantes) alioquin, si non te paraveris, invenies, quod non sperabas, et deficies, aut perturbaberis. Religio est schola crucis, in qua Magistro discipulus dignus non est, qui non accipit crucem suam, et Crucifixum præeuntem sequitur. 6. *Sic cura ad externa impedimenta removenda, si quæ forte sunt, ut debita, obligationes, et officia, imo et vota :* Etsi enim in Religione sit amplissima facultas circa horum dispensationem, expedit tamen, ut ante ingressum persolvantur, cum non soluta soleant aliquos tota vita vexare. 7. *Caveat, ne propositum revelet, priusquam cum Superiore Ordinis, quem elegit, egerit :* Frequenter enim, et graviter nocuit intempestiva hujusmodi secreti manifestatio. Qua vero ratione cum Superiore illo debeat agere, consulat suum Confessarium, et hujus directioni obtemperet. 8. *Electionem legitime factam, etsi nullo voto, vel juramento sit firmata, ob nullam deinceps tentationem, vel desolationem in dubium revocet,* quando quidem in humanis securior, et exactior non restat via ad voluntatem divinam pernoscendam, nt multis declarat Platus de bono status religiosi l. III, c. XXXVI, nisi aliquod impedimentum animi, vel corporis ante non notatum innotesceret. Verum, et tunc erit dissimulandum, quoad certiora de illo constiterint : Poterit enim subesse illusio satanæ, a pio proposito eligentem nitantis abstrahere, dum majora fingit obstacula, quam in statu electo inveniantur. Sicut etiam communiter fallaciam tegit, quidquid turbationis post legitimum electionis processum supervenerit. 9. *Non differat vocationem suam exequi;* hæc enim dilatio executionis est consuetum, et ultimum, quo salutaria vitæ melioris consilia dæmon disturbare nititur, ideoque, et Deo summopere displicet eadem dilatio, gravissima infert damna, et nonnumquam mortem sempiternam. S. Bernard. ad quemdam, qui vocatus ad statum Religiosum annuas quasi inducias ad absolvenda litterarum studia postulaverat, sic scribit : Obscro, redi ad cor, et adverte hunc annum, terminum, quem tu tibi indulsisti, esse injuriam Dei, non esse annum placabilem Domino, sed discordiæ seminarium, iræ fomitem, nutrimentum apostatiæ, qui spiritum extinguat, gratiam intercludat, teporem afferat illum, qui Deo solet vomitum provocare. (S. BERN. ep. CVIII.) Bene dixit Sanctus, hanc dilationem vergere in injuriam Dei, quia sic ingressum differre sine justa causa, est, ac si diceres, Domine, nolo modo venire, expecta me, post aliquot hebdomadas veniam, vel post tot menses. Auderesne hoc respondere regi, te ad se vocanti, et quidem si scires, eum vocare, ut te faceret principem, vel te ditaret? Ecce, inquit Sanct. Augustinus : Indulgentiæ Doctor aperit tibi ostium, quid moraris? gaudere deberes, si aperierit aliquando pulsanti; non pulsasti, et aperit, et foris remanes? ne ergo differas. S. (AUG. s. XLIX, *de v. Dom.*) In eumdem sensum S. Chrysostomus locutus est, dicens : Dum tibi fervens est amor vocationis, abi statim ad illos ipsos Angelos (Religiosos) eumque magis accende; ut dicas : Alloquar prius propinquos, resque meas expediam. Torporis initium est hæc dilatio, patrem discipulus sepelire voluit, nec id Christus permisit. Quid ita ? quoniam acer instat diabolus, ut se in animum insinuet, et, si vel brevem, arripuerit vacationem, vel prorogationem, ad magnum inducet torporem ; unde quidam admonet : Ne differas de die in diem.

MISCELLANEA, ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

QUALITAS. — Ægyptus mundi hujus typus erat; e contra terra promissionis veram figurabat terram viventium, quæ est cœlum. Hebræi repræsentabant fideles electos : quem servavit modum æterna numquam aberrans Providentia, ut populo suo ad terram illam, ad quam tanto tempore suspiraverant, præberet aditum. *Qui divisit mare rubrum in divisiones. In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis.* (*Ps.* XV, 13; *Ps.* XCVI, 20.) Rupertus Abbas existimat, virgam Mosaicam percutiendo aquas non unam, sed duodecim aperuisse vias, per quas utpote herbis virides, et solidas, quælibet tribus ambulare, et progrdi poterat. (*Sap.* CXCVII.) Campus germinans de profundo; volens per hoc nobis denotare, per diversas vocationes ad terram illam beatam, fluentem lacte, et melle æternorum beatorumque gaudiorum, nos tendere posse. MANSI, dis. I, n. 2.

Post Resurrectionem Christi legitur de Petro, utpote piscationis apostolicæ Capite : *Simon Petrus traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.* JOAN. XXI, 11. Nec mirum, quia Salvator noster jam ordinaverat : *Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis, etc.* Omnes hi pisces figurabant electos ad dextram collocandos. Sed quid indicat certus et limitatus ille numerus piscium 153? Sanctus Hieronymus scribit : Aiunt, qui de animantium scripsere naturis, de quibus Oppianus Cilix Poeta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium, quæ omnia capta sunt ab Apostolis, et nihil remansit incaptum, dum et nobiles, et ignobiles, et divites, et pauperes, et omne genus hominum de mari hujus sæculi extrahitur ad salutem. (S. HIER. *in* c. XLIII, 29. *Ezech.*) Rupertus Abbas per numerum illum intelligit tres status personarum, in quibus homines communiter vivere solent; ita ut per numerum centesimum intelligantur conjugati, per quinquagesimum status continentiæ viduæ, et per numerum ternarium status continentiæ virginalis, seu virginum, quæ sunt in exiguo numero.

In officinis variæ conficiuntur, et efformantur Sanctorum imagines. Aliæ imprimuntur chartæ; aliæ penicillo in panno lineo effinguntur, et depinguntur coloribus; aliæ scalpro inciduntur ligno aut alicui metallo; aliæ funduntur, conflantur, aut cuduntur mediante alia forma. Ubi observandum, quod tametsi omnes hujusmodi imagines sive effigies repræsentent Sanctos, quos in Ecclesiis, ac locis Sacris veneramur; magnum tamen inter eas intercedat discrimen; quia quæ imprimuntur chartæ, sub prælo facillimo imprimuntur; non ita aliæ, quæ ligno aut lapidi inciduntur; aut quæ mediante igne conflantur vel cuduntur. Quid volo insinuare hac similitudine? Ut vitæ sanctitatem assequamur, et in cœlis glorificemur, Deus varios nobis præscripsit modos : alii lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt, etc. E contra de aliis disposuit, ut faciliori via perveniant ad perfectionem, nimirum per exercitium virtutum christianarum; in pratis illis cœlestis Paradisi non solum florent rosæ Martyrum; sed etiam miram odoris fragrantiam diffundunt lilia virginum, et infinitorum Confessorum violæ, absque eo quod vitam, et sanguinem sub Tyrannis profuderint. MANSI, *disc.* IV, n. 6.

Quod S. David in tanta sit apud Deum, et Ecclesiam æstimatione, causa est; quia in quocumque statu fuit, sanctam vitam duxit, et ex casu suo, e quo surrexit, novit elicere, ac lucrari majora merita, dum peccatoribus pœnitentibus omni tempore verum exstat speculum. Existens adhuc pastor ovium, gratissimus Deo esse debuit, qui ab eo acceperat gratiam et robur manibus suis dilaniandi, ac discerpendi leones, et ursos. Assumptum de pecoribus Samuel jussu Altissimi regem Israel consecravit. In statu privati militis de Goliath gloriosum reportavit triumphum. In aula Regis Saul inter adversitates, et aulicorum æmulationes, summam conservavit mansuetudinem. In persecutionibus ingratissimi Regis invicta semper fuit præditus patientia : *Non reddens malum pro malo, nec maledictum pro maledicto.* Ad regnum deinde, et thronum regalem evectus, inter regales etiam delicias æmulabatur Religiosos. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Septies in die laudem dixi tibi. Genua mea infirmata sunt a jejunio : et caro mea immutata est propter oleum.* Quamvis hostes profligaret, in fugam converteret, ac reportaret victorias, legimus tamen in ipsius laudem : *Sedens in cathedra sapientissimus.* Licet divitiis abundaret, et thesauris, *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere,* consulit. Aulam esto haberet florentissimam, optime tamen dicere potuit : *Perambulam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.* An non igitur cunctis fidelibus merito proponi potest tanquam exemplar, speculum et norma cujuscumque vocationis, utpote qui in omni statu fuit perfectus, et immaculatus? *Fecit omnes voluntates meas. Ibid.* n. 7.

S. Petrus Damianus Cinthio cuidam hanc instructionem dedit : Cave, ne propter peculiaris orationis studium, quibus insistere forte contendis, disciplinam tam innumerabilis populi, qui tibi commissus est, negligas, et propter proprium commodum communem salutem plebis, quæ justitiam a te præstolatur, omittas. Verum quia opponi poterat evangelicum illud dictum : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus;* et simul astrui, orationem omnibus aliis præmittendam; ideo idem Sanctus subjungit illud oraculum Ecclesiastici : *Qui conservat legem, multiplicat orationem,* est salutare sacrificium, attendere mandatis; justitiam ergo facere, quid est aliud, quam orare? Alibi quoque scriptum est : *Justitia elevat gratias, et beati,* inquit, *qui custodiunt judicium et faciunt justitiam in omni tempore.* S. PETRUS DA. *ep.* VIII.

Docet S. Bernardinus : Regula firma est in sacra Theologia, quod quandocumque Deus per gratiam aliquem eligit ad aliquem statum, omnia dona illi dispensat, atque largitur, quæ illi statui necessaria sunt, et illum copiose decorant. Quando Moyses in excusationem adducebat linguæ suæ vacillationem, ob quam minus aptus esset, ut apud Pharaonem causam Dei ageret, dixit ei Deus : *Quis fecit os hominis?* Quis in amplissimo totoque S. Scripturæ veteris Testamenti volumine reperitur Deo familiarior intimiorque ipso Moyse? facie ad faciem loquebatur ei sicut, amicus ad amicum, locum tenens fuit divinæ Omnipotentiæ; et vero quis ita rudis, ut nesciat eum quadraginta annis in aula unius Regis Ægypti, unius Pharaonis, demoratum fuisse honoribus, et imperio fulgentem, deliciis affluentem, thesauris prædivitem, honoratum tamquam filium filiæ istius Monarchæ? Quis ignoret, eumdem annis pariter quadraginta vitam, et officium egisse pastoris in Madian, ubi non homines, non populos, non regna, non exercitus, sed pecora, gubernabat? Quis nescit, ipsum matrimonii fœdere junctum cum filia Jethro, et ex Sephora progenuisse filios aliquot? Quadraginta deinde annorum spatio, veluti omnibus manifestum est, tamquam Dux generalis electus a Deo imperavit populo Hebræo, ducens illum ad terram promissionis. In omnibus tamen hisce statibus et occasionibus illæsam servavit innocentiam, ac semper magis, magisque profecit in gratia, et amicitia Dei. S. Bernar. *Sen.* tr. iii, *ser. de Purif.* art. 2, c. i.

S. Joannes vidit olim capillos Filii Dei, Regis gloriæ, candidos instar lanæ mundæ; *Caput autem ejus, et capilli erant candidi tamquam lana alba.* Caput Ecclesiæ est Christus; capilli, qui capitis sunt ornamentum sancti; sed quale illud mysterium, quod capilli sint instar, non lanæ dumtaxat, sed lanæ albæ? Forte propter candorem conscientiæ? propter albedinem honestatis? propter canitiem, et maturitatem morum? Glossa totum solvit dubium : Sicut lana alba est ad quoscumque colores suscipiendos apta, sic Sancti. Certum est, eos, qui magis uniti et conjuncti sunt Christo, per consequens esse sanctiores, et qui plus adimplent suam divinam voluntatem, esse quoque perfectiores. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra. Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus;* laus est, quæ angelicis attribuitur Spiritibus. Ecce igitur in hac visione Sancti Joannis denotatur, quod illi magis adornent Christi caput, majoremque addant decorem, et venustatem, qui majora illi præstant obsequia, majoremque exhibent devotionem, qui non restringunt se ad certam, et specialem vocationem, proprio ducti genio, et propensione, propriæque inhærentes opinioni, et sententiæ, sed dispositi sunt, et parati ad omnem, quam Deus illis insinuabit, suscipiendam vocationem. Mansi, *disc.* iv, n. 4.

David Rex Israel, regio insidens throno, ad excipiendas subditorum causas, querelasque expositas, publicisque expediendis intentus negotiis, ille inquam, qui frequenter militiæ assistebat, bello personaliter præerat, asserit nihilominus, incolam se esse eremi : *Ecce elongavi fugiens, et mansi etc.* Quomodo id possibile fuit? Videtur implicare contradictionem. Glossa hunc textum exponit de contemplatione, a qua existimat Prophetam haud fuisse alienum, licet regni negotiis immersus esset : Fugiens se elongat, quia turba desideriorum terrenorum dimissa, in se Dei contemplatione sublevat. Huic conformis est expositio illa, quam subministrat incognitus, generalis, et splendor Carmelitanæ Religionis : *Mansi*, inquit, *in solitudine*, scilicet mentis, ubi nullus cum eo nisi Deus, ubi quies. Manet enim in solitudine contemplando Deum, manet in remota mentis intentione. In hujus confirmationem adducit auctoritatem S. Gregorii l. XXX. Mor. c. xxiii. Duplex est solitudo, mentis, et corporis. Secunda non valet sine prima; sed prima bene sine secunda. *Idem, disc.* viii, n. 1.

VOLUNTAS PROPRIA

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est illa, quæ non est communis cum Deo, et hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, et prodesse fratribus, sed satisfacere propriis moribus animarum. Ita S. Bernardus. (S. Bern. *s.* iii, *de res.*) Quam definitionem fusius explicans P. Theophilus Bernardinus sic loquitur : E quibus omnibus jam satis constat, cur id vitiosæ voluntatis genus propria voluntas dicatur; nempe quia ejusmodi vitiosum in res non consentaneas imperium ipsa sibi sua sponte vendicat, libertate sibi propria plane abutens, a rectæ rationis, Deique sui lege, ac communione discedens, propriamque, atque adeo perversam sibi legem seipsam statuens. Quemadmodum enim, quod mihi proprium est, mei solius est; ita propria voluntas est, quæ solas suas cupiditates, non Dei, non rationis præscripta, sequitur. Theophil. Bern., l. II, *de persev. relig.*, c. xvii.

Divisio. — Dividi potest in *apertam, et occultam :* Illa est, quando deliberate, et advertenter voluntati Dei, aut rectæ rationi contraria agimus : Ista est, quando putamus, nos Dei gloriam, aut aliorum utilitatem quærere, revera autem nos ipsos quærimus; nam, ut recte advertit Thomas Kempensis, sæpe videtur esse charitas, et est magis carnalitas, quia naturalis inclinatio, propria voluntas, spes retributionis, affectus commoditatis raro abesse volunt. L. I, c. xv, § 2.

EX. S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Vir vanus in superbiam erigitur, et tamquam pullum Onagri se liberum natum putat. JOB. II, 12.

In quibus, et nos omnes aliquando conversati sumus, in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, et cogitationum, et eramus natura filii iræ. *Eph.* II, 3.

A sæculo confregisti jugum meum rupisti vincula mea, et dixisti, non serviam. JER. II, 20.

FUGA. — Non quæro voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. JO. V, 30.

Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius. *Gen.* IV, 7.

DAMNUM. — Quare jejunavimus, et non aspexisti? humiliavimus, animas nostras, et nescisti? ecce in die jejunii vestri reperitur voluntas vestra. IS. LVIII, 3.

Numerabo vos in gladio, et omnes in cœde corruetis, pro eo, quod vocavi et non respondistis : locutus sum, et non audistis : et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui, elegistis. IS. LXV, 12.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Nemo quærat efficientem causam voluntatis malæ, est non efficiens, sed deficiens, quia nec affectio, sed defectio est. S. AUG., l. II, *de Civit. Dei.*

Cum se voluntas relicto superiore ad inferiora convertit, efficitur mala; non quia malum est, quo se convertit, sed quia perversa est ipsa conversio. *Idem de l. arbitr.*

Quanto aliquid magis naturaliter amatur, tanto perfectius contemnitur propter Christum; nihil enim homini est amabilius libertate propriæ voluntatis; per hanc homo est etiam aliorum dominus; per hanc aliis uti, vel frui potest; per hanc etiam actibus suis dominatur. Unde sicut homo dimittens divitias, vel personas conjunctas, eas abnegat; ita deferens propriæ voluntatis arbitrium, per quod ipse sui ipsius dominus est, seipsum abnegare invenitur. T. THOM. *opusc.*, XVIII, c. X.

Qui voluntatem suam proximo submittit, animum virtutis studiosum ostendit. Qui vero voluntatem suam amplectitur, præ se fert imperitiam. ISAIAS ABBAS, *or.* XVI, *de gaud. anim.*

O Domine, voluntas, de qua dixisti, ut non fieret, si bona non erat, quomodo tua erat? si bona erat, quare derelicta est? sic et consilium, si non bonum, quomodo tuum? si bonum, quomodo relinquendum? et bona erant, et ejus erant; neque tamen minus relinquenda, ob hoc videlicet, ut fierent meliora; neque enim oportebat propria præjudicare communibus. S. BERN. *serm.* III, *de res.*

Voluntas nostra voluntati divinæ subjici debet.

Voluntas alia est, quam caro gignit, alia, quam ratio regit, alia quam sapientia condit.

Voluntas propria reprimenda, quam omnino restinguere non possumus.

FUGA. — Coge te ipsum in cunctis, et vince, et voluntatem tuam in primis abscinde; si consueveris voluntatem tuam amputare, habitum indues Christi gratia, et misericordia, quo omnia sine resistentia, aut repugnantia perficies, teque in perfectam libertatem afferes. S. DOROT., *s.* XVII.

Audi paucis ordinem, per quem scandere ad perfectionem summam sine ullo labore, ac difficultate prævaleas. Principium nostræ salutis, sapientiæque secundum Scripturas timor Domini est. De timore nascitur compunctio salutaris; de compunctione cordis procedit abrenunciatio, id est, nuditas, et contemptus omnium facultatum; de nuditate humilitas procreatur; de humilitate *mortificatio voluntatum generatur : mortificatione voluntatum extirpantur, et marcescunt vitia universa :* expulsione vitiorum virtutes fructificant, atque succrescunt : pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur : puritate cordis Apostolicæ charitatis perfectio possidetur. CASS., l. IV, c. XLIII.

Ille profecto sanctus est, qui voluntati propriæ abrenuntiavit. B. CLIM. *apud Jul. Fatium*, c. II.

Nemo in cœlestem thalamum coronatus ingreditur, nisi qui primam, et secundam, et tertiam negationem impleverit, ut scilicet primo renunciet rebus omnibus humanis, et parentibus : secundo voluntati propriæ : tertio inani gloriæ; quæ solet obedientiam subsequi. *Idem* gr. II.

Qui sunt hi violenti, qui regnum cœlorum rapiunt? nempe illi, qui non aliis, sed voluntatibus suis præclaram inferunt violentiam : qui vim faciunt perditioni suæ; perditio autem nostra est oblectatio vitæ præsentis, et ut expræssius dicam, executio voluntatum desideriorumque nostrorum. Cass. Col. 24, c. xxvi.

Si liberari perfecte volumus, et ab hoc sæculo discedere, oderimus in primis voluntatem nostram, et sic brevi, divino præsidio ad impassibilitatem animi perveniemus. S. Doroth., *doct.* i.

Omnes homines sumus ad imaginem Dei : illud autem ad similitudinem illorum tantum est, qui per multam charitatem, libertatem suam Deo in servitutem addixerunt. Quando enim non sumus nostri, tunc similes sumus ei, qui nos sibi per charitatem reconciliavit. S. Diadoch., c. iv.

Fuge sanguisugam hanc, et omnia reliquisti; hæc enim omnia trahit ad se : pone hanc, et jugum quam multiplex abjecisti. S. Bern. *s.* lxxi, *in Cant.*

Damnum. — Grande malum voluntas propria, qua sit, ut bona tua tibi bona non sint, quia nihil quod propria inquinatum sit voluntate, gustabit is, qui pascitur inter lilia. Hæc autem omnia, similiaque, ac dissimilia mala ex una radice pullulant propriæ voluntatis. *Ibid.*

Unde sunt scandala, unde turbatio, nisi quod propriam sequimur voluntatem, et temere, quod volumus in corde nostro definientes, si quo modo id prohiberi contingat, aut impediri, continuo etiam in impatientiam, in murmurationem, in scandalum proni sumus, non attendentes, quoniam omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti : et quia nobis casus videtur, sermo quidam Dei est, suam nobis indicans voluntatem. Caveamus igitur a propria voluntate, tanquam a vipera pessima, et nequissima, et quæ sola deinceps damnare possit animas nostras. *Ib.*

Qui voluerunt esse sui, utique sicut dii, facientes bonum, et malum, facti sunt non tantum jam sui, sed et diaboli. Sane diabolo nos mancipat nostra voluntas, non ipsius potestas, nostra autem voluntas perfecta non erit, quousque suo Creatori perfecte subjecta non fuerit. Profecto expedit nobis magis omnino non esse, quam nostros permanere. S. Bern. *de or. et lib. arbit.*

Aperiendi sunt mentis oculi, ut nos ipsi cognoscamus, sciamusque, Dei inimicum constitui, qui propriam sequitur voluntatem. Isaias Ab. *orat.* xxiii.

Si quis perverse voluerit imitari Deum, ut, quomodo Deus non habet, a quo formetur, non habet, a quo regatur; sic ipse velit sua potestate uti. Hoc diabolus fecit, imitari Deum voluit, sed perverse, non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem. S. Aug. *in Ps.* lxx, *conc.* ii.

Sola voluntate miser quisque efficitur : sed miserior, cum desiderium malæ voluntatis impletur. *Idem de verb. Apost.*

Non est, quod cuiquam nostram adscribamus ærumnam, nisi nostræ voluntati. Nemo nostrum tenetur ad culpam, nisi voluptas propria deflexerit. S. Ambr. *de vit. beat.*

Cesset voluntas propria, et infernus non erit; in quem enim desæviet ignis ille, nisi in propriam voluntatem? nam propria voluntas Deum impugnat, et adversus eum extollitur. Ipsa est, quæ Paradisum spoliat, infernum ditat, sanguinem Christi evacuat, et ditioni diaboli mundum subjugat. S. Bern., s. iii, *de resur.*

Dico fiducialiter : nemini, qui sit in propria voluntate, posset mundus universus sufficere. Utinam propria voluntas istis foret rebus contenta, nec in ipsum (horribile dictu) deseviret auctorem! Omnino enim vellet, Deum peccata sua, aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ, quantum in ipsa est, vult eum, aut impotentem, aut injustum, aut insipientem esse. Crudelis plane est, et omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. Qui autem vult Deum esse injustum, vult Deum non esse Deum : et, qui desiderat, Deum non esse, quantum in se est Deum occidit. *Ibid.*

In corde duplex est lepra, propria voluntas, et proprium consilium : lepra utique nimis pessima, eoque perniciosior, quo magis interior.

Quo furore propria voluntas Dominum Majestatis impugnet, audiant, et timeant servi propriæ voluntatis. Primo namque seipsum subtrahit, et subducit dominatui ejus, cui tamquam auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed numquid contenta erit hac injuria? addit adhuc, et quod in se est, omnia quoque, quæ Dei sunt, tollit, et eripit. *Ibid.*

Quidquid ex voluntate propria concupiscitur, id alienum est pietatis cultoribus. S. Basi. *in reg. Brev.* lxxiv.

Absit ut id quod propter bonum et licitum facinus, si ex hoc quicquam mali acciderit, præter nostram voluntatem nobis imputetur. Aug. *in epist.*

Mala voluntate miser quisque efficitur sed miserior, cum desiderium malæ voluntatis impletur. *Idem* XIII, *de Trin.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Vere bene doctus est, qui Dei voluntatem facit, et suam voluntatem relinquit. L. I, c. III, § 6.

Grave est, assueta dimittere : sed gravius est, contra propriam voluntatem ire. L. I, c. II, § 6.

Si quæris hoc vel illud, et volueris esse ibi vel ibi, propter tuum commodum, et proprium beneplacitum magis habendum, numquam eris inquietudine, nec liber a solicitudine, quia in omni se reperietur aliquis defectus, et in omni loco erit, qui adversetur. L. III, c. XXVII, § 2.

Oportet te novum induere hominem, et in alterum virum mutari. Oportet te sæpe agere, quod non vis; et quod vis, oportet relinquere. Propter hoc natura quandoque contristabitur, et magnum, si sileas portaveris. L. III, c. XL, § 4 et 5.

Vix est aliquid tale, in quo tantumdem mori indiges, sicut videre, et pati, quæ voluntati tuæ adversa sunt. *Ibid.*

EXEMPLA.

Fuga. — Christus de seipso dixit : Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Jo. VI, 28.

Idem aliquando S. Gertrudi dixit : Quicumque cupit mei liberam secum commorationem, clavem propriæ voluntatis mihi resignare, nec unquam illam repetere debet. Blos., c. II, *monil.*

Joannes Abbas, cum rogaretur moriturus, ut verbum aliquod hæreditatis loco relinqueret; dixit : Numquam feci propriam voluntatem, nec aliquem quicquam docui, quod prius ipse non fecerim. *Vit PP.* c. V, lib. I, n. 10.

Abbas Joseph Thebæus dixit : Tres ordines sunt honorabiliores in conspectu Dei. Primus est, quando homo infirmatur, et adjiciuntur tentationes, sed cum gratiarum actione suscipit eas. Secundus, quando aliquis omnia opera sua facit munda coram Deo, nihil habens humanum. Tertius est, quando aliquis sedet in subjectione, et præceptis Patris spiritualis, et omnibus propriis renuntiat voluntatibus. *Ibid.*, a. 9.

De Abbate Paphnutio scribens Cassianus, et ostendens, quibus viis ad vitæ sanctimoniam pervenerit, ait : humilitatis, et obedientiæ disciplina omnes suas mortificans voluntates, per hanc extinxit omnia vitia, cunctasque virtutes consummavit. Cassian., col. 5, c. I.

Dositheus S. Dorothei discipulus, quando languere cœpit, audivit a quodam, ova sorbilia multum conferre his, qui sanguinem expuunt. Ait ergo Magistro suo Dorotheo : Pater, audivi ova sorbilia conducere ad sanitatem meam, sed rogo te per Deum, cum tu non præveneris ut dares mihi, noli amplius exhibere propter animi mei cogitationem, quæ me infestat. Lud. Gr., f. 94, l. VI.

S. Dorotheus de se ipso fassus est, de unaquaque re se libenter consultare cum proximo, et illius sententiæ suam accomodare, etiamsi contraria, et adversa videretur. Numquam se, quidquid contingisset, voluisse humano sensu discutere, sed cum pro sua virtute fecisset, omnem postea eventum commisisse Deo; eum enim, qui non habuerit propriam voluntatem, nihil etiam exterius proprium habere, contentum esse quacumque re, et ita numquam propriam voluntatem facere, neque velle res sibi evenire ad vota, sed eas velle, ut evenerint. S. Dorot. *doct.* XIX.

Damnum. — Quidam Frater ex Ordine S. Augustini post mortem apparens dixit, damnatum se esse, eo quod voluntati suæ omni tempore sit relictus. *Spec. Exemp. dist.* VII, *ex* 69.

Quidam Anachoreta coactus a Fratribus hospitibus hora non consueta comedere, et quæsitus, an non propterea tristis effectus esset? respondit : Tunc est mihi tribulatio, quando propriam fecero voluntatem. *Vita PP.* l. III, n. 159.

Cum Abbas Abraham Abbatem Pastorem interrogasset, quare dæmones ipsum tantopere impugnarent? respondit Pastor : Non pugnant nobiscum dæmones, quando voluntates nostras facimus, quia voluntates nostræ dæmones factæ sunt, et hæ sunt, quæ tribulant nos, ut faciamus eas. *In lib.* XIX, n. 62.

S. Antonius ad suos Fratres scripsit : Vere, Filioli, anima mea phantasmata patitur, et spiritus meus in pavore consistit, quod universi nos velut gurgite immersi sumus, et velut ebrii musto consistimus, cum unusquisque nostrum propria distrahitur voluntate. S. Anton. *epis.* v, *Ad Arsenoitas.*

S. Augustinus de seipso scribit : Et voluntate perversa facta est libido; et dum servitur libidini, facta est consuetudo : et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas : quibus quasi annulis quibusdam sibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dira servitus. S. Aug. l. VIII, *conf.* v.

Aurelianus Imperator initio sui Imperii se benigne animatum erga Christianos ostendit, verum quibusdam consiliis impulsus persecutionem movit contra illos anno Christi 178, sed cum litteras contra eos compositas manu subscriberet, subito divina ultio eum occupavit, quæ cum brachiorum commissuris enervatis illum ab instituto repressit tum præclare ostendit, quam periculosum sit voluntati propriæ obedire contra Christum, et sua membra. *Euse Cesar.* l. VII, c. xiv, *Hist. Eccl.*

Valens Imperator subscribere volens decretum exilii Basilio Episcopo Cæsariensi irrogandi cum sua manu ratum facere decretum conaretur, ne apicem quidem unum alicujus litteræ facere potuit, si quidem ruptus est calamus, neque id semel, sed iterum ac tertio accidit. Ac cum impium illud edictum confirmare impensius laboraret, concussa est dextra, tremorque eam occupavit, atque cum animo esset præ metu prope attonito, chartam manibus laceravit. Theodor. l. IV, *hist. Eccles.* xvii.

EXEMPLA DOMESTICA.

Sanctus Ignatius P. Ludovico Gonsalvo dixit, se totum fundamentum ad perfectionem religiosam ponere in mortificatione, et abnegatione propriæ voluntatis, atque adeo magni facere indifferentiam, ac probationes societatis, ex quibus de aliis virtutibus, et non ex oratione ferebat sententiam, nisi forte ex illa, quæ ex his nascebatur. *Lanciz. opusc.* x, n. 202.

P. Balthasar Alvarez in omnibus se resignavit, et obedientiæ subjecit, contemnens suas repugnantias, magnamque gloriam judicans, quod eas vinceret. Hinc illa quies oriebatur, qua in officiis etiam vilioribus libenter occupabatur. Expertus autem erat, quod, quamvis interdum occurreret contrarium ejus, quod obedientia injungebat, parendo tamen, deprehendebat rectius fuisse, quod obedientia præscripserat; ac propterea eam appellabat consilium, ac dispositionem Dei. *Vita* v, f. 63.

Quidam Provincialis Castellanæ Provinciæ dicebat, quod, quando ex urbe ad aliquam obedientiæ ordinationem mittebatur, ut hoc vel illud determinate faceret, videbatur sibi cœlum aperiri, et cor suum exultare : quando autem sibi dicebatur, ut quid agendum esset, cogitaret, eligeretque, quod videretur, tunc se in magnis angustiis fuisse. *Ibid.*

P. Franciscus Ribera, cum P. Martino Guttierio adhuc secularis Sacerdos dixisset, se constituisse recipere sese ad quamquam domum suæ patriæ, prope quoddam sacellum B. Virginis, et inde ad conciones habendas prodire, reliquum vero tempus libris scribendis impendere, dixit ei P. Martinus : Domine Doctor, placet hujusmodi decretum, sed attendat, quod tunc retinet sibi optimum pignus, quod habet, scilicet propriam voluntatem; quæ verba adeo moverunt Riberam, ut statim decreverit Societati Jesu nomen dare, utpote in qua tam præclaram haberet occasionem voluntatem suam abnegandi. *Ibid.* xxxviii, f. 359.

Vide plura supra tit. Obedient. § 6.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut servus, qui ad palatium aliquod accesserit, ut tractet supellectilem ministerio Regis deputatam, summa prudentia, ac discretione opus habet, ut non juxta suam voluntatem, sed Regis, omnia dispenset; ita et anima, quæ per gratiam, et Spiritum Deo servit, non parva discretione, et prudentia opus habet, ne fallatur in suppellectile divina, nempe in ministerio spirituali, habens propriam voluntatem gratiæ non consentientem. S. Macar. *hom.* xiii.

Fuga. — Sicut Princeps ille, qui experientia didicisset, Præfectum a se famulis constitutum facilem nimis iisdem esse, neque eos sufficienter in officio continere, utique eo remoto alium sapientiorem, quam primum substituit; ita anima, quæ videt, voluntatem suam, quæ reliquas potentias in officio continere debuisset, male hoc suo officio fungi, merito ea remota, voluntatem divinam aut superiorum pro ea substituit. *Anonym.*

Sicut is, cui gratia hæc offerretur, ut pro intellectu suo humano, et debili, deinceps angelicum habere posset, merito stultus, et insanus diceretur, si hanc gratiam recusaret; ita non minus insipiens censebitur, qui, cum a Deo voluntas divina pro humana offeratur, gratiam hanc omnibus votis expectandam non acceptat. *Idem.*

Sicut arena exigua in littore maris ejus fluctus refrænat, ne ultra profundantur; sic amor proprius, et propria voluntas obstat cursui, et flumini divinæ gratiæ, quæ alioquin sine ulla difficultate totum genus humanum traheret ad cœlum. S. MAGD. *de Pazz. p.* 3, *vit.* § 1.

DAMNUM. — Sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt; ita illi, qui erunt in supplicio ignis æterni, nullatenus bonam poterunt habere voluntatem. S. AUGUS. *de fide.*

Sicut obliqua regula etiam ea, quæ recta sunt, inflectit, et vitiat; ita voluntas propria omnes hominis actiones depravat. S. DOROTH. *doctr.* 19.

MOTIVA.

Ad propriam voluntatem exuendam.

Quia finis hominis, *quatenus creatura* est, hoc requirit; cum enim, teste S. Anselmo, solius Dei proprium sit, propriam habere voluntatem, idest, quæ nulli subdita sit, facile apparet, eam creaturæ non convenire; alioqui enim, ut idem Sanctus ait, ad similitudinem Dei per rapinam niteretur, et Deum propria dignitate, et singulari excellentia privaret. S. ANSEL. *de Incar,* c. IV.

Quia finis hominis, *quatenus homo* est, idem exigit; nam, ut recte discurrit Theophilus Bernardinus, cum homo, decernente sapientissima Dei providentia factus sit, ut ratione regi, et perfici debeat, facile apparet, summopere illi curandum esse, ut nusquam foras impune, ne quidem ad res optimas, ratione non præcedente, voluntas procedat. THEOPHIL. BERNARD. lib. II, *de persev.* c. XVI.

Quia finis hominis, *quatenus Christianus* est, idem requirit; nam, ut sagaciter S. Cyprianus advertit, si filius obaudivit, ut faceret patris voluntatem, quanto magis servus obaudire debet, ut faciat Dei voluntatem? Nam, teste Salviano, nulli servorum licet ex iis, quæ dominus suus imperat, eligere pro arbitrio, quid velit facere, quid nolit, et insolentissima abusione, quod placuerit, assumere, quod displicuerit, repudiare. Si enim pro arbitrio suo servi dominis obtemperant, ne in iis quidem, in quibus obtemperaverint, obsequuntur. Quando enim servus ex domini jussis ea tantum facit, quæ vult facere, jam non dominicam voluntatem implet, sed suam. *Salvian.* l. I, *de provid.*

Quia finis hominis, *quatenus Religiosus*, aut alio titulo ad perfectionem sectandam obligatus est, hanc voluntatis propriæ abnegationem exigit; uti sat clare indicat Cassianus, dum ait, communem olim fuisse inter seniores Ascetas persuasionem, eos dumtaxat ascendere posse summa perfectionis culmina, qui didicerunt suas vincere voluntates, et studiose in his, quæ animo contraria sunt, fuerint exercitati. Et nullatenus posse eum iram, aut tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere, nec retinere veram cordis humilitatem, et cum fratribus perpetuam concordiam, et diutius in cœnobio permanere, qui prius voluntates suas non didicerit superare. *Cass.* l. IV, *de instit.* c. VIII.

MEDIA.

Christi exemplum sæpe ob oculos ponere, illisque pii Ascetæ verbis alloquentem imaginari : Quid magnum, si tu, qui pulvis es, et nihil, propter Deum te homini subdis, quando ego Omnipotens, et Altissimus, qui cuncta creavi ex nihilo, me homini propter te humiliter subjeci? factus sum omnium humillimus, et infimus, ut suam superbiam mea humilitate vinceres. Disce obtemperare, pulvis. Disce te humiliare, terra, et limus, et sub omnium pedibus incurvare. Disce voluntates tuas frangere, et ad omnem subjectionem te dare. L. III, c. XIII, § 2.

Dei majestatem, et potestatem ponderare : ita S. Augustinus suasit, dicens : Aliquid proprium velle, difficile est, ut tibi non contingat; sed statim cogita, quid sit supra te; illum supra te, te infra illum, illum Creatorem, te creaturam; illum Dominum, te servum; illum Omnipotentem, te infirmum : et corrigens te, subjungensque voluntati ejus, ac dicens : Verum non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater. S. AUG. *in Ps.* XXXII.

Virtutis studium : nam, ut Christus S. Catharinæ Senensi dixit : Virtutes intrinsecæ demonstrant voluntatem esse mortuam, et perpetuo se occidere in sensualitate ex affectu amoris virtutis. *Diat.* IX.

Mortificatio sensuum : sic enim Sanctus Dorotheus indicavit, dicens : Nihil adeo hominem adjuvat ad hoc quam sensus suos odisse. (S. Dorot. *doct.* i.) Et id ipsum confirmans S. Bernardus : Oculus, inquit, janua cordis est, et nuntius; claude oculum, et voluntas habendi non erit; cesset voluntas, et ecce infernus clauditur. S. Bern. *ho.* xxxi, *ad FF. in Erem.*

Exercitium continuum abnegandæ voluntatis : sicut enim citharædus tamdiu trahit, intendit, aut remittit fides citharæ, dum assonent; ita qui totum se dedere cupit in arbitrium Dei, tamdiu necesse est, voluntatem suam exerceat, subigat, astringat, dum obsequatur. *Drexel.* l. III, *Heliotrop.* c. iii.

Contemnere mundi gloriam : ita enim S. Dorotheus indicavit dicens, eum, qui non contempserit mundi gloriam, et corporis quietem, et justitiæ denique opinionem, haud posse unquqm propriam voluntatem a se removere. S. Dorot. *doctr.* xii.

ASCETICA.

Quinque præcipue sunt, quæ de hac materia bene nosse et observare debet Asceta. Primum est, ut sciat gradus, qui in hac renunciatione voluntatis a S. Bonaventura assignantur, quorum primus est, resistere vitiis qui est status continentium. Secundus est passionibus imperare, et pace frui. Tertius, Deo adhærere, et uniri, quando jam virtutes transeunt in affectum cordis. S. Bonav. *tr. de refor.* p. 15, c. xii.

Amterum est, ut sciat praxil hujus abrenunciationis, de qua breviter et bene discurrit Gerson, dum ait : Pro quadam regula generali tenendum, ut omnia, ad quæ voluntas cum quodam impetu, et vehementia, sine prævia deliberatione, inclinatur, quantumcumque appareant bona, habeantur suspecta, quia communiter sunt motus sensualitatis, et passionum quibus hostis antiquus persæpe se immiscet. (*Gerson. l. cont. pus.*) Clarius vero et fusius S. Dorotheus : Nec quisque, ait, difficile hoc putet, et arduum, cum brevi compendio, ac spatio quis seipsum possit, si velit, decies abnegare. Quod pro pacto fiat, edocebo. Obambulat aliquis, et quidpiam conspicatus, persuadetur a cogitatione, ut id advertat; at is cogitationi, et non bonæ persuasioni repugnat, seseque avertit. Rursum invenit quis nugis, et variis rumoribus occupatos, persuadet, ut se quoque turbæ immisceat et verba pariter inserat, id negat se facturum, et aversus alio, propriam voluntatem abscindit. Item succurrit illi, ut cocum adeat, interrogetque, quid paret obsonii, non adit, ac se cohibet. Cernit aliquid in culina, quis illud attulerit, solicitatur interrogare, comprimit appetitum, et vocem, et nihil percontatur. Sicque, dum parva quæque præscindit, sensim quæcumque advenientia præscindere assuescit, et jam summa cum requie nihil præter voluntatem suam sentit se habere, et quidquid factum fuerit, eo ita contentus est, ac si ad vota sua evenisset. Qui enim proprium nihil habet, aut vult, quidquid factum fuerit, id proprium putat. S. Dorot. *doctr.* i.

Tertium est, ut quemadmodum S. Bonaventura monet, etiam in indifferentibus alterius potius voluntatem, quam suam, sequi studeat; imo semper in exterioribus actionibus aliorum beneplacita affectans, cum omni vigilantia in licitis adimplere studeat. S. Bonav. c. iv, *de rem. des.*

Quartum est, ut necessitatem hujus abrenunciationis bene apprehendat, qua in re proderit notasse, quod in vitis Patrum in hæc verba legitur : Apud antiquos Monachos docetur aliquis primitus suas frangere voluntates; pronuntiant enim, nullatenus Monachum prævalere posse iræ, vel tristitiæ, vel spiritui fornicationis, nisi prius didicerit per obedientiam suas mortificare voluntates; sed nec humilitatem quidem cordis veram, nec cum fratribus concordiam firmam, posse retinere, nec in monasterio diutius permanere eum, qui voluntates suas non didicerit superare. (*Vita PP.*) Hinc S. Fulgentius Episcopus dicere solebat, illos esse veros monachos, qui mortificatis voluntatibus suis parati essent, nihil velle, vel nolle, sed Abbatis tantum consilia, vel præcepta servare. Et Christus S. Birgittæ quondam dixit : Via, quæ ducit ad amorem meum, est perfecta abjectio, et abnegatio propriæ voluntatis, quando homo considerata passione, et charitate mea non curat facere voluntatem suam, et resistit totis viribus, et conatur semper ad majora. *Surius* i, *Jan.*

Quintum est, ut cognoscat, quam Deo grata, ipsique operanti meritoria sit hæc abrenunciatio; id quod breviter sequentibus verbis docuit Blosius; Nihil Deo gratius offerri potest abnegatione propriæ voluntatis, quia nihil est carius homini ipsa voluntate, et arbitrii libertate. Quando quis propter Deum sensualitati, voluntatique propriæ etiam in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, rem ipsi Deo magis gratam facit, quam si multos mortuos ad vitam revocaret, *Blos.* c. II, *de instit. spir.*

MISCELLANEA.

FUGA. — Dixerunt quidam Senes : Si videris juvenem voluntate propria ascendere ad cœlum, tene pedes ejus, et projice eum in terram, quia non ita expedit ei. *Vita PP.* l. V, *libell.* x, n. 111.

Rogatus quidam Senex, quædam esset angusta via ad cœlum? respondit, angusta et arcta via hæc est, ut cogitationibus suis homo violentiam faciat, et abscindat propter Deum voluntates suas; hoc enim est scriptum de Apostolis : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. *Ib. libell.* XI.

Qua ratione voluntas propria abneganda sit, pulchre ostendit Abbas Pinusius, dicens : Sed forte dicas : quomodo potest homo crucem suam portare? vel quemadmodum vivens quis potest esse crucifixus? audi rationem breviter : Crux nostra timor Domini est : sicut ergo crucifixus jam non pro animi sui motu membra sua quoquam movendi, vel convertendi habet potestatem; ita et nos voluntates nostras, ac desideria non secundum id, quod nobis suave est, et delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, qua nos ille constrinxerit, applicare debemus *Cass.* l. IV, c. XXXV.

Abbas Joannes aiebat, finem monachi esse omnes suas crucifigere, et mortificare voluntates. *Ib.* coll. 9, c. VIII.

S. Catharinæ Senensi dixit Deus : Si peteres a me, qui sunt isti : tibi responderem : ipsi sunt alter ego, qui sponte perdiderunt, et abnegarunt eorum propriam voluntatem, facti meæ voluntati conformes, et uniti, et in omnibus ea induti. *Dial.* I.

Alias eidem dixit : Dico tibi, et Patri animæ tuæ, quem dedi tibi super terram, ut viriliter toleretis ea, quæ conceduntur vobis, omni voluntate propria sensitiva perempta : hac enim ratione omnes virtutes acquiruntur. *Ibid.* IV.

Taulerus dicere solebat : Omnem diem amissam credite, qua, Dei amore propriam non fregistis voluntatem. *Taul. Ep.* VIII.

DAMNUM. — S. Antonius dixit : Maligni spiritus cognoscunt, se inter filios diaboli esse reputatos propterea, quod conantur unicuique nostrum propriam ingerere voluntatem. S. ANT. *ep.* II, *ad Arsen.*

S. Maria Magdalena de Pazzis in quodam raptu exclamans dicebat : Ab amore proprio, et propria voluntate impeditur flumen divinæ gratiæ, tamquam aggeribus quibusdam, ne adeo se communicet, et expandat, et redundet in animas, uti Deus faceret, si hæc impedimenta abessent. *Vita, p.* 3, § 1.

Marius Septimius, Romanus Imperator, uno die factus est Imperator, altero regnavit, tertio a gregario milite interfectus est, qui, dum sicam in pectus ei adegit, hæc verba addidit : Hic est gladius, quem ipse fecisti. Idem olim dicet Deus, voluntatis propriæ sectatoribus. *Drex. in Heliot.* l. IX, c. II, § 3.

Abbas Pastor dicebat : Ferreus murus est propria voluntas, a Deo nos sejungens, et separans. S. DOROT. s. III.

Christus cuidam virgini dixit : Volo te nosse, quod omnes pœnæ, quibus homines in mundo affliguntur, in voluntate consistunt; quia, si voluntas esset ordinata, et concors cum voluntate mea, careret quodammodo pœna. *Bl.* X, *monil. sp.*

Cum quidam Frater ex Abbate Achille quæsivisset, quemadmodum adversus homines pugnent dæmones? respondit senex : Per voluntates nostras. Et adjecit : Ligna Libani dixerunt : Quam grandia nos sumus et alta, et minimo ferro incidimur. Nihil ergo ei demus ex nobis, et non poterit incidere. Venerunt ergo homines, et fecerunt in securi manubrium ex ipsis lignis, et ita inciderunt. Ligna ergo sunt animæ, securis diabolus, manubrium voluntas nostra est. Per malas ergo voluntates nostras incidimur. *Vita PP.* l. V, libell. VII, cap. XV, l. V.

AUCTORES.

Franciscus Arrias de Mortif. XI.

Bernardinus Rosignol. lib. II, de discipl. Christ. XIX.

Jeremias Drexelius in Heliotropio l. IV, toto.

Theophilus Bernardinus lib. II, de persever c. XV, XVI et XVII.

Nicolaus Lancizius opusc. X, c. XIV.

Julius Fatius de mortif. XI.

Joannes Busæus in Panario V. eodem.

Josephus Langius in Polyanthæa V. eodem.

Hadrianus Lyreus lib. I, apopht. Sancti Ignatii apopht. XII.

Ludovicus Granatensis loc. com. fol. 93.

Laurentius Beyrlinck. in theatro Vitæ hum. V. eodem.

VOLUPTAS.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est juxta Ciceronem jucundus motus in sensu. Vel juxta alios, quies vitalis naturalis in bono congruenti adepto. Unde tria ad illam requiruntur. 1. Ut adsit adeptio, vel conjunctio boni, saltem putata; 2. Ut bonum id sit congruens, et proportionatum animæ appetenti; hinc enim varia delectant, quia non omnibus eadem proportionantur. 3. Ut cognoscatur bonum, et congruum esse; si enim alterutrum lateat, non erit vera voluptas. (*Cic.* l. II, *de finib.*) Unde Aristoteles dixit : Est voluptate affici, aut dolore; nihil aliud, nisi partem eam animi, quæ sensus est particeps ad bonum, aut malum, aut alia ejusdem generis convertere, et adhibere : in quo quidem, et declinationis, et appetitionis usus cernitur. *Arist.* III, *de anim.* VII.

Divisio. — Dividitur in *spiritualem* et *carnalem* seu *corpoream*; illa est, quæ ex objecto solis animæ viribus spiritualibus perceptibili hauritur; ista est, quæ a potentiis animæ externis percipitur; de quibus Apostolus dixit : Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi. I. *Cor.* II, 14.

Ex SACRA SCRIPTURA.

Qualitas. — Dixi in corde meo : Vadam, et affluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi, quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem, et gaudio dixit : Quid frustra deciperis. *Eccl.* II, 1.

Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua. Adolescentia enim, et voluptas vana sunt. *Eccl.* XI, 10.

Laus impiorum brevis, et gaudium hypocritæ instar puncti. Job. XX, 5.

Fuga. — Sicut in die honeste ambulemus. non in comessationibus, et ebrietatibus non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione, et æmulatione : sed induimini Jesum Christum. *Rom.* XIII, 13.

Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum, qui, cum venerint, vanitatis arguentur præteritæ, *Eccl.* XI, 8.

Damnum. — Quantum in deliciis fuit tantum illi date tormentum. *Apoc.* XIV, 7.

Tenent tympanum, et citharam, et gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Job. XXII, 21.

Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis, et flebitis. Luc. VI, 25.

Vidua (et quivis alius homo) quæ in deliciis est, vivens mortua est. II. *Tim.* V, 5.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Semper voluptas famem sui habet, et transacta non satiat. S. Hier. *ad Dam.*

Nihil prodigæ satis voluptati. Semper famem sui patitur, quæ alimentis perpetuis nescit impleri. S. Ambr. *sup. Luc.* VI.

Non immerito Sanctus Moyses delectationem, serpentis figuravit similitudine; prona est enim in ventrem sicut serpens, non pedibus incedens, aut ullis elevatis cruribus, sed sinuoso flexu totius corporis sui lubrica. Ei terra cibus est, sicut serpenti, quoniam escam nescit cœlestem. Corporalibus enim pascitur, et in varias mutatur species cupiditatum, et tortuosis angulatur anfractibus. Venenum in dentibus habet, quibus unusquisque se eviscerat luxuriosus helluo internecat, abliguritor perimit. Quantos ruperunt vina? dissolvit ebrietas? distendit cruditas? *Idem ep. ad Sabin.*

Felix anima, quæ hujusmodi delectationibus non delectatur, uti turpitudine nulla inquinatur, et veritatis serenitate purgatur. S. Aug. ser. I, *de ver. Apost.*

Te moneo, ut oblectamenta illa terræ pro magnis aut veris bonis habere ne credas, quæ sunt non tantum fallacia, quia dubia, verum etiam insidiosa, quia dulcia. Lact. *de epist. Dei.*

Voluptas aliquando sub necessitate se palliat. Greg. XXX, *mor.*

Voluptas et dolor ad sensum pertinent communem. S. Aug. lib. II, *de lib. arb.*

Damnum. — Voluptas est veluti quidam hamus diaboli, ad perniciem nos trahens.

Voluptas mater est peccati, peccatum autem stimulus mortis. Voluntas nutrix est æterni vermis, quæ ad tempus quidem demulcet fruentem, ac postea felle amariores retributiones facit. S. Ambr. l. VI, ep. xlii.

Nihil dæmoni tam gratum, quam deliciæ sunt, et ebrietas : quoniam omnium fons est malorum, et genitrix. Per hanc Israelitas demum in idolorum cultum præcipitavit. Per hanc Sodomitas in nefarios accendit amores. Per hanc alios perdidit innumeros, et gehennæ tradidit. Quid enim mali non operantur deliciæ? Ex hominibus porcos efficiunt, et porcis deteriores; porcus enim involvitur, cœno, et stercore pascitur; hic abmionabili magis mensa vescitur, illicitos excogitans coitus, et nefarios amores. S. Chrys. *ho.* lxxii.

Oblectatio corporeæ voluptatis plus doloris habet, quam jucunditatis. Nuptiæ enim sæpe steriles sunt, viduitates continent et stupra; agricultura sterilitatem; mercatura naufragia: divitiæ insidias patiuntur, sed et deliciæ, et satietas, et continens voluptatum fruitio multos ac varios secum trahunt morbos, ac affectionum varia genera. S. Bal. *in Ps.* xxxiii.

Est totum corpus castigandum, ac feræ cujusdam instar cohibendum, et ab ipso adversus animam tumultus orientes ratione veluti flagello compescendi, ne frænum voluptatis omnino laxando, mens velut auriga ab equis contumacibus misere rapiatur; ac inter cætera Pythagoræ meminisse oportet, qui videns quemdam se cibis laute curantem, et saginantem : Heus, inquit, miser, non desinis continuo duriorem tibi carcerem præparare? *Idem, in ho. de leg. lib. Gen.*

Licet sæpe in medio carnalium Deus protegat vitam electorum, tamen satis rarum est, ut quisque inter sæculi voluptates positus, a vitiis maneat illibatus, in quibus etsi non cito implicetur, aliquando tamen attrahitur; nec enim diu potest esse securus, qui periculo fuerit proximus. S. Isid. *de sum.*

Omnia flumina intrant in mare. Quid est igitur flumina intrare in mare, nisi omnem carnalem delectationem terminari in amaritudine? Omne ergo flumen mare intrat : quia extrema gaudii luctus occupat. Ric. de S. Vict. p. 1, *de stat. inter hom.* c. x.

Voluptati inest supplicium. S. Chrys, s. iv, *sup. epist, ad Rom.*

Voluptas, ut torrens omnia subvertit. *Id. sup. Act. Ap. ho.* xxvii.

Valetudinis firmamentum voluptas subruit. *Id. ad pop. Antioche. ho.* lv.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas. — O quam breves, quam falsæ, quam inordinatæ, et turpes sunt omnes voluptates! L. XIII, c. xii, § 4.

Verumtamen præ ebrietate, et cæcitate non intelligunt, sed velut muta animalia propter modicum corruptibilis vitæ delectamentum mortem animæ incurrunt. *Ibid.*

Sed et cum adhuc vivunt, non sine amaritudine, et tædio, ac timore in eis quiescunt; ex eadem namque re, unde sibi delectationem concipiunt, inde doloris pœnam frequenter recipiunt. Juste illis fit, ut, quia inordinate delectationes, quærunt, et sequuntur, non sine confusione, et amaritudine eas expleant. *Ibid.* § 3.

Si veraciter vis delectari, et abundantius a me consolari, ecce in contemptum omnium mundanorum, et in abscissione omnium infimarum delectationum, erit benedictio tua, et copiosa tibi reddetur consolatio. Et quanto plus te ab omni creaturarum solatio subtraxeris, tanto in me suaviores, et potentiores consolationes invenies. *Ibid.* § 5.

EXEMPLA.

Qualitas.—Salamon de seipso fatetur : omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis : nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his, quæ præparaveram : et hanc ratus sum partem meam si uterer labore meo. Cumque convertissem me ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. *Eccl.* ii, 11.

Carolus Imperator, cum Bruxellis, regnum universum in Philippum filium transferret, coram toto Senatu non sine lacrymis testatus est, se toto vitæ decùrsu, quantumvis prospero, ne ad unum quidem horæ quadrantem, puram meramque habuisse lætitiam, sed semper curis, doloribus et angoribus, velut voluptatum ac victoriarum umbris, anxium et divexatum fuisse. Eng. *in Dom. Pal.* § 1.

Alphonsus, qui ex Arragonum gente primus Neapoli regnavit, in alendis ad venatum canibus et aucupium alitibus mille circiter pondo auri in portentosum illum apparatum quotannis insumpsit major in hoc luxu quam quod in Friderici Cæsaris adventu, pluribus diebus in regia urbe nobilissima vina in speciem aquæ ex temperariis fontibus ubertim fluxere. Sed hoc hospiti datum, illud voluptati, et ob id vitio propinquius. SAB. l. VIII.

DAMNUM. — S. Petrus Dam. scribit : Ducis Venetarum uxorem, quæ erat Constantinopolitana, tam delicate vixisse, ut etiam communibus aquis se dedignaretur abluere, sed ejus servi rorem cœli undique colligere deberent, ex quo laboriosum satis balneum sibi procuraret. Cibos quoque suis manibus non tangebat, sed ab Eunuchis alimenta quæque in minuta concidebantur frusta, quæ mox illa fusenulis aureis, atque bidentibus ori suo liguriens adhibebat. Ejus porro cubiculum tot thymiamatum, aromatumque generibus redolebat, ut et vobis narrare dedecus fatear, et auditor forte non credat. Sed omnipotenti Deo quantum hujus fœminæ exosa fuerit superbia, manifesta docuit ulciscendo censura. Vibrato quippe super eam divini mucrone judicii, corpus ejus omne computruit, ita ut membra corporis undique cuncta marcescerent, totumque cubiculum intolerabili fœtore complerent; nec quisquam tantam perferre narium injuriam potuit; vix una ancilla non sine speciei redolentis auxilio in ejus obsequii sedulitate permansit. Eadem tamen raptim accedebat, et protinus fugiens abcedebat : diutius enim hoc languore decocta, et miserabiliter cruciata, amicis quoque lætantibus diem clausit extremum. Quid ergo sit caro, doceat ipsa caro : quodque perbibet mortua, testetur et viva. S. PETRUS DAM. l. VII, ep. IX.

Wenceslaus Imperator, Bohemiæ Rex, totum se compotationibus, lusibus et nequitiæ dederat. Cum de arcis cujusdam suæ conflagratione nuntium accepisset, interrogasse dicitur, an cella vinaria incendio superesset. Unde primum a Progentibus civibus captus, et tandem ab Electoribus imperio dejectus est. CREMER. l. VII.

EXEMPLA PROFANA.

Campani usque adeo deliciis dediti erant, ut, cum se Annibali dedissent, exercitum illius ita corruperint, ut Annibal fateretur, se viros in Campaniam duxisse, fœminas eduxisse. VALC. l. IX, c. I.

Ninyas Nini et Semiramis filius, per omnes vitæ tempus reclusus in Regia, inter pellices, et Eunuchos otium, et delicias secutus vixit, existimans summam felicitatem esse, in continuis versari voluptatibus, et a curis vacuum esse. Id quod, et cæteri Reges usque ad Sardanapalum fecerunt. DIOD. l. II, c. VI.

Sardanapalus vitam prorsus muliebrem duxit, ita ut vestibus earum etiam indueretur, et fuco muliebri faciem ornaret, fœmineam vocem imitaretur, et cum eis lanam texeret. Unde tandem in urbe a Nino obsessus, quadringentorum pedum pyram exstruxit, centum et quinquaginta aureos thoros illi, totidemque mensas aureas imponi, secumque in lectis pellices decumbere, et tandem, ubi etiam auri mille myriades, et argenti decem millium myriadum talentorum, vestesque purpureas, et aureas secum intulisset, pyram incendi jussit, quo incendio ipse, et omnia alia perierunt. *Idem*, c. VII.

Alexander Magnus, victo Dario, adeo corruptus erat, ut milites ipsi faterentur plus esse tam celebri victoria amissum, quam quæsitum; neque enim ab illo tempore quidquam suo nomine, et heroe dignum gessit. BEYRLIN. *in theatr. V. eodem.*

Caligula in odoribus lavabatur, citreo ligno naves ædificabat, iisque circum Campaniæ littora inter cantores et scorta navigabat, cibos maceratis margaritis condiebat, auro pane et piscibus mensas instruebat. *Ibid. ex Sueton.*

Cleopatra Ægyptii Regina ab irato Antonio in judicium vocata, cum ex Ægypto in Ciliciam navigaret, flumen Cydnum incredibili pompa subivit; navis ejus purpurea habuit vela, sericeosque rudentes, argento quoque remos exornatos, ut remigando tibiarum sonum per dimensa temporis spatia percussis undis imitaretur. Ipsa sub aurea umbella in media navi in Veneris speciem ornata sublimior sedebat, circumfusa virginum choris in nympharum formam auro amictarum, ad extrema navis puellæ per multæ, aliæ insignes aureis thuribulis ad fluminis ripas odoramenta perfundebant. Itaque haud injuria tunc disseminatum fuit, Venerem ad Bacchum profectam esse. Egressa postea navi cum pro judicio res in conviviorum certamen deducta esset, inter cætera quæ nimis profuse delicateque eguit cum pepigisset cum M. Antonio, se plus impensæ uno bolo, quam Antonium magno convivio absumpturam, ingentem unionem, cui similis magnitudine specieque nunquam visus erat, ab aure detraxit, atque aceto maceratum absorpsit; et cum jam manum ad alterius auris unionem apposuisset, ab Antonio, cum vicisse eam declarasset, prohibita abstinuit. Quæ quanquam ingenti regno potiretur, non erubuit, cum uxor esse Antonii non posset, superstite Octavia ejus uxore, quæ Romæ erat, cum eo amicæ, atque impudicæ nomen sustinere. Bapt. Fulg. l. VI.

Vix fidem inveniunt, quæ de Heliogabali insania verius quam luxuria prodita sunt memoriæ : Piscinas rosea implevit aqua, balsamum infundit lucernis, gemmas nobilissimorum artificium manu sculptas apposuit calceis, croco triclinium stravit, porticum scobe auri. Numquam iterum aurea veste usus et aut holoserica. Sab. l. VIII.

Deliciis præter modum Ælius Verus deditus fuit, sequidem lectos roris, violisque sternebat. *Ibid,*

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut imperitus jaculator fateri cogitur, se omnem operam consumpsisse, dum scopum non attigit; ita illi, qui omnes curas suas ad voluptatem dirigunt, omnem beatitudinis spem amittunt, quia a scopo hominibus proposito procul aberrarunt, Plutarc. *in moral.*

Sicut ii, qui in carcere sunt, unde nullum amplius effugium sperare possunt, nihilominus interdum ludunt tesseris; ita scelerati, licet jam sint captivi diaboli, voluptatibus tamen vacare sinuntur. *Ibid.*

Sicut, qui feras venantur, omnia negotia curasque seponunt; ita qui voluptates sectantur, omnibus aliis curis sepositis, in id unice incumbunt, ut desideratis voluptatibus fruantur. Sen. l. I, *de tranq. an.* c. II.

Damnum. — Sicut ulcera quædam nocituras manus appetunt, et tactu gaudent, et fœdam corporum scabiem delectat, quidquid exasperat; ita animum plerumque ad tempus delectant, quæ graviter postea cruciabunt. *Ibid.*

Sicut ii, qui in cœno sese obvolvunt, continuo sibi lutum augent; sic qui in voluptates facile ruunt, fœditatem ex voluptate singulis diebus sibi accumulant. S. Basil. *in Ps.* I.

Sicut piscator hamo capit pisces; sic diabolus homines voluptate. Lanc. *in Polyant. V. eod.*

Sicut pilulæ inauratæ pretiosa alimenta mentiuntur : sed, posquam sumptæ sunt, ventrem amaritudine replent; ita voluptates hujus mundi, quemadmodum S. Aug. notavit, asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam delectationem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. S. Aug. ep. XXXVI.

Sicut in musica soni graves acutis temperantur; ita Deus prospera, et voluptates adversitatibus, et tristitiis miscet. Engelgr. *in Dom. Psal.* § 1.

Sicut aqua, licet ex natura sua ad extinguendum ignem apta sit, si tamen in fornacem accensam injiciatur, vehementius ignem incendit; ita spiritus in carnem versatus, ipsam carnem magis inflammat, licet alioqui sit oppositus carni. Stapl. th. III, *in Do. Sept.*

Sicut pisces, quamdiu inventa in hamo esca pascuntur, nihil doloris sentiunt : at ubi piscator fallacia fila in sublime attolit, sentiunt aculeum; ita qui voluptates sectantur, quamdiu illis fruuntur, jucundas putant, sed ubi mors hamum attrahet, amaras sentient. *Ibid.*

Sicut avis in area libere apposita esca fruitur : sed, ubi avolare nititur, visco aut laqueis se implicatam advertit; ita idipsum voluptuosi olim cum gemitu sentient. *Ibid.*

Sicut is, qui vilissimis cibis repletus est, etiamsi ad splendidam mensam sedeat, nullo ciborum desiderio tangitur; ita terrenis voluptatibus repleti cœlestes delicias fastidiunt. *Ibid.*

Sicut lignum viride non tantum ab igne subjecto non accenditur, sed potius eumdem extinguit; sic voluptuosi a verbo divino adeo non accenduntur, ut potius suffocent illud. *Ibid.*

Sicut simia suam deformitatem in speculo videns illud confringit; ita voluptatibus dediti, dum suam deformitatem in salutaribus admonitionibus vident, easdem omnino contemnunt. *Ibid.*

Sicut mercator, ut decipiat emptorem, non finem, sed initium panni ostendit; ita diabolus, ut voluptuosos decipiat, initium delectationis, non exitum, ostendit. *Ibid.*

Sicut latrones iis, quos aperta vi non possunt vincere, in opacis locis insidiantur; ita diabolus, quos alioqui inexpugnabiles advertit in mundanarum voluptatum umbras perducere, perimereque conatur. *Ibid.*

Sicut canis Æsopicus, dum umbræ carnis insidiatus est, veram carnem amisit; ita qui falsas voluptates sectantur, veras amittunt. TRIVERUS, *apoph.* XXXIV.

Sicut muscæ, dum succo dulciori pascuntur; jam saturæ tenaci liquori adhærent, et a volatu impeditæ in interitum ruunt; ita voluptates fallaci sua dulcedine sectatores suos alliciunt, et in exitium trahunt. BEYRLINC. *in festo S. Laur. th.* II.

MOTIVA.

AD FUGIENDAM VOLUPTATEM.

Falsitas, de qua S. David dixit : Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Et merito; cum enim vera voluptas sit quies animæ, quies autem non nisi in possessione finis ultimi consistat, finis vero ultimus hominis sit amor, et possessio Dei; facile apparet, veram voluptatem non nisi ex iis, quæ ad Deum possidendum ordinantur, reperiri. *Ps.* IV, 3.

Vanitas, de qua clarum testimonium dedit Salomon, qui cum non prohibuisset cor suum, quin omni voluptate frueretur, fassus tamen est, se in his omnibus nil nisi vanitatem reperisse. *Eccles.* II.

Brevitas : nam diu durare non potest, quod in transitorio, et fugaci objecto fundatur, quid autem sunt res omnes extra Deum, nisi transitoriæ? hinc merito natum axioma : Momentaneum, quod delectat; æternum, quod cruciat.

Fœditas : quid enim fœdius, quam quod fœdissimis bestiis similem facit? hoc autem voluptas facit; hinc, teste Osea, facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt. Quid vilius, et turpius stercore? atqui turpior est voluptas, quæ a gratia rejicitur, et fœtidissimum de se odorem emittit, ut adeo recte S. Paulus dixerit : Se omnia ex quibus ejus modi voluptas capi potest, ut stercora arbitratum esse. OSEÆ, IX, 10.

Nocendi vis, quam præ reliquis expertus S. Augustinus, fatebatur, se in iis expertum esse amarissimas difficultates conformiter scilicet minis ab Jeremia intentatis : Scito et vide, quia malum, et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum. JER. II, 19; S. AUG. l. IX, *conc.* c. VI.

MEDIA

Consideratio supradictorum motivorum; inde enim generosus contemptus concipietur, facileque fugabitur voluptas, ut quæ, teste S. Chrysostomo : canis instar, si pellitur, fugit; sin fovetur, et nutritur, permanet. S. CHRYS. h. XI, t. VI.

Consideratio exitus : uti jam olim admonuit Aristoteles, dum voluptates ut abeuntes, non ut venientes contemplari jubebat, eo quod venientes blanda specie, et fucata blandiantur, abeuntes autem dolorem, ac pœnitentiam relinquant. ARIST. *ap. Lanc. in Polyant. fol.* 1238.

Consideratio Sanctorum tam generose voluptates spernentiam; nam non solent homines desiderare, quæ optimus quisque contemnit, tanto magis admirandum, quod omnes ad voluptates ferimur, quas sapientissimus quisque fuit.

Consideratio gehennæ : sic S. Chrysostomus suasit, dum dixit : Non decipiamus nos ipsos. Detur enim, quod per totam vitam nostram voluptari vacaverimus : sed quid ad infinita secula? hic enim et bona, et mala finem habent; illic autem immortates pœnæ. Hic si ardeat corpus, egreditur anima : illic vero incorrupto resurgente corpore, semper anima comburitur : et peccatores enim incorrupti resurgunt, non ut honorentur, sed ut immortaliter in tormentis permaneant. Si itaque balnei vehementiorem vaporem non ferimus, quomodo feremus igneum flumen? S. CHRYS. *ho.* XXII, *ad Pop. au.*

Consideratio infinitæ bonitatis, et amabilitatis Dei; sic enim ultro relictis voluptatibus terrenis, velut cisternis dissipatis, ad Deum velut fontem recurremus, atque ex eo purius, recentius, et plenius solidas verasque voluptates hauriemus.

Fuga occasionum : nam ut recte advertit S. Augustinus, minus voluptatibus stimulatur, qui non est, ubi est frequentia voluptatum. S. AUG. *de sign. Cleric.*

ASCETICA.

Quinque fere sunt, quæ Asceta de voluptate specialiter observare debet. Primum est, ut bene cognoscat et ponderet finem, propter quem voluptas rebus a Deo indita est; nempe ut, quemadmodum Plato dicere solebat, sit malorum esca; inde enim colliget, non esse in ea sistendum, sed eatenus tantum admittendam, quatenus nos promptiores reddere potest ad debitum Deo servitium alacrius perfectiusque præstandum.

Alterum est, ut meminerit sapientis effati ab Aristotele prolati, quo dicebat : Omnes homines naturæ instinctu delectationem quærere, quoniam omnibus rebus divinum quiddam impertitum est, quo inclinamur in optimum. Ut tamen prudenter quis eligat veras delectationes, judicium de his non ex delectationibus malorum, sed bonorum hominum sumendum esse ait : Solas enim illis esse pro veris delectationibus habendas, quibus illi utuntur : quod autem aliis alia jucunda videatur, id ex corruptela potius provenire, atque adeo non absolute jucunda censenda, utpote quæ non nisi a malis talia censentur; nam ut pueri, quæ ipsi amant, præstantissima putant, quæ tamen eadem a viris nihili æstimantur; sic alia placent probis, alia improbis, ex quibus hi, quia sano judicio carent, et delectationes corporales, ac turpes magis sensibiles sunt, hoc ipso eas etiam spiritualibus præferunt. Arist. vii, *Eth.* xi.

Tertium est, ut in appetitu voluptatum omnem præcipitantiam sedulo cavendam sciat, sed potius illam sapientissimam Epicteti doctrinam ob oculos habeat : Si voluptatis alicujus imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea movearis : sed et rem examina, et tibi ipsi præbe deliberandi spatium. Deinde utriusque temporis momento, tum ejus, quo voluptate frueris; tum ejus, quo percepta jam voluptate dolebis, teque ipse objurgabis. (Epic. lvi.) Sed et illud observasse proderit, quod S. Basilius ex Prodigo Chio narrat, scilicet juveni quondam Herculi secum consulenti, ad utram se viarum converteret, an ad eam, quæ ad virtutem per labores ducit : an ad facilem per voluptates? duas mulieres, Virtutem ac Voluptatem, occurrisse, quarum mox differentiam ex diverso habitu agnoverit; altera quippe forma conspicua, molliori facie, lascivis oculis, sermone blando, omnia fausta, faciliaque et ad vitæ solatia tendentia pollicendo, Herculem ad se trahere conabatur. Altera vero vultu rigido, squalenti, mœstoque ore, magnam fiduciam, atque constantiam præ se ferens, nihil jucundum, nihil amœnum ostendebat, sed mille pericula, laboresque immensos, terra marique subeundos, præmium tamen horum immortale, ad extremum vero morientem Herculem se secuturam, et inter Deos collocaturam, promittebat; hancque secutum Herculem, dicit. S. Basil. *ho.* xxiv.

Quartum est, ut frequenter ponderet quanto bono sensibiles voluptates privent, sibique persuadeat, eos, qui ejusmodi voluptates inordinate appetunt, olim dicturos, quod Lysimachus cum gemitu questus est, dum ob sitim se Scythis dedere coactus, ubi aquam frigidam bibit, exclamavit : Dei boni, quam brevis voluptatis causa, quantam felicitatem perdidi? (Plutarch. *in Moral.*) Quod ipsum non male alias per sequentem fabulam expressit : Ad mel, inquit, profusum in cella quadam advolantes muscæ, illius dulcissimo succo jucundissime pascebantur; sed jam saturæ, cum avolare vellent, pedibus in tenace liquore hærentibus, nitentes, etiam alas implicuerunt, quasi visco quodam mellis. Itaque morituræ, O miseras nos, inquiunt, quantillus nobis cibus interitum attulit? Lang. *in Polyant. V. eod.*

Quintum est, ut firmiter sibi persuadeat, veras voluptates non melius, certiusque, quam contemnendo falsas, obteneri. Id quod nonnemo apte per sequentem fabellam ostendit : Quidam, inquit, conspecto alveo, intra quem apes delitescebant, accessit, et mellis avidus aperuit eumdem; sed, cum misere acceptus ab apibus alteri cuipiam amico decurrisset, hic, causa tantæ exulcerationis intellecta : Tu, inquit, si deinceps mel tuto capere fruique desideras, apes prius abigas oportet, apes autem has inordinatas voluptates puta. *Ibid.*

MISCELLANEA.

Qualitas. — Breviter, et bene voluptatem carnalem descripsit, qui cecinit :

> Usque adeò nulla est sincera voluptas,
> Sollicitumque aliquid lætis intervenit.
> Ovid. l. VII, *Metam.*

Sanctus Augustinus commemorat, Philosophos olim, qui felicitatem in voluptate ponebant, ab aliis confutatos fuisse pictura quadam, in qua voluptas tamquam domina sederet in sella regia, et unicuique virtuti tamquam ancillæ pro libitu imperabat : ut vel hujus spectatuli absurditate appareret, quam absurdum sit, voluptati ullum locum dignitatis assignare. S. AUG. s. *de Civ.* c. XX.

Anachoreta quidam cum mire delectaretur suavitate rivuli, in quem inciderat, volens originem ejus investigare, reperit denique putridum cadaver, e cujus ore rivulus ille dimanabat; unde omnes illius aquas nauseabat. Utinam simili modo voluptuosi originem suarum voluptatum indagarent.

DAMNUM. — Paulus Æmilius centum viginti boves auratis cornibus, et coronis redimitos, concrepantibus tubis, ac tympanis in pompam duxit, sed funebrem; in lætitiam alienam, sed propriorum bonorum alienam. Idem voluptas facit. PLUTARC. *in moral.*

Plato refert, Voluptatem, et Dolorem olim apud Jovem de mutuis injuriis graviter conquestos fuisse, quos cum conciliare nequivisset, catena adamantina inter se connexuerit, ut, quantumvis odiis inter se dissiderent, altera ab altera discedere nequiret. PLATO, *in Phædro.*

Voluptas histrionem illum imitatur, qui ollam fortunatam pretiosissimis rebus instructam proponebat, sed intra ollam spinas incluserat, ut, qui extrahere sortem vellent, nihil nisi laceras manus reportarent. ENGELG. *in Dom. Psal.* § 1.

Nec male Poeta :

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furentes :
Apumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.
BOET. l. I, *de consol. metro* VII.

Aulicus quidam rogatus, cur canis ipsius, ipso aulam intrante, foris remaneret, respondit, semel ingressum, graviter flagris exceptum fuisse. Quo audito, subsumpsit alter : Ne tu cane tuo stolidior es, ut qui toties in aula male exceptus, necdum eam deseris. Idem voluptuosis rectius diceretur. ENGELG. l. c.

Jupiter, cum Voluptatem ad homines sibi demerendos misisset, advertissetque, se neglecto, hanc coli, et amari præ omnibus diis, pœnitens consilii, volebat eam eripere denuo; sed consilio suo Mercurius intercedens suasit, ut ipsam quidem nudam eriperet, sex exuviis illius Angeronem includeret, quod et factum. *Ibid.*

Sapienter suasit Seneca : Voluptates præcipue exturba, et invisissimas habe, latronum more, quos Philetas Ægyptii vocant; in hoc nos amplectuntur, ut strangulent. SENEC. *ep.* LI.

Recte quoque recens quidam Poeta :

Principium dulce est; sed finis amoris amarus,
Læta venire Venus, tristis abire solet.
Flumina quæsitum si in mare dulcia currunt,
Postquam gustarunt æquora, amara fluunt.
Ap. Engelgr. l. c.

Præclare iterum Seneca : Indurandus est, inquit, animus, et a voluptatum blandimentis procul abstrahendus ; viva Annibalem hyberna solverunt, et indomitum illum nivibus, atque alpibus, virum enervarunt fomenta Campaniæ. Debellandæ igitur nobis sunt voluptates, quæ ut vides, severiora quoque ad se ingenia rapuerunt. Si voluptati cessero, cedendum est dolori. SENEC. *ep.* LII.

Nam, ut Silius Italicus canit,

Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostes,
Quantum sola noces animis, illapsa voluptas.
Sil. Ital.

Quis hostis, inquit Seneca, in quemquam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suæ? Quidam se voluptatibus immergunt, quibus, in consuetudinem adductis, carere non possunt, et ob hoc miserrimi sunt, quod eo pervenerunt, ut illis, quæ supervacua fuerunt, facta sint necessaria. Serviunt utique voluptatibus suis, non fruuntur, et mala sua, quod est malorum ultimum, amant. SENEC. *ep.* XXXIX.

In eumdem sensum Boetius : Quid autem, inquit, de corporis voluptatibus loquar : quarum quidem appetentia plena est anxietatis, satietas vero pœnitentiæ, quarum motus quid habeat jucunditatis, ignoro. Tristes vero esse voluptatis exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget : quæ si beatos explicare possunt, nihil causæ est, quia pecudes quoque beatæ esse dicantur. Nihil igitur dubium est, quin hæ ad beatitudinem viæ devia quædam sunt : nec perducere quemquam eo valeant, ad quod se perducturas esse promittunt. BOET. l. III, *de consol. Prosa* VII et VIII.

Imitatrix bona est voluptas, inquit Cicero, malorum mater omnium, cujus blanditiis corrumpuntur, quæ natura bona sunt. Cicero, *de legib.*

Nemo dignus hominis nomine est, qui unum diem totum velit esse in voluptate. *Idem* 2, *de fin.*

Cato dicere solebat; nullam capitaliorem pestem a natura datam esse mortalibus, quam voluptatem. Cato, *major apud Long.*

AXIOMATA.

Ubi uber, ibi tuber. Engelgr. *in Dom. Psalm.*

Ubi mel, ibi fel.

Momentaneum, quod delectat; æternum, quod cruciat. *Anonym.*

Voluptas brevis, longa pœnitentia. *Idem.*

AUCTORES.

Joannes Busæus in Panario V. eod.

Henricus Engelgrave part. I. Lucis Evang. in Dom. Psal.

Thomas Strapl. text. III, in Dom. Sept.

Laurentius Beyrlinck in Theatro vit. hum. V. eodem et in promptuario morali tem. II, in festo S. Laurentii.

Josephus Langius in Polyanth. V. eodem.

VOTUM

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est promissio Deo deliberate facta de bono possibili, et meliori. Ita S. Thomas, qui et addit, a voluntate votum suam denominationem accepisse, tamquam a primo movente rationem ad promittendum. D. Th. II, II, q. lxxxviii.

Divisio. — Dividitur præcipue 1. in *Reale*, et *Personale*. Hoc est, cum actio aliqua ab ipso vovente exercenda vovetur; illud est, cum res quæpiam ab ipsa persona voventis non præstanda vovetur.

Dividitur 1. in *Simplex*, *et Solemne*. Illud est, quod solemnitate pro votis ab Ecclesia instituta cavet; istud est, quod ut tale acceptatur ab Ecclesia, et voventem ad contractus, vel actus contra votum inhabilem facit.

EX S. SCRIPTURA.

VOTUM IMPLENDUM.

Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, permaneat. I. *Cor.* vii, 20.

Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum : sed omne, quod promisit, implebit. *Num.* xxx, 3.

Cum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus : et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Deut.* xxiii, 21.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera. *Ps.* lxxv, 12.

Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, et stulta promissio. *Eccl.* v, 3.

Quodcumque voveris redde, multoque melius est non vovere, quam post votum non reddere. *Ibid.*

Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. *Ps.* xlv, 15.

VOTUM VIOLATUM.

Ruina est homini, devotare Sanctos, et post vota retractare. *Prov.* xx, 25.

Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. Luc. ix, 62.

Memor esto, unde excideris, et pœnitentiam age, et prima opera fac : sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum de loco suo. *Apoc.* ii, 5.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Si quis voluerit amicus esse hujus mundi, inimicus Dei constituetur. Quid dicis devota Deo, qui vis hominibus placere; quid desideras vel quid quæris, si Deum quæris, tecum est; si autem hominem quæris, hoc non devovisti. Qui sunt homines; homines hujus sæculi, et sæculum, transit, et concupiscentia ejus. S. Ambr. *ad Virg. devot.*

Juste exigitur ad solvendum, qui non cogitur ad vovendum. S. Bern. *ep.* ii, *ad Fulcon.*

Quia jam vovisti, jam te adstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Non talis eris, si non feceris, quod vovisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses. Minor enim tunc esses, non pejor : modo autem (quod absit) tanto miserior, si Deo fidem fregeris, quanto beatior, si persolveris. S. Aug. *ep. ad Advent.*

Disce in Evangelio, quod non liceat retro aspicere ei qui semel manum ad aratrum misit; nam etsi, cum pulsares, non repuli, tamen, ut intrares non compuli. Non licet ergo dimittere, quod sponte promisisti : non est fas requirere, quæ per te dimisisti. S. Bern. *ep. cit.*

Absque necessitate remissio voti, non dispensatio, sed prævaricatio est. S. Bern. *in serm.*

Quid tibi dixerit Psalmus, attende, non dixit : Nolite vovere, sed : Vovete, et reddite. Quia audisti, reddite, non vis vovere? ergo vovere volebas, et non reddere? imo utrumque fac. Unum sit ex professione tua, aliud ex adjutorio Dei perficietur. Aspice eum, qui te ducit, et non respicies retro, unde te educit. Qui te ducit, ante te ambulat; unde te eduxit, post te est. Ama ducentem, et non te damnet retro aspicientem. S. Aug. *in Psal.* LXXIII.

Sunt etiam quædam quæ non voventes debemus, quædam etiam quæ non nisi voverimus, non debemus : sed postquam ea promittimus, necessario reddere constringimur. S. Aug. *et hab.* XVII, *d.* II, *sunt quædam.*

In malis promissis rescinde fidem : in turpi voto muta decretum. S. Isid. *in Synonym. lib.* II.

Melius est non vovere quam vovere illud, quod sibi is cui promittitur, nolit exolvi. S. Bern. *in quadum serm.*

In vovendo fuit stultus, qui discretionem non adhibuit, et in reddendo impius. S. Hier. *in hist. Jepht.*

Bonum quidem votum est, si tamen ibi nihil admisceatur adversum. Nam licet ubique deceat justitiam custodiri, in illis tamen rebus maxime necessaria est quæ divinis obtutibus offeruntur, ne putemus ignorare Deum, unde accipiat, si fraudatis oblationibus acquiescat. Cassiodor. lib. III.

Utilitas. — Felix necessitas, quod ad meliora compellit. S. Aug. *ep.* XXXV, *ad Armentar.*

Qui fers jugum Christi, erige cervicem : redimicula geris, non vincula. S. Ambr. *in Ps.* CXVIII.

Sanctissimi viri non incongrue compediti dicuntur a Psalmista : quia ligati vinculis disciplinæ Dei, nequaquam ad ea, quæ exteriora sunt, vagantur; de his namque compedibus scriptum est : injice pedes tuos in compedes ejus, et in torques illius collum tuum; quia profecto, cujus a pravitate gressus compescitur, ejus fides sanctarum varietate virtutum adornatur. S. Greg. *in Ps.* CI.

Non te vovisse pœniteat, imo gaude, jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, et dicta factis imple; ipse adjuvabit, qui vota nostra expedit. S. Bern. *ad Arme. ep.* XLVIII.

Damnum voti violati. — Si ille mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat, nummos Deo abstulit; considera, quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo Omnipotenti, cui te devoveras, subtraxisti. S. Greg. *in registro ad Vent.*

Quare hoc fecisti? voluisti habere, Anania? oportebat initio habere, et non promittere : nunc autem, postquam promisisti, majus sacrilegium commisisti. S. Chrys. *ho.* XXI, *in Act. Ap.*

Dicit omnino etiam nunc Dominus : Domino mala perpetravit virgo. Me dereliquit verum sanctarum animarum Sponsum, et aufugit ad impium animæ simul, et corporis corruptorem. Defecit a Deo Salvatore suo, et exhibuit membra sua mancipia immunditiæ, et iniquitatis ad iniquitatem. S. Basil. *in ep. ad Lapsam.*

Virgo, quæ se spopondit Christo, et sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro. Etiamsi voluerit nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita est, quid de illa dicendum, quæ occulta et furtiva turpitudine constupratur, et fingit se esse, quod non est habitu virgo, bis adultera, et in actu, et in aspectu. S. Ambr. V, *ad Vir. Laps.*

EXEMPLA.

Votum servatum. — S. David quam accurate vota sua servaverit, in psalmis, maxime CXV, indicavit, dicens : Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi. *Ps.* XXI, LX, CXV, CXXXI.

Jacobus Patriarcha primum votum fecit Domino, dicens : Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

Israel voto se Domino obligans ait : Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus : Exaudivitque Dominus preces Israel, et tradidit Chananæum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus. *Num.* XXI, 2.

Jephte quoque vovit dicens : Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino. Cumque occurisset ei filia, eam immolavit Domino. JUD. XI, 20.

(*Vide etiam infra in Append.* § 2, n. 3 et 4.

Lætatus est populus, cum vota sponte promitterent quia corde toto offerebant ea Domino, sed et David Rex gavisus est gaudio magno. I. *Paral.* XXIX, 9.

Jonas in ventre piscis clamavit ad Dominum, et inter reliqua dixit : Ego autem in voce laudis immolabo tibi : quæcumque vovi, reddam pro salute Domino. JOAN. II, 20.

Heliodorus hostia Deo oblata, et votis magnis promissis ei, qui vivere illi concessit, et Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repetebat ad Regem. II. MAC. III, 35,

Anno Domini 542. Rex Childebertus inclytus Francorum Princeps comparato exercitu Hispanias suo addere imperio volebat. Audita vero S. Aviti fama, et quia sepulchrum ejus exigui parietes vallarent : cœlesti Regi integra devotione votum noncupavit, si incolumis in regnum suum sancti viri intercessione reverteretur, amplissimam se super ejus monumentum basilicam conditurum. Itaque in itinere multa quidem ab hostibus perpessus est ; sed quoties ei structæ essent insidiæ, toties sancti viri intercessione ab impendentibus periculis liberatus est, atque ita sospes et triumphans rediit in regnum suum. Tunc vero insignem ædem, ut erat pollicitus, in loco supradicto extruendam curavit. *Ex Actis S. Aviti Sur.* to. III, *die* 16 *Junii*,

Anno 886, cum rebellantes Bulgari Græciam nimis exasperarent, Basilius Imperator, super eos admodum irritatus voto se obligavit Domino monachum fieri, si Græcis eos subderet, et per annos quindecim cum hoste super eos laborans, ad ultimum Regibus eorum prostratis Samuele et Aarone, omnem terram eorum obtinuit, et fortissimas civitates confregit, et Græcorum præsidia contra eos ubique ordinavit, populumque Bulgarorum maxima ex parte in Græciam captivavit, et sicut voto promiserat, habitum monasticum Græca figura indutus, omni vitæ suæ tempore a concubitu et carnibus abstinens, imperiali schemate extrinsecus circumdabatur. BARON. to. X. *Ann. ad ann. Dom.* 886.

UTILITAS. — S. Antonius ab Angelis in cœlum subvehi visus, obvios dæmones habuit, qui summa vi, ne sursum pergeret, objectis, quæ in sæculo delicuisset, peccatis obsistebant. Ergo intercessores Angeli : Vos, inquiunt, si cujus culpæ, ex quo Monachum induit, reum peragatis, licet; neque enim eorum, quæ puer, aut adolescens olim in sæculo admisit, memoria renovanda est, utpote quæ jam pridem ei Deus ob religionis edita vota remisit. RODRIG. p. I, tr. II, c. IV.

Fr. Ægidius interrogatus, an etiam in sæculo gratiam Dei quis consequi possit? respondit. Posse, utique, se tamen malle unum gradum gratiæ in Religione, quam decem in sæculo, eo quod in Religione facile conservetur, et crescat, ob impedimenta per votorum substantialium editionem remota. *Ib.* c. VIII.

(*Vide in Appendice etiam* § 2, n. 2.)

DAMNUM VOTI NON SERVATI. — Ananias, et Saphyra ideo repentina morte puniti sunt, quia, ut S. Hier. loquitur, post votum obtulerunt quasi sua, et non ejus, cui semel ea voverant, partemque sibi alienæ substantiæ reservarunt, metuentes famem, quam vera fides non timet. Præsentem meruere vindictam, non crudelitate sententiæ, sed correctionis exemplo. Denique et Apostolus Petrus nequaquam imprecatur eis mortem, ut stultus Porphyrius calumniatur, sed Dei judicium Prophetico spiritu annunciat, ut pœna duorum hominum sit correctio multorum. S. HIER. *ad Deme.*

(*Vide etiam infra in Appendice* § 2, n. 1.)

Cum Hartfridus B. Thudonis consanguineus continentiæ voto ex timore edito se obstrinxisset, et promissionis immemor uxorem duxisset, nocte insequente vir quidam gravis ad eum ingrediens, dixit : Cur violata fide ducere non timuisti? quam frustra hoc feceris, vel ex hoc collige, quod semper eris sine sobole, et virga eum in femore percutiens : Hoc, inquit, tibi sit signum neglectæ promissionis, quod semper curvo pede deinceps incedes. Expergefactus ergo, et eruditus verbere agnovit culpam, monasteriumque ingressus vitam sanctam vixit. SURIUS' 2 *Nov.*

Cum Sanctimoniales sub instituto S. Claræ militantes civitate Gebenensi expulsæ fuissent, reliquæ quidem in catholicam quamdam civitatem se transtulerunt ; sed una maluit cum apostata quodam matrimonium inire, quæ tamen mox manifestam Dei vindictam experta est, quando a marito suo viva excoriata est. DAUROLT. *in Catech. hist.*

Theodoretus in historia religiosa SS. Patrum scribit, quemdam Ismaelitam non obscuro loco natum ex iis, qui in nomen salutare Domini Christi crediderant, Deo votum fecisse, divino vero Simone teste, quod deinceps abstineret ab esu cujusvis animati. Hoc promissum, nescio quomodo quodam tempore trangressus occisam avem ausus est comedere; Cum Deus autem per increpationem eum ad conversionem voluisset deducere, et suum famulum honorare, qui fuerat testis promissi, quod is fuerat transgressus mutata est in lapidis naturam caro avis, adeo ut nec si vellet quidem deinceps ea vesci posset. Hoc admirando et incredibili spectaculo obstupefactus barbarus ad sanctum venit quam celerrime, quod erat occultum peccatum in lucem proferens, et suam transgressionem omnibus enuntians et delicti a Deo petens veniam, et sancti auxilium invocans ut omnipotentibus suis precibus ipsum peccati vinculum exsolveret. THEODOR. *in histor. Relig.* c. XXVI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Anno 1534, cum primi Patres vota sua in monte Martyrum prope Parisios, ipso festo Assumptionis B. Virginis renovassent, suasit dein S. Ignatius, ut inter alia spiritus conservandi adjumenta, Socii anniversariam votorum renovationem, eadem in æde eodemque die facerent, quod et factum. *Hist. Sacr.* p. I, l. I, n. 92.

S. Franciscus Xaverius quotidie vota renovabat, aiebatque, vix ullum esse hominibus Deo sacris tutius contra Diaboli impetus munimentum hac quotidiana renovatione. *Vita,* l. c. XIII et XV.

P. Jacobus Laynes quotidie vota in Missa, dum Christum communicaturus in manibus habebat, his verbis renovavit : placet, quod promisi. LUD. DE PONTE, p. III, *de perf.* tr. V, c. XIV, § 2.

Joannes Berchmannus bis quotidie, mane scilicet, et vespere, votas ua consueta formula renovavit. Deliciosissimum vero illi erat triduanæ collectionis tempus, eo quod se per eos dies locupletare loculos suos diceret, panemque refectionis spiritualis pro venturis necessitatibus præparare. *Vita* p. II, p. 154.

Anno 1546, in Lusitania votorum renovatio in communi conventu fieri cœpta est tanto omnium motu, sensuque, tam ingenti collacrymatione multorum, ut tum primi ad societatem accessus renovari lætitiam, tum representari suæ cujusque jucundissimus dedicationis dies videretur. *Hist. Sacr.* p. I, l. l. V, n. 99.

Anno 1555, in India prima votorum renovatio facta est ingenti vi lacrymarum, atque inusitato quodam ardore spiritus, et animorum. *Ibid.* l. XV, n. 19.

P. Jacobus Cerrutus ter millies quotidie vota renovabat; semel 14000, vicibus id præstitit. LANCIZ. ep. XI, c. XXX, n. 189.

Michel Sartre Coadjutor ruri habitans, cum gravissime sæpe contra castitatem tentaretur, statim in genua procidens sua vota renovavit, et statim omnis tentatio velut nubecula evanuit. *Ann. Lugd. Col. Aven.* 1508.

Alphonsus Rodriguez quotidie vota sua renovabat ; et hæc renovatio conservabat eum semper vividum excitatum ad vota implenda, et Dominus clare illi significavit, sibi id placere, monuitque, ut se in hac renovatione exerceret, indicavitque simul profectum, quem inde anima ejus erat perceptura, et dona, quæ ipsi ob eam rem concessurus erat. *Vit. M. S.* l. I, c. XIII.

Cum quidam magni judicii, et prudentiæ vir Societatem ingressus, vehementer a renovatione votorum, velut re inutili, abhorreret; nihilominus tamen ipso die renovationis vicisset sese, et cum summa judicii repugnantia renovasset, Deus talem victoriam remunerari volens, Christum, dum Sacerdos de more hostiam in manibus tenebat, in S. Hostia corporali specie ostendit, a quo mira consolatione repletus, sed et lumine extraordinario donatus est, quo agnovit ejusmodi renovationem non modo utilissimam, sed et Deo gratissimam esse. Totus itaque in lacrymas effusus agnovit errorem suum, et detestatus est, plenusque cœlesti voluptate diu permansit, ita ut, præ abundantia gratiæ divinæ sese insinuantis, vocem in verba formare non posset. LANC. l. c. c. VIII, n. 84.

VOTI VIOLATI PŒNA.

Quidam, cum e Societate exiisset, mox mente captus et per plateas more furiosi currens, misera denique et repentina morte interiit. RIBAD.

Franciscus Balsamus, studiis absoluti Societate egressus, ubi Messanam. et domum suam pervenit, tantis doloribus, morbisque cruciatus est, ut exaresceret, et tabesceret, diceretque, se, ex quo die Societatem deseruit, numquam jucunditatis, et suavitatis bona fuisse usum. Octo menses intercute laborans, inflatusque decubuit, sibi gravis, domesticis intolerabilis, ingratus alienis. Moriturus Patrem e Societate accersivit, qui, etsi properaverat, mortuum tamen jam invenit, tam horribili, et fœdo cadavere, tamque pestiferum odorem exhalante, ut ad hæc tegenda necesse fuerit citius eum sepelire, et præter morem Gentis feretro includere. *Idem.*

Quidem Fonseca deficiens a Societate, cum quodam die in militari exercitio probaretur, a Commilitone in oculo ictus, eum simul cum spiritu amisit. Eodem vero die cum B. Leo Henriquez per plateam transiret, et hoc nuntio audito admirabundus Crucis signo se muniret, infans, qui tum casu in platea fuerat, cum vix loqui posset, ad Patrem dixit : Nam quem alium finem sortiri poterat is, qui a Societate defecit? *Idem.*

Juvenis quidam ex Lusitanis Insulis oriundus, quia vehementer urgebat, a Societate dimissus, post paucos dies ab adventu in Patriam, se piscatum contulit cum duobus aliis, cumque ille medius inter hos in rupe mari imminente sederet, ecce sibi derepente exsurgens fluctus eum e medio sociorum eripit, et absorbet, a nullo unquam deinceps conspectum, utroque interim socio incolumni, et casum vehementer obstupente. *Idem.*

Coadjutor erat in Austria, qui tredecim annis in Societate vixerat, sed usque adeo inobediens, ut diceret, malle se capite plecti, quam obedire. Societate dein egressus, et Viennæ præsidiarius miles effectus, aliquoties excubias neglexit, quare accusatus, et capitis damnatus est. Hic ille vindictam Dei agnoscens, Patres, ut pro se intercederent, oravit; at impetratum nihil. Ergo miser ad supplicii locum, qui e regione Collegii erat, ducitur, paulo ante professus, desertæ Societatis hanc pœnam esse, se nec unum diem hilare extra eam vixisse. Sic capite plexus est : et ecce, decussum caput illico seipsum præcipiti rotatu in fœdam aquam, quæ præterfluebat, injecit, et os illud, quod contra obedientiam pandebat, aliquando totum in fæces illas immisit. *Annuæ* 1591, f. 266.

EXEMPLA PROFANA.

Rex Moab videns prævaluisse adversum se hostes, arripiens filium suum primogenitum obtulit holocaustum super murum, ex quo facta est indignatio magna in Israel, quare et obsidionem solverunt, et reversi sunt in terram suam. IV. *Reg.* III.

Alexander Magnus, cum vovisset, quod eum, qui sibi porta egresso primus occurrisset, interfici curaret, Agaso, qui asinum forte tunc ante se agebat, ad supplicium postulatus, protestatus est, dixitque, non se, sed asinum, occidendum, ut qui primus Alexandro occurrisset. VAL. MAX., l. VII, c. III.

Antiqui Itali morem habebant *Ver Sacrum* vovendi; quo voto se in magnis periculis constituti obstringebant, et vovebant, se omnia animalia (etiam pueros, et puellas) quæ proximo vere nascerentur, oblaturos. BEYRLINCK. *in theatr. V. eod.*, f. 239.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut, si quis non fructus dumtaxat, sed arborem etiam donat, haud dubie gratius donatario munus offert, quam si solos fructus offerret; ita gratius quoque obsequium præstat Deo, qui non opera duntaxat, sed etiam seipsum per religiosa vota Deo consecrat. S. ANSEL. *in l. simil.*

Sicut malum est facere aliquid turpiter ex fragilitate, aut consilii imbecilitate, multo pejus autem, si fiat ex deliberata voluntate peccandi, et in peccato persistendi; sic in virtutis muneribus omnia quidem bona, et laudabilia sunt, sed tamen sine comparatione meliora, quæ animo deliberate obfirmato peraguntur. Platus, l. III, *de bono Status relig.*, c. xxx.

Sicut corporum, sic animorum quoque sunt vincula, sed in hoc differentia, quod corporibus ut extrinsecus injici possint, etiam invitis, ita etiam externa vi abrumpi; animus autem nulla re ligari possit, nisi ipse ligarit : sed cum vel semel ligavit, nulla humana potestas sufficiat ad solvendum. *Ibid.*

Sicut is, qui non usum dumtaxat, sed etiam proprietatem rei concedit, plus utique dat; ita religiosus se per vota offerens Deo, majus sui sacrificium dat, quam secularis. S. Bonav. *in apolog. paup.*

Sicut, si quis munus Domino obtulerit, quod acceptum Sacerdos in templo seponit, non amplius potest pro suo arbitrio auferre; sic quoque, qui Deo animas suas consecrarunt, potestatem sui amplius non habent. S. Ephr. *in adhort. ad Novit. Monach.*

Utilitas. — Sicut proci, cum virginem, quam ambiunt, nuptam vident, alio cogitationes transferunt; sic, cum Diabolus animam per vota Deo desponsatam advertit, omnis illi spes præciditur eamdem rebus ternenis implicandi. Platus, l. I, c. xxx.

Sicut vites, et aliæ arbores teneriores vinciri solent ad stipites firmiores, a quibus sustententur; sic homines, inconstantiam suam, et fragilitatem agnoscentes, facile intelligunt, nihil salubrius esse, quam si debilem hanc suam voluntatem in Deo sponsione voti stabiliant, eique perpetuo obligentur. *Ibid.*

VIOLATIO VOTI.

Sicut transmigrans de nido suo; sic vir, qui derelinquit locum suum. *Prov.* xxvii, 8.

Sicut membra corporis a corpore avulsa emortua sint necesse est; ita monachus quoque, qui reliquorum Fratrum corpori firmiori nexu per vota conjunctus est, divellere se non potest, quin animæ vitam amittat, et cum ea Spiritus Sancti gratiam. S. Basil. *in Mon. constit.*

MOTIVA.

AD VOTA ADIMPLENDA.

Quia vota opera nostra meliora faciunt; cum quodlibet bonum accessione alterius boni melius fiat; ipsa autem promissio boni haud dubie etiam sit bonum aliquod. Platus, l. I, c. xxx.

Quia vota voluntatem nostram stabiliunt in bono; atque adeo hominem Beatis similem faciunt, quia bono deflectere non possunt. *Idem.*

Quia vota copiosorem Dei gratiam conciliant; sunt enim quasi canalis, per quem multo copiosius in voventem gratia derivatur, cum Deus non patiatur se liberalitate vinci, atque adeo haud dubie tam insignem liberalitatem per vota religiosa exercitam liberaliter quoque sit remuneraturus. *Ibid.*

Quia vota singularem operibus dignitatem conferunt : Neque enim, ut recte discurrit S. Augustinus, virginitas (eadem est ratio aliorum votorum) honoratur, quia virginitas est, sed quia Deo dicata; quæ, licet servetur in carne, spiritus tamen religione, ac devotione servatur; ac per hoc etiam virginitas corporis spiritualis est, quam vovet, et servat continentia pietatis. S. August., c. viii, *de Virginis.*

Quia per vota religiosa gravissimum Deo holocaustam offertur; cum is, qui illa facit, nihil sibi reservet; quam ob causam præstantissima quæque alia vota in hæc religiosa vota mutari possunt. Rodrig., p. 3, tr. ii, c. iv.

Quia vota religiosa voventem Martyribus similem faciunt; ob illa quippe vita Religiosi genus quoddam martyrii vocatur, illo quidem, quo membra cæduntur, ferro, horrore mitius, sed diuturnitate molestius. S. Bern., s. xxx, *sup. Cant.*

MEDIA.

Crebra divinæ gratiæ invocatio : sic enim Salomon exemplo suo docuit, dum de seipso dixit : Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum; adii Dominum et deprecatus sum illum. (*Sap.* viii, 21.) Quod ipsum etiam confirmans S. Augustinus : Est, inquit, devotio voventis, sed est humilitas deprecantis. Nemo præsumat se viribus suis reddere, quod voverit. Qui te hortatur, ut voveas, ipse adjuvat, ut reddas. S. August., *in Ps.* xxxi.

Crebra memoria factæ professionnis. Sic S. Basilius virgini cuipiam lapsæ suasit, dicens : Revoca in memoriam honestam professionem, venerandam congregationem, et sacrarum Virginum chorum. Recordare dierum carentium tumultu, et noctium illuminatarum, cantilenarum spiritualium, orationum sanctarum, et cubiculi casti, et virginei progressus, et mensæ temperantis etc. S. Basil. *de Virg. lups.*

Crebra votorum renovatio : nam, ut sapienter S. Gregorius dixit : Si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necessarium est, ut inchoare nos quotidie credamus. Sicut enim, quo crebrioribus ictibus clavus in lignum aut murum adigitur, tanto firmius hæret; sic quo crebrius hæc promissio repetitur, tanto difficilius violatur. S. Greg. *in morali.*

Crebra consideratio fructuum, qui ex votis, religionis maxime, oriuntur : quis enim, si centuplum pro ejusmodi votorum editione promissum consideret, non vehementer accendatur ad vota talia perfectissime servanda, ut tam pretiosi centupli, et ipse fieri particeps possit?

Crebra ponderatio sententiæ a Christo prolatæ : Tollite jugum meum super vos, jugum enim meum suave est, et onus meum leve. Sic enim phantasiam corriget, quæ multos absterret persuadendo, difficilem nimis esse votorum editionem. (Matth. ii, 28.) Contra quam opinionem etiam Sanctus Chrysostomus sic loquitur : Quid levius dices, ac melius, quam solicitudine sæculari, et laboribus, et metu exui? quam ab istius mundi fluctibus segregari, et possidere placidi tranquillique portus securitatem? S. Chrysost. *ad Theod. lapsum.*

ASCETICA.

Quatuor sunt, quæ de votis singulariter nosse, et observare debet Asceta. Primum est, ut certo sibi persuadeat, hanc votorum, quæ in religione nuncupantur, triadem esse, præcipuum instrumentum adipiscendæ perfectionis, id quod more suo S. Thomas solide sequentibus verbis demonstrat : Religionis status tripliciter potest considerari; 1. Secundum quod est exercitium tendendi ad perfectionem, quantum ad hoc requiritur, quod aliquis a se removeat illa, per quæ posset impediri, ne totaliter ejus affectus tendat in Deum, in quo consistit perfectio charitatis. Cujusmodi autem sunt tria. Primum quidem cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis. Secundum autem est concupiscentia sensibilium delectationum, quæ excluduntur per votum continentiæ. Tertium autem est inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ. 2. Considerari potest Status Religiosus, secundum quod quietat animum ab exterioribus sollicitudinibus, secundum illud Corinth. Volo vos sine solicitudine esse; hæc autem solicitudinis sæcularis inquietudo præcipue ingeritur homini circa tria. Primo circa dispensationem exteriorum bonorum, et hæc sollicitudo per votum paupertatis homini aufertur. Secundo circa gubernationem uxoris, et filiorum, quæ amputatur per votum continentiæ. Tertio circa dispositionem propriorum actuum, quæ amputatur per votum obedientiæ, quo aliquis se alterius dispositioni committit. 3. Considerari potest Status Religiosus, secundum quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis se, et sua totaliter offert Deo : habet autem homo triplex bonum secundum Philosophum. Primo quidem exteriorum bonorum, quæ quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntariæ paupertatis. Secundo autem bonum proprii corporis, quod aliquis præcipue offert Deo per votum continentiæ, quo abrenunciat maxime delectationibus corporis. Tertio bonum animæ quod aliquis offert Deo totaliter per obedientiam, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentiis, et habitibus animæ. S. Thom. II. q. xlviii, art. 7.

Alterum est, ut singulorum votorum in particulari naturam, et obligationem bene cognoscat : quam quidem cognitionem ex libris Ascetarum, maxime ex Alphonso Rodrig. par. III, tr. iii, et sequentibus, facile haurire poterit.

Tertium est, ut tam felicitatem eorum, qui vota ejusmodi offerunt liberaliter, et studiose observant, quam eorum, qui ea violare præsumunt, infelicitatem, et miserum statum bene cognoscere, et hoc motivo velut principali stimulo se ad observantiam illorum excitare studeat. Quem in finem prodest sequentem Sancti Ambrosii sententiam in memoria habere, qua utrumque hoc motivum virgini cuidam lapsæ sic ante oculos posuit : Unde incipiam, inquit, quod primum, quod ultimum dicam? Bona commemorem, quæ perdidisti? an mala defleam, quæ invenisti? Eras Virgo in Paradiso Dei, utique inter flores Ecclesiæ : eras Sponsa Christi : eras templum Dei : eras habitaculum Spiritus Sancti : Et cum dico toties, Eras, necesse est, ut toties ingemiscas, quia non es, quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tamquam columba illa, de qua scriptum est : Pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri. Splendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tamquam stella in manu Domini, nullum ventum, nullius belli nebulas pertimescebas. Quæ est ista subitanea conversio? quæ est ista repentina mutatio? De Dei Virgine facta es corruptio Satanæ, de habitaculo Spiritus Sancti tugurium diaboli. Quæ incedebas ut columba, nunc lates in tenebris sicut stellio. Quæ fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es luto platearum, ut etiam indignorum pedibus conculceris. Quæ fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto ruens cœlo, lumen tuum extinctum est, et conversa in carbonem. S. Ambr. *ad Virg. laps. c.*

Quartum est, ut, quoniam inter media præcipua ad exactam votorum religiosorum observantiam procurandam, est crebra renovatio votorum, maxime ea, quæ in Societate Jesu cum præmissa triduana collectione, et confessionis generalis institutione peragitur, bene cognoscere, studeat, et naturam, et fines seu fructus hujus renovationis, et modum eamdem solide peragendi. Ad naturam quidem quoad attinet, breviter et bene eam S. Ignatius his verbis indicavit : Vota sua renovare, non est, obligatione nova se constringere, sed ejus, qua obstricti sunt, in Domino recordari, (S. Ign., p. 5, *constit.*, c. IV, § 6) atque eamdem confirmare cum voluptate scilicet (ut addit Rodriguez) animique alacritate, iterando quod semel factum est, eoque testificando, minime id mutare nos, quin potius gratos, æternumque obnoxios ostendendo tanto Benefactori, qui nos inter suos esse jusserit, eamque nobis mentem injecerit, ac, nisi jam nos ei in holocaustum obtulissemus, certe adhuc oblaturos, imo, si mille mundi forent, omnibus, illius amore nuntium remissuros; si voluntates nobis, totidemque corda forent, omnia pariter eidem præbituros. Qua quidem alacritate si pro eo, ac par est, hæc votorum renovatio fiat, nova haud dubie, nec vulgaris a Deo gratia initur; quemadmodum enim complacentia de peccato olim patrato novum peccatum est, novaque injuria, ac novam pœnam exigens, ita vicissim voluptas, ac complacentia recte facti bona, multumque divinæ bonitati accepta est. Rodrig., p. 4, tr. II, c. VIII.

Jam vero finis seu fructus renovationis triplex a S. Ignatio recte statuitur, nempe. 1. *Devotionis augmentum*, quam experiuntur affatim, qui se rite ei comparant. 2. *Excitatio memoriæ,* qua obligationis, per quam Deo quisque adstringitur, recordatur, ut firmius promissis stetur, virtutemque ardentioribus in dies animis imbibat. 3. *Major in sua vocatione confirmatio :* sicut enim generale tentationibus omnibus antidotum est, contrariarum virtutum actus exercere (quoniam contraria contrariis curantur) ita contra interiores tædii displicentiæque motus, quibus dæmon infestat, hæc votorum instauratio tutissimum est præsidium, quippe qua et hostis paulatim exarmatur, et, si quid forte per incuriam commissum aut omissum est, cum fœnore compensatur.

Denique modus hanc renovationem instituendi optimus, et solidissimus est, qui ex similitudine cum imagine renovanda petitur; ut videlicet. 1. Sordes et maculæ eluantur; id quod per generalem confessionem, et frequentem contritionem elicitam impletur. 2. Novi colores apponantur; quod sit per ipsam votorum renovationem, novaque alia proposita per varias meditationes excitata. 3. Velo obtegat, ne tam facile iterum per pulveres aut alias res maculetur id quod perficitur, dum radices et causæ imperfectionum indagantur, et efficacia media ad eas deinceps removendas excogitantur.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Vota sunt nodo Gordiano similia, quem, quia fine et principio carebat, nemo dissolvit, donec Alexander gladio dissecuit. Hinc et Batavi in numismate habent vincula nodis constricta, hoc lemmate subjecto : *Nec viribus ullis.* Engelgr., p. 2. *Luc. Evang. embl.* II, § 3.

Violatio. — Rudolphus Sueviæ Rex, cum fidem Henrico IV. Imperatori datam rescidisset, et paulo post in prælio prope Maspurgum inito dextram amisisset, ea militibus ostensa : Hæc, inquiebat est manus, qua fidem Henrico domino meo dedi : nunc tandem considerate, an juste ab eo defecerim. Idem olim dicent, qui vota violare, fidemque per ea Deo datam frangere præsumpserint. Serigelius *apud Beirlinck in fest. Annunc.*, t. VII.

AUCTORES.

Alphonsus Rodriguez p. I, tr. 2.

Lucas Pinellus de perfect. Christ., l. I.

Joannes Busæus in Panario V. Voti violatio.

Hieronymus Platus de bono Status Religiosi lib. I, cap. XXX.

Henricus Engelgrave part. II. Luc. Evangel. emblem. II, § 3.

Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ V. eodem et in Promptuario tem. VII, in festo Annunc. B. Virg. VI. Josephus Langius in Polyanth. V. eodem.

VULNERA CHRISTI

EX S. SCRIPTURA.

Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. ZACHAR. XIII, 6.

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras attritus est propter scelera nostra. ISAIE, LIII, 5.

De cætero nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. GALAT., VI, 17.

A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas; vulnus et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. ISAIE, I, 6.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Ib.*, c. XII.

Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. *Psalm.* XII, 28.

Concidit me vulnere super vulnus; irruit in me quasi gigas. JOB., XVI, 15.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. *Ps.* LXVIII, 17.

FIGURÆ VETERIS TESTAMENTI.

Joseph dedit suo fratri Benjamin 300, argenteos, cum quinque stolis optimis. Jesus suis fratribus quinque sua vulnera dat, ut pretiose vestiantur. Hoc nimirum est induere Jesum Christum. *Quicumque enim in Christo baptizati estis* (sanguine e vulneribus profluxo) *Christum induistis. Gen.* XLV, 22.

Quinque cortinæ constituuntur ad vestiendum tabernaculum, quinque vectes, quinque columnæ in introitu tabernaculi omnibus conspicuæ. Præclara divinorum vulnerum symbola! hæc enim quinque cortinæ sunt, quæ vestiunt teguntque divinitatem; quinque vectes sunt, qui claudunt infernum; quinque columnæ, quæ spem nostram sustentant. *Exod.* XXVI.

In Levitico celebre illud promissum statuitur. Persequentur quinque de vestris centum alienos. Quinque nempe vulnera devote cordi impressa integras adversitatum, et periculorum centurias solent fugare, et exterminare. *Levit.* XXVI.

Oblationes Deo a tribubus factæ, numero quinario constabant, videlicet arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Quidquid Deo obtulerimus, placebit minus, si quinque Jesu vulneribus non sit unitum. *Num.* VII.

Moyses separavit tres civitates trans Jordanem ad orientalem plagam, ut essent peccatoribus in asylum. Tres civitates sunt vulnera manuum, vulnera pedum, et lateris, ad quæ omni tempore, potissimum tamen in mortis periculo, patet accessus, et asylum, si peccata operum, omissionum, et affectuum nos persequuntur, et mortalis culpæ reos agunt. *Deuter.* IV.

Viri Dan miserunt quinque viros exploratores terræ; Mittamus quinque vulnera in cœlum, et referent idem nobis, quod exploratores illi : *Surgite, ascendamus ad eos : vidimus enim terram valde opulentam, et uberem : nolite negligere, nolite cessare, eamus, et possideamus, nullus erit labor.* JUDIC. XVIII.

David elegit sibi quinque limpidissimos lapides, quibus se adversus turrim carneam Goliathi armavit. Quinque Jesu vulnera totidem victoriosi sunt lapides, quibus hostis numquam non sternitur. Testem appello Alphonsum primum, contra innumerabilem Maurorum exercitum adhibitis quinque Jesu vulneribus pugnare, et vincere cœlitus edoctum. Nullus nos hostis superare poterit, nullum non hostem superabimus, si quinque vulnera cordium nostrorum fuerint insignia. I. *Reg.* XVII.

Isaias inter alias prædixit : *Erunt quinque civitates in terra Ægypti, et una vocabitur civitas Solis, et mittet eis Salvatorem, et propugnatorem.* Quinque civitates quinque sunt vulnera, inter quæ vulnus lateris merito vocari potest civitas Solis. Qui has civitates in cor suum, velut terram angustiarum, et tribulationum (ita enim Ægyptum interpretamur) reposuerit, mox sentiet adesse sibi Salvatorem, et propugnatorem. ISAIÆ XXXIX.

Quinque cubitus mensus est Angelus vestibulum templi. Vestibulum cœli est mors justi, hanc Archangelus Michael ex quinque vulneribus Salvatoris mensurat; si enim opera tua fuerint inventa in mensura vulnerum, in horum nempe honorem peracta, justus es, templum Dei es, cœlo natus es. EZECH. XL.

FIGURÆ NOVI TESTAMENTI.

Quinque Christi vulnera sunt quinque panes, quibus satiat omnem multitudinem. MATTH. XIV.

Sunt quinque talenta, quibus æternas quinque sensuum voluptates promeremur. MATTH. XXV.

Sunt quinque minæ, quas qui bene exponit, lætissimum Euge aliquando auditurus est. LUC. XIX.

Sunt quinque porticus piscinæ Probaticæ, ad quas languentes confluant, ut persanentur. JOAN. V.

Sunt quinque in domo una divisi, quia in domo cordis sensualitates dividunt, et inordinatum affectum excludunt. LUC. XII, 52.

Sunt quinque prudentium virginum lampades ad adventum Sponsi indeficienter ardentes. MATTH. XXV.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — O homo, vide, quæ pro te patior. Non est dolor sicut quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior; vide pœnas, quibus afficior; vide clavos quibus confodior, cum sit dolor tantus exterior, interior est planctus gravior, cum te tam ingratum experior. S. BERN. *ap. Caraff. in fascic.*

Ad hoc perforatum est latus tuum, Domine, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est cor tuum, ut in illo, et in te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. (MYRRH., l. III, *consid.* II.) Nihilominus, et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile vulnus invisibile amoris videamus : quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum corpus, verum etiam ipsum cor lancea vulnerari permisit; carnale ergo vulnus spirituale ostendit. *Idem*, c. III, *de Pass. Dom.*

Doles, Domine, non tua vulnera sed mea, non tuam mortem sed nostram infirmitatem. S. AMBR. *sup. Luc.*

Videri vult vulnera sua Christus tamquam bonus dux signa. S. BERN. *sup. Cantic. serm.* LXI.

UTILITAS. — Noli dicere : In cœlo non ero. Tenemus mortem Christi. Desperarem, utique, sed non despero, quia vulnerum Christi recordabor. S. AUG. *serm.* LXXIV, *ad Fratr.*

Simili verborum forma utitur D. Bernardus : Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbat, quoniam vulnerum Domini recordabor. S. BERN. s. LXV, *in Cant.*

Filius Dei Altissimi jubetur occidi, ut vulneribus meis, id est peccatis, pretioso sui sanguinis balsamo mederetur; et subjungit : Agnosce o homo, quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est, Dominum Christum vulnerari. *Idem in Fascis. Coraff.* l. II, *consid.* II.

Si quis fugiet, vivet. Tutum refugium contra hostes vulnera Salvatoris. Ante te est turris, recordare Christum, et intra in turrim, recordare cogitando, cum aliquid pateris, quia prior, plus et pure propter te passus est; et quo fine? ut resurgeret, et tu talem finem spera, et non consenties inimico, et intrasti in turrim. S. AUG. *ibid.*

O beata lancea, et beati clavi, qui apertionem hujusmodi facere meruerunt? O si fuissem loco illius lanceæ, exire de Christi latere noluissem, sed dixissem : *Hæc requies mea in sæculum sæculi, quoniam elegi eam. Fascic.* c. l. I, *consi.* IX.

Præ nimio amore aperuit sibi latus, ut tibi tribuat cor suum; sibi etiam voluit pedes, et manus perforari, ut, cum ad ipsum perveneris, sic tuæ manus intrent in suas, ac pedes tui in suos, ut sibi inseparabiliter conjungaris. Obsecro secundum Apostolum anima mea, omnia probra hæc coneris experiri? et non dubito; quod si fueris aperta omnia præter ipsum, et ejus vulnera amaritudinem reputabis. *Ibid.* n. 1.

Duas habet patrias verus Christianus; altera est vulnerum, in qua gignitur gloria; altera cœli, in qua renascitur immortalis ad gloriam; utque in morte certus sis de futura cœli patria, fac in vita præsenti sis vulnerum civis. *Ibid. consid.* XII, n. 3.

Clavi, qui manus pedesque transfixerunt, perpetuis diabolum fixere vulneribus; sic suam Christo consummante victoriam, ut in ipso omnes, qui eum crederent triumpharent. *Ibid. consid.* XXXV, 2.

Inde tolerantia martyrii provenit, quod in Christi vulneribus tota devotione versetur, et jugi conversatione demoretur. Et addit causam : quia non mirum, si exul a corpore dolores non sentias corporis. Neque tamen ob id redditur insensibilis; quare sequitur : Submittitur enim sensus, non amittitur, nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur : et non facit hoc stupor, sed amor. O felix transitus a vulneribus corporis proprii ad vulnera corporis Christi, a corpore mortis ad corpus veræ vitæ! Si in semetipso habitaret Martyr, ferrum profecto sentiret, succumberet, negaret. At vero commorando in corpore, et vulneribus Christi non pavet ferrum, dolorem nescit, et invictus persistit in voce fortissimæ confessionis. *Ibid. consid.* XLIII.

Attendamus ad judicium dilectionis, et promissionis Dei. Quales arrhas accepimus? tenemus mortem Christi, tenemus sanguinem Christi. Si non amaret, talia pignora non daret. S. AUG. *ib. fol.* 388.

O homo, securum habes accessum ad Deum, ubi habes Matrem ante Filium; Filium ante Patrem; Filius ostendit Patri vulnera, et latus; Mater ostendit Filio pectus, et ubera; nulla ergo esse poterit repulsa, ubi tot sunt charitatis insignia. S. CORN. *super Cant.*

Respice in faciem Christi tui, qui tibi usque ad mortem obediens factus est; nec recedant ab oculis tuis cicatrices vulnerum ejus in perpetuum, ut memineris, quantam satisfactionem pro peccatis nostris ab eo susceperis. S. ANSEL. *Dialog. de Pass.* c. XXV.

Tuta et firma requies est infirmis, et peccatoribus in vulneribus Salvatoris, securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera, quicquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordiæ affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant. Per foramina corporis patent mihi arcana cordis; patet magnum pietatis Sacramentum; patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto; vulnera Jesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine, et charitate; foderunt manus ejus, pedes ejus, et latus ejus lancea perforaverunt; per has rimas licet mihi gustare, quam suavis est Dominus Deus meus, quoniam revera suavis, et mitis, et multæ misericordiæ est omnibus invocantibus in veritate, omnibus inquirentibus, et maxime diligentibus; copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Jesu Christi Salvatoris nostri, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, et perfectio virtutum. Cum pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi, cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo; cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, et recedit a me; si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri Filii Dei extinguitur, In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi; in illis dormio securus, et requiesco intrepidus. Christus mortuus est pro nobis, nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur, tota spes mea est in morte Domini mei; mors ejus meritum meum, refugium meum, salus, vita, et resurrectio mea; meritum meum miseratio Domini; non sum meriti inops, quandiu ille miserationum Dominus non defuerit; et si misericordiæ Domini multæ, multus ego sum in meritis. Quanto ille potentior est ad salvandum, tanto ego sum securior. S. AUG. *Manual.* c. XXI et XXII.

Quicunque vult perfecte Deo adhærere, se totum intra se recipiat, nec aliud unquam objectum inibi mente attendat, quam solum Jesum Christum vulneratum, sicque per eum in eum, id est, per hominem in Deum, per vulnera humanitatis ad intima Divinitatis suæ sedulo, et obnixe intendat. S. ALBERT. *M. de adhær. Deo*, c. II.

Recordatio vulnerum Christi medicamentum est efficax. *Ser.* LII.

Scio, quod merita mea non sufficiunt, quod mihi deest, audacter usurpo ex vulneribus Christi; quæ misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quæ defluant; patet enim arcanum cordis per foramina corporis, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. *Idem in quodam ser.*

JUCUNDITAS. — Bonum est nos hic esse, scilicet in vulneribus Christi, et faciamus hic tria tabernacula, unum in pedibus, unum in manibus, aliud continuum in latere; ubi volo quiescere, et vigilare, bibere, comedere, legere, adorare, et omnia mea negotia pertractare, ubi loquar ad cor ejus, et ab ipso, quod voluero impetrabo. S. BONAV. *apud Caraffa in Falsc. consid.* I.

In vulneribus est multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, et perfectio virtutum. S. Aug. *ib. consid.* xxxv.

Accurre anima, ex consilio S. Anselmi, ad sacra vulnera, et suavissimas illas guttas lambe; Accurre cum Augustino ad sacrum pectus Mariæ, et lac dulcissimum suge, et cum eodem dic : Hinc pascor a vulnere, hinc lactor ab ubere, positus in medio, quo me vertam, nescio. *Ibid. consid.* vii.

Hæc vulnera quinque sanctissima plus pulchritudinis, decoris, et charitatis toti cœlesti curiæ conferunt, quam omnia alia, quæ in vita perenni (excepta Divinitate) habentur. *Ibid.* l. III, *consid.* vii.

O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Christum nesciunt intrare. An ignoratis, quod Christus est gaudium Beatorum? cur ergo tardatis per sui corporis foramina in illud gaudium introire? Ecce aperta est janua Paradisi, ecce lignum vitæ tam in ramis; quam in stipite perfossum : in quibus foraminibus nisi pedes, id est effectus posueris, non poteris capere fructus ejus. *Ibid. consid.* xiii.

EXEMPLA SACRA.

Cultus. — Sanctus Franciscus Xaverius identidem orabat hanc collectam : Domine Jesu Christe, Deus cordis mei, per quinque illa vulnera, quæ tibi in cruce nostri amor inflixit, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti. *Carassa in Fasc. consid.*

B. Virgo revelavit S. Birgittæ, omnem suam vitam mixtam fuisse doloribus, et consolationibus; doloribus, propter vulnera Filii; consolationibus, quod nosset eam esse Dei voluntatem cedereque in salutem hominum. Quando considerabam loca clavorum in manibus, quas secundum Prophetas crucifigendas audivi, tunc oculi mei replebantur lacrymis, et cor meum quasi scindebatur præ tristitia; sed consolabar, cum considerabam potentiam Deitatis ejus, quod ipsa sic vellet et expediret; et sic erat semper lætitia mea mixta cum dolore. *Ibid.* l. III, *consid.* xxiii.

S. Comes Elzearius sic ad conjugem scripsit : Si me videre cupis, quære me in vulnere lateris Christi; ibi enim habito, et ibi me poteris invenire. *Ibid.* l. II, *consid.* xxx.

Piissimus Bambergæ Episcopus Joannes Godefridus de seipso dixit : In veritate ego jam inde a prima pueritia semper dilexi quinque vulnera Salvatoris, et quandocumque ad ea sub meis orationibus cogitationes meas animumque converto, singulari sensu pietatis, et motione quodam suavissima cœlitus afficior; quotiescumque vero ab illorum spirituali contuitu non advertens mentis oculos deflecto, in varias illico evagationes abripior, et sine devotione preces meas absolvo. *Kisell. Alveo* vi, *in Rosis exhort.* v, § ii.

S. Mechtildis a Deo inspirata hac utebatur oratione : O salutifera vulnera dulcissimi mei Jesu Christi, salvete, salvete, salvete in potentia Patris, qui vos dedit; in sapientia Filii, qui in vobis sustinuit; in benignitate Spiritus Sancti, qui in vobis opus nostræ redemptionis perfecit. *Caraffa in Fas.* l. II, *consid.* xiii, n. 2.

Sanctus Bernardus assiduo dicere solebat : Nolo, Domine, vivere sine vulnere, cum te video vulneratum. *Ibid.* n. 3.

Revelavit aliquando Deus S. Catharinæ, quod, cum via ad cœlum destructa esset, miserit Filium in nostra carne in terras, ut illa instar pontis uteremur, et per vulnera, ceu gradus scanderemus a terris in cœlos : eos, qui in peccato mortali occumbunt decidere ex hoc ponte, et præcipites in infernum ruere. *Ibid.* n. 1.

S. Edmundus, antequam expiraret, vulnera Christi exosculatus : Amodo hauriam aquas de fontibus Salvatoris, dixit, et vixit. *Hartunck Dom. in Albis con. civ.* § 9.

Utilitas. — In Prato spirituali legitur de viro quodam devoto, quod quia in honorem v. vulnerum quotidie magna cum devotione spiritus v. *Pater*, *et Ave* recitabat, eidem die quadam Redemptor noster apparens, per unumquodque vulnus adeo immensam suavitatem, et gaudium communicarit, ut deinceps omnia mundi gaudia fastidiverit, nec in ulla alia re consolationem senserit, quam in passionis dominicæ recordatione. Mansi, *disc.* xix, n. 7.

Narrant Annales Eremitarum S. Augustini, beatum Joannem de Incontris, juvenem tenerrimum, cum rigorem Ordinis in tyrocinio ferre non posset, reditum ad seculum cogitasse, cui aspectabilis Jesus latus suum detexit et dixit : Fili, ubi cibus tibi aridior, lectus durior, molestiores fuerint vigiliæ, ingredere vulnus hoc, et intinge illa in sanguine lateris mei, et illico dulcescent omnia. Paruit juvenis, et paradisum habuit in terris. *Hartunck Dom.* ii, *Quadr.* § 5.

B. Alquirinus Cisterc. rogatus in agone, quomodo haberet? Bene habeo, respondit, parata sunt omnia, præventus sum in benedictionibus dulcedinis. Rogatus denuo numquid visione quapiam cœlitus donatus esset? Modo, respondit : Apparuit mihi Jesus Christus, qui sereno me vultu intuitus vulnera sua ostendit, et dixit : Ecce peccata tua deserta, veni, vide, deosculare vulnera, quæ tantopere dilexisti, et toties in meis infirmis fovisti; ecce, qui infirmos fovet; fovendus ab iisdem, cum in fine vitæ, tum in vita altera sine fine. *Ib. Dom. in Albis con. civ.* § VII.

S. Mechtildis audivit Christum de hisce vulneribus ita loquentem : Vulnera mea sunt animarum gazophylacia, ad supplendam earumdem paupertatem; sunt lavacra, ad abluendas earumdem sordes; sunt gratiarum fluenta, ad merita perficienda. *Ibid.* § 1.

Similiter Soror B. Mechtildis S. Gertrudis, cum opera sua vulneribus Dominicis commendasset, vidit perfici, emendari singula, et supplementum ex iis copiosum ad placendum Patri, placandumque eumdem accedere; Unde hanc suadere sòlita est precatiunculam in fine præcipuorum operum dicendam : Supple, pie Jesu, per vulnera tua imperfectum meum. *Ibid.*

Consueverat pia quædam persona pro animabus purgatorii recitare quinquies Pater, et Ave, in honorem quinque vulnerum, quæ etiam affectuosissime eodem fine suaviabatur. Forte pium hoc opus exercens pro certa quadam anima ad osculum lateris, ecce conspicit profluere sanguinem, et aquam de se vaporem quemdam exspirantes. Quod erat indicium liberatæ animæ. *Ibid.* 3.

B. Joannes de Alvenia obsecrare solebat per intercessionem sanctorum vulnerum a Deo misericordiam animabus purgatorii : et ecce aliquando tantam inde multitudinem vidit prodeuntem, multitudinem scintillarum e magna, et ardenti fornace prodeuntium exæquare. *Ibid.*

Recensuit quondam Christus D. Gertrudi, quod semper ante Patrem stet, vulnera offerens in satisfactionem nostrarum culparum. Et quidem pro peccatis cordis hominum offerre se cor suum immaculatum; pro peccatis operum vulnera manuum, et pedum. *Ib.* l. II, *consid.* VII, n. 5.

Apparuit aliquando Christus Sanctæ Mechtildi, et dixit : Sepeli intra cor tuum me, et vulnera mea; eritque cor argenteum habens operculum aureum in signum puritatis, et charitatis. *Ibid. consid.* XVI, n. 3.

Viro eximiæ sanctitatis inter precandum medium efficacissimum pro excitando in se amore divino flagitanti, respondit Christus, ut se in consideratione suæ humanitatis vulneratæ, et in passione sauciatæ, exerceret; siquidem in illa mirum in modum resplendet charitas Dei : Exerce te in humanitate mea passione vulnerata, nam in ea maxime lucet mea charitas, non aliter, quam sol in suo splendore; rosa rutilans in suo odore; ignis vehemens in suo flagranti æstu, et ardore. *Ib. cons.* XXI, n. 3.

Sub Friderico Imperatore miles trifur triduo in patibulo vivus hæsit, nec mori valuit, dum Sacramentali absolutione a Sacerdote expiaretur, eo quod, sceleratus licet, honore SS. Vulnerum quinquies orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam quotidie recitasset. *Hartunck, Dom. in Alb. Conc. Civ.* § 9.

SIMILITUDINES.

Sicut Noe in Arca januam fecerat, per quam intrarent animalia non peritura diluvio : Sic Christus, cujus typum gessit Noe, in arca corporis sui januam hanc aperuit, per quam qui intraret, non interiret diluvio æternæ damnationis. *Bezerl. in Fest. S. Th.* § 4.

Sicut germen arbori insertum fructum adfert, vimque ejus, cui insertum est, accipit; ita inserimus nos quoque Christo : Vulnera scissuræ sunt, Christus arbor, a quo omne robur accipimus. *Ibid.*

Sicut quandoque infirmos videmus ita male se habere, ut medici eos tolli, et in alio solo cœlum mutare præcipiant; ita patria nostra vulnera Christi sunt, per quæ renati sumus, utpote e quibus nostræ salutis medicinæ profluxerunt Sacramenta, ut dicit Gloss. Ordin. In cujus signum e latere ejus exivit sanguis, et aqua. *Ibid.*

MOTIVA.

Quia vulnera Christi sunt optimum medium ad gratitudinem Deo exhibendam, ut recte indicavit, qui dixit : Quid retribuam Domino pro omnibus beneficiis ejus? Vulnera Salvatoris. Quid retribuam Domino pro omnibus peccatis meis? Vulnera Redemptoris. (*Caraf-*

fa Fascic. l. II, *consid.* VII, n. 1.) Unde et S. Cyprianus dicit *Hoc facite in meam commemorationem;* id est, in meam imitationem, seipsum in mortem offerendo, sicut videt, se Christum offerre. Et hæc est sola retributio, cum sanguis sanguine compensatur. (*Ibidem consid.* XXXIV, n. 1.) Sed et S. Mechtildi idipsum indicatum est; cum enim aliquando exquireret a Domino, quid agere tandem posset, ut se pro beneficio vulnerum gratam ostenderet; apparuit Christus, et dixit : Pro vulneribus pedum offeres mihi omnes tuos affectus, et desideria : pro vulneribus manuum offeres actiones tuas, et passiones : pro vulnere lateris perfectam conformitatem cum voluntate mea. *Ibid.* l. III, *consid.* XII, n. 2.

Quia optimum sunt mediam ad satisfactionem pro peccatis præstandam. Hinc, cum devota quædam anima Deum precaretur, ut se id, quod homini summe foret utile, edoceret, responsum accepit : utilissimum fore homines scire, et in memoria sæpius habere, quod ego Virginis Filius pro salute eorum adsto ante Deum Patrem : et cum ex humana fragilitate delinquunt corde, offero pro eis cor meum immaculatum, et transverberatum : et cum offendunt opere, exhibeo manus meas perforatas, et statim innocentia mea placo Patrem. (*Ibid.* l. II, *consid.* VIII, n. 1.) Id vero etiam confirmavit S. Catharina Senensis; quam cum ad desperationem deducere cupiens Dæmon increpabat de vita pessime acta, libere illa respondit : Vera sunt, quæ dicis, ego me peccatricem fateor. Verum Domini vulnerum recordor, in quibus omnem spem meam reposui. In Domini vulneribus abscondar, et ejus pretioso sanguine abluam animam meam, et omnia peccata mea delebo. Fregere tam potentia verba Dæmonem, et in fugam egerunt. *Ibid.* l. II, *consid.* XXV. n. 3

Quia sunt optimum medium ad Judicium divinum mitigandum, uti sequens visio indicat. S. Mechtildem in visu raptam ad judicium accusarunt Angeli Sancti, et creaturæ omnes; Seraphini ob teporem in amando, Cherubini ob exilitatem sciendi; Throni incusabant defectum pacis; Apostoli exiguam doctrinæ suæ curam; Martyres in fortitudine pusillam magnanimitatem; B. Virgo neglectæ infidelitatis erga Filium suum integritatem; Omnes creaturæ in usu sui abusum. Inter hæc Christus ad Mechtildem versus, eam bono animo esse jussit, et intentata crimina diluit. Ex quo illa animosior facta, talem, ac tantum Advocatum in brachia sumpsit, offerens ejus vulnera, et inde manantem sanguinem cum meritis passionis pro suis defectibus, et quidem humilitatem pro sua superbia, charitatem pro sua tepiditate. Hac itaque oblatione satisfecit Judici, et judicii pœnas declinavit. *Ib. consid.* XI, n. 3.

Quia sunt optimum medium ad peccata vitanda, uti P. Caraffa indicavit dicens : Una vulnerum Christi memoria tantarum est virium, ut quemadmodum a luce tenebræ, a vita mors, sic ab ea pellatur, et destruatur omne peccatum; de peccato damnavit peccatum, inquit Apostolus, Christus suis vulneribus, hoc est, sacrificio pro peccato oblato, damnavit, et destruxit peccatum. Et S. Bernardus : Tanta est virtus vulnerum Christi, ut ad eorum memoriam totius peccati, et mortis fugetur exercitus. *Ibid. consid.* XV, l. V.

Quia sunt optimum medium ad voluptates spernendas, uti experta est mulier, ad quam ab amore carnali, et mundano convertendam apparuit Dominus, ceu noviter passus, quasi plagis recentibus crucifixus, et dixit ei : Me diligas, qui sum formosus, bonus, dulcis, et generosus. His dictis evanuit, mulier vero plena jubilo, et exultatione omnem tentationem excussit. (*Consid.* XXV, l. II.) Sed et alias cuidam, creaturarum pulchritudini plus æquo alligatæ, apparuit Christus ostendens vulnera pulcherrima, et gloriosissima, ac ita recentia, ut ea hora inflicta viderentur, tantumque fuit lumen, et puchritudo, quæ inde promicabat, ut anima illa capta Christi amore omnem creatum exuerit. S. quoque Theresia ex solo unius vulneris manus aspectu ita immutata animo fuit, ut hanc illius pulchritudinem, et lumen adamaret super omnia, et ab illa hora omnem amorem, et pulchritudinem mundi abhorreret. Quare optime hinc deducit Blosius quod post Deum maxima cœli pulchritudo consistat in Christi vulneribus. Hæc quinque vulnera sanctissima plus pulchritudinis, decoris, et charitatis toti cœlesti curiæ conferunt, quam omnia alia, quæ in vita perenni (excepta Divinate) habentur. Hinc pariter deducamus, quantopere dolendum sit, quod in tantam hæc vulnera oblivionem devenerint. *Ibid.* l. III, *consid.* VII, n. 3.

Quia sunt optimum medium ad Dæmonis tentationes vincendas. Hinc Mariam Magdalenam, in deserto vehementer a Dæmonibus oppugnatam, apparens Angelus munivit cruce Domini. Visebantur in ea quinque vulnera et mysteria passionis. Erexit autem eam ad ostium speluncæ : ex quo tempore immunis fuit ab insultibus Magdalena. Et confirmans idipsum S. Ambrosius, si in te, inquit, insurrexerit lupus, petram cape, et fugiet. Petra tua Christus est perforata vulneribus. Hanc petram quæsivit Petrus, cum titubaret in fluctibus : et invenit, quod quæsivit, quia dexteram amplexus est Christi. *Ibid.* l. II, *cons.* XXV.

Quia optimum sunt medium ad adversa fortiter toleranda. Nam teste S. Bernardo, ideo voluit Christus oculos in sua sustolli vulnera, ut exemplo sui reddat nos ad tolerandum fortiores. Non enim sentit sua vulnera miles, qui sui ducis vulnera intuetur. Hinc, cum quædam persona vehementer afflicta esset, hanc audivit vocem : Surge, et cogita vulnera mea. Fecit, et se consolatam mox invenit. Alius, qui a Religione ad sæculum revertebatur, a Christo his vocibus in proposito confirmatus est : Omne asperum intinge in latus meum, et erit tibi dulce. Tribulatio, inquiebat S. Catharina Senensis, similis sit duro pani, qui in Christi sanguine intingendus est. *Ibid.* l. II, *cons.* XXII, n. 1 et 3.

Quia optimum sunt medium ad virtutes acquirendas. Nam in SS. vulneribus, juxta S. Bonaventuram, est fundamentum fidei, erectio spei, inflammatio charitatis. Est fundamentum fidei, quia in illis Christus se demonstrat verum Deum, et verum hominem; ut dolorosus verum hominem, ut gloriosus verum Deum. Est erectio veræ spei, ob pretium sanguinis. Est incendium amoris, ob summum dolorem. Eadem sunt exemplum quatuor virtutum Cardinalium, Prudentiæ, Temperantiæ, Fortitudinis, Justitiæ; Prudentiæ, dum ascendit in arborem crucis, ut ligno vitæ destrueret lignum mortis; Temperantiæ, non refigendo manus, sed clavis affixas tolerando; Justitiæ, satisfaciendo pro libertate manuum Adami sua conclavatione; Fortitudinis inceptum opus redemptionis non interrumpendo usque ad mortem. In iisdem sanctissimis vulneribus deprehenduntur in excellentissimo gradu virtutes humilitatis, obedientiæ, patientiæ. Quæ major humilitas, quam pendere ceu principem in medio latronum? Quæ major obedientia, quam pro obedientia mori? Quæ major patientia, quam pro malo reddere bonum, et orare pro iis, qui de facto in cruce agebant, et subsannabant? *Ibidem cons.* XII.

Quia sunt optimum medium ad zelum accendendum, uti iterum Caraffa indicavit dicens : Medium efficacissimum in nobis zelum animarum excitandi est attenta, et devota consideratio vulnerum Christi. Vulneratus est propter iniquitates nostras, ut nos ab eis liraret. Ea nihilominus in cœlo retinuit, ut eis Patrem mundo reconciliet. Itaque si amas Christum vulneratum, cooperare ejus fini, et scopo, salutemque animarum procura, postulando omnibus effectum sacrorum vulnerum. Considera itaque cum S. Augustino in vulneribus dolorem, et amorem quantum pro qualibet anima dolorem exhauserit, quantopere dilexerit. Ad sustinendum exemplo Christi pro salute animarum omnem dolorem, et contemnendum omnem alium amorem. Eadem consideratione Christus piam quamdam animam roboravit. Apparuit ei in forma Crucifixi præferentis vulnera recentia, et sanguinem stillantia dixitque : En contemplare, charissima, ut vulnera mea clamant ad te, ut te in salutem animarum impendas, ne frustra sanguinem fuderim, et sine causa mortem perpessus sim. Eamdem ob causam, priusquam Apostolos in mundum ad prædicandum dimitteret, ostendit eis manus et pedes, ut ex vulnerum conspectu eum fervorem conciperent, qui prædicatoribus necessarius est. *Ibidem, cons.* X.

Quæ sunt optimum medium ad Beatitudinem certo obtinendam; hinc S. Bernardus ait : Vulnera Christi sunt clavis reserans et clavus penetrans. Neque unus effectus ab altero separatur. Est clavis, et clavus. Est clavis, quia tibi reserat cœlum : Est clavus, quia tibi carnem transfigit; quod si mortificationem clavi fugis, scito te consolationem clavis quoque perditurum. Quid cogitas, si in Christo non fuit clavis tantum reserans, sed etiam clavus penetrans : *Oportuit* enim *pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* an aliam in te legem sperabis, volesque claves absque clavis? Hanc ergo, ut veritatem certissimam, animo tuo insculpe. Clavus tribulationis cum patientia supportare, est clavis Paradisi; neque ulli clavis Paradisi; nisi prius sit clavus tribulationis. Non est clavis reserans, nisi prius sit clavus penetrans. Sustinuit S. Carolus a clavo in processione sibi pedem transfigi, ut tolerato clavo mereretur agnoscere clavem. Arbitrare, hæc tibi a clavo tribulationis dici : *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* Sustine, et salvaberis. Sustine clavum, et habebis clavem. *Ibid. cons.* XXVIII, l. III.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta causas, cur Christus retinere vulnera etiam post mortem voluerit, quæ quidem sequentes ab auctoribus assignantur. 1. *Ut amorem suum clarius demonstraret*, propterea namque, inquit S. Bernardus, vulneratum est cor Christi, ut per vulnus visibile vulnus amoris invisibile videremus, quod vulnus quamdiu videri potèst, tamdiu de perennante ejus amore dubitari non potest. (S. BERN. *serm. de pass.* c. III.) 2. *Ut ad mutuum amorem incitaret;* si enim Cæsium Scævam mille vulneribus lacerum hostes amarunt, et vulnera deosculati sunt; quidni amemus Jesum amicorum charissimum, qui vulnera servavit in corpore, ut nos vulneraret sua charitate? (*Hartunck Conc. Civ. Dom. in Alb.* § 5.) *Ut proximum nostrum ardentius amemus.* Nam de unoquoque nostrum apud Isaiam scriptum est : Ecce in manibus meis descripsi te, clavo usus pro calamo, sanguine pro atramento. Qui me vulnerat, Christum vulnerat; qui Christi amat vulnera, me pariter amare tenetur, eo quod propter me illa suscepta, et servata sint. (*Ibid.* § 7.) 4. *Est, ut suppleret defectus nostros, etc.* uti Christus ipse S. Mechtildi revelavit, dicens : Vulnera mea sunt animarum Gazophlazia ad supplendam earumdem paupertatem; sunt lavacra ad abluendas earumdem sordes; sunt gratiarum fluenta ad merita perficienda. Hanc suadere solita est precatiunculam in fine præcipuorum operum dicendam : Supple Jesu pie per vulnera tua imperfectum meum. (*Ibid.* § 8.) 5. *Ut signa prædestinationis forent cultoribus suis;* sunt enim illa civitatis refugii. 1. Paralip. VI. Sunt quinque portæ ad templum gloriæ, omnibus morientibus apertæ; sunt petræ in fossa humo a facie timoris Domini. Isaiæ II. Sunt cavernæ maceriæ contra iram aquilæ, divinæ, inquam, justitiæ, et contra infernalis accipitis astum, ac insidias. (*Ibid.* § 9.) 6. *Causa a S. Eusebio Emysseno assignatur dicente : Hoc modo facit Dominus noster, quomodo fortissimi quique bellatores, et principes cunctis hostibus facere solent, qui non solum victorias, sed cicatrices suas exprimi, et patriæ aspectibus exponi volunt. Hi itaque inclyti Duces inter laudum celebranda præconia gloriose gesta, gaudent exprimi etiam vulnera sua, gaudent, optant inter coronas inseri excepta duris ossibus tela, ut inter umbratos colores merita viri fortis velut proprie cruore pingantur, et præferant non solum lætitia triumphantem, sed et pugna vincentem : ut hostilis sanguis asserat fortitudinem, proprius pietatem, ac propugnatorem suum plus diligat per horrentes plagas restituta libertas. Ita et Dominus noster Jesus Christus non solum Divinitatem, sed etiam Crucem in mortem suam post futuris voluit sæculis celebrari, ut a peccatis, propter quæ moriebatur, non solum nos Dei mandata revocarent, sed illa pro nobis supplicia et vulnera deterrerent.* Hinc S. Augustinus dixit : Postquam intellexi me pretioso Sanguine Christi redemptum, nolui me amplius venalem exhibere.

Nosse debet cur quinque talia grandiora vulnera recipere voluerit; cujus rationem assignavit S. Petrus Damianus, dum ait : Vulnera Redemptoris quinque sunt; quia nos eramus quinque sensuum vulneribus sauciati, et per has quinque plagas saluti sumus restituti. Peccavimus cogitatione, et desiderio, quasi pedibus animæ, pedes enim animæ sunt affectus, inquit S. Augustinus in Ps. XCXIV. Ad quæ peccata abluenda sacratissimorum pedum suorum sanguinem Salvator offert; peccavimus lingua, ex plenitudine enim cordis os loquitur, cordis proinde sanguine peccata linguæ Christus eluit; peccavimus opere et omissione, ecce vulnera dextræ, et sinistræ. S. PETRUS, *Dom. ap. Hartunck Con. Civ. Dom. in Alb.* § 3.

Nosse debet finem considerationis vulnerum Christi, quem quidem triplicem assignavit S. Bonaventura, dum dixit : Ea considerari debere. 1. *Ad imitandum, et compatiendum.* Hæc sit nostra consolatio, subdit idem, progressus in hac imitatione, ex qua nascitur condolentia, sentiens dolores personæ amatæ, et per imitationem expressæ, ceu proprios. 2. *Ad admirandum, et exultandum.* Admiranda immensa charitas Dei : Exultandum de fructibus vulnerum, de redemptione generis humani, restauratione ruinæ Angelicæ, et gloria Dei. 3. *Ad resolvendum et quiescendum*, se in Christum transformando, et quiescendo in ejus sanctissimis, et dulcissimis vulneribus absque ulla alia sollicitudine. S. BONAV. *in Caraffa Fascic. cons.* XI, l. III.

Nosse debet, quid in SS. vulneribus præcipue considerandum sit, id quod Hartunk sequentibus verbis indicat : Si suaviores tibi meditanti praxes arrident, meditare ad vulnera pedum, quanța pro te itinera Salvator tuus confecerit; perpende ad vulnera manuum, quot miracula et beneficia perpetravit; recogita ad vulnus lateris, quanta te ingratum charitate Deus homo dilexerit, et ex hoc latere similem cum Augustino vocem audire cogita : Non ita Longini quondam sæviit acuta cuspis, ac scelera tua; quoniam per te, et propter te, apertum latus est, et intrare noluisti; infer ergo digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et infer in latus meum, et agnosce, quæ pro te, et a te, o impietas humana, pertulerim. Poteris et vulnera tua, tuorumque necessitates commendare : Benefactores pone in vulnus dextrum; inimicos tuos in sinistrum; cordi vulnerato charissimos tuos commenda; ad pedem dextrum ora pro justis omnibus, in quocumque statu sint; ad sinistrum pro peccatoribus, iisque potissimum, qui in proximo damnationis æternæ discrimine consistunt. (*Hartunck Conc. Civ. in Dom.* II, *Quadrag.* § 4.) Sed et Christus S. Gertrudem docuit, quid faciendum sit, cum imaginem Crucifixi intuetur. Imaginabitur, inquiebat, se has a Crucifixo voces accipere : En vides, quomodo pro te sum vulneratus in cruce. Si saluti tuæ expediret, vellem pro te sola tolerare omnia, quæ toleravi pro toto mundo. Tantus est amor, quo te prosequor, tantum tuæ in me salutis desiderium. S. Birgittæ hæc dixit : Si fieri posset, ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ego promptissima voluntate, et perfectissima charitate corpus meum traderem : eamdemque passionem, et mortem pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus. Idem suum desiderium aperuit Christus Carpo vindictam de scelerato quodam postulanti; cui apparens cum vulneribus hæc dixit : Paratus sum corpore iterum pro salvandis hominibus pati. Tu, Carpe, mortem peccatori illi postulas : scito tamen, me tam pro ipso, quam pro quocumque hominum paratum esse denuo pati, et mori. *Fasc. cons.* IV, l. III.

Nosse debet quomodo Corona de SS. vulneribus recitari debeat; nimirum quod contineat hæc corona in se quinque decades, quarum quælibet divisa est in quinque Pater noster, et quinque Ave Maria. In Pater noster considerabis dolores Christi, in Ave Maria dolores. B. Virginis. Ad hæc in quolibet vulnere nova gratia, novumque beneficium petitur; in vulnere pedis sinistri remissio peccatorum; in vulnere dextri acquisitio virtutum, maxime fortitudinis adversus tentationes; in vulnere manus sinistræ liberatio ab inferno; in dextra adeptio gloriæ; in latere purus amor Jesu, et Mariæ. In fine cujuslibet decadis dices : Sancta Mater istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo valide. Amen. *Ibid. fol.* 371.

Nosse debet, quomodo salutari debeant hæc SS. vulnera; videlicet hoc modo : Salvete monumenta charitatis, testimonia obedientiæ, signa visionis Paternæ, et pretia redemptionis humanæ. Salvete fortitudo Martyrum, patientia Confessorum, gaudium Apostolorum, gloria Sanctorum omnium. Salvete, salvate. Sanctificate animas nostras in potentia Patris, in sapientia Filii, in bonitate Spiritus Sancti. Salvate nos ab æterna damnatione, et sanctificate nos in vestra dilectione, cum abundantia vestrarum gratiarum in hac vita, et cum plenitudine gloriæ in altera, Amen. Vel si singula quis seorsim salutare velit, id sequenti modo præstare poterit. *Ibid. fol.* 380.

AD DEXTERAM MANUM.

Ave manus dextra Christi, perforata plaga tristi, nos ad dextram jube sisti, quos per crucem redemisti. Pater noster. Ave. *Ibid. fol.* 486.

AD SINISTRAM MANUM.

Ave manus Christi læva, sic confixa manu sæva, nos ab omni malo leva, quod produxit Mater Eva. Pater. Ave.

AD DEXTERUM PEDEM.

Ave vulnus dextri pedis, pedem mentis pie lædis, dum ad eam sæpe redis, esto nobis spes mercedis. Pater. Ave.

AD SINISTRUM PEDEM.

Ave vulnus lævæ plantæ, qua virtutum crescunt plantæ, nos ab hoste supplantante contuere post, et ante. Pater. Ave.

AD VULNUS LATERIS.

Ave latus perforatum, unde fluxit flumen gratum, Præbe nobis conducatum ad æternæ vitæ statum. Pater. Ave.

V. Vulneratus est propter iniquitate nostras.

R. Attritus est propter scelera nostra.

Oremus. — Domine Jesu Christe, qui pro salute humani generis quinque vulnera pati voluisti : tribue, quæsumus, ut ob reverentiam illorum vulnerum absolvi merear ab omnibus peccatis meis, et præsentem vitam bono fine terminare, et a tuæ dulcissimæ visionis contemplatione numquam separari. Qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Nosse debet, optimum colendi illa modum esse imitationem, uti iterum Caraffa noster indicavit, dicens : Imitatio Christi crucifixi, et virtutum ejus necessaria est animæ in actu : Passionis vero, et vulnerum corporis in præparatione animi : quia, ut docet S. Thomas : Filius adoptivus assimilari debet quam maxime filio naturali, et membra capiti. Nec Passio Christi, ceu causa universalis, effectum sortitur absque cooperatione hominis, ut causæ particularis. Arca, in qua conservatur gratia, duabus clavibus diversis custoditur, neque una absque altera aperiri potest. Hæ sunt crux nostra, et Christi; vulnera Christi, et nostra. Clavis Passionis Christi semper parata est, sed necesse est, ei nostram uniri, quod est cooperari, et compati. (*Cons.* xx, l. III.) Unde recte nonnemo concludit : Quisquis livorem, vel plagas pro honore cœlestis Regis hic non susceperit, in futuro judicio miles gloriosus non apparebit. *Cons.* xlvii, l. I, n. 2.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Marius septies Romæ Consul, cum de suo in patriam amore suspectus esset, hac se suspicione liberavit; dum vulnera adverso pectore in patriæ gratiam accepta Senatoribus ostendit, ac dixit : Ista meum in patriam amorem loquantur. Simili usus eloquentia miles Julii Cæsaris, ut læsæ Majestatis crimen, cujus appellatus erat, a se removeret, vulnera suo in pectore accepta Cæsareis admovit oculis, et exclamavit : Hæc ego pro te, Cæsar. Imo Cæsar ipse Julius arte simillima placare Senatum populumque Romanum conatus est, cum suas pro patria adverso Marte toleratas cicatrices demonstravit, hoc addito super cicatricibus acroamate : Has ego pro patria. Antipater quoque odii coram Alexandro delatus, suam in defensionem vestes discidit, vulneraque indigitans peroravit : En malevolentiæ meæ in Alexandrum testimonia, defendant illa reum. Sicut ergo profani isti duces militesque, ad contestandum amorem non evanidum adversus rempublicam patriamve, vulnera retinuerunt; ita et Regum Rex æternum suum erga unumquemque mortalium contestaturus amorem, vulnera asservavit, quibus incessabili proclamaret voce : Ecce quomodo amavi te. *Hartunck, Conc. Civ. Dom. in Albis* § 4.

Elephantem cicurant venatores, dum in fossam industrie prius præparatam decidenti, et a venatorum aliquo ex composito vulneratæ bestiæ venator alios succurrit, seque pro ea pugnare, ac vulnerari simulat; quo obsequio ita sibi Elephantem demeretur, ut eundem deinceps cicurem, et omnia promptum ab obsequia circumducat. Ecce Christum vulneratum, ut efferos nostros cicuret animos, suique rapiat in amorem? *Ib.* § 5.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, S. Bernardus per hos Salvatoris fontes intelligit quinque vulnera. Primus fons est misericordiæ, secundus sapientiæ, tertius gratiæ, quartus charitatis, quintus gloriæ, et vitæ æternæ. Primi quatuor ad præsentem vitam spectant, quintus significatus per vulnus lateris, ad futuram. Et ideo Salvator vivus vulnera manuum, et pedum excepit; at illud lateris mortuus. Ad postremum hunc fontem suspirabat Propheta, cum dicebat : *Sitivit anima ad Deum fortem vivum.* Foret enim exigui momenti, participem fieri in præsenti vita bonorum gratiæ, nisi adjungantur illa gloriæ. Caraffa, *in Fascic. myrh.* l. I, *consid.* iv.

David bellaturus adversus Goliathum, delegit quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum; et cum appropinquasset Philistæo, misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda jecit, et circumducens percussit Philistæum in fronte; cumque prævaluisset, nec gladium haberet in manu, accepto Philistæi gladio præcidit caput ejus. Hi quinque lapides significant quinque vulnera Christi, quæ primum in pera memoriæ sunt accuratissime servanda. Dein funda intellectus attente, et pensiculata expendenda, (et circumducens) circumducendo ea in cœlum, in terras, in infernum, ubicumque ejus effectus deprehendi possunt. Tertio in tentationibus opponenda sunt inimicis nostris; certam enim victoriam nobis adferent. *Ibid. cons.* xvii.

Inter documenta S. Mechtildi data, fuit non postremum, ut in suis vulneribus tanquam in centro, aut portu securissimo conquiescere. Et desideria quidem vulneribus pedum crederet; opera vero manui dexteræ, istinc purificanda; afflictiones sinistræ, istinc velut melleo malagmate condiendas, et temperandas; lateri amorem, ut, quemadmodum Christus dicebat : Cor tuum cum corde meo in unum ita coalescat, ut ferrum cum igne, quo igneum factum est. *Ibid.* l. II, *consid.* XV, n. 3.

Ex prudentiæ serpentinæ argumentis non postremum, judicio S. Augustini, est, quod, ut nova se veste, et pelle vestiat, veterem detrahat, transmisso per arctum foramen corpore. Ut pellem vitiorum deponamus, per foramen stigmatum Christi transeamus. Quod sit consideratione, considerando infinitum amorem, quem Dominus in illis vulneribus demonstravit. Est enim in amore vis transformandi, et convertendi in suam naturam. Ubi itaque consideravit vulnera tam amabilia, et amore infinito et divino plena, vestiet se anima veste nuptiali amoris, et exuet veste peccati. *Ibid. consid.* XXVII.

Montes excelsi cervis, petra refugium herinaceis. Maximi Sanctorum, significati per cervos, degunt per contemplationem in sublimibus montibus Paradisi : Inferiores vero in petra, quæ est Christus : et potissimum in ejus latere. Sanctius dixerimus, adstruendo, quod iidem utrobique versentur juxta diversitatem affectuum. Tempore consolationis, ceu sitibundi cervi decurrunt immensam Paradisi planitiem ad extinguendam in vivis fontibus sitim. Desolationis vero tempore, et cum gravitatem suorum delictorum ruminant, ceu timida animalia, aut herinacei recurrunt ad præsidium securum lateris Christi. *Ibid. consid.* XXXVIII.

Indorum Gymnosophistæ suis in arcanis prodidere : Si quis phialam oleo rosaceo plenam dextera manu, conceptisque verbis Deo rite obtulerit, et se postmodum hoc oleo inunxerit, tam gratiosum cuique Principi, quem compellaverit, evasurum, ut quidquid ab eo petierit, abnuere nequeat, aut denegare. Sodales! rosaceum hunc liquorem exprimite ex quinque rosis sanctissimorum vulnerum, inungite vestras preces pretiosissimo sanguine Jesu Crucifixi, offerte illas cœlesti Patri; quid ambigitis? certi estote, quidquid per sancta vulnera flagitaveritis, obtinebitis. KYSELL. *in Rosis sol.* XXI, § 5.

Rem æque mirabilem finxit Homerus, cum Achilles in Trojana obsidione interfecisset Hectorem, ejusque cadaver canibus, lupis, voracibusque bestiis, et alitibus dilaniandum objecisset, Venus illud inunxit oleo rosaceo, cujus fragrantissimus odor omnes illas feras longe fugavit, ut nulla vis illi corpori illata fuerit. Narro fabulam ; hoc tamen scio, meos sodales esse sollicitos, ut aliquando in supremo agone sint tuti contra lupos, leones, et canes illos infernales, qui quærunt, ut devorent animas nostras; itaque hoc agite , Rosarium quinque sanctissimorum vulnerum, sive vestras preces, non oleo rosaceo, sed guttis pretiosissimi Sanguinis Jesu crucifixi inungite : Hoc Rosario vos armate, credite mihi, fugient dæmones; nihil contra vos poterunt, etiam portæ inferorum; silebit infernalis Cerberus, cum sentiet odorem harum Rosarum. *Ibid.* § 6.

Septem sunt principes excellentiæ Paradisi terrestris. Serenitas aeris, fertilitas terræ, quatuor flumina, arbor vitæ, fructus prohibitus scientiæ, justitia originalis, et certitudo gloriæ æternæ. Iisdem prærogativis fruitur anima, quæ in hoc cœlesti Paradiso lateris Christi habitat. Efficitur enim expers omnis turbationis, fertilis virtutum operibus, ornata quatuor virtutibus cardinalibus, sapientia, justitia, temperantia, fortitudine; amplexatur humilitatem, spernit gloriam mundi, pacifica est per charitatem Dei, et proximi, et vivit cum spe futuræ beatitudinis æternæ. CAROS. l. II, *consid.* XIX.

Isaias Propheta unumquemque nostrum hortatur, inquiens : *Abscondere in fossa humo a facie timoris Domini.* (Is. II, 10.) At vero dicet fortasse quispiam : Numquid Psalmista ait : *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades, si sumpsero* etc. (*Ps.* CXXXVII, 7.) quocumque demum inimicus Dei suum accipiat confugium, nullibi tamen a Dei supplicio immunis erit; qua igitur ratione Isaias suadet inquiens : *Abscondere in fossa humo?* S. Bernardus verborum illorum explicat mysterium inquiens : Et si intellexerimus per fossam humum illam, quæ ait : *Foderunt manus meas, et pedes meos,* non erit ambigendum de sanitate in ea citius adipiscenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur. Quid enim tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam Christ vulnerum sedula meditatio? S. BERN. *s. ex in Cant.*

ZELUS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est secundum S. Thomam intensus amor, quo quis movetur contra illud omne, quod repugnat bono amici illudque repellit, et ea, quæ sunt contra honorem, vel voluntatem Dei, repellere secundum posse, conatur. (S. I, q. XXXVIII, c. V.) Unde Alphonsus Rodriguez clarius sic eum describit : Est ignitus amor Dei, desideriumque ut is ab omnibus enixe ametur, honoretur, colatur, tam intensum, ut qui eo ardet, omnes eodem inflammare cupiat, et si Deum impune injuriis lacessi advertat, ingemiscat, igneque illo consumente, et intima viscera depascente, plane contabescat. (P. III, tr. I, c. X.) Hinc S. Bernardus : Quid est, inquit, zelus, nisi intima quædam stimulatio charitatis, pie nos sollicitantis æmulari fraternam salutem, æmulari decorem domus Domini, incrementa lucrorum ejus, incrementa frugum justitiæ ejus, laudem, et gloriam nominis ejus? (*Hom.* XXXVIII, *in Cant.*) Unde S. Augustinus recte hoc nomen a zelo maritali desumptum docet : Sicut enim Conjugis castitatem zelando viri consueverunt : illam Dei providentiam, per quam præcipitur atque agitur, ne anima corrumpatur, et Deos alienos sequens quodammodo meretricetur, zelum Dei appellaverunt. L. LXXXV, qq.

DIVISIO. — Duplex est hic zelus secundum Bernardinum Rosignolium; alter est, quo bonum proximi procuratur, et ejusdem malum avertitur; alter, quo Dei gloria quæritur, et repellitur id, quod contra dignitatem ejus est. *De discip.* l. III, c. VIII.

ACTUS. — Triplicis sunt generis actiones, teste Theophilo Bernardino, quæ ab animarum zelo proficisci possunt. Primi generis sunt, quæ ad intellectum illustrandum, et a falsa pravaque persuasione revocandum faciunt, ut lectio, doctrina, scriptio, concio, catechismus, monitio, et similia. Secundi sunt, quæ ad voluntatem permovendam faciunt, ut conciones, monitiones, reprehensiones, exempla, aliæque artes plurimæ. Tertii denique generis sunt eæ, quibus divinæ virtutis vim auxiliatricem nobis adjungimus, ut oratio, corporis ad id suscepta castigatio, voluptatum abdicatio, earumque virtutum adeptio, quæ hominem Deo proximum faciunt, et quodammodo diviniorem reddunt. Hinc enim fit, ut ejus, qui talis evaserit, opera et verba omnia, imo vel sola desideria animos hominum quaquaversus ducendi vim sortiantur. Ex quibus facile nunc erit, magis in specie, actiones supradicti zeli, ordine, quo plerumque generari consueverunt, enumerare. L. VIII, c. IV.

Primus itaque actus est vehementer *desiderare* augmentum gloriæ divinæ, per salutem animarum. Sic S. Maria Magdelana de Pazzis de seipsa fatebatur, et dicebat ad Christum : Ardeo desiderio conducere animas ad te ut mihi sit pœna hoc desiderium, et hæc pœna est adeo mihi gravis, quia non possum implere hoc desiderium, ut mihi sit quasi quidam infernus. Hinc, dum legeretur quandoque vita S. Francisci Xaverii, et litteræ Japonicæ conversionem animarum recensentes, videbatur deficere præ desiderio manendi in illis regionibus et cooperandi conversioni animarum illarum, et subeundi pro illis martyrium; et adeo accendebatur hoc desiderio, ut diceret, se invidere aviculis, quæ possunt volare, quo vellent, eo quod et ipsa sine præjudicio suæ professionis cuperet, si esset possibile, totum mundum peragrare propter animas convertendas. Unde etiam dormiens ex zelo animarum somniabat, et loquebatur de conversione infidelium. (*Vita* c. IV.) Simile desiderium S. Chrysostomus conceperat, uti ipse testatur, sic suos auditores alloquens : Vellem, si fieri posset, vestris oculis ostendere, quam in vos habeam charitatem. Nihil enim est mihi vobis jucundius, et desiderabilius, ne hæc ipsa quidem lux. Millies enim optarem ipse esse cœcus, si per hoc liceret vestras animas convertere, adeo ipsa luce est vestra salus mihi jucundior. Quid enim me juvant solares radii, quando, quæ propter vos accipitur animi ægritudo, oculis meis magnas offundit tenebras? lux enim tunc est bona, quando apparet in lætitia. S. CHRYS. *ho.* XLIV, *in acta Ap.*

Secundus actus est, ardenter *orare* pro salute animarum : de quo sapienter S. Augustinus ait : Munus suum ut præstet, magis opus est pietate orationem, quam oratoris facultate, ut orando pro se et pro illis, quos est allocuturus, prius sit orator, quam dictor. (S. AUG. lib. III, *de Doct. Chr.* c. XV.) Sed S. Bernardus id confirmans : Nunc, inquit, manent tria hæc, verbum, exemplum, oratio, major autem horum oratio : ea namque operi et voci gratiam et efficaciam promeretur. (S. Bern. Ep. cci.) Hinc S. Magdalena de Pazzis valde commendabat suis monialibus, ut ardenter orarent pro salute animarum et conversione peccatorum, et hoc exercitium dicebat valde Deo gratum, nec hoc tantum, sed etiam propriæ saluti proficuum. (*Vit.* p. IV, c. xiii.) S. Theresia noctes integras consumebat orando et flendo pro conversione animarum, præsertim hæresi insectarum. Et quadraginta annis, quibus se impendit orationi, nihil aliud magis petebat, quam dilatationem divinæ gloriæ, et S. Ecclesiæ augmentum. (*Vit.* l. III, c. xxv.) Hinc etiam laudabilis ille mos Cœnobitorum S. Francisci in Hispania profluxit, in quibus hora nona vespertina, dum decumbunt Fratres, unus ex eis singulorum solet circuire cellas, et ostium pulsando inclamare, ut recitent semel orationem Dominicam pro animabus in peccato mortali agentibus. Hoc remedio S. Stephanus S. Paulum lucratus est; nisi enim Stephanus orasset, Ecclesia Paulum non haberet. March. *in hort. Past.* tr. IV, *Virg. Mar.* lect. vii.

Tertius est, *lacrymari, et condolere* ob miserum statum, et pericula gravissima. Sic S. Chrysostomus suasit, dicens : Vis Fratrem corrigere, lacrymare : ora Deum ex corde etc. Quid enim magis persequitur vitam bonorum, inquit S. Aug., quam vita iniquorum? non, cum cogit imitari, quod displicet, sed, cum cogit dolere, quod videt; quoniam coram pio vivens impie, etsi non obligat consentientem, cruciat sentientem. (*In Epist.*) Hinc S. Paulus Corinthiis scripsit : Ex multa tribulatione, et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, ut sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis. (II. *Cor.* i.) Sed et S. Monica hoc ipso remedio filium S. Aug. lucrata est : non enim poterat perire filius tot lacrymarum.

Quartus est, *varias afflictiones suscipere*, pro obtinenda salute animarum, Deoque peccatoribus placando. Sic S. Dominicus singulis diebus semel pro peccatoribus flagellis se cecidit. S. Ignazius Loyola lacui frigido collo tenus se immersit, ut impudicum juvenem a lascivia abduceret. S. Maria Magdalena de Pazzis vero ex desiderio magno juvandi animas, præter extraordinarias afflictiones, et pœnitentias, quibus se enecabat, petebat a Deo infirmitates, pœnas, et tribulationes, et omnia mala pœnalia, quæ peccatores merebantur, et obtulit se Deo ad ferendas etiam inferni pœnas pro animabus, si hæc ejus esset voluntas. Cumque non raro Deus eam exaudiens graves dolores, et infirmitates, quæ per aliquot menses durabant, immisissset, dicere solebat, sic pati esse sibi singulari solatio, pœnamque hanc gloriosam vocabat. *Vit.* c. xcix.

Quintus est, *opera, et quotidianas suas actiones, et labores Deo in hunc finem offerre.* Sic eadem S. Magdalena de Pazzis facere consueverat, atque id ipsum faciendum suas moniales hortabatur dicens : Offeramus Deo pro conversione animarum omne id, quod hodie faciemus. Vel : Petamus a Deo tot animas, quot passus faciemus per monasterium. Vel : Rogemus Deum, ut tot animas convertat, quot verba proferemus proferendo divinum officium. Petamus tot animas, quoties acu filum traducemur. *Ibid.*

Sextus est, Rudes, et imperitos *instruere*, ac *catechizare :* quod munus tanti faciebat S. Ignatius, ut a Professis promissionem in formula votorum exegerit, qua promittant, se peculiarem puerorum curam quoad eruditionem suscepturos. (P. V. *Const.* c. iv, § 2.) Sed et S. Franciscus Xaverius suam de hoc opere æstimationem prodidit manifeste, dum P. Gaspari Barzæo obituro inter cæteros commendabat, ut hoc munus, utpote ad salutem animarum, hominumque benevolentiam conciliandam plurimum habens momenti alteri non committeret. (*Vit.* l. VI, c. xii.) Hinc de facto in Hispania cura Catechismi primariis datur Professis, teste Lancizio. *Opusc.* xiii, n. 428.

Septimus est, *Conciones* ad Populum efficaces, et zelosas habere : quo in genere in primis S. Carolus Borromæus zelum suum præclare ostendit; nam, cum Jurisprudentiæ operam dedisset, et usum concionandi non haberet, et insuper linguæ impedimentum pateretur, nihilominus has omnes difficultates per zelum superavit, et assidue uberrimo cum fructu usque ad mortem Evangelium prædicavit. March. *in hort. Past.* tr. iv.

Octavus est, *Confessiones* libenter, et assidue audire : qui actus, utpote valde heroicus summopere placet Deo, eo quod immediatius quam alii conducat ad animas ad suum Creatorem reducentas, atque per eum omnia opera misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia exerceantur, ut bene P. Ludovicus de Ponte discurrit. (Lanciz. *opusc.* XIII, n. 429.) Hinc P. Ægidius Gonzales post triginta tam strenue impigreque in variis officiis consumptos annos, licet sexaginta quatuor annorum ætate gravis, confessiones excepit, ut juvenum bene validorum operam æquaret. (*Ibid.*) Imo in ultimo adhuc morbo decumbens in lecto confessiones excipiebat; jamque morti proximus, atque a mente destitutus, confessiones sibi audire videbatur, atque inter mortuis vocibus absolutionis formam identidem pronuntiabat. (Orland. l. XI, c. XIII.) Sed et S. Ignatius suis, quos ad nova collegia fundanda miserat inter alias leges etiam hanc dabat, ut diligenter ad SS. Sacramenta Confessionis, et Eucharistiæ, quotquot possunt, traducant, et ad ea ministranda promptam ipsi, et alacrem operam conferant.

Nonus est *infirmis, et moribundis* diligenter, et constanter assistere, et *consolari:* quem actum P. Gabriel de Logrono præclare exercuit, dum, quoties de nocte campana audiebatur, statim de lectulo exiliebat, et Janitoris diligentiam antevertebat, sciscitaturque, num aliquis infirmus se vocaret? *Annuæ* 1612, *Col. Mex.*

Decimus est, *Inimicorum conciliationem procurare :* quemadmodum S. Franciscus Xaverius suis commendavit, dum præter alia officia suasit, ut aliquid etiam temporis inimicorum reconciliationi, dissidentiumque pacificationi daretur, illudque impense inculcarent, in controversiis, litibusque plerumque plus impensæ fieri, quam id sit, de quo litigatur. *Vit.* l. VI, c. XII.

Gradus.— Quatuor ab Antonio Gaudier assignantur. Primus est, ut majori sit in pretio salus animarum, et Dei gloria, quam omnes divitiæ, voluntas, Parentes, et Cognati, vel quicumque alii amici. Secundus est, ut etiam ipsa fama nostra, atque existimatione, potiorem ducamus Dei gloriam, et salutem aliorum. Tertius est, ut ipsam quoque valetudinem, et vitam temporalem libenter perdamus, quo æternam vitam proximo procuremus, sicut Christus pro nobis non dubitavit manibus tradi nocentium, et Crucis subire tormentum. Quartus est, ut nostra quodammodo salute post habita, ad multorum salutem promovendam incumbamus, eo quod longe plus gloriæ, ut sic, quam per nostram salutem in Deum redundabit, sicut S. Paulus anathema fieri ex hoc zelo cupiebat. Part. II, sect. III, c. XVII.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Zelus domus tuæ comedit me : et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. *Psal.* LXVIII, 10.

Tabercere me fecit zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei. *Psal.* CXVIII, 139.

Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum Filii Israel. III. *Reg.* XIX, 10.

Vide prævaricantes, et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. *Psal.* CXVIII, 138.

Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? II. *Cor.* XI, 29.

Fortis est, ut mors dilectio; dura, sicut infernus, æmulatio. *Cant.* V, 6.

Ignem veni mittere in terram : et quid volo, nisi ut accendatur? Luc. XII, 40.

Testis est mihi Deus, quomodo vos omnes cupiam in visceribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut charitas vestra magis, ac magis abundet in scientia, et in omni sensu, ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi, repleti fructu justitiæ, per Jesum Christum, in laudem, et gloriam Dei. Philip. I, 8.

Cum possemus vobis oneri esse, ut Christi Apostoli : sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis. I. Thess. II, 7.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Galat. IV, 19.

Tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem. *Rom.* IX, 2.

Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? *Psal.* CXXXVIII, 21.

Necessitas. — Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. I. *Tim.* V, 8.

Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, et de manu hominis : de manu viri, et de manu fratris ejus requiram animam hominis. *Gen.* IX, 5.

Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter : et maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine. JER. XLVII, 18.

UTILITAS. — Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. JAC. V, 20.

Anima, quæ benedicit, impinguabitur : et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. *Prov.* XI, 25.

Mitte panem tuum super transeuntes aquas (idest, ingratos, et beneficiorum oblitos) quia post tempora multa invenies illum. *Eccl.* XI, 1.

Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum : neque turpis lucri gratia, sed voluntarie : neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. I. *Petr.* V, 2.

DIGNITAS. — Qui docti fuerint, fulgebunt, sicut splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. DAN. XII, 3.

Qui fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. MATTH. V, 20.

JUCUNDITAS. — Si speraveris pretiosum a vili, quasi os meum eris, idest, omni voluptate repleberis. XV, 29.

ÆQUITAS. — Pro nobis mortuus est Christus, ut, qui, vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. II. *Cor.* V, 15.

Ne despicias hominem avertentem se a peccato : neque impropere ei, memento, quoniam omnes in correptione sumus. *Eccl.* VIII, 6.

EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — *Zelus est amor privatus, nolens habere consortium in amato;* et sic viri dicuntur habere zelum de uxoribus suis, quia volunt, quod uxores suæ solos illos ament : sic etiam Deus volebat, quod Judæi eum solum colerent, et eum ut Deum cognoscerent : et quando alius coleretur ut Deus, vel cognosceretur ut Deus, dolebat, tamquam si videat uxorem suam amantem alium virum. ABULENS. q. IV, *in* c. XX, *Exod.*

Causatur, seu producitur zelus ab amore intenso, ut effectus ejus; quod ostenditur auctoritate, ratione, et distinctione; auctoritate quidem, ut B. Dionysii dicentis 4, c. de Div. Nomin. quod Deus appellatur zelotes, juxta illud Exod. XX. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes,* propter multum amorem, quem habet ad existentiam, et maxime ad ea in quibus posuit, et impressit imaginem suam, sicut ad Angelum, et hominem. Ratione vero idem probatur sic : Quanto virtus aliqua intensius tendit in alia, tanto fortius repellit omne contrarium, et repugnans; cum ergo zelus proveniat ex intensione amoris, ut patet, ad zelum pertinere videtur, quod aliquis non patiatur consortium, vel amorem contrarium in amato, ipsum refutans, quantum potest. Tertio probatur idem inductive, nam dicitur quis zelare pro Deo, et pro amico; et pro Deo dicitur quis zelare, quando ea, quæ sunt contra honorem, et voluntatem Dei repellere secundum posse conatur, sicut legitur de Elia. III. Reg. XX. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo* etc. et Num. XXV, de Phinees dicit Dominus : *Avertit Phinees iram meam a filiis Israel, quia zelo meo succensus,* idest magno ardore honoris mei motus, *est contra eos,* scilicet virum Israelitam, et mulierem Madianitidem, interficiens eos coeuntes simul. Pro amico zelare dicitur, quando aliqua fiunt, vel dicuntur contra bonum amici, quæ homo repellere studet. S. ANTONIN., p. 1, c. II, § 6.

Per Phineem, qui illum perfodit, expressi sunt (inquit Dionysius Carthusianus) viri virtutum, qui zelo Dei accensi sunt, qui etsi propriam, non tamen Creatoris injuriam pati queunt. Et paulo post : Docemur ex sententia Omnipotentis, factum illud Phinees magnifice commendantis, ac multipliciter remunerantis, quam acceptus sit Deo verus justitiæ zelus, qui discretione conditur, ut immolatio Dei, seu zelus divini honoris, quo zelo renititur homo pro viribus suis omni peccato, et Deum ab universis cupit, et satagit honorari. DIONYS. CART., *in* c. XXV, n.

Zelum qui habent, omnes sibi inimicos suos putant, qui sunt hostes Dei, quamvis patrem, fratres, sorores. S. AMBR. *in Exod.*

Zelus disponit ad vindicationem, in quantum importat quemdam fervorem amoris, et amor est prima radix vindicationis : nam ex eo, quod quis amat Deum, et proximum, injurias illis inflictas reputat esse suas, et vult vindicare illas tamquam suas, sicut Elias dixit : III. Reg. XIX. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo Israel, Sacerdotes tuos occiderunt, et altaria tua suffoderunt.* In quo innuebat, quod propter istas injurias Deo illatas ipse occidit Prophetas Baal; et in hoc apparet, quod vindicatio sit zelus virtutis, quia zelus pertinet ad charitatem, et quælibet virtus habet radicem a charitate, quantum ad actum suum. *Abulens.* q. XII, c. V. *Matth.*

Bonus zelus est fervor animi, quo mens, abjecto humano timore, pro defensione veritatis accenditur, et eo magis commendabilis, quo quælibet prava, quæ viderit, corrigere satagit; si nequit, tolerat, et gemit. S. BONAV. *in Phar.*, l. IV, c. XXXVI.

Comedebat eum zelus domus Dei, quam tamen zelabat Christo, non sibi; sponsus enim sibi zelat sponsam suam, amicus autem sponsi non sibi eam zelare debet, sed sponso. S. AUG. *in Ps.* CXXXIX.

Zelus absque scientia quo vehementius irruit, eo gravius corruit, impingens nimirum, atque resiliens. S. BERN., *serm.* IV, *de verb. Is.*

Citra profectum proficit, quisquis alteri, cum potest, non prodest. Virtus est, etiam male usuro, virtutis ministrare materiam. HILDEBERT. *ep.* II.

Aurum non signatum melius rutilat, quam signatum. Nihil a vilibus tophis gemmæ differunt, nisi in medium deducantur; scientia quoque distributa suscipit incrementum, et avarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur. *Idem ep.* I.

Zelo Domus Dei comeditur, qui omnia perversa, quæ videt, cupit emendare : et si emendare non potest, tolerat, ac gemit. S. AUG. *sup. Joan.*

Nemo dicat : Admonere non sufficio, adhortari idoneus non sum : quantum potes, exhibe, ne male servatum talentum, quod acceperas, in tormentis pendere cogaris. S. GREG. *hom.* VI, *in Matth.*

In quantum vos profecisse pensatis, etiam vobiscum alios trahite : in via Domini socios habere desiderate : si ad Deum tenditis, curate, ne ad eum soli veniatis. Hinc in Apocalypsi legitur; qui audit, dicat : veni; ut, qui jam in corde vocem superni amoris acceperit, foras etiam vocem exhortationis reddat. Et fortasse panem ut indigenti porrigat, non habet, sed majus est, quod tribuere valeat, qui linguam habet. *Ibid.*

Illi vere Doctores sunt, qui, cum per rigorem disciplinæ Patres sint, per pietatis viscera matres esse noverunt : qui labores sanctæ conceptionis tolerant, et proferendos Dei filios intra uterum charitatis portant, in edenda enim prole plus laborant. S. GREG., l. III, *in Job.* c. IX.

Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus : haud teporem habeat, nec discretione careat, nec timidus sit. S. BERN. *sup. Cant.*

Perfectus omnis reputabitur, in cujus anima hæc tria congruenter, atque opportune congruere videntur : ut gemere pro se, et exultare in Deo noverit, simul, et utilitatibus proximorum potens sit subvenire, placens Deo, cautus sibi, utilis suis. S. BERN., *s.* LVII, *in Cant.*

Animi acrimonia cum ad pietatem accesserit zelum parit, zelus autem fidei præsidium est. NAZIAN. *orat.* XXIII.

Prima bona agendi ratio est, honestarum commendatio : Laus enim zelum parit; zelus autem virtutem : virtus porro beatitudinem; hæc vero rerum expetendarum culmen est, ad quod omnis viri agitatio tendit. *Ibid.*

Est zelus ad vitam, est zelus ad mortem; ad vitam zelus est divina præcepta servare, et amore nominis ejus custodire mandata, ut fecit Phinees. S. AMBR. *in Ps.* CXVIII.

Nemo potest habere zelum Dei, et non habere scientiam Dei. Judæi putantes se zelum Dei habere, sacrilegi extiterunt in Filium Dei, quia non secundum scientiam zelati sunt, quia ignorantes Dei justitiam, propriam (idest quæ hominibus justitia videbatur) studebant implere, cum utique ipso magis justitiæ Dei nempe Christo obedire conveniret. *Orig. in Ep. ad Rom.*

NECESSITAS. — Absque igne quis ignem accendet; et sine charitate quis officia charitatis consummabit ? ardeat dilectionis flamma semper in te, quatenus calore tuo proximorum excutiatur tepor, imo accrescat amoris incendium, quomodo præteritarum negligentiarum rubigo deleatur. Poteris plane inflammare cæteros, si fueris tu charitate concrematus. S. LAUR. *Just. de Comp.*

Nullum valde magnum potest esse officium, quando nullum in proximos lucrum confertur : quod ostendit, qui totum reddidit talentum, et supplicio affectus est, quoniam id non auxit. Tu igitur, mi Frater, quamvis fame conficiaris, quamvis cinerem comedas, quamvis semper lacrymis madeas, et nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis. S. Chrys. *ho.* xxv, in I. *Cor.*

Angeli quoque sine zelo nihil sunt, et substantiæ suæ ammittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent. S. Ambr. *in Ps.* cxviii.

Perditorum animas Deum nostrum de manu vestra scitote requirere, si tantum nefas, in quantum possibilitas exigit, emendare negligitis. S. Greg., l. III, *ep.* xxxii.

Etsi omnem vitam nostram diligentissime compositam, et instructam egerimus, hac non evitata negligentia, nihil consequemur emolumenti, cum ea talis ac tanta sit, quæ sola in gehennæ profundo possit immergere. Si enim is, qui proximum in eis, quæ ad corpus pertinent, adjuvare noluerit, nulla ratione excusari poterit; verum, etsi virginitatem ipse servaverit, extra sponsi thalamum projicietur is qui, quod multo majus est, omiserit (quippe multo maximum est animarum gubernatio, et regimen) cur non mala omnia perpeti dignissimus existimetur? S. Chrys., lib. III, *advers. Vit. Vit. Men.*

Æquitas. — Nihil ita gratum Deo, et ita curæ, ut animarum salus; sicut clamat Paulus dicens : *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire;* et iterum Deus ipse ait : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat;* et propter hoc etiam creaturam hanc omnem produxit, et non formavit, non ut pereamus, neque ut suppliciis nos torqueat, sed ut salvet, et ab errore liberatis regno frui nobis concedat. Talem igitur habentes Dominum, tam misericordem, tam benignnm, tam mansuetum, tum nostræ, tum fratrum nostrorum curam geramus; nam et hoc nostræ salutis argumentum erit, et occasio, si non solum pronobis ipsis soliciti, sed et proximo utiles fuerimus, ipsum ad viam veritatis manu ducentes; et ut sciatis, quantum bonum sit, cum salute nostra, et alios lucrari, audi Prophetam ex persona Dei dicentem : Qui educit pretiosum a vili, quasi os meum erit. Quid hoc? qui ab errore ad veritatem, ait, manu duxerit, vel a peccato ad virtutem proximum induxerit, pro virili humano, me imitatur : etenim ipse, cum Deus sit, propter nihil aliud nostram induit carnem, et omnia alia humana sustinuit, et crucem quoque suscepit, nisi ut nos peccato obnoxios a maledicto liberaret. Et hoc quoque Paulus clamat dicens : *Christus nos redemit a maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Si igitur ipse, qui Deus est ineffabilis essentiæ, ob misericordiam ineffabilem hæc omnia propter nos, et salutem nostram suscepit; cur non et nos erga fratres justi sumus, agnoscentesque eos ut membra, et eripientes ex Diaboli faucibus in viam virtutis inducimus? S. Chrys. *hom.* iii, *in Gen.*

Cogita, quamobrem Propheta, quamobrem Apostolus, quamobrem Justi, quamobrem Angeli frequenter missi sunt, quamobrem ipse Primogenitus Filius, ac Verbum Dei advenit. Annon ut homines servaret? annon ut eos errantes reduceret? hoc idem fac agas tu quoque pro viribus tuis, omneque studium, ac solicitudinem impendas ad reducendum eos, qui aberrarunt. S. Chrys. *orat.* v, *advers. Judæos.*

Quomodo quis potest dicere, se diligere Deum, et ejus amorem appetere, qui ejus imaginem videt in sterquilinio jacere, et non curat? aut si cogitat, quod Filius Dei pro animabus redimendis mortuus est, et ipse pro animabus mori non cupit? Quomodo credis, te amicitiam Sponsi habere, qui ejus Sponsam ab adulterio non custodis? aut eam festinanter ad Sponsum non reducis. S. Bonav. *in pharet. div. amor.*, p. 2, c. i.

Feci ego cœlum, et terram : eadem facultate te dono, ut terram facias cœlum. Accendi ego luminaria, accende tu illis clariora; nam potes his, qui in errore sunt, lumen veritatis accendere. Hominem facere non vales, at justum gratumque Deo potes. Vide, quam te diligam, qui majora tibi faciendi tribui potestatem. S. Chrys. *in Gen.*

Utilitas. — Ut anima corpore melior est, ita hi, qui indigentibus pecunias, et facultates suppeditant, majoribus præmiis digni sunt his, qui admonendo, et continue docendo in viam rectam supinos, et desides inducunt, monstrando eis divinarum virtutum fragrantiam, et vitiorum malevolentiam. *Idem ho.* iii, *in Gen.*

Si magnæ mercedis est, a morte eripere carnem quandoque morituram; quanti est meriti a morte animam liberare, in cœlesti Patria sua sine fine victuram? S. Greg., l. XIX, *mor.* c. xvi.

Sæpe una anima, quam lucrati fuerimus, potest innumerabilium peccatorum pondus abolere, animæque nostræ pretium in extremo die judicii fieri. S. Chrys., *orat.* v, *advers. Judæos.*

Quid huic (Zelo) poterit æquiparari? quod neque jejunium, neque humi cubationes, neque pervigiliæ, neque aliud quidquam potest efficere, efficit, fratres, procurata salus: Cogita, quam multa os tuum frequenter peccaverit, et omnino suscipies collapsi curam; nam hoc uno omnem illam maculam delere poteris. Et quid dico delere, facies, ut sit os tuum, sicut os Dei. Quid huic honori possit æquiparari? *Ibid.*

Dignitas. — Omnium divinorum divinissimum est cooperari Deo in salutem animarum. S. Dion., c. iii, *de Cœli Hierarch.*

Etsi ingentes erogaveris pecunias pauperibus, plus tamen effeceris, si converteris animam. S. Chrys. *l. cit.*

Majus miraculum est, prædicationis verbo, atque orationis solatio peccatorem convertere, quam carne mortuum suscitare. S. Greg. l. III, *Dial.*, c. xvii.

Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum; et hoc propter imaginem impressam animabus. S. Greg. *hom.* xii, *sup. Ezec.*

Nescio, an majus possit beneficium a Deo conferri, quam ut per ejus obsequium alii consequantur salutem, si tamen homo Deo cooperetur ex charitate. Rich. Victorinus, *apud March. in horto Past. tr.* iv. *Virg. Aaron. lect.* I.

Unusquisque vestrum, in quantum gratiam supernæ aspirationis accepit, si a pravitate proximum revocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum, vel supplicium erranti denunciat, cum sanctæ denunciationis verba impendit, profecto Angelus existit. S. Greg. *hom.* vi, *in Evang.*

Hæc perfecta charitatis regula, hic certissimus terminus, hoc supremum omnium cacumen, quærere, quæ communem omnium comprehendant utilitatem, quod ipse Paulus significans addidit : Sicut, et ego Christi. Nihil enim nos potest adeo imitatores Christi facere, ut proximorum cura. S. Chrys. *hom.* iii, *in* II. *Cor.*

Tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur. Euseb. *Emyss. ho.* vi, *de Pasch.*

Ille in charitate Dei est perfectior, qui ad ejus amorem plures convertit, gratissimumque Dei sacrificium zelus est animarum; et sicut Christus graviorem non potest pati persecutionem, quam ut quis verbo, aut exemplo animas suo sanguine liberatas ab ipso avertat, sic gratiorem honoratiornemque impendere ei non valemus, quam animas deviantes convertendo ad ipsum. S. Aug. *apud Mansi disc.* x, tr. 97, n. 2.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas. — Passione interdum movemur, et zelum putamus. Parva in aliis reprehendimus, et nostra majora pertransimus. L. II, c. v, § 1.

Habe zelum primo super teipsum, et tunc juste zelare poteris et proximum tuum. L. II, § 3, § 1.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas. — Christus Dominus adeo zelabat Dei honorem, et salutem animarum, ut aliquando S. Birgittæ dixerit : Si adhuc possibile esset, ut ego toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ita ut pro qualibet earum talem mortem iterum sustinerem, qualem tunc pro omnibus sustinui, adhuc corpus meum paratum esset subire hæc omnia cum libenti voluntate, et perfectissima charitate. L. VII, *revel.*, c. xix.

Moyses tanto erga populi sibi commissi salutem zelo exarsit, ut dixerit confidenter ad Deum; aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro, quem scripsisti. Adhuc de Moyse legitur. Num. c. xvi, v. 15. *Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum.* (Exod. xxxii. 31.) Numquid Deus Moysen mitissimum jam declaraverat totius mundi? quomodo igitur nunc dicitur : Iratus valde? respondet Carthusianus : Ista sancti viri iracundia fuit ira per zelum, siquidem divinitatis amore, et vera æquitate repletus, tantam omnipotentis injuriam, et potestatis a Deo collatæ contemptum, amplius ferre nequivit. Intus arsit ignibus amoris, foris accensus est zelo severitatis. Dionys. Carth. *apud Mansi disc.* vi, n. 2.

David de seipso testatus est : Tabescere me fecit zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei. *Psalm.* cxviii, 13.

S. Paulus adeo diligebat fratres suos, eorumque salutem sitiebat, ut optaret anathema esse pro illis. (*Rom.* ix.) Hinc, et alibi dixit : Quis scandalizatur, et ego non uror? quis infirmatur, et ego non infirmor? (II. *Cor.* ii, 29). Et iterum : Per triennium nocte, et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum. *Act.* xx, 31.

Mathathias quanto zelo erga legem, et

gloriam divinam arserit, (tum verbo) quando dixit : Væ mihi, ut qui natus sum videre contritionem populi mei (tum facto) quando, et vestimenta laceravit, et Judæum idolis immolantem sua manu super aram trucidavit præclare ostendit. I. *Mach.* II, v. 7 et 24.

S. Basilius jam in agone constitutus, petiit vitam adhuc prorogari uno die, ut Judæum, qui promiserat, se fidem Catholicam suscepturum, si Episcopus in sequentem diem superviveret, ovili Christi aggregaret, quem proin cum tota domo ipsemet in Ecclesiam descendens baptizavit, et paulo post rediens in lectum mortuus est. *Spec. Exemp. dist.* VIII, *ex.* 84.

S. Dunstamus die Ascensionis ad cœleste regnum invitatus ab Angelis, renuit venire, ut eo die populum suum verbo Dei pascere posset; sed sabbato sequente mortuus est. *Ib. dist. ex.* LXXXV, 8.

M. Joannes de Nivella tanti erat zeli, ut, cum gravissime podagra laboraret, et quinam medicus trium hebdomadarum spatio eum curare promitteret, noluerit hanc curam suscipere, ne interim animæ per eum liberandæ perirent. *Ib. dist.* V, *ex.* LXXXVIII.

S. Maria Magdalena de Pazzis tam ardenter sitiebat salutem animarum, ut, cum aliquando oraret pro illarum conversione, in extasi existens, diceret : Domine, si non facies mihi hanc gratiam, dandi istas animas, quas ego peto, dicam etiam ego, nolle me venire ad gloriam, quam mihi præparasti. Alia vice dixit : Si Deus a me peteret, ut olim petiit a S. Thomas Aquinate, quam mercedem vellem pro meis laboribus, non aliam peterem, quam salutem animarum. *Vit.*, c. XCIX.

S. Theresia, cum legendo vitas Sanctorum incideret in aliquos, qui multas animas reduxerant ad Deum, magna devotione, et teneritudine ob eam causam replebatur, dicebatque, hoc se eis magis invidere, quam multa martyria, quæ patiebantur : ideoque maxime æstimabat illos ordines, qui in juvandis proximis occupantur, legendo vel concionando, vel alio modo. Si aliquis talium ægrotaret, peculiarem pro eo orationem fundebat, ut quamprimum convalesceret, et rediret ad lucra animarum procuranda. Quod si aliquando hujusmodi mori contingeret, etsi non esset ad planctus fœminarum proprias proclivis, tamen magno cum dolore multas profundebat lacrymas, ob jacturam unius in terra, qui tot animas lucrabatur pro cœlo; cum tamen audita morte fratris ne unam quidem lacrymulam sparserit. *Vit.*, l. III, c. XXXV.

S. Christina mirabilis tanto erga peccatores zelo, et charitate flagrabat, ut pro illis acerbissimas pœnas, in quibus sine miraculo consistere non poterat, subierit; nam conjiciebat se in ardentes clibanos, volutabat se per spinas acutissimas, abdebat, se in nivem, et glacies, in rotas, quæ aquis circumvolvebantur, se contorquendam dabat, neque tamen pars ulla corpori decedebat, sed majores semper in plagas reservabatur. *Surius* XXIII. *Junii.*

Aphrates Anachoreta, cum deserta eremo, Antiochiam venisset, et a Valente Imperatore, cur quietem solitudinis reliquisset, quæsitus esset? respondit, id se fecisse, eo quod incendium in domo paterna (idest, hæresim in Ecclesia novam) exortum advertisset; non decuisse proinde, ut non et ipse ad incendium hoc extinguendum accederet. Theod., l. IV, *hist. Eccl.*, c. XXV.

De zelo Eliæ dicit Siracides : Surrexit Elias Propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardens. *Eccl.* c. XLII.

Modum Nero Tyrannus invenit irritandi, et accendendi canes, et feras in furorem, et exinde mittendi in sanctos Martyres : hos nimirum animalium sylvestrium, puta cervorum, et leporum, cooperiebat pellibus, ut harum extrinseca decepti, ac irritati specie, nullo habito respectu, in eos pleno furore irruerent, imo eos dilaniarent, ac devorarent : Zelosus fuit hic Pastor noster, ut morti se traderet, animas nostras redimeret ; at ne agnosceretur, nostra se operuit, et vestivit carne, in similitudinem hominum factus, formam servi accipiens : si quidem si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Mansi, *disc.*   , n. 4.

Cum quadam die, advenientibus negotiatoribus, multa venalia in foro Romanæ urbis fuissent proposita, multique ad emendum undique confluxissent, contigit et S. Gregorium adhuc monachum præterire, qui cernens inter alia pueros corpore candidos, forma pulcherrimos, vultu venustos, capillorumque nitore perspicuos esse venales, interrogavit mercatorem, de qua patria illos attulisset? Ille respondit : De Britannia Insula, cujus incolarum omnium facies simili candore fulgescit. Gregorius dixit : Christiani sunt iidem insulani, an adhuc paganis tenentur erroribus? Mercator respondit : Non sunt Christiani. Tunc Gregorius graviter ingemiscens : Heu! pro dolor! quam splendidas facies princeps tenebrarum nunc possidet! Tunc ad Benedictum Pontificem accedens, summis ab illo precibus obtinuit, ad Insulam illam ut mitteretur, ad eripiendas e Dæmonis potestate pretiosissimas animas. *Idem disc.* VIII, n. 11, *ex. actis Mediol.*

Quam ardentem S. Carolus Borromæus zelum conceperit, testatur Joannes Rho, dum scribit, eum sex Provincialia Concilia Episcoporum coegisse, undecies Synodum Diœceseos vocasse, eumdem per aspera montium etiam diffusum, et summo quidem labore, pluries lustrasse, Cleri, ac populi mores lapsos castigasse, publicatis libellis, ac voce continuam morum censuram egisse, Religiones, ac Sacra instaurasse, nulli hominum, aut sacrorum ordini defuisse unquam : hoc ejus fuit, qui summum decus summo labore consequendum putaret : quæ omnia tamen ut diligentissime daret perfecta, minima sui cura ætatem mediam laboribus abrupit. JOAN. RHO., l. I, c. XLII, n. 2.

Pium V. Pontificem Maximum, jam senem, ac valetudinarium, non ideo tamen sibi parcentem, sed rebus cognoscendis agendisque intentum, ut sibi parceret, atque a tantis laboribus vacationem aliquam daret, quum medici, ac familiares urgerent, quasi ejus violaretur charitas, egregie iratus respondisse fertur : Ego vero alienis, non meis commodis curandis huic admotus sum vigiliæ; una mihi cura, ut omni officiorum genere conscientiæ satisfaciam : valetudinem, ac vitam in postremis habere Pontificem decet. *Ibid.* n. 2.

S. Thomas Villanovanus Archiep. Valentinus summarium habuit totius Diœcesis, ut, quid ubique sanum, ac validum, quid ubique ægrum, atque invalidum, nosset; habebat criminosorum omnium nomina in schedis, suas in classes digesta, salubribus ubique adnotatis remediis, quibus facile sanarentur; cœterum cum toti Diœcesi nominatim cognoscendæ (quod ex Evangelica formula Pastori pernecessarium esse conjiciebat), impares hominis unius, quantumvis navi, atque industrii, essent vigiliæ, vehementius per litteras egit cum Carolo Cæsare, ut e reditibus Valentiniani Sacerdotii, partem alternam novo Episcopo curaret a Pontifice designari, quo in duas ea divisa provincia, propriæ oves uterque Pastor facilius ad opima pascua posset educere; non enim pascere posse videtur, qui non agnoscit. *Ibid.* n. 3.

Joannis Riberæ Archiepiscospi Valentini tanta fuit docendorum populorum solicitudo, ut, quia absentibus concionando adesse non poterat, Pastoris tamen vocem a suis oviculis, quæ illam lubentissime sequebatur, desiderari sæpius nollet. Itaque veterum more scribere agressus, jussitque in conventibus, quas dederat, solemnioribus Festis Epistolas recitari, et sic infinitas populis attulit commoditates. Sed numquam ad pastorale decus magis animum erexit, quam cum post mollissimas artes, quibus Mauriscos sanare diu multumque, sed casso labore, conatus, ut Lyciscarum genus illud rabidum, ipsaque dissimulatione ferum, Hispania tota pelleretur, agendo, rogando, monendo tandem evicit. Intelligebat enim, male ovibus cum luporum progenie convenire. *Ibid.* n. 7.

Guilielmus Sirletus, Cardinalis sancti Marci, Episcopus creatus, cum reliquis omnibus, quæ Episcopum decent, commissum sibi gregem officiis regere, tum quotidiano Dei verbi pabulo, antiquorum Patrum imitationem, pascere instituit, memor, non ideo a Sacerdotis labii scientiam divinarum legum custodiri, ut silentio obruant, sed ut sanam incorruptamque promant. Demum, quod pro omni laude sit, tantus in hoc munere administrando Sirletus fuit, ut eum magistri loco habere, ejusque facta imitari se Carolus Borromæus gloriaretur. *Ibid.* n. 8.

Alexius Menesius Archiepiscopus Goanus desertissimas Christianorum reliquias, in asperrimis montibus adhuc perdurantes, invisere, ac perlustrare non dubitavit. Thomæi primo fidei conditore Apostolo vocantur, gens veteris religionis tenacissima, quippe quæ, vicinis regnis ad idola revolutis, una totius Indiæ se Christianam hucusque sit professa; verum corrupto a Nestorio, ac Macedonio oriente, et ipsi errorum eadem peste afflati, constantiaque in pertinaciam abeunte, obstinatissime retinentes, eripi sibi superstitionem passuri non videbantur. Doluit tantas subditæ sibi gentis clades Menesio, et quamquam ingentibus vitæ periculis denunciatis, semel iterumque a Proregibus Goæ sit detentus, ire tamen perseveravit, adiitque intrepidus, contemptis insidiis, quæ in illius caput fuerunt comparatæ, superatisque montibus, et perfidiæ antesignano Archidiacono facessere jusso, parœcias lustravit, errores dedocuit, ritus, ac cæremonias, quibus depravatissimis utebantur, ad Catholicam amussim exegit, ac solemni ritu Christianæ militiæ oleo consignatis confirmatisque populis, de manubiis animorum magno Pastori Christo optatissimum erexit trophæum. *Ibid.* n. 9.

S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, quicquid sanctum, quicquid honestum et justum esset, et fecit et docuit : iis contraria prorsus rejecit et propudiavit. Ab ipsa mox ordinatione sua tantus in eo extitit amor et devotio erga Deum, tantus justitiæ zelus, ut nulli quantacunque dignitate is esset, parceret, si quid contra justitiam attentasset. Sed neque Regis voluntatem ulla in re obsequi voluit, neque ut id vellet, ullis vel minis vel blanditiis adduci potuit, *In vita ejus apud Eduard.*, c. IV, *sur.* IX. *Decem.*

Leo Imperator furens contra rectam fidem, sacrosanctam Salvatoris imaginem super portam æneam publice expositam, e loco eminenti dejiciendam præcepit : (Rei autem gestæ historia in Actis S. Stephani Martyris junioris, apud Joannem Damascenum positis sic enarratur) : Cum autem ad hoc facinus perpetrandum missus satelles imposita jam scala, conscenderet, divino zelo incensæ mulieres, præclarissimum ac generosissimum virtutis specimen edentes, arreptam manibus scalam in terram dejiciunt, unaque eum, qui hoc facinus aggrediebatur, præcipitem agunt, qui statim ad hoc præstitit : hanc mercedem tulit, ut vita orbaretur. Eædem illæ mulieres, ejecto sancto Germano Patriarcha, cum hæreticus in ejus locum subrogatus esset, zelo divino flagrantes, contempto pudore, cursu effuso in Ecclesiam feruntur, atque impium Patriarcham, qui tum illic erat, lapidibus incessunt mercenarium non Pastorem, lupum atque Ecclesiasticarum sanctionum proditorem appellantes : Ille autem pudore et multum correptus, confestim ad Imperatorem confugit, eique quod factum fuerat narrat, atque ad mulierum cœdem eum extimulat. Mox igitur gladio necantur ac pro pietatis præmio mortem ferunt. Zonar. *in Leone Baron.* t. IX. *Annal. Dom.* 726. 12.

In civitate, cui Negræ nomen est, egregium virilis animi et zeli divini specimen edidit quidam puer Martyr mulierculæ unius ex eis, quæ ad pyram accensam rapiebantur pro Christo filius. Hunc eteni m tenerum adhuc Tyrannus retinens distrahere a matre conabatur, demulcens illum, et quicquid ad animum adolescentuli alliciendum faceret, objiciens. Ibi vero puer matrem aspiciens femur Tyranni momordit, et ad illam procurrit, atque ita una cum matre sacrificium suave olens ad Deum est transmissus. Niceph. Callist., l. XVII, *hist. Eccl.*, c. VI.

Admirabilis fuit Eleazari pro sua religione constantia atque zelus; maluit enim gravissimæ mortis supplicio affici, quam quicquam contra legem moliri, carnes porcinas edere, aut saltem se comedisse dissimulare. II. *Maccab.*, c. VI.

Utilitas. — Cum Moyses advertens, populum suum pro Deo vitulum adorasse, dixisset : Si quis est Domini, jungatur mihi, ponat vir gladium suum super femur suum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum; et ideo filii Levi mandato parentes cum viginti tria millia hominum occidissent, a Moyse audierunt : Consecrastis hodie manus vestras Domino, unusquisque in filio, et fratre suo, ut detur vobis benedictio. *Exod.* XXXII, 16.

Phinees Eleazari filius, et Aaronis nepos, quia zelo Dei commotus virum Israelitam, et scortum Madianitidem gladio perfodit, non modo iram Dei a filiis Israel avertit, sed etiam ejusdem jussu audire meruit : Ecce ego do ei pacem fœderis mei, et erit tam ipsi, quam semini ejus, pactum Sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israel. *Num.* XXV, v. 6.

S. Chrysostomus, quia viderat, Basilium amicum suum, ut quemdam in judicio periclitantem liberaret, etiam non rogatum in media pericula se conjecisse, aliisque factum ejus improbantibus dixisse : Ego aliter amare non didici : conjecturam inde accepit, eum oves Christi non aliter amaturum, quam amicum dilexerat; ideoque ad Episcopatum suscipiendum induxit. L. II, de *Sacerdot.*

Cum quidam Monachus ad sæculum, et lupanar libidinis causa se contulisset, alius Monachus ipsum ex zelo secutus, et e lupanari redeuntem amice complexus, ut saltem perpetrato peccato ad eremum rediret, rogavit. Illo vero nihilominus in peccato persistente, mansit et ipse in civitate, et manibus laborans, laboris sui fructum tamdiu ei obtulit ipse jejunans, donec tandem tanta charitate permotus alter, ipsum in eremum secutus est. *Pratum spirit.* X.

Amphilochius Iconii Episcopus, cum Imperator Theodosius Arianos Divinitatem Filii negantes, ut ipse petierat, ex urbe ejicere nollet, accedens ad aulam cum aliis Episcopis, his Arcadio filio recenter Imperatori designato honorem gratulantibus, solus gratulari noluit; cumque id pater Theodosius ægre ferret, et expelli eum juberet dixit : Siccine Imperator, tu graviter fers contemptum filii tui? Revoca ergo in mentem, odisse et Deum eos, qui per blasphemiam honoris aliquid adimunt unigenito Filio. Quo audito Imperator senis prudentiam miratus, mox omnes Arianos urbe expelli jussit. Theod., l. V, c. xvi.

De S. Antonio, S. Athanasius sic scripsit : Sermo ejus sale conditus consolabatur mæstos, docebat inscios, concordabat iratos, omnibus suadebat, nihil amori Christi anteponendum, proponebatque ante oculos bonorum magnitudinem futurorum, et Dei clementiam, et beneficia retexebat inducta. Deinde effectus hujus zelus recensens pergit : Quis non tristitiam apud Antonium mutavit in gaudium? quis non iram vertit in pacem? quis orbitatis luctum non ad ejus temperavit aspectum? quis non mœrore paupertatis, quo premebatur, abjecto, statim et divitum despexit opulentias, et in sua lætatus est paupertate? quis post lassitudinem Monachus non ejus est adjutus hortatu? quis adolescentis ætatis accensus ardoribus non ex ejus admonitu pudicitiæ amator fuit? quis vexatus a Diabolo sine medela redit? quis inimico cogitationibus distractus, cœca tempestate sopita, sereno non egressus est animo? *In vita.*

Jucunditas. — Cum S. Franciscus animarum salutem viscerosa pietate appeteret, et fervida æmulatione zelaret, suavissimis dicebat se repleri odoribus, et quasi unguento pretioso deliniri. Cum Sanctorum Fratrum per orbem distantium odorifera fama multos audiret ad viam veritatis induci, ex talium auditu exultabat in spiritu. Benedictionibus omni acceptione dignissimis Fratres illos accumulans, qui verbo, et opere ad Christi amorem inducerent peccatores. *Vita,* c. viii.

S. Catharina Senensis, cum Deus aliquando animæ in gratia existentis pulchritudinem ei ostendisset, tanto internæ lætitiæ sensu perfundebatur, ut continere se non posset, quin terram obscularetur calcatam ab iis, qui verbo Dei animas a peccatis ad pulchritudinem gratiæ divinæ reducunt. Surius xxx. *April.*

S. Theresiæ tam jucundum erat, salutem animarum quocumque tandem modo procurare, ut diceret : Quale mihi damnum, aut cur conqueri debeo, licet usque ad diem judicii pœnas purgatorii sustinere mihi oporteat, modo per illud consequar, quod anima una salvetur, quanto ergo magis, si agatur de plurium animarum lucro, id vereri nequaquam deberem. *Ap. March.* tr. iv. *Virg. Aaron,* lect. I.

EXEMPLA DOMESTICA.

Qualitas. — S. Ignatius quanto zelo gloriæ divinæ arserit, vel eo satis prodidit, quod in solis Constitutionibus decenties bis, et quadragies ejusdem mentionem fecerit; et præterea in ore assiduo habuerit verba hæc : *Omnia ad majorem Dei gloriam.* Quantum vero erga proximi salutem zelum conceperit, vel sola ab eo instituta Societas satis confirmat, utpote cui non solum pro primario fine salutem propriam (qui ipsi cum aliis Religionibus communis est) sed etiam alienam pro altero partiali fine adjunxit, qui finis ipsi soli proprius est. Eumdem confirmant Collegium Germanicum, Domus Catechumenorum pro Judæis ad fidem conversis alendis, Cœnobium male nuptarum, Exercitiorum spiritualium, et Sacramentorum introducta frequentatio. Lanciz., *opusc.* xiii, n. 337.

S. Franciscus Xaverius adeo ferventem habebat zelum procurandæ alienæ salutis, ut ei innatus videretur. Huc ille toto impetu ferri, in hoc totus esse, hoc omnibus expetere votis, in hoc maxime acquiescere, ut Christo aggregaret quamplurimos. Nec minor quærendi novos greges, quam partos instituendi cura, erat. Quippe ita eos præceptis, atque institutis instruere erat solitus, ut externi Pastoris opera non magnopere indigerent, nec rerum ad Christianos spectantium scientia ipsis cederent Europæis. Ubique confessionibus audiendis, reconciliandis dissidentibus, ægris sublevandis, cæterisque pietatis officiis dabat operam, adeo cibi, ac potionis oblitus, ut sæpe biduum triduumve traduceret jejunus : sentires eum talibus ministeriis, divinoque obsequio pasci. Hinc non contentus ad Indos, et Japones suam charitatem extendisse, ipsa etiam Sinarum claustra, severissimis licet legibus, et custodiis firmata, penetrare, cum aperto capitis periculo tentabat. *Vit.* l. VI, c. x.

S. Franciscus Borgia, cum Jacobus Laynes nomina eorum, qui vel ad Indos mitti, vel in Europa prima elementa pueros docere cuperent, ad se perscribi jussisset, etsi legibus istis solatus ipse tunc esset, sua tamen manu scripsit optare se pro Christi nomine apud Indos sanguinem fundere, caputque periculis amore proximi objicere. Orare itaque, bona illius venia liceret in eam expeditionem proficisci, precibusque ad Deum fusis, hanc illi voluntatem promoveret. *Vit.* l. IV, c. VII.

P. Jacobus Laynes Brixiam urbem jam Lutherizantem suis concionibus adeo in fide Catholica stabilivit, ut amplius mille ex Auditoribus se offerrent, pro fide Catholica jugulum daturi.

P. Petrus Faber etsi frequenter ad populum dicebat, tamen omnem vim suam in privatis colloquiis ponebat, et vero etiam præcipua in his gratia pollebat. Totam Coloniam suis concionibus, orationibus, et colloquiis ab hæresi defendit. Sapientissimum quemque, et aptissimum, cujus perspecta progressio, et auctoritas plurimum profectura ad Dei gloriam, et salutem animarum videbatur, ad usitata Societatis exercitia blande, ac prudenter alliciebat, tantamque sibi in iis tradentis auctoritatem famamque conciliaret, ut ei spiritualiter se informandos multi Religiosi, Episcopi, Doctores tradiderint. (*Vit.* l. II, c. XIX.) Nullas prætermittebat occasiones ferendæ pietatis. Indagabat vias omnes omnibus consulendi, et quocumque ingrediebatur, omnem sermonis occasionem intenta mente captabat. Bellissimum ducebat esse, et nostri Ordini proprium, relinquere in omnibus domibus et hospitiis vestigium aliquod sanctitatis. Ubique colligendum, cum debitores simus omnibus, et ubique nos spectet Deus, cujus famulos et administros nos esse voluit. *Hist. Soc.* l. III, c. XXXIX.

P. Nicolaus Bobadilla in Castris Cæsaris, etsi ipse laboraret peste, tamque debilis esset, ut vix vestigio hæreret, nihil tamen de labore remisit, sed ægris in Nosocomio diu noctuque adstitit. *Ibid.* p. I, l. IX, n. 36.

P. Andreas Oviedo Rector Gaudiensis, uno eodemque tempore exercitia spiritualia quatuordecim personis tradebat. *Ibid.* n. 71.

P. Gaspar Barzæus, ubi ad locum quemdam pervenit, æstuans adhuc ex itinere, concionem advocabat, et perorabat. Conciones suas faciebat vel apud ægrotos, vel inter coquendum pro infirmis, vel dum mortuorum corpora pro sepultura consuebat. *Hist. Sacr.* p. I, l. VIII, n. 84 et 106.

P. Christophorus Mendosa sæpe noctu mapalia obibat, ut, quos interdiu pascendis gregibus ocupatos erudire non poterat, noctu instrueret. *Ibid.* l. IX, n. 33.

P. Antonius Chriminalis totam Comoriensium oram, ducenta amplius passuum millia, pede nudo, singulis mensibus visitabat, omnibus omnia factus. *Ibid.* n. 113.

P. Nunnius Riberius cum per absumptas ob propinatum venenum vires ingredi non posset, gestari ab aliis per Christianorum loca voluit, et S. Joannem Apostolum imitatus, piorum inter manus convisebat Ecclesiam, et saluberrimis monitis, tum universos, tum singulos confirmabat. *Ibid.* n. 123.

P. Vincentius Rodericus cum anno 1553, in Brasilia Catechumenum brevi a Barbaris devorandum baptizare non posset, eique aqua negaretur, a fœmina casu transeunte, et in cucurbita aquam ferente, haustum aquæ petit, et interea strophiolum aqua intingit, eoque super mactandum expresso, prolataque forma hominem baptizat. *Ibid.* l. XIII, n. 10.

P. Andreas Ortiz tanto zelo ardebat, ut, cum Ethnicis convertendis sibi viam occlusam cerneret, mox ægritudine occupatus, præ zeli, et mœroris magnitudine animam exhalarit. *Litteræ Parnanc.*

P. Joannes de Montoja tanti erat zeli, ut septuaginta annorum senex duo Indica idiomata addisceret, et longissima itinera ærumnis plenissima susciperet; quo factum est, ut, cum amplius centum laucas in Indicis missionibus pede confecisset, plantæ ei putrefierent, et crura fœde sauciarentur, per montes enim et rupes numquam antea visa, nec humano pede calcatas peregrinabatur, et flumina trajiciebat rapacissima, magna cibi et potus inopia vexatus, et ob itinerum asperitatem vehementer afflictus. Omnis ejus consuetudo cum plebeis hominibus erat, et Indos proceres suos, Comites, ac Marchiones appellabat. SYLL. PERUAN. *Prov.* 30 *Novembr.* 1590.

P. Ludovicus de Ponte tam ardente zelo erat accensus, ut scripserit in suo libello :

Si ad peccatorum conversionem necessarium sit, me in perpetuum ardere in flammis inferni sine peccato, me offero, Deus, ad has flammas. Alias dixit Filiæ cuidam spirituali, se tantam curam habere promovendi omnes, qui secum agunt, ut, nihil sit in mundo, quod etiam pro quolibet exiguo eorum profectu facere paratus non sit. Eodem hominum Deo adducendorum studio incitatus, efflictim professionem Indicam expetiit, quæ cum non concederetur, totum se quorumlibet in Europa juvandorum curis addixit, nulla neque injuria, neque infirmitate, neque incommodo suo absterritus. *Vita* l. II, c. v.

Joannes Berchmannus eo cogitationes suas omnes vertebat, ut ad omnes res, etiamsi forte numquam profuturas, idoneum se redderet, ratus, debere unumquemque Societatis hominem habere pectus amplum, capaxque vel dimidiati mundi; quare nulli parcebat studio aut labori ad res omnes, linguas, disciplinas, scientias perdiscendas. (*Vita* p. I, f. cxxiv.) Quotidie orabat in sacro, ut ardere posset zelo salutis proximi. Optabat, et vivere et mori in castris, adjuvando milites pro fide certantes, quasi miles, et antesignanus Christi. p. IV, f. ccxxix, f. ccxxiii.

Utilitas. — P. Organtinus Soldus Rector Maceratensis tanto desiderio multis annis tenebatur Indos convertendi, ut, cum ex morbo jam morti appropinquaret, et litteras a Patre Generali acciperet, quibus facultas ei dabatur in Indiam proficiscendi, confestim sanus surrexit, et in Indiam abierit. *Manuscripta Ingolsta d.* c. i, *de char. prox.* n. 118.

P. Cornelius Vishavæus Messanæ anno 1552, tot virginibus persuasit virginitatem, ut vulgo diceretur, vix in ea urbe reperiri virginem, et viduam, quam non ille Deo, si in ejus forte manus incideret. consecraret. Cujus periculum facturæ tres virgines, quamprimum illi confessæ sunt, propositum servandi virginitatem conceperunt. *Hist. Sac.* l. XII, n. 38.

P. Matthæus Franciscus Cyprianus de Catalaunia febri ardente laborans, cum ad tribunal Judicis per visionem vocatus esset eique sua gloria ostenderetur, et optio daretur ea fruendi, vel ad terras redeundi, respondit : Si meæ voluptati servire cogito, manere volupe est ; si vero tuæ, o Deus, cooperari gloriæ, redire in vitam cupio, etsi non absque periculo salutis propriæ, esto unam tantum animam lucraturus sim. Jussus est ergo redire, simulque ei significavit Deus, navim, qua veheretur, propter scelera vectorum perituram, ipsum vero cœlitus demissa nube velut throno Goam usque deferendum, et tum in Japoniam migraturum, ibique portas Japonis Xogoni hucusque persecutione occlusas aperturum. Postea tamen navis servata est ob vectorum pœnitentiam, ob unius maxime, qui B. Virginis imaginem pugione tranfodere volebat, quam tamen leviter tantum perstrictam Angeli in cœlum tulerunt, ubi ea P. Matthæo data, eadem obices Japonis perfracturo, qui, illa ostensa, dictum scelestum primo crimen subticentem convicit, et ad pœnitentiam adduxit. Relar. *missa a Patriar. Æthiop.*

Jucunditas. — P. Henricus Henricius affirmabat, tantam in mediis pro animarum salute laboribus copiam esse divinarum consolationum, ut quivis mallet his laboribus perpetuo frangi, quam subito in cœlum rapi. *Hist. Soc.* p. I, l. VIII, n. 133.

In sede Juliensi Provinciæ Peruanæ nostri omnes terreno solatio carebant, licet summos labores in animarum salutem exhauserint; sed tamen eorum animi tam incredibili voluptate profundebantur, ut illa sedes lætitiæ domicilium a nostris fuerit appellata. *Annuæ Peruona.* 1603.

EXEMPLA PROFANA.

Plato laudando quotidie virtutem, et vitia condemnando, casusque Civitatum hac peste eversarum enumerando, tantopere auditores ad vitiorum, luxuriæ præsertim, detestationem permovit, ut aliquos ex his conversos esse incredibile videretur. Justinus, l. XXX, *hist.*

Socrates assiduo doctrinas suas morales philosophicis suis quæstionibus immiscens, plurimos a pravis institutis ad saniora consilia virtutesque adduxit, ut Plutarchus testatur. *Lib. Janseni sit Resp. gerenda.*

Epictetus in omnibus suis colloquiis nihil aliud propositum habebat, quam ut animos audientium ad optima quæque expetenda incitaret. Arrianus, *de doctr. Epict.*

Metellus Pontifex per medias flammas Vestali æde fortuito igne flagrante, irrumpens, Palladium incendio subtraxit, visumque amisit; quamobrem tanto in honore habitus est a Romanis, ut curru in curiam veheretur, qui honor nulli ejus Ordinis ad id tempus contigerat. PLINIUS, l. VII, c. XLIII.

Judæi, quando Caius Imperator Jovis simulacrum in templo Jerosolymitano poni jusserat, adeo id senserunt, ut cedere potius urbibus, et omnibus possessionibus suis mallent, quam eam abominationem cernere. Unde dicebant : Id si non impetramus, necandos nos præbemus, ne videamus vivi, quod est morte gravius. PHIL. *lib. de Legat. ad Caium.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut aquarum venæ, etsi nullus aquatum veniat, manant tamen; et fontes, quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt; et mercatores in tabernis sedent, etsi nullus merces empturus accedat; ita verus zelator gloriæ divinæ, et salutis animarum conatum omnem in iis promovendis adhibet, etiamsi modicus fructus sequatur. S. CHRYS. l. III, *de Lazaro.*

Sicut coquus, dum cibum aliis præparat, bene collocatum laborem suum putat, etiamsi ille statim, et quasi momento absumatur; ita et operarium pigere non debet laboris, quem in cibis spiritualibus præparandis adhibet, licet forte illius laboris fructus brevi tempore sit duraturus. (*Anonym.*) Certe S. Ignatius dicere solebat, se omnem laborem, et sumptum, quem in domo pro conversis mulieribus impudicis ædificanda impenderat, optime collocatum putaturum, si unica tantum nocte a peccato illæ abstinerent. *Vit. ad* l. III, *Vit.* c. IX.

Sicut concha prius seipsam explet, et perficit, et postea primum, quod superest, aliis distribuit; ita qui curam aliorum suscepit, prius seipsum perficere, et donis spiritualibus replere, et tum primum ad similia dona aliis procuranda descendere debet; benigna enim prudensque charitas affluere consuevit, non effluere. S. BERN. s. XVIII, *sup. Cant.*

Sicut manus non cessamus lavare propterea, quod sciamus, mox iterum sordidas reddendas; ita non statim a peccatoris cura abstinendum, quod sciamus denuo lapsurum. Jo. GERS. *in tract. de parvul. ad Christum trah.*

Sicut herba quælibet nascendo prius a terra producitur, aura, et æstibus tangitur, sole, ac pluviis nutritur, et tum demum ad proferendum sui seminis germen aperitur; ita, qui curam animarum suscipiunt, ad exteriora officia provehi non debent, nisi per humilitatem diutius in mundi contemptu, et virtute solidentur. S. GREG. l. II, *moral.* c. XXVIII.

Sicut ingenuo filio patrem suum efflictim amanti nihil potest esse dulcius, quam si patrem in summo honoris gradu collocatum videat; nihil item gravius, quam si quapiam injuria, quam sua graviorem censet, affici videat, ita quem sincerus Dei zelus habet, ejus in omne vulgus augendæ gloriæ cupiditate flagrat, uniceque affligitur, si vel minimam illi per peccatum injuriam irrogari advertat. RODRIG. p. III, c. X.

Sicut gallina ex amore pullorum sic infirmatur, ut etsi pulli non sequantur, matrem ex alis demissis, et voce rauca, intelligas; ita qui sincere salutem animarum desiderat, in omni actione sua tale desiderium prodit, volens congregare, et fovere animas, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas. S. AUG. tr. XI, *sup. Joan.* IV.

Sicut ministri medicorum, quo erga dominos suos benevolentia majore afficiuntur, eo plurimis verbis in solandis ægris utuntur, eoque solicitius, et curiosius circa ægrum satagunt; sic Pastores animarum, quo Deum impensius diligunt, tanto majorem illarum animarum curam gerunt. S. CHRYS. ser. II, *de prov. Dei.*

NECESSITAS. — Sicut aurum facile reperitur, margaritæ vero, et gemmæ pretiosæ non item; sic multos quidem reperias sui, paucos autem animarum sinceros amatores, et zelatores. S. MACAR. *hom.* XXXVIII.

Sicut qui cœco equo insidet, licet generosissimo, gravissimo seipsum periculo exponit, maxime si per confragosa exitiumque minantia loca iter faciendum sit; ita qui ardentissimum quantumvis zelum concepit, nisi rationis, et discretionis dictamine eum dirigat, seipsum, et alios perdet. THEOPHIL. BERNARDINUS, *de persev.* l. VIII, c. VII.

ÆQUITAS. — Sicut is, qui sciret templo alicui flammæ materiam jam subditam esse, omnibus viribus eam subtrahere, incendiumque impedire conaretur; ita qui homini, velut gratissimo Dei templo, peccatum, quod est materia summi æternique incendii, occulte jam subditum videt, omnem merito laborem, et conatum adhibet, ut id subtrahendo templum hoc ab interitu præservet. *Anonym.*

Sicut is, qui omnes totius mundi morbos ab hominibus auferre posset, utique beatum se crederet, nullique labori ad effectum hunc obtinendum parceret; ita multo magis laborandum est, ut peccatum, vel unicum ab anima proximi auferamus, cum tale peccatum omnibus mundi morbis sit gravius. *Idem.*

Utilitas. — Sicut is, qui filium, aut sponsam Regis charissimam ex igne, in quem jam jamque cadebat, eriperet, non levem haud dubie gratiam præmiumque a Rege acciperet; ita non minorem apud Deum gratiam, et mercedem obtinebit, qui animas Deo dilectissimas ab æterno interitu liberaverit. *Idem.*

Sicut is, qui faceret, ut Legatio Principis, quam maximis ille impensis adornarat, in qua salus totius Reipublicæ verteretur, felicem successum sortiretur, gratissimum utique obsequium præstaret, nec vile præmium expectaret; ita qui facit, ut Christi Incarnatio, et Passio fructum, ob quem facta sunt, obtineant, rem sane gratissimam Deo summaque mercede dignissimam præstabit. *Ibidem.*

Sicut nutrices, dum Regis filiis lac præbent, nihil deperdunt, sed potius plurimum lucrantur, dum, et onere lactis levantur, et simul e Regia cibos, et alimenta accipere merentur; ita et Curator animarum, dum proximis alimenta salutis ministrat, non solum onere quod ipsi talenta sua, si ea utiliter non impenderet, causarent, levatur; sed insuper a suprema cœli aula cibos spiritales animæ suæ, aliaque necessaria, accipere meretur. *Rodrig.* p. 3, tr. I, c. VI.

Sicut puteus, quo crebrius ex eo aqua hauritur, tanto limpidior efficitur; et gladius scindendo acuitur; ita, quo ferventius quis se animarum saluti impendit, tanto magis in eo propriæ perfectionis studium atque profectus augetur. *Ibid.*

Sicut tanta vis est ignis, ut, quidquid tangit, in se convertat, si quidem dispositum sit : sin autem, disponat; ita quem zelus honoris divini invaserit, hoc ipso etiam alios incendere, sibique assimilare conabitur. Hinc S. Paulus dixit : Opto omnes, qui audiunt hodie, fieri tales, qualis et ego sum. *Idem* c. XI.

Sicut malignus suasor peccati, etiamsi non persuaserit, merito deceptionis pœnam incurrit; ita fidelis Justitiæ Prædicator, etiamsi ab hominibus respuatur, absit, ut apud Deum officii mercede fraudetur. S. Aug. l. I. *contra Crescon.* c. V.

Sicut ad succensam ollam muscæ non appropinquant : si vero tepida fuerit, insident in eam, et faciunt vermes ; ita et succensum ignem Divini Spiritus Dæmones fugiunt : tepidum vero illudunt, et insequuntur. *Abbas Pismenius in Vitis PP.* l. VII, c. XXXIX.

Sicut prunæ lucem proxime emittunt, lampades vero splendorem longius fundunt; sic qui virtute, et sapientia sunt præditi, et charitate inflammati, non solum propinquos, sed etiam longe distantes illustrant doctrina, et vitæ sanctimonia. *Staplet. t.* I, *in Dom,* III, *post Pent.*

Dignitas. — Sicut Reges non nisi eos Provinciarum Gubernatores constituunt, quos sibi fidelissimos, et honoris regii studiosissimos arbitrantur, ideoque, quantum fieri potest, sanguine conjunctissimos perficiunt; ita et Deus non nisi eos, quos per virtutem, et zelum aptissimos dignissimosque noverit, ad animarum curam eligit, aut optat. *Ib. t.* II, *in Dom.* II, *post Pascha.*

Sicut quo altius est officium, cui quis præficitur in aula, tanto honoratior Principique, cui servit dignitate propinquior censetur; ita cum omnium divinorum divinissimum sit, cooperari Deo in salute animarum, merito suprema quoque dignitate præditi reputantur ii, quibus ejusmodi commissum est. S. Dionos. c. III, *de cœl. Hierarch.*

MOTIVA.

Quia hunc zelum ipsa *Gloria Dei* meretur; cum enim hæc pluris facienda sit, quam omnium hominum salus, imo quam ipsa humanitatis Christi vita; æquissimum utique est, ut non minorem laborem, ac conatum in ista, quam in salute hominum omnium, et Angelorum promovenda impendamus.

Quia *Christo* nihil gratius est, quam si animæ ab ipso redemptæ ab æterno exitio liberentur; nam, ut S. Maria Magdalena de Pazzis in raptu quodam vidit, ad Christi Cruce transfixi similitudinem animæ transfigitur cor, quando percussa vulneris amore, anxio desiderio desiderat, ut omnes creaturæ convertantur ad Deum. Et sicut Verbum misit Spiritus S. sic illum certo quodam modo mittit anima cum Verbo, quando cum aspiratione attrahendo illum ad se, illum deinde infundit per spiritualem communicationem, et admonitionem in alias creaturas, quæ sunt aptæ ad eum recipiendum. (*Vita* p. 3, § 8.) Hinc et S. Birgittæ quondam dixit : O amici, sic tenere diligo oves istas, ut, si possibile esset, adhuc propter quamvis earum, speciali morte, qualem in cruce semel pro omnibus passus sum, mori, magis eas redimere, quam eis, carere, vellem. L. I, *rev*, c. XXX.

Quia ipsa *Animarum præstantia* hunc zelum exigit; quam breviter indicavit B. Albertus Magnus ex S. Bernardo, dum dixit : Heu quod tam parum attendimus animæ nobilitatem, qua præsente corpus vivit; cujus absentia probat, quid ejus præsentia contulit : quam Deus tanti æstimavit, ut Unigenitum suum pro ea daret : quam Diabolus tanti reputavit, ut pro ea totum mundum offerret. *In paradiso anim.* XXVI.

Quia *Vocationis beneficium* ardentem ejusmodi zelum suo vendicat : cum enim duo talenta animarum curatoribus commiserit Deus, scilicet gratiam, aliaque media ad suam, et proximi salutem procurandam conducentia; an non æquissimum est, utrumque pari fidelitate, ac solicitudine expandatur?

Quia *præmium* ejusmodi zelo promissum invitat : Quæ enim, ut recte Vener. Beda observat, gratia sublimior, et Deo gloriosior conversatio esse potest, quamillius, qui quotidiano exercitio alios ob Auctoris sui gratiam studet convertere, et crebra animarum acquisitione gaudium Patris cœlestis semper augere. (*Apud March. in Virga Aaronis lect.* I, *tr.* IV.) Certe bonus Pastor, teste S. Chrys. et talis quidem, qualem Christus vult, cum innumeris Martyribus potest componi, siquidem Martyr semel propter ipsum moritur, hic vero millies propter gregem. *Hom.* XXIX, *in epist. ad Rom.*

Quia *gratitudo* talem a nobis zelum exigit : nobis enim post remissa tot peccata dixit Christus, quod olim Dæmoniaco a Dæmone liberato dixit : Redi in domum tuam, et narra, quanta tibi fecit Deus; idque non verbo dumtaxat, sed ipso facto, ut, quemadmodum tu ex misero mundi, et peccatorum statu extractus es per misericordiam Dei; ita et tu per misericordiam tuam alios e simili statu extrahere coneris. Luc. VIII, 39.

Quia ipse proximus, velut creditor, quasi *titulo justitiæ* zelum talem requirit : nam, ut Joannes Avila sapienter discurrit, Deus se erga nos gerit ad modum alicujus, qui alteri magnam pecuniæ vim mutuo dans, addensque alia haud vulgaria beneficia, dicat : Horum, quæ tibi feci aut dedi, nihil admodum mihi opus est : quidquid proinde juris mihi competit, totum in egenum istum, aut cognatum meum, aut servum, transfero; huic proinde solve, quod mihi debes : id si feceris, satis mihi fecisti. (*Intr. audi Filiar.* c. XCXV.) Hinc S. Jacobus dixit : Qui convertere fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. Jac. V, 20.

ALIA.

Christi exemplum; quod sic proponit S. Bernardus : Ipse diligit vos, tamquam viscera sua, tamquam fructum pretiosissimum Crucis suæ, tamquam dignissimam recompensationem effusi sanguinis sui. Qui animam pretio sanguinis sui censuit dignam, illemet est, de quo scriptum est : *Spirituum ponderator est :* non potest falli, nec decipi, siquidem S. Joannes ait : *Ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Et S. Augustinus scribit : Nemo fallit Redemptorem suum : egit hic commercium, pretium solvit, sanguinem fudit unicus Filius Dei pro nobis. O anima, erige te, tanti vales! quia Filius Dei dedit vitam suam, num difficile nobis videbitur impendere labores, et sustinere adversitates pro eodem lucro? S. Bern. *ep.* CIX.

Ecclesiæ exemplum : de quo sic loquitur S. Carolus Borromæus : Hunc Ecclesiæ spiritum nobis Joannes ostendit præclara illa, quam descripsit, visione : *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim, et in utero habens, et clamabat parturiens, et cruciabatur, ut pariat.* O quam magnum habet desiderium pariendi? Augustiatur, affligitur, cruciatur, dolet, clamat, quamdiu militans est, nec cessabit, donec perfecte, et omnino triumphanti jungatur. Hoc unicum ipsius negotium, et filiorum ejus itidem est; hoc maxime spectat in omnibus actionibus, synodis, visitationibus, decretis, ministeriis, Dei verbi prædicatione, correctione, universo denique regimine. Ubi et Sanctus, nonnullorum, qui se excusant, satisfacit oppositionibus : Sed novi, quid multi dicant; et qui illuc se conferat, ubi est summa rerum omnium inopia? ubi non nisi prærupti montes, difficillima loca? ubi die noctuque laborandum, et incommoda maxima sustinenda? Et idcirco peribunt igitur fratres, animæ Christi pretiosissimo sanguine redemptæ, ut nos commodi simus? Præferentur ergo nostræ deliciæ animarum saluti? S. Carolus *in actor Mediol.*

Pastorum sæcularium exemplum, qui continuo die noctuque expositi sunt aeris, et temporum injuriis, laboribus, periculis, millenisque aliis ærumnis, et adversitatibus. Quamvis cana nivibus juga (S. Ennodii verba sunt) Alpium transituris minarentur exitium, mortiferum frigus, et concretas algore glebas, fidei ardor exuberat. Nescicivimus parcere sanguini nostro, dum servamus alienum. Nam in tanta circumspectione salutis omnium, solum pro nobis timere non novimus. *Ennod. ap. Mansi disc.* II, *n.* 6.

Negotiatorum exemplum; quod S. Hieron. ob oculos habendum, Rustico scribens, his verbis suasit : Perspicuum est, inquit, negotiatores sæculi tanta sustinent, ut ad incertas periturasque divitias perveniant, et servent cum animæ discrimine, quæ multis periculis quæsierunt; quid christi negotiatori faciendum sit, qui venditis omnibus quærit pretiosissimam margaritam, qui totis substantiæ suæ opibus emit agrum, in quo reperiat thesaurum, quem nec fur effodere, nec latro possit auferre. S. Hier. *epist.* IV.

Propriorum peccatorum deletio; ad quam obtinendam zelum hunc efficacissimum esse medium, Josephus Mansi exemplo Davidis sic ostendit : Regius Propheta Ps. L, modo imperativo Deo loquens ait : *Redde mihi lætitiam salutaris tui : et spiritu principali confirma me.* Et unde hic sanctus Propheta talem concepit audaciam, reus existens peccatorum adeo execrabilium? Pondera quæ sequuntur verba : *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Qui cooperatur alterius conversioni, et salvat animas Christi sanguine redemptas, quocumque vult, et desiderat, petat, et obtinebit, quia maximo, quod dari potest, gaudet pignore gratiæ, et amoris divini. David commiserat adulterium, homicidium, nec non grave populo subdito dederat scandalum : Saulus pariter Christi Christianorumque fuerat persecutor implacabilis : *Spirans minarum, et cædis in discipulos Domini;* et tamen de hoc dicit Deus : *Vas electionis est mihi iste. Raptus in paradisum audivit arcana verba :* de altero pronunciavit : *Inveni hominem secundum cor meum;* desideratisne utriusque percipere merita? illos divina clementia a peccatis per remissionem efficit liberos, quos prævidet utilitati Ecclesiæ post conversionem profuturos. (Mansi d. x, n. 3.) Unde merito S. Gregorius exclamat : O quam utilis est peccatorum remissio, quæ conversos a peccatis non solum liberos efficit, sed etiam alios ab impietate, et injustitia retrahens, flamma charitatis accendit. Hæc est enim charitatis evidens probatio, ut cui per gratiam Dei contigerit a peccatorum vinculis eripi, ipse ex zelo justitiæ studeat ad spem veniæ delinquentes hortari. Nullum quippe tam gratum Deo est sacrificium, quam zelus animarum. S. Greg. *in Ps.*

MEDIA.

Meditatio : in hac quippe vel maxime exardescit ignis hujus zeli. Ut autem hoc obtineatur, sequentia fere frequenter, et bene sunt perpendenda. 1. Amor Dei erga animas, qui sic eas dilexit, ut Unigenitum suum daret. (Joann. III, 6.) 2. Amor Christi erga easdem, qui proprio eas sanguine redimere non dubitavit. 3. Animæ præstantia : ut quæ omnes res creatas materiales longissimo intervallo antecedit; cujus pulchritudine quondam visa S. Catharina Senensis tantam de illa æstimationem concepit, ut etiam vestigia eorum, qui curam earum suscipiunt, veneraretur, ut supra dictum. 4. Diaboli in eis perpendis studium; de quo sic loquitur S. Carolus Borromæus : Considerent præterea terribilem animarum stragem, quam generis humani sempiternus hostis Satanas facit, quantam in illis perpendis solicitudinem adhibeat, quibus utatur ministris, qua alacritate, quibus laboribus, et vigiliis scelesti ministri opus urgeant, indefessi, et assidui, iidemque perpetui, et obfirmati. Quare turpissimam rem facturos se existimare debent Jesu Christi ministri, si ita Magistri sui voluntatem, dignitatemque suam, atque sempiterna præmia perdant, vel a christiana charitate tam alienos se præbeant, ut a Satanæ ministris superari se sinant, patianturque, ut illi majori studio ad se, et alios perdendos, quam ipsi ad suam et aliorum salutem tuendam incumbant. (*Part.* 5, *Act. Mediol.* l. III, c. II, fol. 838.) 5. Operariorum paucitas, et messis copia : de qua idem S. Carolus sic loquitur : Sed illud quoque considerent, quanta quamque ampla sit messis, quanta spiritualium bonorum egestas, quanta salutariter agentium penuria, quam pauci vero Ministri, qui sancto desiderio incensi, suis commodis, utilitatibusque neglectis, solam Christi gloriam animarumque salutem spectent. 6. Exempla SS. Apostolorum, Martyrum, Episcoporum, aliorumque, qui tanto studio, labore, sudore, sanguine, animarum salutem procurarunt. (*Loc. cit.*) 7. Exemplum Pastorum oves materiales custodientium, de quo sic discurrit S. Chrisostomus : Perpendamus ovium Pastores illos, qui in Cappadocum regione sunt, qualia, et quanta pro pecorum suorum studio patiantur. Illi sæpenumero universum triduum nive abruti perdurant. Dicuntur autem, et qui in Lydia sunt, non minora mala ferre, dum integros menses difficilem illam solitudinem, pessimarumque bestiarum plenam, vagando circum eunt. Si tantum erga pecora diligentiæ impendunt Pastores illi, quam, quæso excusationem habebimus, quibus rationales animæ concreditæ sunt, quod profundum hunc somnum dormimus? Respirare enim omnino oportebat, quiescere autem omnino non : at enim circumquaque percurrere, innumerisque etiam mortibus seipsos pro ovibus istis exponere, id demum est boni Pastoris. An ignoras gregis hujus dignitatem? an illius gratia Dominus tuus innumera non fecit : an non postremo et sanguinem suum fudit? tu vero requiem quæris? an non perpendis, quod oves istas circumstant lupi multo amaricatiores, et sæviores, an apud temetipsum non reputas, qua mente sit opus ei, qui talem præfecturam sit administraturus? Et homines quidem, qui populis præsunt, si quando de rebus fortuitis consulturi sunt, diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent : nos vero, qui pro ipso cœlo certamen habemus, ipso quoque die dormimus? Quis, quæso, ab eo nos supplicio eripiet, quod istis debetur? si enim corpus trucidandum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat, numquid ad hoc munus tamquam ad nundinas currendum erat? Hæc sane, ut verbis Sancti Caroli iterum utar, si cogitent animarum Curatores, jure, ac merito dubitandum non est, quin, talibus cogitationibus, quasi facibus quibusdam animum illorum ita accensum iri, ut nullus vel maximus labor esse possit, quem illi subire recusent, ne pretiosissimi Christi Sanguinis fructus in ipsis, aliisque, ipsorum negligentia depereat. *Hom.* LXXIX, *in ep. ad Rom.*

Oratio : de qua sic Sanctus Bernardus : Cum duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu unus, et alter in affectu : unus in lumine, alter in fervore : unus in agnitione, alter in devotione : pius sane affectus, et pectus amore vehementi, spiritus repletus zelo, non plane aliunde, quam e cella vinaria, reportantur, et cuicumque cum horum copia surgere ab oratione donatur, potest in veritate loqui, introduxit me Rex in cellam vinariam. *Serm.* XLIX, *in Cant.*

Solitudinis, et secessus suo tempore suscepti amor : nam, ut sapienter advertit S. Augustinus, etiam Sanctum quærit charitas veritatis : negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati : si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem, sed nec si omnimoda veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, et opprimat ista necessitas. (L. XIX, *de Dei Civ.* c. XIX.) Hinc Christus, teste S. Gregorio cum in urbe miracula faceret, in monte vero continue orando pernoctaret, exemplum suis fidelibus præbuit, ut nec contemplationis studio proximorum curam negligant, nec rursus cura proximorum immoderatius obligati contemplationis studia derelinquant, sed sic in utrisque mentem patiendo conjungant, quatenus nec amorem Dei præpediat amor proximi, nec amorem proximi, qui transcendit, abjiciat amor Dei. L. XXVIII, *mor.* XXVI.

Puritas intentionis : nec enim pure valet Dei vel Proximi quærere lucra, qui propria non contempserit, ut bene discurrit S. Bernardus; et, ut idem alibi ait, nemo ad conscientiam redire amat, qui ab ea ad agendum recta intentione non proficiscitur. *Epist.* XLIII, *l. de Vita solit.*

Vitæ Sanctitas : nam, ut S. Basilius advertit, qui alium jacentem erigere vult, altior omnino lapso esse debet; qui vero æque lapsus est, altero, qui erigat, etiam ipse opus habet. Improbus sane est Medicus, teste S. Gregorio, qui alienum mederi appetit, et ipse vulnus, quod patitur, nescit. (*In Julit.*) Et iterum. Nulla hunc immunditia polluat, qui hoc suscepit officii, ut in alienis quoque sordibus pollutionis maculas tergat. Hinc per Prophetam Isaiam dicitur : Mundamini, qui fertis vasa Domini. Etenim vasa Domini ferunt, qui proximorum animas ad æterna sacraria perducendas in suæ conversionis fidem suscipiunt : Apud semetipsos ergo quantum debeant mundari, conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinu propriæ sponsionis portant. Certe quisquis juxta hoc, quod loquitur, non vivit, quos verbo genuit, a stabilitate rectitudinis opere evellit. P. 2, *Past.* c. II.

Humilitatis studium : quod medium S. Gregorius frequentibus verbis egregie suasit dicens : Qui mundum deserunt, ad exteriora officia provehi non debent, nisi per humilitatem diutius in ejusdem mundi contemptu solidentur. Citius namque bona depereunt, quæ hominibus ante tempus innotescunt, quia, et arbusta plantata, priusquam fixa radice convalescant, si manus concutiens tangit, arefaciunt : at si altum radix figitur, et terræ humoribus conspersa solidatur, hæc et manus impellit, sed non lædit; hæc et ventorum flatus inflectendo concutiunt, sed non evertunt. Ne ergo eruatur vita cœpti operis, diu, ac robustæ in alto humilitatis figenda est radix cordis. L. VIII, *mor.* c. XXVIII.

Cum zelosis hominibus frequenter conversari : ut enim, qui appropinquat igni, facile incalescit; sic qui cum ejusmodi personis frequenter agit, et ipse tandem in salutem proximi effervescet.

Crebrum exercitium zeli : Nam, ut ignis eundo, sic zelus agendo crescit. Et si usquam alibi, hic locum habet commune illud proverbium : Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

ASCETICA.

Sex sunt præcipue, quæ Asceta de hac virtute bene addiscere, aliisque inculcare debet. *Primum est, ut bene cognoscat naturam, et conditiones zeli*, quarum prima est; ut *universalis* sit : id est talis, ut S. Bernardus explicat, qui vulgus non spernat, sed doceat : divites non palpet, sed terreat : pauperes non gravet, sed foveat. (L. IV, *de confess.* c. IV.) Secunda, ut sit *ordinatus :* ut primam curam nostræ, deinde alienæ salutis habeamus, ad exemplum Dei, de quo ait Sanct. Joannes : Et nos de plenitudine ejus omnes accepimus. Disce ergo, et tu non nisi de pleno effundere, nec Deo largior esse velis, inquit recte S. Bernardus. (*In* c. I, *Jo.*) Huc etiam pertinet, ut inter plures proximos, qui majoris pietatis, vel justitiæ, vel necessitatis majoris titulo sunt conjuncti, præferamus; quem effectum, et affectum experta Sponsa dixit : Introduxit me Rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem. (II. *Can.* IV.) Tertia est, ut *discretus* sit : Deus enim, ut Sanctus Bernardus ait, vult se (et alios) amari non tantum dulciter, sed etiam sapienter. Unde Apostolus ait : Sit rationabile obsequium vestrum. (*Serm.* IX, *in Cant.*) Nec habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam si efficere possit, ut in ea incaute, et non cum ratione ambuletur. Quarta est, ut sit *benignus et suavis* potius, quam *austerus :* nam homines in vinculis charitatis, et funiculis secundi Adæ, id est Christi, trahi cupiunt, et efficacius solent. Hinc Deus B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis dicebat : Maxime felix spiritus, qui hodie regnat in terra, est ille Sancti Ignatii, quia ejus Filii conducendis animabus ad Deum præcipue procurant dare notitiam, quantopere sit gratum ipsi Deo, et quanti sit momenti attendere operibus externis, et interne tractare cum Deo, quia hoc exercitium facit, ut cum facilitate res arduas, et difficiles homines amplectantur propter lumen quod recipit anima a Deo, a quo nascitur amor, qui omnem amaritudinem in dulcedinem convertit. (*Lanciz. opus.* I, s. LXXXI.) Quinta est, ut sit *perseverans :* nam gutta cavat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo : Hinc Sanctus Chrysostomus : Non solum semel, inquit, atque iterum hoc facite, sed semper. Nam etsi verbis tuis non obtemperat, postea obtemperabit : iterum te videns urgentem forte erubescet, et reveritus tuam curam ab his, quæ te offendunt, desistet. (S. Chrys. ho. IV, *in Genes.*) Et alibi addit : Quandoquidem et illud crebro fit, ut piscator, qui per totum diem vacuum attraxit rete, sub noctem jam abire parans, capto, qui per totam diem ipsum fefellerat, pisce, descendat. Etenim si agricola protinus ab agricolatione resiliat, quod semel atque iterum acciderit aeris inæqualitas, fame brevi periremus omnes. (*Con.* I, *de Lazaro.*) Hinc Sanctus Fransciscus Xaverius monebat animarum Cultores, ut non fortius, quam perseverantius perferrent eorum vitia, infirmitatem sustinerent, frugemque sementis factæ, laborumque, quamvis seræ spei fructum, velut boni agricolæ expectarent, non ignari, eos qui seminant in lacrymis, in exultatione messuros. Quod si talibus initio non uterentur, quales expeterent, ita se cum illis gererent, ut cum improbis filiis suis boni parentes, Dei benignitate freti, qui hominum mentes suo demum tempore ad bonam perducit frugem, non diffiderent, tales aliquando fore, quales expeterent. Proinde numquam desinerent eos omni studio colere, præsertim cum Deus omnium commodis parens, quamvis læsus a nobis, benigne tamen facere omnibus non desistat. (L. VI c. XVIII, *vit.*) Aliam etiam zeli naturam optime Sanctus Thomas declarat, dicens : Amor amicitiæ quærit bonum amici : unde quando est intensus, facit hominem moveri contra omne illud, quod repugnat bono amici, et secundum hoc aliquis dicitur zelare pro amico, quando, si quæ dicuntur vel fiunt contra bonum amici, homo repellere studet, et per hunc etiam modum aliquis dicitur zelare pro Deo, quando ea, quæ sunt contra honorem, vel voluntatem Dei, repellere secundum posse conatur, secundum illud : *Zelatus sum pro Domino exercituum.* III. Reg. XIX. (S. THO. 2, qu. 18, art. 4.) Quod confirmans alius quidam auctor a Mansi citatus, sic loquitur : Zelus sæpissime accipitur, prout est quidam amoris effectus ab ipso amore ortus, sicut rivulus a fonte, et sicut ardor ab igne, ut explicat *Aristoteles,* II, *Ethich.* c. VIII, *D. Tom.* I, 2, qu. art. 4. Perfectissimus zelus dimanat ab amicitiæ amore, quo quis quærit bonum ipsius amici, quia bonum est amico : hujusmodi autem zelus erat in sanctis viris per respectum ad honorem Dei, et propulsandi, quæ ei adversantur. MANSI, *disc.* V, n. 5.

Alterum est, ut bene cognoscat, et præparet instrumenta, quibus potissimum utendum est ad gloriam divinam, et animarum salutem procurandam; quæ quidem breviter, sed recte S. Bernardus assignavit dicens : Nunc autem manent tria hæc, verbum, exemplum, oratio, major autem horum oratio, ea namque operi, et voci gratiam, et efficaciam promeretur. (S. BERN. *Epist.* CI.) Hinc et Sanctus Chrysostomus : Poterimus, inquit, alios corrigere, si ad preces semper confugiamus, et oremus Deum, ut det sermonem sapientiæ, et intellectum auditus, certamque et inde probabilem hujus depositi custodiam, sæpe enim contingit, ut, quæ studio corrigere non possumus, ea per preces efficere valeamus, per preces, inquam perpetuas. (S. CHRYS. s. XXVII, *de profectus.*) Primum ergo, et primarium Operarii Dominici instrumentum *oratio* est, de qua recte Sanctus Augustinus dixit : Munus suum ut præstet, (operarius Evangelicus) magis pietate opus est orationum, quam oratoris facultate, ut orando pro se et pro aliis, quos est allocuturus, sit orator ante, quam dictor. (S. AUG. l. IV, *de doct. Chr.* c. XXV.) Hinc, Sancto Maximo teste, Divus Paulus ultra humana raptus in tertium cœlum, secreta cœlestia cognovit, ut Ecclesiarum futurus Doctor inter Angelos disceret, quæ inter homines prædicaret. (*Maxim.* h. I, *de SS. Petro et Paulo.*) Alterum instrumentum *sermo* est; de quo Sanctus Paulus dixit : Vivus autem est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, et discretor cogitationum, ac intentionum cordis. (*Hebr.* IV, 13.) Duplex est autem, publicus, et privatus, uterque perutilis, et efficax, si recte instituatur, sed posterior, quia familior, et præsertim eorum, quibus cum agitur necessitati plerumque accommodatior, merito efficacior quoque censetur; plurimum enim proficit sermo, qui minutatim irrepserit animo, teste Seneca; (*Epist.* XXXVIII.) hinc P. Petrus Faber Germanus Apostolus in hoc ponebat omnia, in hoc hærebat, et habitabat; nimirum virtus bonum consilium est, ut idem Seneca discurrit; consilium autem nemo clamore dat. (*Hist. Soc.* l. IX.) Aliquando utendum est, et illis, ut ita dicam, concionibus, ubi, qui dubitat, impellendus est. Ubi vero hoc non agendum est, ut velit discere, sed ut discat, ad hæc submissiora verba veniendum est : Facilius intrant, sed hærent : nec enim multis opus est, sed efficacibus : seminis modo spargenda sunt, quod quamvis sit exiguum, cum occupavit idoneum locum, vires suas explicat, et ex minimo in magnos auctus diffunditur. (*Epist. cit.*) Duo tamen circa hunc sermonem præcepta a sapientissimis illis zelosissimisque Operariis SS. Ignatio, et Francisco Xaverio observata, quorum prius a S. Ignatio dictatum, ut caveatur, ne de rebus etiam divinis inepte, et ad satietatem, ac fastidium agatur. Alterum a Sancto Xaverio commendatum est, ut caveatur, ne nimia quædam gravitas suspicionem præbeat reverentiam exigentis arrogantiæ, sed potius facilitatem vultus præferat, affabilitatemque sermonis; (*Mass.* III, c. II, l. VI, *vit.* c. XIII.) nam, teste Cicerone, difficile dictu est, quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis. (*Citer.* l. II, *offic.*) Tertium instrumentum est *Exemplum*, seu vitæ sanctitas : quia sermo vivus, ut loquitur Sanctus Bernardus, et efficax, exemplum est operis, plurimum faciens suadibile, quod monstratur; (S. BERN. *serm. de S. Bene.*) quia plus homines oculis credunt quam auribus, Seneca teste : Neque difficile æstimatur, quod jam factum conspicitur, ut Sanctus Ambrosius loquitur. (S. AMBR. *epist.*) Alias duas hujus doctrinæ rationes affert Sanctus Gregorius, dum ait : Fit plerumque in audientis animo duplex adjutorium in exemplis Patrum, quia si ad amorem venturæ vitæ ex præcedentium comparatione accenditur, et si se aliquid esse existimat, dum meliora de aliis cognoverit, humiliatur. (S. GREG. l. I, *Dial. in præm.*) Optimam autem hujus rei rationem affert Sanctus Ignatius, quia scilicet ejusmodi vitæ sanctitas hominem cum Deo conjungit, efficitque adeo, ut in illo verificetur illud promissum Christi : Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere. (JOANN. XV, 5.) Atque hæc tria instrumenta ipse Sponsus in Canticis indicasse videtur per verba illa : Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. (*Cant.* II, 13.) Etenim, teste Sancto Bernardo, merito columba dicitur, quæ pro suis, et aliorum delictis in oratione gemens, et supplicans, divinam sibi misericordiam conciliare non cessat. Merito amica dicitur, quæ Sponsi lucra studiose, ac fideliter prædicando, consulendo, ministrando conquirit. Merito quoque formosa, quæ cœlesti desiderio fulgens, supremæ contemplationis, et boni exempli, ac sanctæ vitæ, decorem se induit. *In loc. c. Cant.*

Tertium est, ut cognoscat tentationes, quibus plerumque hic zelus impeditur aut minuitur; quæ quidem ad tres præcipue revocantur. 1. Est diffidentia de divina gratia, et nimia in propriis viribus confidentia, ratione cujus multis evenit, quod Moysi, et Aaroni dixit Deus : Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. (Num. 10, 12.) Proinde tentationi ut occurratur, magna de vocatione divina æstimatio concipienda est, illudque pro certo habendum, quod Deus, quia aliquem pro instrumento elegit, possit etiam, et velit id per eum efficere, quod ad majorem suam gloriam facere decrevit. Hinc P. Batthassar Alvarez dicere solebat : Ex quo Deus Religiosum posuit, ipse eumdem deducet, etiam cum profectu. Quod si plus eum oneret, quam ferre possit, seipsum onerat, quia in se recipit supplere, quod illi deest. Id igitur ego vellem, ut ipse manu sua aliquid mihi imponeret, quod meas facultates excederet, nam hoc ipso teneretur id mihi dare. (*Vita* c. IV.) 2. Tentatio est nimium juvandi alios desiderium, etiam supra vires; unde fit, ut non raro tristitia, et invidia suboriatur, si quis advertat, alios præclara opera efficere, se vero ob virium, et talentorum defectum ad similia ineptum vel insufficientem esse : cui proinde tentationi ut occurratur, duo quisque sibi firmiter persuadere debet. Primum est, Deum pro libitu sua talenta, et officia distribuere, atque adeo imprudenter, et inutiliter se aliquem ad munera offerre, ad quæ Deus ipsum adhibere non decrevit, verendumque merito, ne illud per Prophetas Jeremiam, et Oseam olim dictum audiant : Non mittebam eos, et ipsi currebant. Ipsi regnaverunt, et non ex me. Principes extiterunt, et non cognovi. Ventum seminabunt, et turbinem metent : culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam : quod etsi fecerit, alieni comedent eam. (JEREM. XXIII, 21, *Oseæ* VIII, 7.) Alterum est, Dei gloriam, et animarum salutem promovere non humanæ, sed solius divinæ virtutis opus esse, atque adeo laborem, et industriam hominum, ut Theophilus Bernardin. recte advertit, non aliud esse, quam evocationem, et quasi irritamentum divinæ gratiæ, quæ, si defuerit, labor omnis cassus, et inefficax jacet : (L. VIII, *de persever.* II.) at si se vel ultro, vel copiosius effuderit, potest id omne solus, quod quibuscumque adhibitis præstari, aut sperari poterat, ut clare S. Paulus indicavit, dum dixit : Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat : sed, qui incrementum dat, Deus. (I. *Cor.* III, 6.) Cum ergo providentissimus Deus non laboribus magis, quam ardentibus precibus, aliarumque virtutum exercitiis permoveri soleat ad gratiam efficacem iis, quibuscum agimus, conferendam, non est sane, cur quisquam licet exiguis talentis præditus diffidat, se non perinde ac alios tam Dei gloriam, quam alienam salutem promovere posse; maxime cum aliunde etiam fructum ab aliis ex suo labore haustum participet, quatenus videlicet unum cum iis corpus constituit, atque adeo, si suo cuicunque tandem sedulo insistat officio, efficiet, ut quemadmodum toti corpori, ita illi quoque velut membro, talis fructus adscribatur. Quod totum Sanctus Bernardus more suo præclare confirmat, dicens : Unum (Religiosum ordinem) opere teneo, cæteros charitate. Faciet autem charitas (fidenter loquor), ut ne illorum quidem fructu fraudet, quorum instituta non sequor. Plus aliquid dicam : Tu tibi caute age, potest namque fieri, quia frustra tu laboraveris; ut autem frustra diligam bonum, quod operaris fieri omnimo non potest. O quanta fiducia charitatis! alius operatur non amans; et alius amat nihilo operans : (S. Bern. *Apol. ad Gulielm. Abbat.*) ille quidem suum opus perdit, illius vero charitas numquam excidit, quia, ut Sanctus Leo optime dixit, incremento ditescunt proprio, qui profectu delectantur alieno. (S. Leo. serm. x, *quadr.*) 3. Tentatio est, quod fructus optatus labori non respondeat : cui tentationi facile occurret, si sequentes tres doctrinas bene perpendat. 1. Quod non hoc ipso, quia fructus statim non respondet, omnino de eo desperandum sit. Nam, ut sapienter discurrit S. Chrysostomus, non erexi quidem ægrotantes, attamen eos, qui valent, reddidi firmiores. Non abduxit quosdam a vitio sermo noster, sed tamen eos, qui cum virtute agunt, reddidit attentiores. Supra hæc quiddam addam tertium : Hodie non persuasi, sed cras forte persuadere potero. Quod si minus cras, attamen perendie, aut quarto ab hinc die fortassis persuasero. Qui hodie, quæ audivit, repulit, cras fortassis audiet, et recipiet; fortassis post dies complures præbebit animum iis, quæ dicentur. (*Conc.* i, *de Laz.*) 2. Quod magnus sit satis fructus, satisfacere, officio suo et Dei voluntatem implere : uti idem S. Chrisostomus pulchre indicavit dum dixit : Utinam oratio nostra aliquid profectus adferat. Quod si post longam admonitionem in iisdem vitiis perseveraverint, ne sic quidem nos desistemus illis, quod rectum est, consulere, quandoquidem et aquarum venæ, etsi nullus veniat ad hauriendas aquas, manant tamen : et fontes, quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt, et amnes, etsi nemo bibat, nihil secius fluunt; sic oportet, et illum, qui concionatur, quamvis nullus auscultet, tamen præstare, quidquid in ipso situm est. Siquidem hæc lex nobis, qui sacri sermonis administrationem suscepimus, a benigno præscripta est Deo. (*Loc. cit.*) In cujus doctrinæ confirmationem Sanctus Ignatius hortabatur suos, ut exemplum Angelorum Tutelarium ob oculos semper haberent, qui, quos adeo sibi commissos habent, quoad possunt, defendunt, regunt, urgent ad bonum, juvant : sed si voluntatis libertate abutantur illi, et inobsequentes, ac obstinati sint, propterea tamen nullo anguntur mœrore, nulla afficiuntur molestia, dicentes : Curavimus Babylonem, et non est sanata ; quod neque præmio solo labor sit cariturus, licet omni alio fructu destituatur; (*Ribad.* l. I, c. i.) id quod memorabili sententia Sanctus Bernardus Eugenio declaravit : Noli diffidere, inquit, curam exigeris, non curationem. Denique audisti : curam illius habe, et non, cura vel sana illum. Verum dixit quidam : Non est in Medico semper, relevetur ut æger. At melius tibi propono de tuis. Paulus loquitur : Plus omnibus laboravi : non ait, plus omnibus profui, aut, plus omnibus fructificavi; verbum insolens religiosissime vitans. Alias autem noverat homo, quem docuit Deus, quia unusquisque secundum laborem accipiet, non secundum proventum. Ita quæso et tu fac, quod tuum est; nam Deus quod suum est faciet; satis absque tua solicitudine et anxietate curabit. Planta, riga, fer curam, et tuas explevisti partes : sane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu : Ubi forte noluerit, tibi deperibit nihil, dicente Scriptura : Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum. (*Sap.* x, 17.) Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus. (L. IV, *de consid.* c. ii.) Quod ipsum etiam B. Virgo S. Birgittæ olim sequentibus verbis insinuavit : Amici Deo non habent attædiari in servitio Dei, sed laborare, ut homo malus fiat melior, et homo bonus veniat ad perfectiora. Nam quicumque voluntatem haberet sibilandi in aures omnium transeuntium, quod Jesus Christus esset vere Dei Filius, ac faciendo conaretur, quantum posset, ad aliorum conversionem, licet nulli, vel pauci convertentur, nihilominus eamdem mercedem obtineret, ac sic omnes converterentur. Sicut per exemplum dico tibi : Si duo mercenarii ex præcepto Domini foderent montem durissimum, et alius inveniret aurum electum, alius vero nihil; isti propter laborem, et voluntatem digni essent æquali mercede. L. IV, *revel.* 21.

Quartum est, ut studeat bene cognoscere connexionem, quæ reperitur inter zelum et amorem Dei; quam tangit quoque S. Bernardus, dicens : Si amas Dominum Jesum toto corde, tota anima, tota virtute tua, numquid, si videris ejus injurias contemptumque, ferre ullatenus æquo animo poterit? Minime. Sed mox arrepto spiritu judicii, et spiritu ardoris, et tamquam potens crapulatus a vino, repletus zelo Phinees, dices cum David : *Tabescere me fecit zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei,* et cum Domino : *Zelus Domus tuæ comedit me.* S. Bern. s. xliv, *in Cant.*

Quintum est, ut hinc cognoscat discretionem, quæ in zelo adhibenda est. Nam, ut S. Bernardus recte advertit, zelus minus absque scientia efficax, minusque utilis invenitur, plerumque autem, et perniciosus valde sentitur; quo igitur zelus fervidior, vehementior spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori opus est scientia, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. (S. Bern. ser. xlix, *in Cant.*) Alium quoque discretionis hujus actum assignat Sanctus Antonius Paduanus, dum ait : Primum est discretio, quam habet ille, qui corrigit de eo, de quo ipse non est vitiosus : secus de illo, qui vel facit, quod reprehendit; vel docet, quod non facit; talis enim seipsum proprio ore condemnat, imo tales divinam indignationem incurrunt. S, Anton. *Pad.* iii, *post Dom.* iii, *Quadr.*

Sextum est; ut bene cognoscat, ad quos præcipue zelum suum ostendere debeat, de quibus S. Chrysologus sic loquitur : Afferte Domino baptizandos; afferte, quos fides concipit, non caro; afferte, quos Dei gratia generet, non mundana natura; afferte, quos sponte venire, aut necessitas vetat, aut ætas impedit, aut ignorantia retardat, aut tenent vitia, aut delicta remorantur. S. Chrys. s. x.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* possunt demonstrari : conditiones zeli. Nempe 1. ut sit *ordinatus :* quemadmodum ignis, dum in alia objecta extra se agit, nihil de calore proprio amittit : et æqualiter distantes, et dispositos æqualiter calefacit, magis autem eos qui propinquiores sunt. Sic enim dicet cum Christo : Venite ad me omnes, qui laboratis estis, et ego reficiam et salvabo vos. (Matth. xi, 28.) 2. Ut sit *Pius;* idest, ut sicut ignis, dum alios calefacit, semper interea flammas sursum ejaculatur; ita operarius quoque, dum agit cum aliis, mentem sursum erectam per jaculatorias orationes, et puram intentionem habeat. 3. Ut sit *Prudens :* idest, non ultra vires, nec ultra sphæram activitatis exerceatur, uti nec ignis ultra sphæram suam potentiæ intensionem agere solet. 4. Ut sit *suavis et efficax :* id est, ad modum ignis prius per calorem charitatis disponere studeat eos, cum quibus agit, quam in eos vim suam potestatemque majorem exerceat. 5. Ut sit *constans,* et quemadmodum ignis, agere non cesset, donec extinguatur, ut sic cum veritate dicere queat : Tabescere me fecit zelus meus. *Ps.* cxviii, 139.

Ex occasione thematis : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem :* possent laudes, et encomia veri zeli proponi, et per comparationem cum pedibus monstrari. Ut enim 1. laudantur pedes ab agilitate, et velocitate; ita et zelus a promptitudine. (*Rom.* x, 15.) Hinc illud Jobi talibus Apostolis accomodatur : Numquid mittes fulgura, et ibunt : et revertentia dicent tibi adsumus? (Job. xxx, 35.) 2. Sicut a fortitudine et robore pedes commendantur; ita vel maxime etiam zelus : quia fortis est ut mors dilectio, et dura sicut infernus æmulatio. (Can. viii, 6.) 3. Sicut a munditia quoque pedes æstimantur; ita vel maxime zelus, ut qui nihil sordidum, id est, terrenæ, aut sinistræ intentionis pati potest. Hinc dictum olim Sacerdotibus, et Levitis : Mundamini, qui fertis vasa Domini. (Isa. lii, 11.) 4. Sicut pedes maxime laudantur a specie; ita et zelus a suavitate vitæ sanctæ, et doctrinæ, ut quæ efficaciter mentes trahit, ut fusius apud Cornelium de Lapide videre est. *In Ep. ad Ro.*c. x, fol. 157.

Ex occasione thematis : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum oudite* (Luc. ix, 35); explicari possunt dispositiones, quas ex sua parte adhibere debet is, qui ad curam animarum susceptus est; nimirum 1. ut per vitam occultam prius cum Christo proficiat ætate, sapientia, et gratia. 2. Ut per veram humilitatem, suique diffidentiam, prius Spiritum S. in specie columbæ fœcundæ accipere studeat. 3. Ut prius non egrediatur, quam de cœlo approbatus, et expositus fuerit, dicique de ipso possit : Hic est Filius meus dilectus etc. ipsum audite. 4. Ut cum Christo subinde secedat, atque orationi, ac jejunio vacet. 5. Ut prius triplex certamen cum triplici concupiscentia feliciter obierit.

Ex occasione thematis : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (LUC. XXIV, 29) : explicari possunt alio modo dispositiones ad verum operarium requisitæ, nempe per appropriationem illorum verborum Dei, per Moysen ad populum dictorum : Quando ingressi fueritis terram, et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum : poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt (*Lævit.* IX, 23). Quod præceptum S. Bonaventura ita interpretatur : Arbor terræ sanctæ implantata, ille est, qui a seculari vita ad sanctum religiosæ vitæ pomarium translatus, non sibi dumtaxat, sed aliis etiam suo tempore salutares fructus proferet. Unde primus annus est vera de improbitate vitæ transactæ pœnitudo. Secundus, solitaria vitæ melioris, et sanctorum operum frequentatio : cui cum accesserit habitus, et firmitas, jam tertius annus addetur. Quartus autem, quando ex recte factis ramusculos hominum contemnere, laudem, honoremque fastidire, puram animorum salutem quærere, assueverit; et tum demum quinto anno maturatos, et egregie præformatos purissimæ charitatis fructus ubertim æternitati consecrabit, et ad horrea divina transmittet. *Apud Teph. Bern.*, c. IX, ar. 8.

Ex occasione thematis : *Venite post me, et faciam vos piscatores hominum* (MATTH. IV, 19) : ostendi potest, quomodo zelum exercere, et animas piscari debeant veri Apostoli; nimirum. 1. Retia et hamos præparando, nimirum magnam (id est, sufficientem) doctrinam, majorem prudentiam et praxim, maximam sanctitatem. 2. Appendendo escam piscibus capiendis idoneam, qualis sunt solidæ doctrinæ verbo propositæ, et exemplo confirmatæ. 3. Diligenter observando tempora piscationi apta; nec enim, dum pluvium cœlum est, felix potest piscatio sperari. 4. Cum longanimitate expectando piscationis exitum. 5. In nomine Domini laxando rete, vel hamum offerendo.

Ex occasione thematis : *Mandavit Deus unicuique de proximo suo* (*Eccl.* XVII, 12) : proponi possunt motiva ad zelum excitantia. Nam 1. *Supra nos* Deo gratissimum est obsequium, si imago ipsius, et templum flammis eripiatur; *Patri*, si filius prodigus reducatur; *Filio*, si ovis tanto pretio empta lupis eripiatur; *Spiritui Sancto*, si Sponsa a porcis abducatur, et Sponso suo reconcilietur; *Sanctis*, si societas eorum et Dei gloria augeatur, fraterque reducatur. 2. *Infra nos* dæmoni nihil magis ingratum, et invisum est, atque adeo nostrum erga ipsum odium, quod merito concipimus ob fratres nostros, quos bonis suis spiritualibus spoliavit, per peccatum vulneravit, et æterna morte occidit. 3. *Extra nos* ipsi peccatores incitant; sunt enim membra ejusdem corporis, fratres, miseri, qui in latrones inciderunt; quis talibus titulis non moveatur? 4. *Intra nos* maximam zeli aptitudinem, sive ad veniam peccatorum impetrandam, sive ad alia bona cœlestia copiosius impetranda, sive ad mentem cœlestibus consolationibus deliciisque replendam.

Ex occasione thematis : *In funiculis Adæ traham eos, in funiculis charitatis* (OSEÆ XIV, 11) : possunt tria præcipua instrumenta, quibus zelus utitur ad animas attrahendas, nempe oratio, verbum et exemplum, de quibus supra §, antecedente n. 2, copiose dictum est, explicari, et suaderi. Vel per tres funiculos intelligi possunt 1. *Ardens desiderium* juvandi, quod a Deo frequenter pro opere reputatur. 2. *Verba :* sive orando pro conversione multorum, sive per adhortationes excitando sive eosdem Superioribus, Confessariis, aliisque, qui juvare possunt, indicando : 3. *Opera :* puta bona exempla, vel opera pœnitentiæ, vel quotidiana nostra munia, et actio ad Deum peccatoribus conciliandum ordinata. Vel denique intelligi possunt, quæ Theophilus Bernardinus ad verum zelum requirit, nempe vera, et solida virtus, gratia divina, nostra cooperatio.

Ex occasione thematis : *Sicut misit me, et ego mitto vos* (JO. XX, 21) : proponi potest pro idea zeli exemplum Christi ejusque altitudo, profunditas, latitudo, et longitudo explicari. Et 1. quidem altitudo illius demonstrari potest : tum per sublimitatem purissimæ intentionis : tum per effectum zeli in ipsis etiam cœlis per reserationem portarum cœlestium, et restaurationem sedium a malis Angelis relictarum. 2. *Profunditas* explicari potest, tum per ipsum modum redemptionis (humiliavit enim semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis) tum per potestatem suam, quam in ipsos infernales hostes exercuit, et etiamnum exercet. 3. *Latitudo* : quia vult omnes homines salvos fieri, et pro quovis speciatim adhuc mori paratus est. 4. *Longitudo* per diuturnitatem, cum zelum hunc usque ad mortem continuarit, dicereque jure cum S. Davide possit : Zelus domus tuæ comedit me (*Ps.* LXV, 10). Excitentur proinde Operarii, ut aspiciant, et faciant secundum hoc exemplar, quod illis monstratum est.

Ex occasione thematis : *Accipiet armaturam zelus illius* (*Sap.* V, 18) : potest armatura veri, et zelosi Operarii explicari, scilicet, vel illa, quam S. Paulus assignavit dicens : State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti lorica justitiæ, et calceati pedibus (per contemptum mundi) in præparationem Evangelii pacis : in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis assumite, et gladium Spiritus, quod est Verbum Dei (*Eph.* VI, 14). Vel quam S. Birgittæ Christus ipse præscripsit dicens : Mitto amicos meos, ut dividant diabolos a membris meis, quia ipsi sunt vere inimici mei. Mitto ergo eos, quasi milites in bellum; omnis enim qui affligit animam suam, et abstinet se ab illicitis, vere miles meus est. Ipsi habebunt pro lancea verba mea, quæ ore meo locutus sum. In manu gladium, id est, fidem : In pectore eorum erit lorica charitatis, ut quidquid acciderit, non minus diligant me. Clypeum patientiæ debent habere ad latus, ut omnia patienter sustineant (L. I, *rev.*, c. VI). Quæ omnia non erit difficile fusius explicare ex hactenus dictis.

ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — Sanctus Thomas Villan. ponderans illa S. Mariæ Magdalenæ verba. *Et Ego eum tollam :* sic exclamat : O admirabilis mulieris audacia ! O mulier, non mulier; nullum locum excipit, nihil anteponit, ne timore dicit, absolute promittit : *Dicite mihi, ubi posuistis eum, et ego eum tollam.* O mulier : magna est constantia tua, magna est fides tua, sed quomodo, mulier, qua valetudine, quibus viribus, quo ingenio corpus tam grave posses portare sola? cum una fueris de portatoribus ad sepulchrum, numquid tecum tuas socias habere te credis? recesserunt. Audite, quomodo sanctus hic Prælatus concludat loquendo in persona illius : *Et ego eum tollam;* amor enim impossibile sua opinione reducit, et quod nequit efficere, posse se credit. S. THOM. *Vill. apud Mansi*, *dis.* V, n. 8.

Cant. cap. IV, legitur : *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium :* Eodem c. paulo post legitur : *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno crine colli tui.* Collum principalis pars est corporis nostri, per quod transeunt spiritus vitales, et e capite descendunt ad reliqua membra; ideo igitur collum depingit Spiritus Sanctus munitissimæ instar turris; præterea sauciatum se declarat cœlestis sponsus ab uno crine istius colli. Vultisne intelligere hujus mysterium? Audite Richardum de Sancto Victore : Collum caput et membra conjungit; Collum itaque mihi es, dum animas convertere, et mihi conjungere studes. Unus crinis colli est unica cogitatio, et præcipua intentio, qua circa hoc laboras. Rapitur, et suaviter amore divino vulneratur Deus noster, quando finis operationum nostrarum est lucrum animarum; observetur hoc : unica cogitatio, qua qui Deo dedicati sunt, nonnisi de hoc, et de nullo alio cogitare et solliciti esse deberent, quia Redemptor noster a sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas. MANSI, *disc.* IX, n. 11.

Repetebat domum suam Regulus; quod cum famuli ejus scirent, læti hilaresque et occurrerunt, expectatissima filii jam sani nuntia perferentes : quæ cum accepisset, interrogabat horam ab eis, in qua melius habuerit. Quærere hic libet, unde ista Reguli descenderit interrogatio. An forte ab incredulitate? Nihil minus; quam primum enim audivit Christum dicentem : *Vade, filius tuus vivit*, extemplo *credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus*, quod iisdem verbis affirmat S. Joannes : unde ergo factum, quod tempus sciscitabatur, quo ægre esse filio desierit? Respondet Glossa interlinearis, a pietate erga Christum natam fuisse interrogationem, inquiens : Non diffidit de misericordia Domini, sed desiderat, ut virtus divina servorum confessione plurimis innotescat. Nihil ille de fide verborum Christi dubitabat, qui incolumem filium pronunciarat; famulos nihilominus de hora valetudinis illius melioris interrogabat, ut, cum illi intelligerent, eo momento convaluisse domini sui Reguli filium; quo sanum Christus affirmarat, etiam ipsi Christo crederent, et benedicerent, et famam miraculi evulgarent. Et studium pientissimi Reguli quam fructuosum fuerit, mox sese prodidit; nam *credidit ipse, et domus ejus tota.* Idem curare debet, quisquis fidus Dei servus videri et haberi cupit, ut parum putet, quod ipse Deo studiose diligenterque serviat, nisi etiam adlaboret, ut alios quoque ad Dei cultum, observantiamque adducat; idcirco hic Regulus non contentus, quod ipse Christo crederet, etiam hoc sibi agendum putavit, ut omnem suam familiam ad Christi agnitionem adduceret, desiderans, ut virtus divina servorum confessione plurimis innotescat. Did. Nyss., § 5, *in Dom.* xx, *post Pent.*

Vix in mundum mundi salus advenerat, quando Angeli laudes ejus cantibus celebrare cœperunt, atque in hæc verba modulari : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. ii, 14. Libet hoc loco iterum interrogare : cur bonæ voluntatis, potius, quam acris intellectus et ingenii, hominibus, in terris pax e cœlis promittitur? Responditur ad hoc alibi ex S. Cæsario, hic nunc ex operandi modo illarum potentiarum, intellectus, aio, et voluntatis, conceptum proposito commodum eliciam. Qua ratione intelligit intellectus? Adducendo res ad sese, ut propterea Angelicus Doctor I, II. q. cviii, art. 1, ad 3 et I, II. q. viii, art. 1, dixerit, intelligere idem esse, quod intus legere, atque ad se intro accersere, quod inibi legat : At voluntas quomodo amat; quomodo vult, aut cupit? Non adductione rerum ad sese, sed insecutione earum. Ob hanc causam Ecclesiasticus ut hominem describeret, quem nulla auri cupiditas abripuerit, nullus illius metalli fallax splendor seduxerit, sive ad se duxerit, aiebat : *Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit,* Eccl. xxxi, 8. Huc etiam vadit illud quod sponsus aiebat, ut vehementissimum suum erga sponsam amorem indicaret, dicens : *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.* Cant. iv, 9. S. Gregorius Nyssenus transtulit : *Excordasti me,* et sic habent LXX. Alii autem verterunt : *Cor mihi rapuisti,* tamquam idem sit, amore et corde destitui, aut animo in illum, quem diligimus, emigrare. Hinc profani amatores dicere solent. Ademptum sibi cor ab amicula, quam depereunt. Quod ergo Angeli pacem voluntati magis, quam intellectui, annuntiarunt, tale est, ac si dixissent : Deo magis etiam acceptos esse, qui morem agendi observant, quem voluntas habet, quam qui ad modum, quo intellectus utitur, operantur. Hoc est, quod aio : qui ad se omnia trahunt, et in sua commoda transferunt, et hoc solum curant, ut sint ipsi probi, et Deo serviant, neque simul solliciti sunt, ut alios habeant ad Dei ministeria et obsequia socios, et cultus illius consortes; non ii tantum placent Deo, quantum illi, qui pro similitudine voluntatis ad alios contendunt, eosque prosequuntur, et hortantur, ut communem Dominum communibus officiis colant, pari observantia venerentur, ament, adorent. Hinc enim amoris erga Deum fervor dignoscitur, si totis viribus huc coneris, ut omnes ad illius amorem, et observantiam adducas, si plurimos in illius castra pertrahas, qui sub illius signis militent, et pro gloria nominis ejus fortiter dimicent. *Ibid.*

Propheta Rex aiebat : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Psalm. xxxiii, 2, velut dixisset : Quoniam dulcissimum Dominum, et amantissimum Patrem te nobis per omnia exhibes, ratio postulat, ut in laudibus tuis recensendis, et decantandis perpetuus Encomiastes verser, et hæc sit tota linguæ meæ occupatio, ut elogia tua infatigabili studio, et magnis vocibus prædicet, passimque evulget. Verum notate, quod vix hoc mente conceperat, vix sermone exposuerat votum, quod Dominum benedicere solus vellet, quando adjecit : *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.* Ibid. v. 4, hoc est : Adeste huc, mortales omnes, et paribus vocibus augustum et sacrosanctum supremi Domini nomen mecum celebrate. Sed quid est, quod paulo ante solus Domino laudes adornabat, jam vero omnes ad illum glorificandum invitat? Respondet Sanctus Augustinus, quod David alios ad laudes Dei secum decantandas advocavit, id perinde esse, ac si dixisset : Nolo solus magnificare Dominum, nolo solus amplecti. Tanto amoris Dei incendio animus sanctissimi Regis deflagrabat, ut nihil esse putaret, quod solus illum et amaret, et coleret sed omnes uni, ac soli huic negotio dare piam diligentemque operam vellet, sicut si non vir esset super, non mulier in mundo (si fieri posset) reliqua, quæ non Deum ardentissime amaret, ac religiosissime observaret : Nolo solus magnificare Dominum, nolo solus amplecti. Paucis nempe contentus est, cui hoc satis, quod ipse solus Deum amet, neque curat, ut omnes, vel certe plurimos habeat in eo amore rivales. Monet porro beatissimus Augustinus, ut ne tam illustre exemplum prætermittans vacuum, sed mutuemur a pœnitente Rege, quod imitemur, dicens : Excitate ergo in vobis amorem fratres, et clamate unuicuique vestrum, et dicite : Magnificate Dominum mecum, sit in vobis iste fervor. Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei, qui vobis jungantur, et omnes, qui sunt in domo vestra. Ergo rapite, quos potestis, hortando, rogando, disputando, rationem reddendo cum mansuetudine, cum lenitate. *Ibid.*

Moyses, cum terræ primam originem narraret, aiebat : *Terra autem erat inanis, et vacua,* Genes. I, 2. Alii transferunt : *Terra erat invisibilis.* At quid terræ vacuæ cum invisibili? nec enim ex eo, quod invisibilis erat fieri videtur fuisse vacuam, et inanem. Respondet Sanctus Gregorius Nyssenus : Magno mysterio factum, quod Moyses ait, terram fuisse vacuam, et nulla re utilem, quando dicitur fuisse invisibilem, inornatam, opertam aquis, idque perinde fuisse ac si dictum : Erat et non erat terra, quæ nec oculis exposita, nec ullis usibus commoda. Propterea Theodotion apud eumdem Nyssenum vertit : *Terra erat inanis, et nulla.* Et Aquilas : Erat nihil, et nihilum pro nihilo erat, quæ ad nihilum valebat. Ita statue de scientia, et eruditione tua; ea, quantumvis magna sit nihil esse, nisi ad profectum aliorum vertas. Nam ut Ecclesiasticus cap. XX, v. 32, ait : *Sapientia absconsa, et thesaurus invisus : quæ utilitas in utrisque?* quid refert plurima et scire, et habere, si nulla ex his utilitas ad ignaros egenosque redundat; Curemus ergo, ut quomodocumque possumus, aliis commodemus, serviamus, usui simus. *Ibid.*

De magno Sacerdote et Rege Melchisedech affirmat aliquid Apostolus, quod difficile creditur : *Sine patre, sine matre, sine genealogia fuit, neque initium dierum, neque finem habens.* Inquit, Hebr. VII, 3. Abstrusum habent ea verba sensum, in quem penetrare nemo facile queat. Cum enim Melchisedech fuerit creatura, omnis autem creatura suam habeat originem, et definitos durationis limites, quid est, quod Sanctus Apostolus de Rege, et Sacerdote summi Dei Melchisedecho ait, fuisse sine patre, sine matre, et neque initium dierum, neque finem vitæ habuisse? Sanctus Joannes Chrysostomus orat. 12, in cap. VII, ad Hebr. paucis decidit hanc difficultatem, dicens : Sine patre, et sine matre, et neque initium dierum, neque finem habens, propterea quod scripta non sunt. Res indubitata est, habuisse Melchisedech patrem, et matrem, velut cæteros hominum; item vivere cœpisse, ac desiisse quemadmodum homines alii nati sunt, ac denati. Quod ergo dicitur, nec primordia vitæ habuisse, neque finem, et parentibus caruisse, id fit, quia origo ejus, et clausula, nullis est litteris consignata, ut proinde notitiam hominum parentes ejus fugiant, omnesque lateat, quis vitæ illius introitus, quis exitus, propterea quod scripta non sunt; nam tametsi res aliqua sit, aut fuerit, quamdiu hæc ignota sunt, perinde est, ac si numquam in mundo fuerit. Ut eleganter disserit Magnus Basilius in Psalm. XLVIII. Si quæ in cordis arcano bona quis habet, nolit in apertum sermonem expromere, huic illud dicetur : *Sapientia occulta, et thesaurus absconditus : quæ utilitas in utroque?* Ecclesiastici XX, 32. Si quis ingentes omnium scientiarum copias intra pectoris armarium reclusos teneat, neque in publicum forum, usumque per linguæ fores producat, quid eæ commodi adferre hominibus queunt? Bonum enim quod non lucet, sed oculos fugit, et in usum non venit, sic est, tamquam non esset. *Idem in Phanico* II, c. III.

Difficultatem ingerere in bona Astrologia potest quod sacer Historiographus, cum infantiam mundi, et exortus illius primordia describens, ait, quando de Sole, et Luna loquens refert, duas a Supremo Artifice lampades ex cerulea testudine hujus templi, cujus orbibus undique includimur, suspensas, ut alternis successionibus mundum vicissim illuminarent : *Fecit,* inquiens, *duo luminaria magna : luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti.* Genes. I, 16. In his luminare vocat etiam Lunam. At si bene rem expendas, inquit sapientissimus scripturæ expositor Tostatus, invenies, quod secundum demonstrationes Astrologicas quolibet astro visibili Luna ad minus octo vicibus minor est. Hæc ille in cap. I. Geneseos, quæ si vera sunt, quomodo Sol, et Luna vocantur luminaria magna, tamquam vastitatis mole singulariter hæ faces excellant : quod Sol majoris luminaris illustri appellatione donatur, nihil incommodi habere videtur; at quod Luna simili grandioris luminaris nomine insignitur, quæ tanto minor est omnibus conspicuis astris, quomodo recta cohærere cum ratione potest. Respondet quæsito magnus Doctor, dicens : Luna vocatur magnum luminare, non quantum ad rem, sed quantum ad apperentiam : propinquitas enim hujus orbis ad nos, in comparatione ad alios orbes, facit magnitudinem apparentiæ. Omnibus aliis planetis, et stellis, quæ sub visum cadunt, oppido minorem esse Lunam, inficiari nemo potest, nam cum reliqua sidera magnitudinem octuplam eam superent, facile est intelligere, quantus sit vastitatis excessus. Vocatur nihilominus luminare majus, non quod absolute majus sit, sed quod tale videatur eo quod illa plus lucis terræ affundat, quam cæteræ stellæ conjunctim omnes. Ut ergo sacer Scriptor nos doceret, bona usque eo magna esse, quo talia se visui, et usui offerunt granditatemque illorum non in eo positam esse, ut sint, sed ut videantur, et appareant grandia, idcirco Lunæ datur nomen luminaris majoris, quia etsi minor stellis, magis tamen iis lucet; post solem namque nihil est, quod æque terram irradiet illustretque, ac Luna. *Ibid.*

Perdifficilia quoque videri possunt verba S. Joannis præcursoris, quando de Christo dixit : *Qui post me venturus est :* quid enim sibi vult istud, *qui post me venturus est*? Triginta anni, et supra sunt, quod illum jam tunc venisse nuntiavit, etiam inde ex obscuro alvi maternæ ergastulo, adventumque ejus singulari inauditaque exaltatione gratulabundus recepit, et nunc illum venturum ait : *Qui venturus est?* quomodo hoc recte intelligi debet? Huic difficultati occurrit Abulensis Episcopus Tostatus qq. LXVI, in cap. III. Matthæi dicens : Christus jam venerat quantum ad subsistentiam personalem, quia jam erat : non tamen venerat, quantum ad operationem, ad quam ipse mittebatur. Triginta annos jam in mundo exegerat Christus; ergo tanto ante homo per nativitatem etiam advenerat; verum officio, ad quod ab æterno Patre in primis destinatus fuerat, ita supersederet, velut nondum advenisset. Ut nos redimeret, et in libertatem assereret, non solum nasci illum oportebat, et in mundum venire, sed etiam concionari, novas leges ferre, facere miracula, denique post acerbam passionem pretiosissimum sanguinem suum in ligno crucis fundere. Quoniam vero in illum diem usque nihil earum rerum operatus fuerat, dicebat Joannes, Messiam venturum : *qui venturus est.* Hæc ita dilucidat Tostatus : Christus non venerat in mundum, ut homo esset, sed ut salutem nostram operaretur. Et quia Christus nihil adhuc fecerat de illo, ad quod veniebat, recte dicitur nondum venisse. Hinc illud documenti eruimus, quod gratiæ, dona, et quæcumque sive corporis, sive animæ facultates, velut non sunt, quamdiu apud nos feriatæ delitescunt, nec ad usum aliorum exprimuntur. Qui enim vires exercendi alicujus operis accepit, easque in opus demandatum non exerit is est tamquam non sit, inanimæ statuæ, quam vivo homini similior. *Ibid.*

Sanctus Ambrosius acute notat distantiam, a regio Propheta tributam mysticæ illi arbori, quæ tam copiosos, et optimos reddit fructus : *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo : et folium ejus non defluet, et omnia, quæcumque faciet prosperabuntur*; inquit Psalm. CXIII. Nemo quantumvis ambitiosus, et anhelus rerum secundarum insectator potuit sibi majorem expetere felicitatem ea, quæ hac metaphora designatur arboris, quæ suo tempore plurimos ubertim edit fructus, neque ullo unquam destituitur folio, et optatum semper habet ventum omnium cœptorum; jam pervulgatum est, per folia hujus designari verba, quæ procedunt ab ore justi, et opera hujus bona per illius fructus denotari. Ita communiter sentiunt Expositores, Hugo Cardinalis, Jacobus de Valentia, Ludolphus Carthusianus, Joannes Baptista Folongius, Titelmanus, et alii sine numero. At videamus nunc quisnam ille tam felix, commodus et opportunus locus, in quo illa ex omni parte fœcunda et facunda, inque foliis, et fructibus, in verbis et operibus, summe felix arbor sita fuit. *Lignum hoc plantatum est secus decursus aquarum*, inquit Propheta, pœnitens. Et S. Ambrosii commentarius in hunc Psalmum tom. II, ita habet : Plantatus ergo justus recte dicitur secus decursus fluminum, non in ipsis decursibus, ut finitimum, non demersum intelligas. Aquæ sunt symbolum populorum, secundum id, quod Angelus cœlo delegatus dixit discipulorum charissimo Joanni, Apoc. XVII, 15. Velut enim aquæ aliæ post alias jugi et continuo fluxu transeunt, et omnes sua mari tributa pendunt; ita omnes quasi aqua dilabimur, et ad mortis mare properamus, ubi flumina quæque etiam abundantissima perdunt sua nomina, et omnem deponunt auctoritatem. Ad rem nunc. Quonam in loco plantata fuit arbor proferens fructum, quo aluntur, et nutriuntur folia illa tam medica, et utilia? Secus decursus aquarum, non in ipsis seu fluminibus. Nam quæ vel in mediis fluminibus, vel nimis remote ab aquis plantaretur arbor, non redderet optatos fructus. Ut vero expectatos liberaliter proferat fructus, ubi ferenda? Secus decursus plantandum fructiferum lignum, ut finitimum, non demersum intelligas. Quod si fiat, tunc aqua facit, quod ignis facere ex justa distantia solet. Ea mystica comparatione arboris monemur, quod homo justus, et vir spiritualis, ut optatum fructum proferat, nec tam procul secedere debet, ut numquam sui copiam faciat aquis, hoc est, populis, nec tam penitus se ingurgitare in aquas, hoc est, in vulgi consuetudinem insinuare, ut nimia familiaritate non solum nihil commodi pariat, verum etiam corruptelam forte adferat, et destruat, quos ædificare oportebat : secus decursus aquarum, ut finitimum, non demersum intelligas. *Ibidem*, l. IV, c. VI.

De paterna Patrisfamilias vigilantia et amabilis diligentia hoc nobis dicit Sanctus Evangelista Matthæus, quod plenus curarum sub creperam matutinam abierit, ut vineæ suæ cultores conquireret : *Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*, inquit ille cap. XX, 1. *Iterum autem egressus est circa horam tertiam.* Non remisit de studio ad meridiem. Non dormivit hora nona, neque undecima, curam solicitudinem deposuit : *Iterum exiit circa sextam, et horam nonam; circa undecimam vero exiit.* Nonne advertitis, quomodo suavissimus Pater nostri amore inflammatus, ardenter in forum prosilit, ut vineæ cultores conquirat, idque omni tempore et quavis hora. Cardinalis Cajetanus hoc loco dicit : Potuisset componi parabola, describendo Patremfamilias continuo manentem, in foro, sed non describitur continuus, sed certis horis, atque ut discreti nomen ei conciliaretur, non dicitur jugiter hæsisse in foro. At si operarios indagabat, si homines colendæ vineæ perquirebat, quam ob rem sedulus pater non totum in foro exegit diem noluit omnes diei horas in foro transmittere, ut sibi prudentis opinionem conflaret : proinde magno mysterio non describitur continuus; quare monitos voluit Patres spirituales, et Prædicatores, et quotquot sunt ab officiis supremi Domini in causa animarum, et in procurandæ salvationis summo negotio eisdem serviunt, quod sacris vestigiis divini Patris inhærere debeant, qui non a primo diluculo in seram noctem in foro hæsit, dum operarios quæsivit et conduxit, verum commodo tempore, et opportunis horis abiit, rediit, remque suam confecit : Non describitur continuis, sed certis horis : Si numquam in forum exiisset, frustratus amor fuisset : Si perpetuo in foro hæsisset, modum statio excessisset, supervacaneaque, et inconsulta mora fuisset. Quid ergo faciendum Patribus, et Prædicatoribus? illud, ut commodis horis, et opportuno tempore prodeant, justamque solum, et sufficientem moram adhibeant; forte enim tantum damni adferre potest, si continuo assistant, quantum si numquam accedant. *Ibidem.*

UTILITAS. — Fabula est, quod lancea Achillis habuerit virtutem curandi vulnus ab eadem causatum. Catholica veritas est, cujus et testimonium perhibet Spiritus Sanctus in Deuteronomio, quod eadem lancea justitiæ, et zeli Dei percutiat et sanet : *Ego occidam, et ego vivere faciam, percutiam, et ego sanabo.* Fervidus zelus, quem Deus ostendit in castigandis, et puniendis peccatoribus, ad eorum emendationem et conversionem ordinatus est amor, et clementia. Tanta summi Patris pietas (ait S. Paulinus) ut etiam ira ejus misericordia sit, et ideo castigat, ut parcat. MANSI, disc. VI, n. 4.

DIGNITAS. — Quando Phinees læsum Dei honorem propugnavit, ac vindicavit, arrepto pugione transfodiendo principem de cognatione, et tribu Simeonis, ob enorme scelus patratum in conspectu totius populi, factum hoc Deus plurimum commendavit hisce verbis : *Quia zelo meo commotus est contra eos :* non constans, cœlitus eum recepisse quamdam revelationem, vel commissionem exequendi hujusmodi heroicam actionem; si ergo ad hujus executionem proprio motus fuit zelo, cur ait Deus : *Zelo meo commotus est?* Responderi potest, Deum tanti appretiari zelum zelantis honorem Dei, et propter amorem illius ab homine susceptum, ut illum reputet tamquam suum proprium, sibique illum tribuat, nuncupando se zelantem. *Ego sum Dominus Deus tuus zelotes.* Dominus zelotes nomen ejus, pretiosissima gemma, quæ thronum supremæ Divinæque Majestatis, immo diadema illius adornat, est ipse zelus : Zelotes nomen ejus. *Idem*, disc. II, n. 2.

Joannis cap. x, legimus Christi verba : *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis*. Scire cuperem, quam habeant connexionem posteriora verba cum prioribus; quæ connexio reciprocæ cognitionis inter Patrem, et Filium cum expositione vitæ pro salute animarum? Ecce quanti Christus appretiavit animas : voluit indicare, quod in hoc manifeste ostendat, æterni Patris sui se esse Filium, et quidem prædilectum, quod vitam suam morti exponeret pro animabus, ac si aperte dicat (subdit S. Gregorius) in hoc constat, quod ego agnosco Patrem, et agnoscor a Patre, quia animam meam pono pro ovibus meis, idest, ea charitate, qua pro ovibus morior, quantum Patrem diligam ostendo.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Sanctus Ignatius in Constitutionibus suis sapienter præcepit, ut *impense* in salutem proximorum *incomberent* sui, ut per hæc verba significaret, omnes animi vires, immo ipsam etiam vitam impendendam esse, si opus fuerit (*In exam.* c. I, § 2); sequendum item exemplum Elisæi, qui dum puerum viduæ resuscitare voluit, ejus corpori incubuit, manusque manibus, et pedes pedibus junxit (IV. *Reg.* IV, 54); sic enim et ipsos operarios omnibus omnia fieri debere, et singulorum genio se accommodare, ut omnes lucrifaciant.

Vir quidam religiosus a cura proximi ad quietem secedens fatebatur, semper sibi ob oculos versari Christum dicentem : Cur, me derelicto in hac cruce, tu tuam quietem commodaque sectaris? ideoque iterum ad curam animarum reversus est. Rodrig. p. III, tr. I, c. VI.

S. Bernardus Missionarios sic instruxit, et voluit esse tales, qui sint in judicio recti, in consilio providi, in jubendo modesti, in adversitate securi, in prosperitate devoti, in zelo sobrii, in misericordia non remissi, in otio non otiosi, in hospitio non dissoluti, in convivio non effusi, ubique, et in omnibus circumspecti. Lib. IV, *de consi.* c. IV.

Deus olim Ezechieli præcepit assumere sartaginem ferream, et ponere tamquam murum ferreum inter se et civitatem. (Ezech. III.) Super quæ verba S. Gregorius ait : Per sartaginem pressura, per ferrum vero fortitudo ostendiditur. Quid autem ita Magistri atque Doctoris mentem, quam zelus Domini, frangit, et excruciat. S. Gregor. *hom.* XII, l. I, *in Ezech.*

Rachel olim ad Jacob dicebat : Da mihi liberos, alioquin moriar; cui Jacob respondit : Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui? (*Genes.* XXX, 1.) Innuens generationis auctorem non tam hominem esse, quam Deum; quanto magis de spirituali generatione censendum est?

Ammianus, ut Eusebium e solicitudine educere posset, sic eum affatus est : Dic mihi, o optime, cuinam placere existimas, laboriosam hanc, sordidamque et squalidam vitam secuturus? Cum autem (ut par est) is, utique, dixisset, Deo, qui est virtutis Legislator, et Magister : Quoniam ergo eum amas (perrexit ulterius Sanctus Ammianus) ego tibi modum ostendam, per quem et amorem tuum magis accendes, et quem amas, servies. Nam quod omnis caro tua, et industria in te ipsum convertatur, non effugiet, ut sentio, crimen nimii in teipsum amoris. Lex enim divina jubet, proximum amare ut teipsum. Multos autem operis participes facere, hoc est proprium veri muneris charitatis. Theodor. l. II, *hist. relig.*

Christus aliquando S. Birgitæ dixit : Tribus hominum generibus amici mei succurrere possunt. 1. Damnatis (id est, viventibus quidem; sed a Deo reprobatis ob eorum demerita) excitando eos ad aliqua bona et impediendo majora eorum peccata, ne profundius in infernum cadant. 2. Peccatoribus prædestinatis ad salutem, docendo eos, quomodo resurgant, cautiores fiant, et proficiant. 3. Justis, et perfectis, incitando eos, ut semper magis proficere, meritaque sua, et gloriam augere possint. C. II, *revo.* l. IV.

S. Maria Magdalena de Pazzis inter alia monita etiam hoc dabat Operariis, ne curarent facere res magnas in apparentia, quia in his, dicebat, occultatur superbia perniciosa animæ; Sed hæc fiunt magnæ, et sublimes per ordinationem earum ad altum finem recta intentione, quia talibus valde delectatur Deus, et sunt absconditæ adversario. *Vit.* p. IV, c. XXXIII.

S. Ignatius dicere solebat : Qui aliis cupit esse utilis, eum in primis sibi vacare debere, et ardere ipsum charitate, si alios incendere velit, superare inanem metum, ambitionem tamquam pestem fugere, voluptatis illecebras, omniaque carnis blandimenta aspernari, et quidquid vitiosum est, a se repellere, ut, omnibus turbidorum motuum radicibus evulsis, divinos flatus et in se aptius accipiat et in alios utilius effundat; cum alia vitia omnia declinanda sint, tum ea cuique potissimum, ad quæ proclivior cujusque natura sit; ab iis enim maxime impendere ruinas, nisi quisque diligenter sibi caveat. Factis liberaliorem oportere esse, quam verbis, ut, quod in diem crastinam promiseris, id si fieri potest, hodierno præstes. Dicebat præterea in rebus gerendis illud in primis tenendum, ut te rebus, non res tibi submittas, hoc est, ut rei gerendæ, non tuæ incommoditatis rationem ducas, negotiorumque utilitati diligenter servias, et tempori. Si quis quid petat, quod tuæ personæ indecorum judices, ab indignatione temperandum; et id curandum, ut id quod postulatur, neges, et amicum tamen eum, qui postulat, benevolumque dimittas. Denique in vocandis hominibus ad virtutem, suis armis petendum Satanam, iisdemque utendum artibus ad salutem, quibus ille abutitur ad perniciem. Quippe eum, viri justi animæ petere aggressum, non continuo apertis consuevisse fraudibus, et insidiis, sed tectis, et quasi quibusdam cuniculis oppugnare; ac primo quidem nihil rectis ejus actionibus adversari, quin potius callida omnia dissimulatione probare, multa etiam, quæ speciem præbent honesti, astute suggerere, atque ita sensim in ejus familiaritates sese insinuare, dum ad extremum, simplicem hominem, et veteratoriæ fraudis ignarum, laqueis suis irretiat, implicatumque teneat. Idem ergo in alliciendis ad salutem animis faciendum. Laudanda prudenter initio, quæ sunt in hominibus recta, vitiis parumque intactis, ac leniter in eorum gratiam irrumpendum. Qua conciliata, tum demum admovendam morbis animi medicinam, ut cum ingressus eorum quodammodo fuerit, exitus nostri sint. *Vit.* l. V, c. XI.

S. Maria Magdalena de Pazzis dicere solebat, non satis esse, tantum desiderare salutem, et virtutem animæ aliis, sed etiam ut habeant multa merita, et ut fiant alter Deus per participationem. *Vit.* p. IV, c. I.

Medici animarum scopus est, inquit S. Gregorius Nazianzenus, animæ pennas addere, ac mundo eam eripere, Deoque dare, divinamque imaginem, aut manentem conservare, aut periclitantem fulcire, aut dilapsam in pristinum statum revocare, Christumque per Spiritum Sanctum in domicilium pectoris admittere, atque, ut summatim dicam, eum, qui superioris agminis sit, Deum efficere, et supernam ei beatitudinem comparare. Huc Magistra lex tendit, huc exinanita Deitas, huc assumpta caro. S. GREGOR. *orat.* I.

P. Balthasar Alvarez dicebat ex S. Dionysio, neminem tuto posse agere Magistrum in rebus divinis, qui non has habeat conditiones. 1. Ut sit Deo similis. 2. Ut is illum exponat ad volandum. 3. Ut non incurius tale munus aggrediatur. Hoc autem consequetur, si per orationem pendeat a Deo, magna fide, ac fiducia auxilium ab eo accipiat, a quo mititur; nec patietur, ipsum in eo negotio perire, quod ipsius jussu aggreditur. Ex parte tamen sua conari debet, ut plurimos habeat oculos, quemadmodum cœlestia animalia, seque valde continere, ne liberam det oculis, linguæ, ac manibus libertatem, nec ingerat se occasionibus, quas posset vitare; ex eis enim lapsus eveniunt, non vero ex illis, quibus Deus illum immittit. *Vit.* c. VII, *S. Dionys. de Eccles. Hierarch.* c. III.

NECESSITAS. — S. Chrysostomus illud S. Pauli ponderans : Ostium mihi apertum est magnum, et adversarii multi, sic discurrit : Si magnum, quomodo adversarii? et respondet : Quod multi adeo reluctentur, indicium est Evangelicæ victoriæ. Numquam enim nocentissimus ille adversarius irritatur gravius, quam cum suorum instrumentorum multa sibi eripi videt. Verum nos, ubi magnum aliquid, et egregium facere statuimus, nequaquam constitutum id sine labore sit, cogitemus, sed utilitatem magis respiciamus. Vides igitur exemplum ejus in Paulo, qui nihil, quod multi essent adversarii, cessat; verum quod magnum pateret ostium, instat diligenter negotio, et istic pertinet; hocque signum erat ejus cum diabolo luctæ. Adversus eos enim, qui humilia, et levia operantur, nihil invehitur lethalis illa bestia. I. *Cor.* XXI, 8, *hom.* XLIII.

ÆQUITAS. — S. Catharinæ Senensi Christus dixit; Ego vos affectuose deprecor, ut assidua me rogetis pro salute peccatorum, quorum a vobis exigo sudores, atque lacrymosas orationes, ut eis impendam, quod opto, misericordiam gratiosam. *Dia. cap.*

DIGNITAS. — S. Carolus Borromæus dicere solebat, Pastorem animarum non tantum debere habere desiderium obeundi mortem pro illis vitam perferre, quam sit semel pro illis vitam profundere; labores enim et molestiæ in auxilio animarum acerbiores sunt, quam semel capitis præcisionem per martyrium pati. *Vit.* l. VIII, c. x.

S. Athanasius et S. Augustinus dixerunt, conversionem animarum patrationi miraculorum, imo etiam mundi creationi præferendam. S. ATH. *de hum. verb.* tr. XXVII, *in Joan.*

S. Catharina Senensis de sinceris, et zelosis operariis dicebat : Vere tales appellari possunt alter Jesus Christus Crucifixus Unigenitus meus, ex eo, quod assumpserint officium ejus. Relucent in eis lapides prætiosi virtutum cum vera patientia supportando defectus aliorum. Isti sunt hami, quibus capiunt animas. *Dial.* c. XIX.

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius opusc. XIII.

Alphonsus Rodriguez p. I, tr. I, prope toto, præcipue tamen c. x, et sequent.

Theophilus Bernardinus de perseverantia rel. l. IV, toto.

Bernardinus Rosignolius de disc. Relig. l. III, cap. VIII.

Jacobus Alvarez l. III, de adept. virt. p. I, c. v, § 3.

Albertus Magnus in Paradiso animæ c. XXVI.

Antonius Gaudier de Natura perfectionis p. II, s. III, c. XVII et XVIII.

Matthias Faber in auctar. them. III, in Festo SS. Simonis, et Judæ.

Joannes Busæus in Viridario V. Zelus.

Jacobus Marchantius in Virga Aaron, tr. IV, lect. I.

Thomas Stapletonus in Dom. XI. Post Pent. text. I, et Dom. III, post Pent. text. I. Item Dom. IV, post Pent. text. I. Et tandem Dom. II, post. Pasch. text. II.

Josephus Mansi Bibl. Mor. tr. XCVII.

FINIS TOMI QUARTI.

INDEX

PRÆCIPUORUM TITULORUM

TOMI QUARTI.

NUMERI PAGINAM INDICANT.

Pœnitentia	1
Procrastinatio pœnitentia	19
Prudentia	39
Purgatorium	69
Religiosus status.	96
Resignatio in divinam voluntatem	121
Resurrectio	164
Sacerdos	170
Sacrifici missæ oblatio	201
Sanctorum cultus et festa	228
Scandalum	266
Societas	276
Solatia spiritualia	294
Spes, et fiducia in Deum	515
Spiritus Sanctus	344
Superbia	356
Superstitio	380
Taciturnas.	387
Templum	407
Tempus.	420
Tentatio	431
Theologia	451
Timor Dei	505
Tristitia	528
Vana gloria	533
Verbum Dei	559
Virtus	592
Unctio extrema	619
Vocatio.	625
Voluntas propria.	646
Voluptas	654
Votum	661
Vulnera Christi	669
Zelus	680

Sanctus Amandus, ex Typis DESTENAY.

32290
**
251.3
L 833
LOHNER. TOBIAS
AUTHOR
Bibliotheca Manualis Concionatoria
TITLE ed. Cordier-Baud
Tom. IV Poen-Z
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
McGinty
Shanks
(Fr. Crain, 1530 N. Fresno St
Fresno 3, Ca
Inter-library
STORA

32290